CACHERANI THEOLOGIAE ASSERTIVAE.

DON IOSEPHI CACHERANI TAVRINENSIS

EX CLERICIS REGVLARIBVS BARNABITIS CONGREGATIONIS S. PAVLI;

THEOLOGIAE ASSERTIVAE

TRACTATVS IX.

De Sacramento, & Sacrificio Euchariſtiæ,

NOVA METHODO VTILITATI; AC BREVITATI MAXIME ACCOMODATA DISPOSITVS.



MEDIOLANI,

Sumptibus Camilli Conradi. Anno 1685.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX TITVLORVM TRACTATVS IX.

LIBER PRIMVS.

De jis, quæ essentialia sunt, & intrinseca Eucharistiæ ut Sacramento.

CAPUT PRIMUM.

De existentia, & institutione Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT SECUNDUM.

De constitutivis permanentibus Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT TERTIUM.

De constitutivis transeuntibus Sacramenti Eucharistiæ: Utrùm scilicet aliquid physicè transiens ingrediatur intrinsecam ejus constitutionem?

CAPUT QUARTUM.

De reali existentiâ, & præsentiâ Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento.

Utrùm

CAPUT QUINTUM.

An, & quomodo Christus in Eucharistiæ Sacramento existens possit moveri, agere, & pati?

CAPUT SEXTUM.

De Accidentibus panis, & vini, seù speciebus consecratis.

CAPUT SEPTIMUM.

De verbis consecratoriis, seù formis consecrationis.

CAPUT OCTAVUM.

De Unitate Sacramenti Eucharistiæ.

LIBER II.

De jis, quæ accidentalia sunt, & extrinseca Eucharistiæ ut Sacramento.

CAPUT PRIMUM.

De Ministro conficiente, seù consecrante Eucharistiam.

CA-

& Paragraphorum:

mul-

CAPUT QUARTUM.

A quibus, pro quibus, & quo ritu offerendum sit Missæ Sacrificium?

Facultas Reverendissimi Patris Præpositi Generalis Congregationis Cleric. Reg. Sancti Pauli.

CVM librum, cui titulus est, *Theologia Assertiua complectens tractatum de Sacramento, & Sacrificio Eucharistia*, à R. P. D. Iosepho Cacherano, nostræ Congregationis Præsbitero professo, & Assistente nostro, compositum, duo ejusdem Congregationis eruditi viri, quibus id commisimus, accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; Nos, ut typis mandetur, quantum in nobis est, facultatem facimus. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Collegio nostro SS. Blasii, & Caroli die septima Octobris 1682.

Don Alexander Madernus Præpositus Generalis.

Imprimatur.

SI videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

I. De Angelis Archiep. Vrbin. Vicesgerens.

APPROBATIO OPERIS.

IVssu Reverendissimi Patris Dominici Mariæ Puteobonelli Magistri Sacri Palatii, legi opus inscriptum: *Theologia Assertiua complectens tractatum de Sacramento, & Sacrificio Eucharistia*, elucubratum à R. P. D. Iosepho Cacherano Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, nec in eo reperi quidquam sacræ doctrinæ, vel moribus repugnans; Existimo igitur illud esse dignissimum, ut typis edatur, cum contineat doctrinam solidam, & accuratè enucleet difficultates. In Collegio Romano die decimaquinta Februarii 1683.

Sylvester Maurus Societatis Iesu.

Imprimatur.

FR. Ioseph Clarionus Sac. Theol. Professor, ac Reverendissimi Patris Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli S. A. P. Magistri Socius, Ordinis Prædicatorum.

1684.

1684. 17. Martii.

IN hoc opere inscripto, Tractatus IX. de Sacramento, & Sacrificio Euchariſtiæ à me viſo, & diligentèr perlecto, iuſſu Reuerendiſsimi S. T. Magiſtri Patris Sixti Cerchii Inquiſitoris Generalis Ciuitatis, & Status Mediolani, nihil moribus, ſacris ſanctionibus, & Fidei Catholicæ diſſonum reperi, immò cuncta altè eruta ſubtilitèr agitata, & mirè concinnata; ideòque typis dignum cenſeo. Me tamen &c.

Iacobus Saita S. T. D. Canonicus Baſilicæ Sancti Ambroſii pro Sancto Inquiſitionis Officio librorum cenſor.

Attenta præfata atteſtatione
Imprimatur F. Sixtus Cerchius Inquiſitor Generalis Status Mediolani &c.

Bartholomæus Craſſus S. T. D. Eccleſiæ Metropolitanæ Rector, pro Eminentiſsimo D. D. Cardinali Vicecomite Archiepiſcopo.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſsimo Senatu.

IN TRACTATVM
DE
EVCHARISTIA
PROLVSIO SCHOLASTICA.

AMplissimam Abbreviati Verbi munificentiam in nocte Cœnæ Eucharisticæ splendidè relucentem prolusurus non aliundè petam exordium, quam undè Eucharistia ipsa duxit originem; Ex nimia scilicet Divini largitate Amoris, qui in opere creationis initia sortitus, in Incarnationis Mysterio incrementum adeptus, in Eucharistiæ Sacramento coronidem assecutus, Deum nobis expressit primò Auctorem, nos eruentem ex nihilo, Secundò socium ad nos accedentem in carne; Tertiò Cibum apud nos permanentem in mensa; Primò suas nobis impertientem divitias, secundò suas in nobis invenientem delicias, tertiò utrumque perenniter conjungentem; Primò beneficum, deindè propitium, postremò etiam familiarem. Ne tamen familiaritas abire quodammodò posset in contemptum, prodigiis quibusdam Omnipotentiæ quasi conatibus admirationem maximam excitantibus familiarioris dilectionis obviam ivit incommodis, conjunxitque arte prorsus singulari ea, quæ cohærent difficillimè; Portentorum videlicet admirandam, adorandamque maiestatem cum frugali mensa, & vulgari apparatu convivii. Enim verò bucella panis, & lymphati vini poculo quid frugalius? Incarnato Numine, Dominico Corpore, & Sanguine quid lautius? Vtrisque ad summam venerationem juxtà, & domesticam consuetudinem quid accommodatius? quidve dignius, quod in hujusce prolusionis argumentum assumatur? Vbi, ut quæ magis Theologica sunt primas obtineant Theologicæ orationis paginas, præmittam ea, quæ Divinæ dilectionis maestatem, ac robur insinuant, in ea desiturus, quæ ejusdem suavitatem, & familiarem quamdam necessitatem commendant, simulque ostendunt Divinum Amorem cum divina sapientia de Elogio illo contendere, quod fortis una sit, & suavis, quod omnia fortiter, suaviterque disponat.

Neque hic mihi labor ullus in exquirendis miraculis, quibus fortis Divini Amoris dispositio comprobetur, quando ipsa etiam externa, & ob oculos cuilibet posita rerum facies miraculis est, prodigiisque conspicua. Ipsæ etenim sensibiles species sint licet entitates, & ex communi accidentis ratione valdè diminutæ, & ex propria panis, ac vini conditione vulgares, & utroque ex capite Intellectu prorsùs ac sensu destitutæ; Ipsæ inquam sensibiles species mirificam consecratoriæ formæ vim sentiunt, propriam dediscendo infirmitatem ad per se standum erudiuntur, innata quamvis propensione reluctante negligunt substantiæ fulcimentum, altioris concursus suffultæ præsidio, dum sensum fallunt, intellectum confirmant; Et augent gratiæ meritum, dum naturæ minuunt, imò decipiunt experimentum: Quantitas coæva materiæ, materia pereunte, superstat, suoque viduata subjecto gerit ipsa subjecti vicem, cæteras accidentales formas benignæ Parentis in modum fovendo, ac sustinendo, violatis iuribus naturalia Philosophiæ accidentium transmigrationem de subjecto in subjectum non patientis alii se-

mariter materiæ, cui, & proprism, & totius accidentariæ familiæ sustentationem, curamque committat. Sentiunt magis consecratoriæ formæ energiam Panis, & Vini substantiæ, quæ ambæ non tantum deserunt amicam accidentium societatem, verùm etiam sola urgente verborum efficacia absque ulla oppugnatione contrarii depereunt. Ne tamen videantur communi modo deficere, annihilatas se dici non sinunt, sed novum invehunt desinendi genus per transubstantiationem. Non possum hic obiter non improbare scrupulum, scandalumque hæreticorum hanc in vocem debacchantium, & perperàm sibi blandientium de auctoritate Apostoli dicentis; *Profanas verborum novitates devita* quasi verò, aut novitas profana sit in tot Sancto Eucharistiæ Sacramento novum verbum inducere, aut omnis novitas absolutè damnetur, adeòque piaculum fuerit Christo dicere, *Mandatum novum do vobis*. Piaculum fuerit Agno in Throno sedenti clamare, *Ecce nova facio omnia*; Piaculum resonare in Ecclesia nova cantica, novumque testamentum nuncupari: Et si profana lubeat auctoritate profanos Auctores impetere, nonne Latinæ linguæ Magister, & Princeps testatur, *Novis inventis rebus* licere nova invenire vocabula? Heù protervum omninò furorem sectariorum, qui tigris rabiem imitari, sicuti ista quoties irruere nequit in hominem, sævit in spolia; Ità illi rebus ipsis, & Sacris Mysteriis oppugnandis impares, in vocabula tamquam in extrinsecea Mysteriorum paludamenta virus suum effundunt, blasphemias suas eructant. Verùm dum adversarii vocis corticem mordent, rabidoque feriunt dente, nos ad tri significatæ medullam suaviùs degustandam, intimiùsque penetrandam progredientes, revocemus panis, & vini substantias, quas in agone quodammodò & ipso licèt prolusionis in limine ultimam agentes periodum reliquimus. His igitur substantiis in nihil fui, & subjectis abeuntibus Christi corpus, & Sanguis inaudita conversione succedunt; Christus scilicet in Empyreo jam gloriosus, ad Patris jam dexteram constitutus humanis adhuc subest imperiis, & qui peccatori gratiam negat (parcite, si licentia plusquam Theologica loquor) non negat obedientiam, capiturque propè modum non muneribus, quibus Deos capi sensit olim antiquitas, sed verbis etiam impio, & sacrilego ore prolatis; Quod certè nulla prisca ætas docuit, nec nova lex traderet, nisi Fides animosa firmaret, & intellectus dumtaxat in Fidei obsequium captivus excogitare potest Deum vi verborum speciebus alligari, & vinculo plusquàm sympathico adeò firmiter iisdem hærere, ut ad ipsarum motum, tractionem, translationem, moveatur, trahatur, hùc, atque illùc transferatur, malitque omnem specierum sortem subire, nec non etiam profanis, etiam fœdis locis inferri se sinat, potiùs quam patiatur ab earum consortio disjungi.

Hisce Sacramentalium specierum prodigiis plus æquo detineor, & Astronomorum in morem, qui externam Cæli faciem contemplantes ad ea, quæ intra Cælum sunt, non assurgunt, externis Eucharisticorum accidentium involucris occupatus, ad ea, quæ sub iisdem latent, indaganda non propero, & tamen res latent pulchriores: Latet quippè Verbum, quo omnia manifestantur, & iure concomitantiæ, si ù identitatis cum Verbo latet Divinæ essentiæ Pelagus omnigenarum perfectionum affluentia plenissimum, totiusque Triadis in eodem essentiæ Pelago absorptæ specialis quædam præsentia, & inexistentia singularis: Latet quod immensum est, omnique cælestium sphærarum latitudine maius, ad angusta Eucharistici Orbis spatia coarctatum, adeò ut habeat etiam parvus hominis mundus suum exiguum orbem, quem non intelligentia ulla, sed intelligentiarum Auctor inhabitet: Latet, quod æternum est, omnique anteacto sæculo antiquius, in tempore reproductum, & qui in Bethleem mystica panis domo semel natus est, in Sacramento sub vera panis specie quotidiè renascitur, fitque panis Electorum, qui se palcis olim, & aristis tamquam frumenti granum immiscuit: Latet fons gratiæ, & aquæ in vitam æternam salientis, simulque Amoris incendium gratiarum fonte, & specierum nivibus amico fœdere consociatum, nec amplius gratia invidet Naturæ factam illam emphasim admirationis *Numquid ingressus es thesauros nivis*. Habeot enim etiam Eucharisticæ nives Thesauros suos cò pretiosiores, quò diviniores: Latet tenui obumbratum nubecula splendidissimum Iubar Divini Solis, cujus felix præsagium antiqua ætas imperante Augusto sibi contigisse gloriatur, dum intra coronam spicis triticeis insertextam Solem inspexit mirabiliter conspicuum, quem hac epigraphe decorans Paradinus. *Hæc conscia Numinis ætas* egregiè indicavit Mysterium: Latet Sacrificium, in quo idem est Sacerdos, & Victima; Convivium, in quo idem est

Cibus,

Cibus, Potus, & Convivator; Convivator, qui mensas instituit opulentissimas sinè dispendio Patrimonij; Potus, qui inebriat sine perturbatione rationis; Cibus, qui nutrit sinè violatione jejunii; Victima, quæ immolatur etiamsi immortalis; Sacerdos, qui regale gerit Sacerdotium etiamsi servi formam indutus: Hoc Sacerdote nihil sacratius, hac victima nihil nobilius, hoc cibo nihil pretiosius, hoc potu nihil suavius, hoc Convivatore nihil munificentius, his omnibus nihil divinius: Et quid prohibet suspicari huc collimasse veteres illos, qui convivia Divinum, quod redolere arbitrati hymnos diis sacros inter pocula concinebant, & apparatus omni lautitiarum genere opiparos Deorum cænas nuncupabant iuxta Horatianum illud.

O noctes, cænaque Deum.

Quam certè suspicionem vehementius movent, & Scythæ, quibus jurare per epulas fuit summa religio, & Romani quos expressiua credidisse adesse mensis Numina tradidit Ovidius Fast. 5.

Ante focos olim scamnis considere longis.
Mos erat, & Mensis credere adesse Deos.

Verùm sivè Catholicæ Religionis veritati nesciens præluserit, sivè propriæ tantum superstitionis vanitati desipiens inservierit veterum Infidelium credulitas, nostrum non minus convivium, quam Numen præteritorum omnium, & superat fidem, & memoriam extinguit, nostrisque mentibus quacumque firmitate firmius hæret divinissimam esse Eucharisticam cænam, nec solum adesse Sacramentalia Mensæ Deum, sed eum etiam, qui Sacramentalem ad mensam discumbit, Divino pasci numine, imò divinum quidpiam fieri, divinosque mores induere, si verum est, quod & experientia, & ratione fretus docet Stagirites, ex his constare homines, ex quibus nutriuntur, variosque ciborum usus ad varios mores apprimè conducere; Et verò sicuti degluriendo epulas à dæmone oblatas divina abjecta imagine in dæmonis formam homo transierat, quidni sumendo epulas à Deo paratas in quamdam Deitatis participationem redire possit? His igitur epulis famem quisque expleat suam, animum divinitatis capacem divinis escis enutriat, & injunctà in antiquæ comestionis pœnam gratiæ jejunia novæ mensæ frequentatione restauret.

Videbor fortasse, aut Orator abstemius, aut abstemios alloquens Auditores, si in sacri commendatione Convivii ulterius differam de potu caliceque disserere. Neque hic ut arbitror poterit mihi disertus sermo deesse: Enimverò

Facundi calices, quem non fecere disertum?

At quis calix, sacramentali fæcundior? Vbi vinum germinat Virgines, & libidinis incitamentum fit antidotum puritatis? Vbi sacris sub speciebus divina veritate delitescente fas sit sine tropo ullo huc transferre laconismum illum *In vino veritas*? Vbi qui unico sui corporis ferculo dapum quarumcumque saporem vincit, & pretium, unico pariter sui sanguinis poculo liquoris cujuscumque virtutem, ac suavitatem excedit? Vinorum varietas, & poculorum copia ebrietatis illicium est, & dum ad immodicam bibacitatem incitat, excitat jurgia, & rixas, solvitque strictiores nodos charitatis: Quidni igitur Divinus Pater familias calicis varietatem excluderet, & unitate poculi statuendum cum hominibus amicitiæ Sacramentum, ipsorumque cor unum, & animam unam præsignaret? Memini Catilinam, ut concives suos in Patriæ perniciem fæderatos confirmaret, poculum humani sanguinis vino permixti circumtulisse; At quam sacratius inito pro Patria in hostis tartarei perniciem homines inter, & Deum fædere, ut humanam roboret Fidem, proprium sanguinem vini speciebus delibatum Christus circumfert? Memini apud Ethnicos per Idolorum Templa cruorem plurimum effluxisse adeò ut videretur tunc religiosius sacrificium offerri, quando sceleratiore carnificina religio violabatur; At nunc uno immaculati Agni sanguine calices redundant, & eo purius Religionis candor inclarescit, quo uberius tali sanguine purpurascit. Memini Deum ultionum suas aliquando sagittas sanguine inebriasse; Sed versis jam vicibus factus Deus dilectionis proprio humanas animas sanguine innocenter inebriat. Importunum hic meis auribus obstrepit murmur obmussitantium sectariorum, qui hujusce innocentis ebrietatis desiderium, & Dominici Sanguinis sitim simulantes sub utraque specie communionem affectant, Constantiensis Concilii decretum, ritumque Ecclesiæ unicam panis speciem ministrantis execrantur, & impudenter dolent se privari integritate convivii, se ad mutilam, ac abstemiam mensam accumbere. Quasi verò anticipa-

tam

tam hæ iniquæ querimoniæ repulsam non tulerint ex Ioanne, qui contrà solventes Christi corpus à sanguine, & sub duplici Sacramento divisim collocantes dilucidè promulgavit *Omnem Spiritum, qui solvit Iesum, ex Deo non esse*: Quasi verò spiritualis sitis adeò cum corporali conveniat, ut non magis ista potum, quam illa speciem potus requirat; Nec oraculum illud *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam* luculentè suadeat eamdem sacramentalem gratiam esse spiritualiter sitientibus potum æquè, ac spiritualiter esurientibus cibum: Quasi tandem possit non esse totum qualibet in specie convivium, dum totus est qualibet sub specie Christus, imò totus sub modicissimo etiam cujuslibet speciei fragmento. Dividas licet semel, & iterum sensibilem illam accidentium compagem; Separes licet in minutiores, & minutiores particulas, in minores, & minores guttulas materiam consecratam; Manet qualibet in divisione Christus indivisus, manet totum qualibet in parte sacramentum, manet integrum in qualibet sacrati ferculi portione convivium. O inauditam dotem cibi, qui etiam sitim extinguit! O singularem prærogativam potus, qui etiam esuriem explet! O utrinsque admirandam nimium conditionem, dum uterque satietatem affert non fastidium; uterque eò desideratur avidiùs, quò frequentiùs degustatur. Deficient me, & calami, & paginæ in recensendis, & accuratiùs describendis prodigiis, quorum, & numero, & pondere se in Eucharistiæ munere fortem, potentemque Divinus Amor ostendit; Sat sit nonnulla delibasse, & tamquam in prodigiorum omnium maximo aliquantulum immoremur in eo, quod se simul familiarem, & domesticum Divinus Amor exhibeat.

Neque nobis ab iis, quæ usque modo prolusimus longius recedere necesse est, ut scopum attingamus, eadem enim prærogativa convivii, quæ conduxit plurimum ad comprobandam fortem, potentemque vim Divini Amoris, confert non minus ad suadendam familiarem, & domesticam ejusdem suavitatem. Certè non nisi benevolentia dulciore conjunctos in commensales adhiberi omnium tùm locorum, tùm temporum consuetudo testatur: Hinc tamquam argumentum familiaris cujusdam ad Magnates accessus, habitus semper est plurimi honor assidendi ad mensam Principum, & quemadmodum monuit Tertulianus, *qui cum Rege cænant videntur omnibus eminere*; Hinc Miphiboseth promissam sibi à Davide mensam Regiam maximi beneficii loco computavit; Hinc non dissimili de causa Vespasianus Principi gratias egit in Senatu quamplurimas; Hinc prædives quidam Nomenclatori ducenta numeravit sestertia, ut uno ad mensam Caligulæ discubitu dignaretur; Hinc fortè etiam quià familiaritas solet inter paucos exerceri esse consuevit exiguus numerus convivarum, & antiquæ mensæ non nisi septem Confessores admittebant juxta vulgatum illud, *Septem convivium, Novem convitium*. Nescit tamen hoc præjudicium Mensa Eucharistica, quam (ut inquit Chrysostomus) *Non sinit esse Dominicum, qui non sinit esse communem*; (Addite si lubet) & perennem, tùm cuilibet scilicet, tùm semper paratam; Nullus enim homo est, aut tàm abjectus, aut tàm scelestus, cui convivium cæleste non pateat; Nulla hora est, aut tàm importuna, aut tàm profana, in qua Sacra Mensa apparatum suum non proferat. Cæteræ dapes, vel matutinæ sunt, vel vespertinæ. Dapes Eucharisticæ, & matutinas, & vespertinas simul horas occupant; Cæteræ mensæ nobiles viros à Plebeis, servos à Dominis, divites à mendicis secernunt; Eucharistica mensa nescit Personarum discrimina, recipit una omnes, uno omnes ferculo reficit, uno omnes poculo recreat. Quis ergo miretur imposterum, aut Alexandrum, qui ad novem usque millia convivarum, simul excepit, aut Assuerum, qui ad centum octoginta usque dies splendidissimam convivii solemnitatem protraxit? Quam exiguus est ille convivarum numerus, quam breve est istud dierum spatium, si ad innumeram communicantium multitudinem, si ad jugem Eucharisticæ Communionis perennitatem, perpetuitatemque conferantur.

Hæc perpetuitas ad aliam me perpetuitatem invitat, apparatus scilicet perpetui convivii allicit me ad perpendendum beneficium perpetuæ præsentiæ Christi Convivatoris, qua fortè nihil est, quod magis hic quadret, sicuti nihil magis familiarem, suavemque Amorem fovet, quam mutua Amantium propinquitas: Vndè Amici strictiores ad indicandum, quam ægrè abesse invicem possint mutuam inseparabilitatem lemmatibus illis significant, *Aut morte, aut numquam*. *Vitæ mortisque comes*. *Quis separabit?* At in commendationem Divini Amoris liceat mihi pro re nostra augustiora hæc lemmata inscribere. *Nec morte, nec numquam*. *Victi pereunt, sed vincla perennant*. *Ne-*

que

quæ mors separabit. Et verò quomodò mors separet, auferatque præsentiam illam, quam ad eludenda incommoda absentiæ, & discessus ex morte imminentis suis Christus dilectis dereliquit. Neque est, quod latens tantæ præsentiæ privilegium hæretica pravitas inficiari contendat: Etenim, ut omittam insigniora veritatis adeò celebris argumenta, quibus Sectarios oppugnare, & expugnare Scholasticorum, & Controversistarum deliciæ sunt: Nonne ignis, qui ardens in vepribus Moysi olim affulsit, egregio symbolo satis adumbravit incendium Divini Amoris inter densiores hæresum sentes rutilantis illustrius, præsentiamque suam clariùs demonstrantis. Verum Amicorum præsentia contentus familiaris, & domesticus amor non est, etiam æqualitatem, etiam intimam quamdam unionem, imò unitatem efflagitat, quod quidem arcano prodigio in Eucharistia peractum admirare. Vivit Pater, & Verbum Natura idem, personaliter distinctum, & qui Eucharisticum sumit edulium ad Divinitatis participationem evectus gratiæ privilegio fit unius, ejusdemque Naturæ cum Verbo, cum quo retinet Personæ distinctionem; Idque ne suprà omnem fidem esse videatur confirmatum accipe ineluctabili testimonio Incarnatæ Sapientiæ sic Patrem alloquentis *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Hoc fretus Oraculo ausim objicere Beatis; quod Dei quidem præsentia fruantur, at non potiantur unione adeò mirifica, & modo solum intelligibili consequantur possessionem illam summi boni, quæ modò penè dixerim physico, & sensibili Viatoribus in Sacramento conceditur: Ausim etiam arguere Cyprianum tamquam avarum nimis, & parcum Eucharistiæ commendatorem, dum ipsam nuncupat *portionem vitæ æternæ*; Enimverò, si tota vita æterna est Deum cognoscere juxtà illud, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*, quomodò portio vitæ æternæ, & non potius plusquam tota vita æterna sit Deo pasci, Deum induere, Deum mente, Deum corde, Deum corpore, Deum sensibus, Deum potentiis omnibus possidere? Proh familiaris Numinis, proh domesticæ Dei nans mirifica nimium argumenta! Proh fercula, & corpori, & animo recreandis aptissima! Et si teste Augustino *Deipara Virgo beatior fuit concipiendo mente, quam ventre* forte etiam aliqua poterit esse ratione beatius Eucharisticas epulas haurire mente, quam gutture, & si *cognoverunt Discipuli Dominum in fractione panis* non diffidendum Theologiæ Candidatis, quin in Mystica Sacri Panis fractione Deus innotescat; Neque aliquem terreat antiquum illud; *Petierunt parvuli panem, & non erat qui frangeret*; Huic enim incommodo consuluit Angelicus Aquinas, qui subtilissimi ingenii sui acie, & doctissimi calami accumine feliciter divisum, fractum, contritumque panem suppeditat, omnigenam ipsius suavitatem, vim omnem, & virtutem, effectus omnes, & prærogativas, emolumentum omne, & oblectamentum manifestat. Sub Angelici igitur Doctoris, & Ductoris auspicio studiosis mentibus Angelicam ad mensam assidentibus, tamquam minister subservio. Faxit omnipotens, ut intellectuale hoc mystica in mensa ministerium sit mihi ministranti propitium, & salutare, utile, ac jucundum invitatis, gratum, & acceptum summo Patri familias invitanti, cui etiam sit bono omine dicatum, atque devotum, quod ad prælibandas quasi, & prægustandas tanti epuli delicias proludebam.

Ad Lectorem.

HAbes amice Lector postremum (heu postremum!) immò & posthumum opus R. P. D. Iosephi Cacherani, viri in Congregatione nostra spectatissimæ vitæ, & doctrinæ, Philosophicis, ac Theologicis Cathedris celeberrimi. Is jam prælo committere cœperat eruditissimas lucubrationes suas, quas prosequi destinaverat in omnes Doctoris Angelici tractatus, tùm qui divina speculantur, tùm etiam, qui pertinent ad mores. At nobis fata invidere tanti fructus ingenii. Vix etenim quartum hoc volumen aggressus fuerat, cum repens apoplexiæ deliquium coëgit desistere cœpto. Nec illum deterruit instantis lethi facies in ultimum discrimen paratissimum; hoc unum precabatur, tantum vitæ, ac virium indulgeret Deus, dum comentationes in admirabile Eucharistiæ Mysterium, quas tunc præ manibus habebat absolveret. Annuit piissimis votis divina clementia, cumque sensuum integritati redditus rediisset ad calamum, ubi librum hunc perduxit ad calcem, quod alias nunquam asueverat, vocem Finis adscripsit, veluti Cantor funeris ipse sui. Et quidem non multò post iterato languore conceptus decessit, ad eum, quem speciebus Eucharisticis velatum meditatus fuerat, revelata facie intuendum vocatus. Tu fruere, quæ superest, hæreditate doctrinæ, dum hanc ille, & quam nobis desiderandam reliquit (ut spem facit integritas morum) uno affatim videt in Verbo.

TRACTATVS IX.

DE SACRAMENTO
ET
SACRIFICIO EVCHARISTIAE:

LIBER PRIMVS.

De iis, quæ essentialia sunt, & intrinseca, Eucharistiæ ut Sacramento.

EST Eucharistia Sacramentum inter nova ordine numeri ferè medium, ordine dignitatis omninò primum; est Sacrificium numero unicum, dignitate maximum: Qua Sacramentum, eodem cum cæteris Institutore gaudens iure sibi peculiari ipsum in se Institutorem continet, & dominici Convivii symbolum referens divinum Convivam sub specierum involucro in cibum potumque suppeditat; Divina gratia, quæ per reliqua Sacramenta quasi per riuulos raptim quodammodò defluit, & in usu dumtaxat incipit, definitque, hocce in Sacramento quasi Perenni in fonte jugiter permanet, & tota ipsius plenitudo, tota sacri signi perfectio, usum, sumptionemque antecedit. Nec dispar admodum est Eucharistia, qua Sacrificium, enimverò in Altaris sivè ara, sivè mensa, ille idem, qui simul est Convivator, & cibus, est simul pariter Sacerdos, & victima; & qui ut ferculum sumitur, at non conteritur, ut holocaustum immolatur, at non consumitur; imò victima suæ incruentæ cædi superstes toties repetitur ad obtinendam nobis propitiationem, & veniam, quoties Sacra mensa iteratur ad conferendam nobis refocillationem, & vitam. Proh Sacramenti, & Sacrificii, Convivæ, & Sacerdotis, ferculi, & holocausti paradoxa! quæ vel levissimè prælibata insinuant non excessisse metas, quin nec propè attigisse Sanctos Patres, dum Eucharistiam compellarunt Memoriam mirabilium, Officinam miraculorum, Mysteriorum complementum, Sacramentorum consummationem; Pharmacum immortalitatis, Pignus hæreditatis futuræ, Præludium felicitatis æternæ; Divini in nos amoris effusionem, divitias, herculeasque columnas: Sed his elogiorum laconismis omissis, meliùs fortè, aut certè ad rem nostram accommodatius, dixerim Eucharisticum Sacramentum, & Sacrificium esse argumentum egregium, regium, divinum, theologica consideratione, admiratione, veneratione dignissimum, & tribus mox libris jure pertractandum, alter sit de essentialibus, & intrinsecis, alter de accidentalibus, & extrinsecis Eucharistiæ ut Sacramento; tertius de Eucharistia ut Sacrificio. Antequam tamen in primo libro Eucharistiæ essentialia, seù essentiam aggrediamur, non est omninò prætereunda existentia, & institutio. Ideò sit

Tractatus divisio.

CAPUT PRIMUM.

De Existentiâ, & Institutione Sacramenti Eucharistiæ.

1 Eucharistia ex vi nominis quid?

SIcut *An est* præmitti debet ad *Quid rei*, ità ad *An est* præmitti debet *Quid nominis*. Est porrò Eucharistia nomen græcum idem latinè significans ac bona gratia, vel, ut quibusdam magis placet, gratiarum actio, eò quod eucharistizare græcè, sit latinè gratias agere; quadrat autem utraque nominis significatio Sacramento, quod Eucharistiam dicimus, in ipso quippè uberem gratiam, ipsumque gratiæ fontem Christum Dominum recipimus, idemque sumimus, & offerimus in gratiarum actionem pro beneficiis à Deo collatis; undè & Christus in primâ institutione accipiens panem, & calicem *gratias egit*, & nos Sacerdotes semper dicimus in Missæ præfatione *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Sunt & alia talis Sacramenti nomina, dicitur scilicèt græcè *Synaxis*, latinè *Communio*, quia per ipsum fideles cum Christo, ac inter se communicant, & solent ad ipsius sumptionem in unum convenire: Dicitur græcè *Metalepsis*, latinè *Assumptio* propter excellentem dignitatem, Deitatemque ipsam, quam communicantes assumunt, ut loquitur Damascenus *lib. 9. fid. cap. 14.* Dicitur *Viaticum* quatenùs datur morituris, ut ipsis viam sternat, & vires augeat ad transitum in aliam vitam, & æternam gloriam: Dicitur *Sacrificium*, quia ex propriâ institutione non sumi tantùm debet, sed & offerri, idque in commemorationem passionis, & Sacrificii cruenti Crucis: Dicitur *Sacrum Convivium*, quia fit sub speciebus cibi, & potus, & spiritualiter reficit: Dicitur *Cœna Dominica*, quia fuit à Christo Domino institutum in cœnâ: Dicitur antonomasticè *Sacramentum* propter summam, quam habet præ cæteris Sacramentis excellentiam, vel *Sanctissimum Sacramentum*, *Venerabile Sacramentum*, propter summam, quam continet, Sanctitatem, summamque, quam meretur, venerationem.

Recensentur alia ipsius nomina.

2 Potiora sunt Sacrificium, Synaxis, Viaticum.

Circà omnia hæc, aliaque hujusmodi nomina observo ex D. Thomâ *hic quæst. 73. art. 4.* tria esse potiora, & sunt *Sacrificium*, quod de Eucharistiâ dicitur respectu præteriti nimirum passionis, & mortis Christi, cujus est commemorativa: *Communio*, & *Synaxis*, quod de Eucharistiâ dicitur respectu præsentis, nimirum conjunctionis, seù unitatis sumentium, cujus est demonstrativa: *Viaticum* quod de Eucharistiâ dicitur respectu futuri, nimirum æternæ gloriæ, cujus est præfigurativa. Observo insuper ex Estio *in 4. dist. 8. §. 1.* propter regulam generalem, quâ cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, nomen Cœnæ Dominicæ esse rariùs, & cautè adhibendum eo quod ipso maximè utantur, & abutantur Sectarii, & Eucharisticum Sacramentum vix aliter quàm cœnam dominicam nominent inferentes, quod si cœna tantùm est, non sit sacrificium, non debeat asservari, non à jejunis sumi, non censerip erfectum antè sumptionem &c.

Nomen cœnæ Dominicæ cautè adhibendû propter Sectarios.

3 Eucharistiæ descriptio.

Ex præmissâ explicatione nominum Eucharistiæ perspicuum est, rem per talia nomina importatam esse Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, seù accidentibus sensibilibus panis, & vini significativum, & causativum gratiæ per modum alimenti refectionisque spiritualis: Eucharistiæ sic quò ad *quid nominis* expositæ, sicque descriptæ abstrahendo pro nunc ab eo quod omnia prædicta sint essentialia ipsius constitutiva nec ne? inquiritur hoc primo capite existentia, & institutio; quæ licèt certiora sint, quàm ut multâ indigeant probatione, continent tamen nonnulla saltem scholasticæ eruditionis titulo recensenda, & aliqualiter exponenda: Ideò sit

---

§. I.

Quàm certum sit Eucharistiam esse verum Sacramentum novæ legis; & quomodò ab aliis differat?

4

ASSERT. 1. Certum omninò est, & quidem certitudine fidei, Eucharistiam esse verum Sacramentum novæ legis. Ità non solùm omnes Catholici, sed & fortè omnes hæretici, nam si excipias, aut potiùs omittas antiquiores quosdam, de quibus Scholastici dissident, utrum Eucharistiam tamquàm verum Sacramentum admiserint, affirmant scilicèt admisisse Vasquez *disp. 167. cap. 1.* & Lugus *disp. 1. sect. 1.* Negant Suarez *disp. 39. sect. 1.*, & Valentia *quæst. 1. punc. 2.* Si, inquam, illos omittas, Sectarii Moderniores omnes in hoc cum Catholicis conveniunt adeò ut illi etiam qui contendunt, siqui contendunt, unicum esse in novâ lege Sacramentum fateantur istud esse Eucharistiam, ut colligitur ex Bellarmino *lib. 2. de Sacram. cap. 24.*, & observat Suarez *pracit. sect. 1. §. Dico secundò*. Errarunt quidem posteà multipliciter in explicandâ tùm communi Sacramenti essentiâ, tùm propriâ ratione Sacramenti Eucharistiæ præsertim quò ad realem Christi præsentiam; Verùm malè exponere quid aliquid sit non est negare quod sit

5 Eucharistiam esse verum Sacramentû est fidei dogma traditum in scripturis.

Probatur asserta veritas: De fide est Eucharistiam esse sacram cæremoniam, seù signum sacrum sensibile, & habere virtutem causativam gratiæ in suscipiente, atqui hæc duo maximè requiruntur, & sufficiunt ad verum Sacramentum novæ legis; ergo certum omninò est, & quidem certitudine fidei Eucharistiam &c. Minoris propositionis certitudo supponitur ex tract. *de Sacram. in gen.* Probatur maior quo ad primam

mam partem ex eo quia *Matth.26.Mar.14.* & *Luc.22.* dum describitur Eucharistiæ institutio, fit mentio benedictionis, & gratiarum ad Deum actionis; item panis, & vini seù calicis, nec non pronominum *Hic* & *Hoc*; benedictio autem & gratiarum actio spectant ad cæremoniam sacram; panis, & vinum seù calix sunt res sensibiles; pronomina *Hic* & *Hoc* sunt rerum sensibilium demonstrativa. Probatur eadem major quò ad secundam partem ex verbis illis *Io.6.* quibus Christus Dominus ait *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam* (& nonnullis interpositis) *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Confirmatur ex eo quod inter præcipuas veri sacramenti conditiones est, quod sit diù duraturum, & institutum lege stabili, quod quidem in Eucharistiâ non desiderari constat ex præcepto Christi Luc.22. *Hoc facite in meam commemorationem*, additis præsertim ad hoc præceptum verbis Apostoli 1.*Cor.* 11. dicentis *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat*, subintellige ad judicandum.

6 — *Et definitum in Conciliis.*

Cohærenter ad hæc valdè expressa Scripturæ loca atque his conformia Sanctorum Patrum testimonia frequentissima æquè acclarissima, Sacramenti Eucharistici veritatem tradiderunt pluries ac definiverunt Concilia, & primò quidem Concilium Carthaginense III. *cap.*24. & 29. quatenùs Eucharistiam appellat *Sacramentum Altaris*, item *Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini*; postremò Concilium Tridentinum quatenùs *sess.*13. & 21. totum est in agendo de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & Sacramentali communione; idem præstiterunt Concilia alia intermedia ut Lateranense Florentinum &c. quatenùs statuerunt septenarium numerum Sacramentorum novæ legis, & in eo Eucharistiam recensuerunt. Sivè igitur Scripturas, sivè Concilia, sivè Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sensum traditionemvè attendas, asserta veritas de fide est, & fidei dogma.

7 — ASSERT. II. Sacramentum Eucharistiæ verè distinguitur, & in pluribus differt ab omnibus aliis novæ legis Sacramentis. Est assertum de fide æquè ac præcedens, quamvis sit aliqua difficultas, & inter Catholicos dissensio in assignandâ diversitate inter Eucharistiam, & Confirmationem penes fines, ad quos ordinantur, ut attingetur infrà *num.* 9. Interim asserta veritas

Est item de fide esse à reliquis omnibus essentialiter distinctum,

Probatur, & explicatur ex eo quia, ut *præced. tract.* ostendimus, est de fide certum, dari in novâ lege septem Sacramenta essentialiter, realiterque distincta, non sic autem darentur, si Eucharistia, quæ unum ex ipsis est, à reliquis omnibus non distingueretur. Hinc Concilia, & Patres semper de Eucharistiâ loquuntur tamquam de Sacramento peculiari à reliquis omnibus distincto, eique assignant materiam, & formam distinctam à materiis, & formis aliorum omnium Sacramentorum: Non solum autem est Sacramentum sic distinctum, sed est insuper aliundè à quolibet alio multipliciter diversum; differt scilicèt primò in eo quod reliqua sacramenta sunt signa sacra, & quid sacrum præcisè, quatenus referuntur ad sanctitatem accidentalem in suis suscipientibus causandam, aut etiam quatenùs sunt quidam sacri ritus per sanctitatem accidentalem sibi suo modo intrinsecam, moralem tamen & valde imperfectam; at Eucharistia habet præterea sibi intrinsecam, & in se continet sanctitatem substantialem Christi Domini in ipsâ realiter existentis. Differt secundò in eo quod reliqua Sacramenta habent pro materiâ proximâ aliquid transiens idest aliquam actionem, quâ applicantur subjecto, à quo suscipiuntur, ut sunt respectu baptismi ablutio, respectu Confirmationis unctio in fronte: Eucharistia verò habet pro materiâ proximâ rem permanentem, ut sunt accidentia panis, & vini, vel etiam Corpus & Sanguis Christi. Differt tertiò in eo quod reliqua Sacramenta, sicuti habent materiam proximam transeuntem, ità ipsa quoque transeunt, & in applicatione, sumptione, usuque consistunt; Eucharistia, sicut habet materiam proximam permanentem, ità istâ permanente ipsa quoque permanet independenter ab applicatione, sumptione, & usu. Differt quartò, & est differentia valdè plausibilis ex fine proximo desumpta, penes quam cum D. Thomâ suprà *quæst.* 65. & in præsenti *quæst.* 73. *art.*1. assignari solet potissima congruentia institutionis, & distinctionis septem novorum sacramentorum; differt inquam quartò in eo quod attentâ analogiâ vitæ spiritualis ad vitam corporalem Eucharistia ordinatur ad perficiendum hominem in vitâ spirituali per modum nutritionis & alimenti, reliqua Sacramenta aliter, idest Baptismus per modum generationis, Confirmatio per modum augmentationis, Pænitentia per modum curationis ab infirmitatibus &c. ut tradi ab omnibus solet, & nos quoque tradebamus agendo de novorum Sacramentorum numero.

8 — *Est insuper aliundem multipliciter diversum,*

Differt singillatim etiam penes finem proximum à Sacram. to Confirmationis.

9 — Dices (& est difficultas cujus in asserto meminimus) etiam Eucharistia datur ad perficiendum hominem in vitâ spirituali per modum augmentationis, ergo non subsistit inter Eucharistiam, & Confirmationem discrimen quarto loco positum, & ex fine proximo desumptum: probatur antecedens, etiam Eucharistia datur ad vitæ spiritualis scilicèt gratiæ, quæ vita Animæ est, augmentum, & quidem non solum modo communi aliis sacramentis vivorum, quæ ex hoc quod vivorum sunt, dantur ad per se causandam secundam gratiam, quod est idem ac dicere augmentum gratiæ, verùm etiam modo sibi proprio, & quatenus causat per modum nutritionis, & alimenti; cibus enim & nutritio corpora-

lis habet tùm reparare vites deperditas, & conſervate exiſtentes, tùm etiam iſtas augere; idem alimentum, quod eſt materia corporeæ nutritionis, eſt ſimul materia corporeæ augmentationis, & eſt ad iſtam æquè ac ad illam neceſsarium; ergo attentâ analogiâ vitæ ſpiritualis, & corporalis Eucharistia ex propriâ ratione nutritionis, & alimenti datur ad vitæ ſpiritualis augmentum, ſeù ad perficiendum hominem in vitâ ſpirituali per modum augmentationis: Neque dicas adhùc ſubſiſtere diſcrimen Euchariſtiæ à Confirmatione ſaltem in eo quod illa cauſet gratiam, & vitam ſpiritualem perficiat per modum nutritionis, & augmentationis, iſta ſolùm per modum augmentationis: Impugnaberis enim, quia, ut mox dicebatur, corporalis augmentario nequit haberi ſine nutritione, perſiſtendo igitur in analogiâ Confirmatio nequit ſpiritualiter augere, quin ſpiritualiter nutriat, nequit ſpiritualem vitam perficere per modum augmentationis, quin ſimul perficiat per modum nutritionis.

10 Sed contra: Omitto tamquam invalidam, & rectè impugnatam reſponſionem interpoſitam, & adverto difficultatem inſtantiæ oriri ex analogiâ, & proportione ſpiritualium ad corporalia, quæ ſi deberet verificari in omnibus, inſtantia non modicam haberet vim; at ex genere ſuo proportiones, & analogiæ rerum diverſarum ſatis eſt, quod ſubſiſtant quò ad aliqua, & poſsunt imò debent quò ad aliqua alia deficere; Si igitur in propoſito oſtendatur ſub aliquâ ratione id, ad quod Euchariſtia ordinatur, imitari corporale alimentum, id, ad quod ordinatur Confirmatio, imitari corporale augmentum, non è converſo: nil retulerit, ſi ſub aliquâ aliâ ratione id, ad quod ordinatur Euchariſtia, imitetur etiam corporale augmentum, & id, ad quod Confirmatio, corporale alimentum.

11 Porrò prædicta imitatio, ſeù proportio ſub duplici potiſsimùm ratione rectè aſsignatur: Primò quatenùs corporale augmentum eſt ab intrinſeco, ſeù per aliquid intrinſecum; alimentum eſt ab extrinſeco ſeù per additionem alicujus extrinſeci: ſic etiam Confirmatio perficit in vitâ ſpirituali hominem per aliquid intrinſecum reddendo ipſum in ſe robuſtum, & perfectum in profeſsione fidei, & militiæ Chriſtianæ: Euchariſtia eundem perficit in vitâ ſpirituali quaſi per aliquid extrinſecum, ſeù extrinſecùs adveniens, ideſt per Corpus, & Sanguinem Chriſti, cum quo ſpecialiter hominem conjungit, & quo mediante ei gratiam confert; eſt doctrina deſumpta ex D. Thomâ *præcit. art. 1. ad 1.* & alibi, & quatenùs videri poteſt obſcurior, exponitur ab eius Interpretibus, inter quos conſuli poſsunt ex Thomiſtis Ioannes à S. Thomâ *hic diſp. 26. art. 1.* ex Recentioribus Suarez *in Comment. præcit. art. 1.* Secundò quatenus augmentum corporale abſtrahit ab eo, quod perficiat in ordine ad omnes vel aliquas tantum operationes, & quando habetur per unctionem, medicinam, & aliquid ſimile, ſolet tantùm haberi in ordine ad determinatum operationum genus; alimentum perficit, ac roborat in ordine ad quodlibet operationum genus, & ad quaslibet actiones melius exercendas conducit: Sic etiam Confirmatio perficit in vitâ ſpirituali hominem, & confert gratiam exigentem auxilia actualia non in ordine ad omnes prorsùs bonas operationes, ſed ſpecialiter in ordine ad operationes pertinentes ad profitendam & ſuſtinendam fidem, chriſtianamque militiam, quâ propter etiam ſicut olim luctatores ungebantur, ut eſsent robuſtiores ad luctam; itâ Confirmatio datur per unctionem, quia roborat, augetque vires pro fidei defenſione: Euchariſtia perficit in vitâ ſpirituali in ordine ad quælibet bona opera, exigit enim ſtatum omnimodæ perfectionis, & ſecum fert ipſummet Chriſtum, à quo fluunt omnia cujuſcumque generis auxilia. Doctrinam hanc inſinuant, & approbant Lugus *hic diſp. 5. ſect. 1.* Arriaga *diſp. 28. ſec. 2.*, & aliqui alii Recentiores.

Quomodò ſuſtineatur in Euchariſtia analogia ad corporale alimentum, in Confirmatione ad corporale augmentum.

12

13 His poſitis, ad inſtantiam directè diſtinguo antecedens, etiam Euchariſtia datur ad perficiendum hominem in vitâ ſpirituali per modum augmentationis ſub aliquâ ratione ſibi propriâ, quæ dici poteſt ratio augmentationis præſuppoſitivæ, & nutrimentalis, concedo antecedens; ſub omni ratione, & ſignanter ſub eâ, ſub quâ datur Confirmatio, nego antecedens, & conſequentiam.

---

§. II.

An & quandò Euchariſtia Sacramentum fuerit à Chriſto inſtitutum?

ASSERT. I. Euchariſtiæ Sacramentum verè fuit à Chriſto inſtitutum in nocte ultimæ cœnæ ab ipſo cum Diſcipulis factæ. Eſt veritas ſpectans ad dogma fidei, imò admittitur etiam ab Hereticis, ſicut veritas primi aſserti præcedentis.

Probatur ex præcitatis Evangeliorum locis maximè verò ex Matth. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite. Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, bibite ex hoc omnes; Hic eſt enim Sanguis meus.* Idem factum narratur *Luc. 22.* interpoſitis illis Chriſti verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nec ſuſpicari quis poteſt hoc facto Chriſtum aut uſum fuiſse Sacramento antecedenter inſtituto non primò inſtituiſse, aut voluiſse id dumtaxat ſemel operari in propriâ perſonâ, ut operabatur alia miracula, non verò idem aliis ſæpiùs impoſterùm demandare: Suſpicio

Inſtitutio Euchariſtiæ fuit facta à Chriſto in nocte ultimæ cœnæ.

14

cio enim primi diluitur ex eo quia nullibi antecedenter fit mentio institutionis Eucharistiæ, & licèt Christus anteà *Io.6.* alloquens turbam trans mare Tiberiadis multa de Eucharistiæ Sacramento sub specie panis protulisset, locutus tamen fuerat de futuro tamquàm promittens instituendum, non tanquàm tunc instituens Sacramentum, unde etiam ibi nihil de Calice, nihil de forma verborum habetur: Suspicionem secundi falsam evincunt verba ex Lucâ adducta, quibus Christus profitetur se mandare, & relinquere ab Apostolis, & Apostolorum successoribus faciendum id, quod ipse fecerat: Habetur igitur in præallatis textibus clarè & dilucidè institutio & tempus institutionis Eucharistiæ; Nimirùm in ly *Cœnantibus eis* habetur tempus, & nox cœnæ: in ly *Accepit Iesus panem. Et accipiens calicem* habetur designatio materiæ: In ly *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, habetur determinatio formæ verborum: In ly *Hoc facite in meam commemorationem* habetur mandatum, & potestas aliorum ad idem faciendum imposterum, ac per consequens lex institutionis permanenter facta, & diu duratura: Quæ omnia adeò perspicua ac firma sunt, ut non egeant Conciliorum definitionibus, Patrumvè sententiis aut illustrari aut corroborari, & iure optimo Tridentinum *sess. 13. cap. 1.* dixerit *Maiores omnes nostri, quotquot in verâ Christi Ecclesiâ fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt hoc tam admirabile sacramentum in ultimâ cœnâ Redemptorem nostrum instituisse*: Et hæc quidem procul dubiò ità sunt, at non idcircò præfixo titulo satisfactum est, & sufficienter assignatum tempus institutionis Eucharistiæ, sed duo supersunt statuenda: primum est, quænam fuerit nox & vespera ultimæ cœnæ, seù quânam nocte hæc fuerit à Christo cum discipulis peracta? Secundum, utrùm institutio fuerit tali nocte facta antè cœnam vel post cœnam, vel inter cœnandum? & si inter cœnandum, utrùm sub cœnandi initium, an sub finem?

15

Iudæi diviserunt annum in menses lunares, & quemnam mensem fecerint primum.

Circà primum adverto primò Iudæos, non sicut nos Solaribus, sed Lunaribus mensibus annos divisisse, & menses secundùm Lunas computando novilunia seù primæ Lunæ fecisse primos dies mensium, mensem verò primum seù anni initium sumpsisse a Lunâ proximiore æquinoctio verno, adeò ut novilunium, seù prima Luna, cujus dies decima quarta incideret in diem æquinoctii verni, aut ad istam propiùs sequeretur, esset prima dies primi mensis dicti Hebraicè *Abib*. Caldaicè Nizan: Talis Luna apud nos aliasque omnes nationes utentes mensibus Solaribus correspondet Lunæ Martiali, & mensis primus Iudæorum nostro mensi Martio, non tamen adamussim, sed cum aliquâ varietate, cum enim nostra Luna Martialis aliquando incipiat circà medium aut finem mensis Martij, & extendatur ad multos dies mensis Aprilis; fit, quòd mensis, qui apud Iudæos est primus; incipiat quidem plerumque in nostro mense Martio, at ut plurimùm non in primâ die, sed in aliquâ posteriore, & sic deindè extendatur ad aliquot etiam dies mensis sequentis, qui apud nos est Aprilis.

16

Habuerunt tres dierũ differentias, & quomodo eas computaverint?

Adverto secundò apud Iudæos tres extitisse, eo ferè modo quo apud nos dierum differentias: Nimirùm primò dies artificiales seù vulgariter dictos à noctibus contradistinctos complectentes spatium, quod intercedit inter solis ortum, & occasum, seù quo Sol luce suâ nostrum emispherium illuminat: Secundò dies naturales complectentes spatium viginti quatuor horarum, quod sumebatur ab unâ ad aliam mediam noctem subsequentem, vel ut multis magis placet, & insinuat D. Thomas *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2.* ab uno ad alium subsequentem Solis ortum: Tertiò dies legales seù cæremoniales, quos Iudæi computabant à vesperâ ad vesperam, complectebatur autem vespera finem diei artificialis, & initium noctis immediatè sequentis, seù partem illam diei naturalis, quæ constat aliquibus horis antè, aliquibus post occasum Solis, sicque unus dies legalis correspondet magnæ parti duorum dierum naturalium, & plus quàm viginti quatuor horis constat, nam aliquâ horâ ante unum Solis occasum incipiens aliquâ horâ post alium sequentem Solis occasum desinit: Hujusmodi diebus ferè eodem modo à vesperâ ad vesperam computatis solemus nos quoque uti quò ad recitationem Officii, quò ad consecutionem Indulgentiarum, & similia.

17

Adverto tertiò Iudæos consuevisse, & debuisse adhibere dies legales in festis, & solemnitatibus juxtà illud *Levit. 23.* ubi intelligendo Sabbatorum nomine festa maximè solemnia habetur, *A vesperâ usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*: hinc & D. Thomas *præcit. quæstiunc. 3. ad 2.* expressè ait, *Hoc erat speciale in solemnitatibus legis, quod computabatur dies à vesperâ in vesperam*; quia verò inter legis solemnitates videbatur esse dies Paschatis, & comestionis agni, quæ Phase vocabatur, & de quâ *Exod. 12.* dicitur *Habebitis hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum solemnem Domino*, videtur consequenter, quod hæc dies apud Iudæos haberet duplicem vesperam, & à vesperâ in vesperam computaretur: Hinc iam incipit oriri difficultas ad nostrum institutum pertinens, si enim dies Paschatis habet duplicem vesperam, dum *eod. cap. 12. Exod.* immolatio, & comestio agni paschalis præcipitur facienda die decimâ quartâ primi mensis ad vesperam, remanet dubium, utrùm ly *ad vesperam* debeat intelligi de vesperâ, in quâ dies incipit, an de eâ, in quâ dies desinit, & ulteriùs procedendo, ac supponendo, quod Christus Pascha, & cœnam legalem agni Paschalis peregerit eodem tempore, quo Iudæi peragebant, simulque deinde Eucharistiam institue-

Celebrabant Pascha ad vesperam, diei, & lunæ 14. primi mensis.

stitue-

stituerit, habetur institutio facta die decimâ quartâ ad vesperam, at remanet dubium, utrùm ly *ad vesperam*, debeat intelligi de vesperâ primâ, quæ in proposito est pars diei decimæ tertiæ naturalis vergentis ad decimâ q artam, an de vesperâ secundâ, quæ est pars diei naturalis decimæ quartæ vergentis ad decimam quintam? Sicque dubitatur: Utrùm Christus instituerit Eucharistiam in fine diei decimæ tertiæ, an decimæ quartæ naturalis mensis apud Judæos primi? quod est idem ac dicere, Utrùm in fine Lunæ decimæ tertiæ, an decimæ quartæ apud nos martialis, seù ad mensem Martium, & æquinoctium vernum pertinentis? Et hæc advertisse sufficiat circà primum, quod sub præfixo titulo statuendum superesse dicebamus.

18

In Pascha te peragebant duas cænas, unam legalem, alteram usualem.

Circà secundum adverto Judæos statim post cænam, quâ comedebatur agnus paschalis ritu, & cæremoniis *Exod.* 12. præscriptis, solitos fuisse peragere cænam aliam modo communi; cum enim cæna agni festinantèr fieret, & præsertim in magnis familiis non possent singuli ex uno agno multum sumere, parabatur ex cibis communibus alia cæna sumenda post cænam agni ad sufficientem expletionem famis, & nutritionem corporis. Prima cæna dicebatur cæremonialis, & legalis; Secunda communis, & usualis: Peregerit ne Christus secundam hanc cænam cum Discipulis post cænam legalem? dubitabit fortè aliquis ex eo, quod agnus, qui debebat esse anniculus, & ex toto in cænâ legali comedi, censeri possit sufficisse ad congruè satisfaciendum fami, & indigentiæ duodecim circiter Personarum, cum quibus Christus Pascha celebravit: Verùm hæc coniectura nullatenùs est sufficiens ratio dubitandi, cum aliundè ex contextu Evangelistarum, quorum aliqua loca huic intento deservientia proferemus *num.* 27., *&* 28., ex contextu inquam Evangelistarum narrantium seriem præsentis historiæ constet oppositum. Peregit igitur Christus cum Discipulis duplicem cænâ, legalem alteram, alterâ usualem, imò si addas institutionem, & sumptionem Eucharistiæ, quæ rectè nominatur cæna Dominica, vel mystica, dicere poteris ipsum in vespera Paschatis triplicem cum discipulis cænam peregisse. Et de cænâ dominicâ, mysticâ, eucharisticâ sub præfixo titulo dubitatur (& est id, quod secundo loco stabiliendum supererat) quemnam ordinem temporis cum aliâ duplici cænâ servaverit? Redeo ad primum, pro quo sit

Utramque cænæ peregit quoque Christus faciens Pascha cũ discipulis.

19

Assert. 2. Nox ultimæ cænæ, in quâ Christus Eucharistiam instituit, fuit ad vesperam diei, seù Lunæ decimæ quartæ mensis apud Judæos primi, idest ad finem decimæ quartæ diei naturalis talis mensis. Ità communiter Latini Auctores; Scholasticos, Sanctos Patres, & sacros Expositores complectendo: Ex Scholasticis latè docent, & sustinent sententiam assertam inter Thomistas Gonetus *disp.* 2. *art.* 5. Inter Scotistas Herinex *disp.* 1. *quæst.* 2. Inter Recentiores Vasquez *disp.* 172., & Suarez partim *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 40. *sec.* 2., *&* 3. partim in præsenti *disp.* 41. Apud istos reperies Sacrorum Expositorum, & Sanctorum Patrum citationes. Adversantur Auctores Græci ferè omnes, & ex Latinis nonnulli, at modo valdè diverso: nam Græci sentiunt absolutè, & simplicitèr Christum celebrasse ultimam cænam Lunâ, & die decimâ tertiâ primi mensis, & propter imminentem passionem anticipasse id, quod juxtà legis præscriptum erat faciendum Lunâ, & die decimâ quartâ. Pauci Latini præmemorati idest Oleaster & *cap.* 23. *Levitici*. Stella *in cap.* 12. *Lucæ*, & Luysius Legionensis *in opusc. De utriusque Agni typici atque veri immolationis legitimo tempore*; admittunt quidem Christum, ut præscribebatur in lege, & observabatur à Judæis, celebrasse ultimam cænam ad vesperam diei decimæ quartæ, at per vesperam intelligunt vesperam primam legalem, quæ incidebat in ultimam partem diei decimæ tertiæ naturalis ad diem decimam quartam naturalem vergentis, ex quo sequitur, & ab ipsis conceditur computando dies naturales ultimam cænam fuisse à Christo peractam die decimâ tertiâ. Opinionem ex Græcis relatam erroris à Latinis insimulari notat Vasquez *præcit. disp.* 172. *cap* 3 *nu.* 15. Sit ne tolerabilior opinio posterior paucorum Latinorum? aliorum judicium expecto. Interim assertum quò ad ea, quæ controversiam patiuntur, idest quò ad ultimam cænam à Christo factam ad vesperam diei decimæ quartæ naturalis prout ly *ad vesperam* idem est, ac ad finem, & importat aliquas horas antecedentes solis occasum, & diei artificialis ultimas, aliquas eumdem occasum subsequentes, & noctis artificialis primas, adeoque ad posteriorem sui partem constat tempore nocturno, & pro nocte supponit.

20

21

Probatur. Christus celebravit Pascha, & cænam ultimam (sic dictam eo, quod esset postridie moriturus, & nullam aliam similem cænam celebraturus) tempore à lege præscripto, & apud Judæos consueto; atqui hujusmodi tempus erat ad vesperam diei seù Lunæ decimæ quartæ prout ly *ad vesperam* modo mox explicato idem est, ac ad finem diei decimæ quartæ naturalis; ergo Christus ad talem vesperam Pascha, & cænam ultimam celebravit, ac per consequens nox ultimæ cænæ, in quâ Christus Eucharistiam instituit fuit &c. Major est contrà Græcos, Minor est contrà paucos præmemoratos Latinos, contrà quos utrosque utraque propositio probanda est. Igitur

Christus celebravit Pascha tẽpore præscripto à lege, & observato à Judæis.

Maior propositio probatur primo argumento positivo, quatenùs *Matth.* 26. *Luc.* 22., *& Marc.* 14 narratur Christum jussisse discipulis parari Pascha, & vespere facto cum ipsis Pascha comedisse die prima azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha, quando Pascha immolabatur: Porrò dies prima azymorum utpotè solemnis, & festiva habebat duplicem vesperam, primam

ſiam incidentem in finem diei decimæ quartæ; ſecundam inciden em in finem diei decimæ quintæ, & prima veſpera erat ea, in quâ neceſse erat occidi Paſcha ut traditur *Levit.* 23., *& Numer.* 28, dum igitur Evangeliſtæ narrant Chriſtum juſsiſse parari, & poſteà comediſse Paſcha die primâ azymorum, in quâ neceſse erat occidi &c. Evincunt ipſum hæc præſtitiſse, & ultimam cænam celebraſse tempore à lege præſcripto &c. Major eadem probatur ſecundò argumento negativo, quia nulla fuit Chriſto neceſsitas, aut cauſa ſufficiens celebrandi ultimam cænam pridiè quàm lex præſcriberet, & Judæi obſervarent, quis autem putet Chriſtum legis obſervantiſsimum, & qui ut ipſemet profitetur *Matth.* 5. venerat legem adimplere, voluiſse ſine neceſsitate, & ſufficiente cauſâ violare in fine vitæ ſolemne, & inſigne præceptum cænæ legalis anticipando diem à lege præſcriptam, & à Judæis obſervatam? Nec benè pro ratione neceſsitatis ſupponunt Adverſarii Chriſtum die decimâ quartâ fuiſse crucifixum, ſicq; debuiſse celebrare Paſcha, & cænam agni die decimâ tertiâ præcedente, ne morte præventus non poſset amplius id præſtare. Non benè, inquam, id ſupponunt, quia ut attingetur *ſeq. num.* 27. Chriſtus die decimâ quintâ eſt crucifixus, & quando die decimâ quartâ id eveniſset, non tenebatur ad præceptum, quod ad talis diei veſperam, & poſt ejus mortem erat obſervandum, nulla igitur erat neceſsitas anticipandi.

22

23

Hujuſmodi tempus erat veſpera diei decimæ quartæ naturalis.

Minor propoſitio ejuſdem primi argumenti, quatenus præcisè affirmat hujuſmodi tempus fuiſse ad veſperam diei, ſeù Lunæ decimæ quartæ, nec in controverſia eſt; nec indiget probatione, quò ad reliquum probatur ly *ad veſperam* non poteſt intelligi de diei decimæ quartæ veſperâ primâ legali, ut intelligunt Auctores, contrà quos agimus, ergo debet intelligi *ad veſperam*, pro ut idem eſt ac ad finem ipſius diei decimæ quartæ naturalis, conſequentia currit, probatur antecedens primò quia dies decima quarta, de quâ loquimur, appellabatur dies Phaſe, ſeù Paſchatis, quæ erat quidem aliqualis ſolemnitas, quatenùs erat dies Deo dicata, & aliquo peculiari cultu celebranda; at non erat ex illis feſtivitatibus, quibus ab omni opere vacabatur, & duplex à Judæis veſpera tribuebatur, ut oſtendit Vaſquez *diſp. præcit. cap.* 9. *&* 11. ergo eſt de ſubjecto non ſupponente, quod veſpera diei decimæ quartæ referatur ad veſperam primam, nec poteſt de iſtâ intelligi, ſi iſtam dies illa non habet. Probatur idem antecedens ſecundò, quia tempus à lege præſcriptum pro cænâ agni paſchalii incidebat in primam veſperam azymorum, in quâ ſcilicet incipiebat eſse prohibita comeſtio fermentati; at prima veſpera azymorum incidebat in finem diei decimæ quartæ non decimæ tertiæ naturalis, nam ut habetur ex *Exod.* 12. *Num.* 18., & alibi, dies prima azymorum erat dies decima quinta, & cum dies azymi eſsent ſeptem, & durarent uſque ad veſperam diei vigeſimæ primæ, neceſse erat, quod nõ antè finem diei decimæ quartæ inciperent; ergò tempus à lege præſcriptum pro cænâ agni incidebat in finem diei decimæ quartæ non decimæ tertiæ naturalis, ergo etiamſi dies decima quarta, & ſolemnitas Paſchatis habuiſset duplicem veſperam, ly *ad veſperam* in caſu noſtro nequit intelligi de veſperâ primâ; probatur major quia ſecùs rueret, aut certè nimium infirmaretur fundamentum, quo Latini contrà Græcos inferunt Chriſtum conſecraſse in azymo, non in fermentato.

24

Argumenta pro ultima cæna à Christo celebrata ad veſperam diei 13. naturalis,

Dices primò impugnando majorem propoſitionem, & probando cum Græcis Chriſtum anticipaſse, & die decimâ tertiâ celebraſse ultimam cænam: Primo quia *Io.* 13. narrantur ea, quæ Chriſtus in ultimâ cænâ, & paulo poſt peregit omniaque dicuntur peracta *Ante diem feſtum Paſcha*, at dies feſtus Paſchæ erat dies decimus quartus, quæ igitur peracta ſunt antè hunc diem peracta ſunt die ad ſummum decimo tertio, qui immediatè antecedit. Secundò quia *ex Can. Miſsæ* Chriſtus peregit cænam *pridiè quàm pateretur* atqui decimâ quartâ non decimâ quintâ die paſsus eſt, ergo decimâ tertiâ non decimâ quartâ die cænam peregit; probatur minor quia dies decima quinta erat dies prima azymorum, in quâ ut potè maximè feſtivâ, & ſolemni non licebat Judæis quidquam facere præter pertinentia ad veſcendum, non igitur eâ die milites rapuerunt Chriſtum ad mortem, & Simoni Cyrenenſi Crucem poſt Jeſum portandam impoſuerunt; non eâ die mulieres paraverunt aromata, & unguenta; ut tamen paulò poſt mortem Chriſti paraſse dicuntur *Luc.* 23. Accedit, quod *Matth.* 26. Princepes Sacerdotum, & Seniores populi conſilium facientes ut Chriſtum occiderent dicebant *Non in die feſto ne fortè tumultus fieret*: Non igitur poſteà occiderunt in die non ſolum feſto, ſed eo maximè ſolemni ut erat dies menſis decimus quintus, & azymorum primus. Tertiò quia *Io.* 19. Chriſtus dicitur paſsus, & mortuus *in Paraſceve Paſcha*, & dies ſequens appellatur *Magnus dies Sabbati*, dies igitur ſequens Chriſti mortem fuit dies primus azymorum, cui ſoli in propoſito videtur benè congruere peculiaris magnitudo, & ſolemnitas, & dies mortis fuit præparatorius (hoc enim ſonat Paraſceve) ad Paſcha nondum à Judæis peractum, ſed peragendum in talis diei veſperâ, à Chriſto verò anticipatum, & peractum in veſperâ diei decimæ tertiæ præcedentis. Quartò quia ex *Io.* 18. Mane illius diei, quo Chriſtus paſsus eſt *Iudæi non introierunt prætorium ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha*, mane igitur Paſsionis Chriſti Judæi adhuc erant Paſcha manducaturi, & tamen Chriſtus ex jam dictis manducaverat Paſcha pridie, ergo Chriſtus anticipaverat, & manducaverat Paſcha die decimâ tertiâ. Quintò quia cum Chriſti mors figuraretur per immolationem agni paſchalis, debuit

Chri-

Christus mori eâ die, quâ agnus immolabatur, ut veritas responderet figuræ, idque indicant etiam verba illa 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*; dies igitur quarta decima, quâ Judæi agnum immolabant, fuit Christo dies mortis, agni verò paschalis immolationem ipse prævenerat, & cænam ultimam die decimâ tertiâ celebraverat. Sed contrà: fere omnes istas auctoritates cum Paschate à Christo, & discipulis celebrato die decimâ quartâ nonnulli conciliant dicendo Judæos eo anno non celebrasse suum Pascha die consueto, sed distulisse ad diem sequentem idest ad vesperam diei decimæ quintæ post Christi mortem. Ità Burgensis *in cap. 26. Matth.* Lyranus in illa verba ejusdem capitis. *Erat autem prima dies azymorum* Gagneius in eadem verba, & in illud Jo. 18. *Non introjerunt in prætorium*, aliique nonnulli, quos Vasquez *præcit. disp.* 172. *cap.* 3. refert, & deindè *cap.* 5. improbat tamquàm inducentes sententiam Sanctorū Patrum, & Scholasticorum torrenti oppositam, in commentitiâ traditione fundatam, & incommodis multis obnoxiam, nec certè ad prælatas auctoritates explicandas necessariâ, ideo independenter à tali sententiâ.

25 Refertur falsa nonnullorum pro talium argumentorum solutione sententia.

26 Pascha aliquando solam immolationem agni paschalis, aliquando totum tempus azymorum significat.

Ad primum adverto Pascha apud Judæos aliquando significare agnum paschalem ejusvè immolationem, aliquando tempus septem dierum azymorum ab agni immolatione incipientium, & cum diximus diem immolationis agni non fuisse simpliciter festiuum, non potest Pascha primo modo sumi in ly *Antè diem festum Paschæ* sumitur igitur secundo modo, & denotat diem primam azymorum, quæ erat maximè festiva, & mensis decima quinta, unde quæ Christus peregit die decimâ quartâ, rectè dicuntur antè talem diem festum peracta: Nec refert, quod dies prima azymorum inciperet, & haberet primam vesperam in ipsâ die decimâ quartâ; Non refert inquam, quia dies cæremonialis, & legalis, non usualis, & artificialis sic incipiebat, ly autem *ante diem festum* supponit pro die usuali, seù artificiali, & idem est, ac ante lucem paschalis festivitatis, juxtà illud Genes. 1. *Appellavitque lucem diem*.

27 Ad secundum dubitant aliqui utrùm actus judiciales, & opera ad ipsorum executionem pertinentia prohiberentur à lege in festivitate azymorum, detur hoc tamen, Judæi aliundè adeò turpiter in Christum peccantes non sunt multùm solicitè excusandi à peccato violatæ legis ob mortem in die festo inflictam, & quando placeat illos excusare, dici potest ex epicheja, & interpretatione legis censuisse id propter bonum commune licere in casu particulari Christi Domini, quem ut virum blasphemum, toti Reipublicæ, & ipsius legis eversorem habebant, undè dum de Christo occidendo in die festo consultarent, non retrahebantur ex timore violandi, sed ex suspicione tumultus in populo, quæ tamen etiam posteà cessavit oblatâ per Judam opportunitate eum compræhendendi nocturno tempore, & sine turbis: Non militat allata doctrina, quo ad devotas mulieres parantes aromata, at istæ sicut, & Joseph mercatus Sindonem aliundè eximuntur à violatione festivitatis, nimirum ex eo, quod non prohiberentur à lege in diebus festis opera pietatis, & misericordiæ, qualia maximè sunt parare aromata ad ungendum, mercari Sindonem ad involvendum corpus defuncti, sicut & ipsum de Cruce deponere, sepelire, aliaque hujusmodi. Dico igitur Christum verè fuisse passum ac mortuum die mensis decimâ quintâ, azymorum primâ, nec quidquam obstare, quod hæc fuerit festiva, & maximè solemnis.

Christus mortuus est in die festo, primo azymorū, & mensis decimo quinto.

28 Parasceve quid apud Iudæos indicit omnem, & solam feriam sextam.

Ad tertium: Omnis & sola feria sexta dicitur à Judæis Parasceve, seu præparatio ciborum eo quod in eâ omni, & solâ essent præparandi pro sequenti die cibi, quos in solis Sabbatis non in aliis festivitatibus erat vetitum præparare; Parasceve igitur Paschæ *Io.* 19. non importat diem præcedentem solemnitatem Paschæ, & præparatoriam ciborum pro tali solemnitate, sed feriam sextam incidentem in tempus paschale, & diem in casu nostro primum azymorum, quia deindè dies subsequens est secundus azymorum, & quâ talis habens peculiarem solemnitatem, ac magnitudinem licèt non tantam quantam primus, habetur Sabbatum conjungens cum propriâ solemnitate solemnitatem aliam, sicque propter solemnitatem geminatam jure nominatur *Magnus dies ille Sabbati*.

29 Paschatis manducatio aliquādo ad agnū paschalē, aliquando etiam ad cibos alios temporis paschalis proprios refertur.

Ad quartum adverto sicut Pascha *ex præced. num.* 26. aliquando significat immolationem agni, aliquando septem dies azymorum à tali immolatione incipientes, ità manducare Pascha aliquando sumi pro manducare agnum paschalem, aliquando etiam pro manducare alios cibos proprios temporis paschalis prædictos septem dies complectentis, qui quidem cibi erant tùm panes azymi, tùm victimæ illis diebus, primo præcipuè, & septimo offerri solitæ: Ideò ly *Pascha* Jo. 18. referendum est non ad agnum paschalem, sed vel ad panes azymos, vel ad victimas, & sacrificia; & huic posteriori intelligentiæ valdè favet, quod hujusmodi victimæ, non sic panes azymi, inveniantur in ipsâmet Scripturâ appellari phase, seù pascha, & certius de illis, quàm de istis sit manducari debere solùm à mundis, seù non contaminatis, ut contendit ostendere Vasquez *disp. præcit. cap.* 7., qui propterea sicut, & Herinex *præcit. quæst.* 2. *nu.* 13. solum posteriorem intelligentiam approbat, mihi tamen neque prior omninò improbatur, cum tradatur à maximæ notæ Auctoribus, & signanter à D. Thomâ 3. *par. quæst.* 46. *art.* 9. *ad* 1.

30 Ad quintum dico illam correspondentiam figuræ cum re figuratâ esse secundum se valdè levem conjecturam, & quantacumque sit cum judaica agni immolatio non minus esset figura sacrificii incruenti

Eu-

Eucharistiæ, quàm Sacrificii cruenti Crucis, non magis ex se probat cruentum, quàm incruentum Sacrificium debuisse fieri eo ipso die, quo Judæi agnum immolabant, cum verò aliunde constet diem judaicæ immolationis agni fuisse diem Sacrificii incruenti, & institutionis Eucharistiæ, ad incruentum, non ad cruentum Sacrificium debet in proposito accomodari conjectura desumpta ex correspondentiâ figuræ, & figurati.

31 Argumenta pro cæna Agni à Judæis peragi solita ad finem diei 13. naturalis.

Dices secundò impugnando primam minorem propositionem, & probando cum paucis pre memoratis Latinis Judeos ex legis præscripto consuevisse celebrare cænam agni ad finem diei decimæ tertiæ naturalis: Primò quia *Genes.* 1. dies dicuntur fieri ex vespere, & mane, habetur enim *factum est vespere, & mane dies unus; factum est vespere, & mane dies secundus*. Sicque præponitur vespera ad mane, & ab illâ computandum est diei initium, ergo dum *Exod.* 12. immolatio, & comestio agni præcipitur facienda die decimâ quartâ ad vesperam, ly *ad vesperam* supponit pro diei decimæ quartæ initio, quod in finem diei decimæ tertiæ naturalis incidit; in diei igitur decimæ tertiæ fine Judæi consueverunt ex legis præscripto pascha celebrare etiam independenter ab eo, quod dies decima quarta fuerit festiva, & habens duplicem vesperam, quod si hoc supponatur, argumentum instaurari potest ex eo, quia ly *ad vesperam* absolutè prolatum debet supponere pro vesperâ nobiliore, quæ utique est vespera prima in finem diei naturalis antecedentis, & decimæ tertiæ incidens.

32 Secundo Judæi in egressu de Ægypto, quando primò agnum immolarunt, immolarunt in vesperâ, que erat finis diei decimæ tertiæ naturalis vergentis ad decimam quartam: ergo in eâdem vesperâ singulis annis consueverunt posteà immolare, & cum lex ritum immolationis annuæ præscripserit in memoriam illius primæ immolationis, & beneficii tunc accepti, debuit utique idem tempus, eamdemque vesperam præscribere: Probatur antecedens, Judæi immolarunt primò agnum nocte præcedente eam, quâ egressi sunt de Ægypto; atqui nox, quâ egressi sunt de Ægypto, fuit nox, quæ erat finis diei decimæ quartæ naturalis, & initium decimæ quintæ, ac per consequens nox præcedens fuit finis diei decimæ tertiæ naturalis vergentis ad decimam quartam; ergo Judæi in egressu de Ægypto, quando primò agnum immolarunt, immolarunt &c. Probatur major, Judæi non immolarunt agnum eâdem nocte, quâ de Ægypto egressi sunt. Primò, quia *Exod.* 12. in illâ nocte præcipitur Judæis *Nullus vestrum egredietur ostium domus suæ, usque mane*: Secundò, quia *Numer.* 33. Judæi dicuntur *profecti de Ramesse* (in quem locum se congregaverant antè egressum de Ægypto) *alterâ die phase*, quod est idem ac dicere, unâ die post phase, seù esum agni. Tertiò quia post immolationem agni, & antè egressum petierunt, & obtinuerunt ab Ægyptiis multa vasa argentea, & aurea, multamque suppellectilem, convenerunt in Ramesse sexcenta ferè millia absque parvulis, & mulieribus, sed & vulgus promiscuum innumerabile, ut habetur *Exod.* 12., at hæc non potuerunt paucis horis peragi eâdem nocte immolationis, & integrum saltem diem postulant, ac indicant; & instauratur argumentum ex eo, quod *Deuter.* 16. dicitur, *Immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*, initio igitur noctis cæpit iste egressus, circà idem initium fiebat agni immolatio, quomodonam autem uno ejusdem noctis initio potuerunt fieri immolatio, & cæna agni, comparatio supplectilis, congregatio tantæ multitudinis in Ramesse, & profectio ipsius, seù egressio de Ægypto? Sed contrà:

33 Initium diei naturalis melius sumitur à mane, quàm à vespere.

Ad primum dico Genes. 1. Ad ly *Factum est vespere, & mane dies*, præcedere verba illa, quibus Deus statim post factam lucem *appellavit lucem diem, & tenebras noctem*, ubi non ponitur dies incepisse, nisi postquam facta est lux, & hæc tenebris noctique præmittitur; quod igitur posteà dicatur factum est vespere, & mane dies, non est ad designandam prioritatem vesperis ad mane in diei computatione, sed præcisè ad insinuandum diem (subintellige naturalem) fieri, ac componi ex toto vespere, & toto mane, seù ex totâ nocte, & totâ luce; ex totâ, inquam, nocte non tamquam antecedente, sed tamquàm subsequente lucem: Illud igitur *Genes.* 1. Si alicujus momenti est pro re presenti, attento præcedentium verborum contextu nobis potius, quàm adversariis favet. Instauratio argumenti falso nititur supposito, cum jam dictum sit, diem decimam quartam, de quâ agitur, non fuisse ex illis, quibus Judæi duplicem vesperam tribuebant: Etiamsi tamen hoc supponeretur, & simul (quod censeri potest gratis dictum) daretur primam vesperam esse nobiliorem, dico particulam *Ad* denotare terminum ad quem, sicque ly *ad vesperam* significare in proposito vesperam secundam, in quam dies desinit, seù ad quam tendit tanquam ad terminum ad quem, nō vesperam primam, à quâ dies incipit, & quodamodo discedit tamquam à termino à quo, & huic ratiunculæ maximè favet phrasis Scripturæ per *Ad vesperam* semper significantis finem diei, & vesperam posteriorem quoties dies duplicem habet, ut accuratè observat Suarez *præcit. disp.* 41. *Sec.* 1. §. *Secundò argumentor*.

34 Quomodò computandum sit tempus egressus populi Israel de Ægipto?

Ad secundum adverto egressum filiorum Israel de Ægypto computari posse, vel ab eo tempore, quo Ægyptiis urgentibus cæperunt seorsim, & perturbatim à propriis domibus egredi, & proficisci in Ramessen ad se ibi congregandos, vel ab eo, quo in Ramesse congregati simul, & ordinatè processerunt, exieruntque de totâ terrâ Ægypti: Computando egressum Judæorum primo modo tempus egressus fuit illa eadem nox, quâ agnum primò immo-

lassunt, adeò ut in noctis initio aut certè ante mediam noctem agni immolationem, cœnamque perfecerint, post mediam noctem, & circà horas matutinas fuerint ab Ægyptiis compulsi ad egressum è domibus: Computando egressum secundo modo tempus egressus fuit nox sequens, adeò ut in fine diei decimæ quartæ, & initio noctis vergentis ad diem decimam quintam de Ramesse discesserint. Hinc ad argumentū directè nego antecedens, ad probationem nego maiorem, computando egressum primo modo: Ad verba Exodi primo loco adducta in probationem majoris dico præceptum ibi positum non extendi ad totam noctem, sed solum usque ad tempus, quo media nocte transacta, & mane appropinquante Ægyptii ad exeundum e domibus compellerent: Verba *Numer.* 33. adducta

35 secundo loco facilem habent ex mox dictis intelligentiam, procedunt enim, & optimè verificantur de egressu Judæorum, computando ipsum secundo modo: Juxtà hujusmodi pariter computationem, nec habent difficultatem verba *Deuter.* 16. Nec defuit post agnum immolatum copia temporis sufficientis ad conveniendum in Ramesse, & ad comparanda priùs vasa, & suppellectilem, cum præsertim hæc Ægyptii libenter, & promptè suppeditarent, ne Judæos, quorum celebrem discessum vehementer optabant, detinerent, ac retardarent: latius hæc omnia prosequitur Suarez *præcit. sect.* 1. in fine, ubi non omninò præterit alias earumdem auctoritatum explicationes, & difficultatum solutiones, etiam egressum de Ægypto computando ab uno tantum tempore idest à nocte immolationis agni, præfert tamen omninò relatum mox modum dupliciter computandi tamquam verisimiliorem, expeditioremque, hunc quoque amplectitur Gonetus *præcit. art.* 5. §. 4. *ad* 3.

36 Constito jam de nocte, quâ Christus cum discipulis ultimam cœnam peregit, & Eucharistiam instituit; superest determinare tempus institutionis comparativè ad cœnam ipsam, pro quo, post huc revocatam animadversionem positam *præced. num.* 18. Sit

Assert. 3. Christus Eucharistiam instituit post peractam cœnam legalem agni, & inter cœnandum cœnâ usuali: Utrùm deindè sub cœnandi initium an sub finem? valdè incertum. Prima pars recipitur communissimè contrà Jansenium *cap.* 130. *Concordiæ* arbitratum institutionem Eucharistiæ factam inter cœnandum cœnâ legali, quam solam ipse admittit, non verò subsequentem usualem; Est item ex parte contrà Joannem à Lovanio *lib. de communione sub utrâque specie* opinatum speciem panis fuisse institutam inter cœnandum legaliter, speciem vini inter cœnandum usualiter. Secunda pars est contrà Suarium *hic dispus.* 41. *sec.* 4. §. *Sextus ergo*, & Claudium Sainetes *repetit.* 1. *de Euchar. cap.* 7., & *repetit.* 6. *cap.* 1. quatenus iste ponit Eucharistiæ institutionem post peractam cœnam etiam usualem, ille antè hanc inceptam, quamvis post legalem peractam. Utramque asserti partem sustinent Vasquez *disput.* 172. *cap.* 9. Herinex *disp.* 1. *quæst.* 2. *num.* 20. Dominicus à Sanctissimâ Trinitate *tom.* 2. *Bibilioth. Theolog. lib.* 3. *cap.* 76., & alij.

37 *Christus instituit Eucharistiam post peractam cænam legalem.*

Probatur prima pars ex Clement. unicâ *De reliq. & venerat. Sanctor.* ubi Eucharistia dicitur instituta *cœnâ sumptâ*, quod utique saltem de legali debet intelligi; undè clarius Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. de Christo Eucharistiam instituente, ait *Celebrato veteri Pascha, quod in memoria &c. novum instituit Pascha:* Idem expressit Ecclesia in hymno festivitatis corporis Christi canens *Post agnum typicum, expletis epulis Corpus Dominicum datum discipulis*. Confirmatur. Christus Eucharistiam instituit post lotionem pedum Apostolorum; atqui hæc fuit facta post peractam cœnam legalem; ergo à fortiori post legalem cœnam peractam Christus Eucharistiam instituit. Major supponitur *ex* §. *seq.* Minor probatur, quia lotio pedum *Io.* 13. cœpta describitur *cœnâ factâ*, & Christus ad eam se præcincturus dicitur surrexisse à cœnâ, ly autem *cœnâ factâ* procedit saltem de legali, quæ fuit usuali prior, nec de ipsâ nondum perfectâ Christus surrexisse supponendus est, alioqui fuisset notabiliter interrupta, at hanc interruptionem ægrè admittit celeritas, quâ cœna agni erat expedienda, cum ex *Exod.* 12. præceptum sit Judæis ut agnum comederent festinantes, & ad iter expediti; unde etiam magis communis opinio fert, quod legaliter cœnantes non sederent. Præterea non congruebat esum agni sacramentalem, & sacrum actione disparatâ non sacrâ interpollari. Accedit, quod apud Judæos mos lavandi pedes Convivarum originem duxerat, ex eo quod Convivæ cibos manducarent recumbendo nudatis pedibus super lectulos benè compositos, ut ex viris eruditissimis observat Vasquez *præcit. cap.* 9. *num.* 105. at agnus *ex eod. cap.* 12. *Exod.* erat comedendus ab habentibus calceamenta in pedibus, & baculos in manibus: Non erat igitur in cœnâ agni servandus mos præmittendi lotionem pedum, ut in aliis cœnis usualibus.

38 *At nec antè, nec post cænâ usualem, sed inter usualiter cænandum.*

Probatur secunda pars, quia ex *Io.* 13. Christus postquam lavit pedes Apostolorum accepit vestimenta sua, *& cum recubuisset iterum* (subintellige ad cœnam usualem) sermonem habuit ad eosdem Apostolos, & inter alia dixit eis *Unus ex vobis tradet me*, quæ verba *Matth.* 26. & *Marc.* 14. referuntur à Christo prolata antè verba, quibus Eucharistiam instituit; ergo Christus Eucharistiam instituit, postquàm accubuerat, seù recubuerat ad cœnam communem, ergo hâc cœnâ cœptâ, & inter usualiter cœnandum; quod clariùs habetur ex eo, quia Marcus *eod. cap.* 14. ait *Manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens &c.*, & Matthæus *eod. cap.* 26. similiter inquit *Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem*

rem, & benedixit &c. Quæ omnia valdè impropriè intelliguntur à Suario, dum putat ea verificari, vel per hoc quod Apostoli essent inter cænas legalem, & usualem ab Evangelistis per modum unius recensitas, vel per hoc quod iidem essent ad manducandum accincti, & ad mensam instructam accumberent: Neque est sufficiens hujus minùs propriè intelligentiè fundamentum, quod Eucharistiæ institutio inter vulgares, & communes epulas facta videatur præter reverentiam debitam tanto Sacramento.

39

Non est, inquam, sufficiens, quia Eucharistiam inter communes epulas institui contulit ad majorem ostensionem amoris; nec obsuit reverentiæ, hanc enim optimè conciliaverat, & animis Apostolorum indiderat tùm præcedens pedum ablutio, tùm sermo à Christo statim ac ad mensam recubuit, habitus. Non est etiam magni momenti, quod pro Eucharistiâ, saltem sub specie vini, post usualem cænam institutâ desumitur ex verbis *Luc.* 22., & Apostoli 1. *Cor.* 11. *Similiter, & Calicem postquàm cænavit*, nam hæc verba, vel referenda sunt ad cænam legalem, adeo ut sensus sit, sicut panem ità similitèr, & Calicem Christus consecravit postquàm cænavit legaliter, vel si Eucharistia existimetur instituta circà finem cænæ usualis, possunt etiam de hâc intelligi, adeo ut sensus sit, quod quando facta est institutio, Christus jam cænam usualem perfecerat, at nondum Apostoli, qui adhùc cænabant, & manducabant, idest aliquid interdum de mensa sumebant. Reliqua, quæ afferi possunt pro Eucharistiâ post cænam etiam usualem omninò perfectam instituta, procedunt ex falso supposito, nimirùm ex eo, quòd supponatur post cænam etiam usualem facta apostolicorum pedum ablutio; Verùm in hoc non est immorandum, nec quidquam addendum iis, quæ attigimus *præced. num.* 37.

40

Verùm sub cænandi initium, an sub finem incertum?

Remanent postremæ asserti particulæ de incertitudine institutionis ad cænæ initium, vel finem comparatæ, & licèt, ut jam attigimus, ly *postquam cænavit* ex Lucâ, & Paulo, eâdemque ratione illud aliud Ecclesiæ *Expletis epulis* favere possit institutioni sub cænæ usualis finem factæ, & hinc Herinex *præcit. quæst.* 2. *num.* 21. verisimiliorem hanc partem judicet; Nihilominùs facilè corruit maioris verisimilitudinis ratio, si utraque illa verba referantur ad solam cænam legalem; Ideò cùm aliundè vix occurrat aliquid militans pro Eucharistiâ sub finem potius, quàm sub initium usualis cænæ, aut è contrà institutâ, expedit utramque partem relinquere sub incertitudine, ne loquamur leviter divinando magis, quàm rationabilitèr deliberando.

Est similiter incertũ quota hora noctis esset, quando Christus Eucharistiam instituit?

Eâdem ferè ratione incertum est, nec cum sufficienti fundamento determinatè assignabile, quota hora noctis esset? quando Christus Eucharistiam instituit: Ad summum locus est inquirendi cum latitudine aliquâ, utrùm circà noctis initium, ac circà medium instituerit? Pro medio, & profundo noctis stat Claudius Sainctes suprà relatus, sed meliùs stat pro initio Suarez *præcit. sec.* 4. §. *ex quibus omnibus*, ubi ex eo, quod Agnus esset immolandus ad solis occasum; & ex iis, quæ Christus operatus est tùm antè, tùm post cænam communem, & Eucharistiæ institutionem, colligit hanc non fuisse seriùs factam, quàm horâ secundâ post solis occasum: Idque confirmat ex eo, quod *Io.* 13. Cum Judas exiuit (exiit autem post Eucharistiam institutam ex mox dicendis) dicitur *erat autem nox*, quod, inquit Suarez, notari solet in principio noctis, non in medio.

Rectè tamen dicitur instituisse in noctis initio.

---

§. III.

De præcipuis congruentiis, & circumstantiis institutionis Eucharistiæ in nocte ultimæ cænæ.

41

ASSERO: I. Rectè assignantur tres præcipuæ congruentiæ institutionis Eucharistiæ in nocte ultimæ cænæ. Ità Scholastici communitèr cum D. Thomâ *quæst.* 73. *art.* 5. quèm licet inscribat de convenientiâ institutionis Eucharistiæ absolutè, re ipsâ tamen insumit totum in explicandâ convenientiâ institutionis quoad tempus; quod ex jam dictis fuit nox ultimæ cænæ, in quâ Christus ultimò cum discipulis conversatus est sequenti die moriturus, & ab illis discessurus. Hinc assertum

Tres præcipuæ congruentiæ institutionis Eucharistiæ in nocte ultimæ cænæ.

Probatur assignando singulas congruentias. Prima sit, quia congruebat, ut Christus se Apostolis, nobisque omnibus sub specie sacramentali invisibiliter relinqueret, quando erat sub specie propriâ visibilitèr recessurus. Secunda, quià cum fides, & memoria passionis Christi sit nobis maximè utilis, ac necessaria ad salutem, congruum erat, ut post ultimam celebrationem sacramenti, quod erat præfigurativum passionis futuræ, institueret Sacramentum, quod est rememorativum passionis preteritę: Neque dicas hinc sequi nõ potuisse hoc Sacramentum institui antè passionem peractam, ne sic institutum esset signum falsum: Contrà enim, cum passio esset imminens, & Ecclesia non esset tali Sacramento usura antè passionem peractam, benè potuit ab initio suæ institutionis referri ad tempus passionem subsequens, & passionem præteritam sine falsitate significare. Tertia, quià cum ea, quæ ultimò dicuntur, & fiunt ab amicis recedentibus, & morientibus, maiorem affectum excitent, altiusque cordibus, & animis infigantur, congruebat Sacramentum omnium maximum, & maximæ dilectionis argumentum à Christo illicò morituro, & discessuro institui, ut circà ipsum Apostoli magis afficerentur, propriisque mentibus tanti beneficii memoriam profundiùs imprimerent. In hoc ternario prima congruentia spectat ad Eucharistiæ continentiam, secunda ad Eucharistiæ significationem, tertia ad Eucharistiæ perfectionem.

42

Possunt & aliæ congruentiæ afferri, sed vel minoris momenti sunt, vel ad aliquam ex allatis reducuntur: Puta, quod sicut solent testamenta paulo antè mortem testatoris fieri, sic debuerit Christus pretiosissimam sui Corporis, & Sanguinis hæreditatem paulò ante propriam mortem relinquere; reducitur ad tertiam congruentiam: Quod veritas, seù res figurata debeat figuræ succedere, & tunc illa poni, quando ista desinit, reducitur ad secundam &c.

43 Sic breviter expeditis circa Eucharistiæ institutionem congruentiis ad circumstantiam temporis pertinentibus, de quibus aliquantulo latiùs Suarez *disp. 41. sec. 5.* procedimus ad alias præcipuas ejusdem institutionis circumstantias, quas pariter ternario numero complectimur, consideramus scilicet lotionem pedum Apostolorum, recessum Judæ à cœnâ, & sumptionem Sacramenti; quò ad primum, & secundum statuendum est, quemnam ordinem prioris, & posterioris habuerint respectu institutionis Sacramenti? quò ad tertium, utrùm Eucharistiam à se institutam, & Apostolis distributam ipsemet sumpserit?

Institutio Eucharistiæ fuit posterior, & subsequens ad lotionē pedum.

Assert. 2. Institutio Eucharistiæ fuit posterior ad lotionem pedum, priùs scilicèt Christus lavit Apostolorum pedes, & posteà Eucharistiam instituit. Ità Sancti Patres, & Sacri Expositores communitèr, quorum nonnullos refert Suarez *præcit. disp. 41. sect. 2. §. Secundò enim* contrà quosdam suppresso nomine memoratos ab eodem *ibid. §. Tertius modus*, & à Vasquio *disp. 172. cap. 9. n. 102.* arbitratos Christum lavisse pedes post completam omnem cœnam etiam Eucharisticam, & sequutos Cyprianum, aut potiùs Auctorem Sermonis *de ablutione pedum* apud Cyprianum, qui talis Sermonis sicut, & totius libri *de Cardinalibus Christi operibus*, licèt inter ipsius opera inserti, Auctor magis communitèr non censetur.

44 Probatur. Lotio pedum non fuit facta, ut Adversarii arbitrantur, omni cœnâ peractâ, sed ante aliquam cœnam; Si autem antè aliquam, utique saltem antè Eucharisticam; ergo institutio Eucharistiæ fuit posterior &c. Consequentia patet: Antecedens probatur primò ratione literali, & quasi ciuili, quia Christus literalitèr, & quasi ciuilitèr loquendo lavit Apostolorum pedes, ut servaret morem, quem servabant Judæi in conviviis, sed isti lavabant suis convivis, & hospitibus pedes, antequàm ad mensam accumberent, non absoluto convivio, ergo: Secundò ratione mysticâ, & figurali, voluit quippè Christus tali lotione, ut in aliis suis insignioribus actionibus consueverat, mysterium aliquod, & hoc præcipuè existimatur esse interna munditiès, & ablutio leviorum macularum, culparumque venialium, at ista ad Eucharistiæ sumptionem præmittitur, ergò illa Eucharistiæ institutionem præcessit: favent huic mysticæ significationi verba Christi Domini Jo. 13. *Qui lotus est non indiget, nisi, ut pedes lavet, sed est mundus totus.*

45 Item illa alia eiusdem ad Petrum, *Quod ego facio tu nescis modò, scies autem posteà*, quando scilicèt sumes meum Corpus, & Sanguinem: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, de meo scilicet Corpore, & Sanguine non participabis, & licèt posteriora hæc verba rectè pariter accommodentur ad convivium corporale, adeò vt sensus sit, Non recumbes mecum in communi cœnâ, nihilominùs iste sensus non est adeò reconditus, ut proptèr ipsum solum rectè intelligatur antecedentèr dictum *Quod ego facio, tu nescis modo &c.* Confirmatur ex aliis locis Joannis *eod. cap. 13.* Primò ex eo, quod Christus post ly *Sed est mundus totus* ait *Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim* (addit Evangelista) *quisnam esset, qui traderet eum*, ex quo loco infertur Judam interfuisse lotioni pedum; ergo hæc non fuit post institutionem Eucharistiæ, quia vt mox ostendetur, statim Eucharistiâ sumptâ, immò secundù aliquos hâc nondum institutâ, Judas discessit. Secundò ex eo, quòd Christus *postquàm lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset dixit &c.* Deindè, *& cum intinxisset panem dedit Judæ Simonis Iscariotæ*; ex quo loco colligitur Christum post lotionem pedum recubuisse cum discipulis ad mensam, in quâ erat saltem panis usualis, & jus, vel quid simile, in quo posset panis intingi; ergo non antè pedum lotionem fuit omnis cœna completa, & Eucharistia instituta.

Judas lotioni pedum interfuit.

46 Dices hæc, & similia, quæ possunt ex eodem capite ponderari, indigere benignâ explicatione, cum aliundè in ipso capitis initio Euangelista protestetur se narrare ea, quæ Christus præstitit *cœnâ factâ*, in reliquis igitur, quæ narrat, debemus solùm attendere rerum substantiam, non ordinem temporis. Si respondeas *ex præced. num. 37.* ly *cœnâ factâ* referri ad cœnam legalem: Impugnaberis, quià posteà dicitur Christum à cœnâ surrexisse, vt lavaret pedes, non benè autem diceretur surrexisse à cœnâ legali, quia cœna legalis sumebatur à stantibus, surgit verò non qui antecedentèr stat, sed qui accumbit, aut sedet; ly igitur *cœnâ factâ* debet omninò referri etiam ad cœnam usualem, sivè hæc fuerit disjuncta à legali, sivè continuata, & quasi per modum unius se habens. Sed contra: Ad impugnationem responsionis *ex præced. num. 37.* recitatæ dicunt aliqui, & valdè probabile existimatur à Suario *præcit. sec. 2 §. Quartus modus* Christum cum discipulis in cœnâ legali discubuisse, cum non inveniatur in Exodo præceptum, nec satis constet de consuetudine ad agnum comedendum: Dicunt aliqui alii, inter quos Theophylactus in illud Jo: 13., *& cœnâ factâ*, cœnam à quâ Christus ad lavandos pedes surrexit, fuisse cœnam usualem inchoatam tamen, non perfectam, adeò ut Christus postquam ad usualitèr cœnandum accubuit, cœnamque incœpit, Apostolis in suo accubitu remanentibus ipse ad majoris humilitatis ostensionem surrexerit, & pedes accumbentium laverit, posteàque ad cœnam recubuerit, seù iterùm accubuerit:

rit: Uterque modus salvat in toto rigore proprietatem illorum verborum *Surgit à cœnâ*; at prior est contrà communiorem Expositorum sensum, posterior inducit aliquid, quod est præter omnem consuetudinem, nec tàm videtur majorem humilitatem ostendere, quàm sapere inurbanitatem, & neuter consonat supradictis *nu.* 37.

47

Superest igitur, ut cum Vasquio *pracit. cap. 9. num.* 116. dicamus ly *Surgit à cœnâ* idem significare ac *discedit à cœnâ*, sicque optime verificari relatè ad cœnam legalem, etiamsi ad hanc Christus cum Discipulis stando, non sedendo, aut accumbendo manducaverit. Neque ex hoc dicendi modo timenda est in ly *Surgit* significationis improprietas, quia datur hæc quidem attentâ præcisè primâ institutione vocabuli, at in proposito cessat attentâ consuetudine, quæ ex eo, quòd olim Convivæ ad mensam semper accumberent, adeoque omnes à mensâ discedere esset à mensâ surgere, obtinuit, ut surgere, & discedere, cum de mensâ, seù cœnâ agitur, pro eodem sumantur; Sicut licèt nos modò ad mensas sedeamus, non verò in rigore accumbamus, adhùc propter antiquam accumbendi consuetudinem rectè dicimur accumbere, & omnem ad mensam accessum etiamsi modò per assessum fiat, adhuc rectè appellamus accubitum ad mensam, seù ad convivium.

48

Institutio Eucharistiæ fuit prior, & antecedens ad recessũ Judæ à cœnâ.

Assert. 3. Institutio Eucharistiæ fuit prior ad recessum Judæ à cœnâ, seù à loco cœnæ; Judas scilicet institutioni Eucharistiæ interfuit, & Euchatistiam de Christi Domini manibus sumpsit. Ità D. Thomas *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1.* & infrà *quæst. 81. art. 2.* Sylvius *hoc eod. art. 2.* Valentia *quæst. 9. punc. 2.* Suarez *disp. 41. sect. 3.* Vasquez *disp. 217. cap. 2.* Herinex *disp. 1. quæst. 2. num. 22.*, & reliqui tùm Scholastici communiter, tùm plurimi Sancti Patres contrà Hilarium *can. 30. in Matth.* Rupertum *lib. 10. in Matth.* Clementem Romanum *lib. 5. Constitut. cap. 16.* Innocentium *lib. 4. de Mysteriis Missæ cap. 13.*, & ex Recentioribus Turrianum *Explanatione defensoria in præcitatum locum Clementis.*

49

Probatur ex ordine, quo singuli Euangelistæ describunt celebrationem ultimæ cœnæ, & institutionem Eucharistiæ, nam ex Jo. 13. colligitur Judam post lotionem pedum interfuisse mensæ, cum Christo manducasse, & ab eodem accepisse intinctum panem; *ex seq.* autem *num. 53.* Christus Eucharistiam jam instituerat, quando intinctum panem, seù bucellam Judæ porrexit: Matthæus *cap. 26.* Marcus *cap. 14.* Lucas *cap. 22.* referunt Christum in nocte cœnæ discubuisse cum duodecim (qui numerus Judam complectitur) & ipsis manducantibus instituisse, ac dispensasse sui Corporis, & Sanguinis Sacramentum: Marcus prætereà post factam mentionem sacri calicis, ait *Biberunt ex illo omnes*, & Lucas post factam mentionem corporis ad manducandum, & sanguinis ad bibendum dati illicò subdit *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum*

Judas simul cum cœteris Apostolis Eucharistiam sumpsit.

est in mensâ, quibus verbis Christus videtur dixisse, Trado vobis meum corpus, & Sanguinem maximæque benevolentiæ signa præbeo, quamvis sciam, vel non obstante, quòd sciam, mecum esse ad mensam, mecum manducare eum, qui me prodet: Verè igitur quando Christus Eucharistiam instituit, Judas adfuit, & cum cæteris sacram escam sumpsit; Undè etiam Ecclesia celebrans festum Sanctissimi Sacramenti canit, in hymno Vesperarum *Cibum turba duodena se dat suis manibus*, & in sequentiâ Missæ *Turba fratrum duodena datum non ambigitur.*

50

Omitto, & apud Suarium, ac Vasquium locis præcitatis reperiendas relinquo plures egregias, & expressas pro assertâ veritate auctoritates Sanctorum Patrum, & probationem concludo afferendo rationem congruentiæ, quâ ex Sanctis Dionysio, & Augustino desumptâ utitur D. Thomas infrà *præcit. art. 2. in c.* dicens: Quia Christus debuit nobis esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus Magisterio, ut Judam occultum peccatorem sine accusatione, & evidenti probatione ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi, & ipse Judas exasperatus indè sumeret occasionem peccandi.

51

Dices, hanc rationem malè supponere, quod Judæ peccatum tempore institutionis Sacramenti fuerit occultum, & quando hoc detur, adhuc non sufficienter suadere intentum. Ratio primi est, quia inter cœnandum duplici manifesto indicio Christus detexerat proditorium animum, & peccatum Judæ: Nimirùm quando *Matth. 26.* post verba illa *Qui intingit mecum manum in Paropside, hic me tradet*: Judæ inquirenti *Numquid ego sum rabi*; respondit *Tu dixisti*, quæ verba hebræorum more sunt affirmantis: Rursus quando *Jo. 13.* postquam Christus dixit *unus ex vobis tradet me*, Discipulus quem diligebat Jesus dixit ei *Domine quis est*, Respondit Jesus, *ille est, cui ego intinctum panem porrexero: Et cum intinxisset panem, dedit Judæ.* Ratio secundi est, quia congruentia illa suadet ad summum, Christum non debuisse Judæ simul cum aliis Apostolis existenti negare communionem, quam aliis dispensabat, at cum hoc benè stat, convenientissimum fuisse pro Sacramenti institutione, & dispensatione expectare, quod Judas ex se, ut discessurus erat, discederet; Sicque remaneret benè consultum tùm reverentiæ Sacramenti, non conferendo ipsum indigno, tùm famæ Discipuli, cui propter absentiam non poterat ad infamiam, & culpam imputari, quod sacramentum non susciperet. Accedit, quod congruentia non negandi palam sacramentum peccatori occulto procedit solùm, quando iste petit, at de Judâ non legitur, quod Eucharistiæ sacramentum petierit. Sed contrà: licèt ex iis, qui assertam veritatem sustinent Vasquez *præcit. disp. 217. cap. 3. ad 4.* admittat, Judæ peccatum fuisse notificatum, & detectum ante Eucharistiæ institutionem,

52

Et tunc nondum fuerat detectum, & notorium eius peccatum.

tionem, & solum ex plenitudine suæ potestatis licuisse Christo præbere ei Sacramentum, quod cuilibet alii Sacerdoti illicitum est in simili casu peccatoris manifesti. Nihilominus cum cæteris ferè omnibus sustineo probationem ex D. Thomâ allatam, ejusque suppositum, & nego utrumque instantiæ membrum:

Ad rationem primi dico, priora Christi verba procedere vagè, & indefinitè de uno ex duodecim Apostolis manum in eâdem paropside attingentibus, ut magis expressit Lucas *cap.* 14. dicens Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino; Nec hujusmodi vaga locutio sufficienter determinatur per verba subsequentia; nam ly *Tu dixisti*, etsi aliquando sit affirmantis, aliquando tamen etiam est sermonem suspendentis aut enigmaticè loquentis ut ex Augustino præsertim probat Sylvius *præcit. art.* 2. *ad* 1. fortè etiã illud *Tu dixisti* fuit submissâ voce prolatum, & à solo Judâ perceptũ: Certè hinc non sufficienter Apostolis innotuisse Judæ peccatum suadetur vehementer ex eo, quod adhuc posteà ut habetur Jo. 13. *Aspiciebant ad invicem Discipuli hæsitantes, de quo diceret*; & Petro impellente petijt Joanne: à Christo, *Domine quis est?* Aliquantulo clarius est indicium alterum desumptũ

53

ex responsione ad mox positam interrogationem. At verisimile est Christum Joanni utpotè suprà proprium pectus recumbenti secretò, & quasi ad aures respondisse verba illa *Ille est, cui &c.* undè cum post talia verba, & porrectum panem intinctum Christus dixit Judæ *Quod facis fac citius* Joannes subijcit, *Hoc autem nemo scivit discumbentium* (saltem ipso met Joanne excepto) *ad quid dixerit ei*. Quando tamen Christus supponatur locutus omnibus audientibus, sicut & omnibus videntibus panem intinctum, seù buccellam porrexit, adhuc nihil obtinent Adversarii, si cum Suarió *præcit. sect.* 3. §. *dico tertiò* existimaverimus id evenisse post institutam, & dispensatam Eucharistiam, cujus argumentum est, quod eodem Joanne teste *Post buccellam introivit in eum Satanas. Et cum accepisset ille buccellam exivit continuò*: idest postquam Christus Judam etiam proprii Corporis, & Sanguinis communione dignatum usque ad istam horam sustinuit, permisit illum à dæmone vehementiùs instigari, adeò ut statim exierit ad exequendam proditionem, hujusmodi autem vehementior instigatio non videbatur permittenda paulò antè Eucharistiæ sumptionem; nec buccellâ sumptâ Judas statim exisset, si inter buccellam, & exitum institutioni, & sumptioni Sacramenti adfuisset; quidquid in contrarium doceat Vasquez *præcit. cap.* 3. *num.* 26., in quo specialiter displicet, quòd post relatam sententiam Augustini *tract.* 62. *in Joannem* non longè à principio pro nobis stantis, & expressè dicentis de buccellâ Judæ porrectâ *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas corpus Christi accepit: intelligendum est enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis, & sanguinis sui: Ubi, & ipse Judas erat sicut S. Lucas evidentissimè narrat, & deindè ad hoc ventum est: Ubi secundum narrationem Joannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem*: Displicet inquam, quod à tanto Sancto Patre facilè recedat, nec de ipso explicando cogitet.

Nondum item recuperat buccellam à Christo porrectâ.

54

Ad rationem secundi transeat, quod congruentia illa benè suadeat potuisse ità expectari, nobis sufficit benè quoque suadere, quod congruè potuerit non expectari, & Sacramentum Judæ peccatori, sed adhùc occulto tribui, ut de facto præstitum est. Ad illud, quo instantia concluditur, dico Judam ipsâ sui permanentiâ ad mensam cum aliis Apostolis tacitè petiisse, quod in mensâ aliis, præsertim tamquàm quid, ut verè erat, maximè pretiosum, distribuebatur.

Auctoritatum, quæ pro absentiâ Judæ ab institutione Sacramenti possunt nobis objici præter illas D. Hilarii, Clementis, & Innocentii, hos enim duos Summos Pontifices, ut privatos Doctores fatemur nobis adversari, sicut & D. Hilarium, infirmo ut mox constabit ductum argumento: Auctoritatum, inquam, aliarum prima desumitur ex *Matth.* 26. ubi Christus post communicatos Apostolos ait illis, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, quum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, hinc quippe subsumit Hilarius atqui Christus in Regno Patris sui cum Judâ non bibit, ergo neque cum eo bibit in cœnâ, nec ei proprium sanguinem sub vini speciebus propinavit: abfuit igitur tunc Judas, nec communionem Eucharisticam cum aliis sumpsit. Secunda ex Dionysio *lib. de Ecclesiast. Hierarch.* sub titulo *De jis, quæ in Synaxi perficiuntur* in contemplatione, ubi ait *Ipse Auctor symbolorum justissimè subtrahit* (subintellige à communione mysteriorum, seù participatione sui Corporis, & Sanguinis) *eum* (idest Judam) *qui non sanctè neque pari morum consuetudine sacra* (idest agnum paschalem) *concænaverat*. Addi potest contrà doctrinam de peccato Judæ nondùm detecto tempore sumptionis Sacramenti auctoritas D. Leonis *Serm.* 3. *de Passione Domini*, ubi sic Judam alloquitur *Illa saltem te à præcipitio tuo Sacramenta revocassent, quæ in paschali cœnâ jam de perfidiâ tuâ signò divina scientia detectus acceperas*.

55

Auctoritates pro absentia Judæ ab institutione Sacramenti.

Item pro ipsius peccato detecto antè Sacramenti sumptionem.

Ad verba desumpta ex Matth. 26. dico vel ly *vobiscum* debere intelligi indefinitè, nec necesse esse, quod de singulis verificetur, dummodò verificetur de pluribus, ut non de pluribus utcumque, sed de omnibus excepto Judâ verificatur: Vel ly *Quum illud bibam* referri ad Christum, quantum est in se, & significare Christum non exclusisse Judam à gloria, sed esse paratum bibere vinum in regno Dei etiam cum ipso, si ipse se peccato suo non exclusisset: Hæc posterior responsio est D. Thomæ *præcit. art.* 2. *ad* 1.

56

Occurritur hujusmodi auctoritatibus.

Ad

Ad Dionysium dico ly *Subtrahis* dato quod subintelligatur *à participatione corporis, & sanguinis* procedere de participatione spirituali, & quò ad effectum, non materiali, & quò ad rem, cum præcipuè in verbis sequentibus per ly *Sacra* soleant Dionysii Commentatores intelligere non agnum paschalem figurativum, sed verum agnum figuratum Christum, seù Sacramentum corporis, & sanguinis ipsius, ut accuratiùs expendit Vasquez *pracit. disp.* 217. *cap.* 2.

57 Ad D. Leonis alloquium dico Judam redargui ex eo, quod cum se adverterit signo divinæ scientiæ, idest obscuris aut submissâ voce prolatis verbis apud Christum (quamvis non apud alios) detectum, adhùc non resipuerit, sed indigne Sacramenta susceperit: Sicque ly *detectus* idem ferè est, ac admonitus secretò tamen, juxtà D. Thomam 2.2 *quæst.33.art.7 ad* 2. docentem, quòd Christus non publicavit Judæ peccatum, *sed obscuris verbis eum de peccato suo admonuit*, subintellige antè Eucharistiæ sumptionem, & quò ad verba, de quibus suprà *num.* 52. nam posteà fortè Christus publicavit, & detexit omnibus ex *praced. num.* 53. Ubi observa obiter servatum à Christo ordinem correctionis fraternæ, in quâ publicam denunciationem peccati occulti debet præcedere admonitio secreta.

Christus in ultima cœna sumpsit ore proprio Eucharistiam

Assert. 4. Ipsemet Christus in ultimâ cœnâ Eucharistiam à se institutam sibi ministravit, & ore proprio sumpsit. Est veritas quam nulla, aut clara scripturæ auctoritas, aut certa traditio, aut peculiaris Ecclesiæ definitio statuit, quamque propterea S. Doctor infrà *quæst.* 81. *art.* 1. profert, ut probabiliorem dumtaxat, & verisimiliorem, & memorat suppresso nomine aliquos oppositum sentientes: Vasquez tamen *in comment. pracit. art.* 1. ait in eâ planè convenire omnes, quos legerit, Catholicos, & solùm post tempora D. Thomæ quosdam Sectarios cum Luthero *lib. de abrogandâ missâ privata* oppositum sensisse. Uno verbo asserta veritas, etsi ad fidem non pertineat communissimè recipitur, & traditur a D. Thomâ ejusque expositoribus *pracit. art.* 1., à Bonaventura, Alensi, Richardò, Alberto Magno, aliisque antiquis apud Suarium infrà *disp.* 75. *sec.* 2. §. *Sexta, & ultima*; à Valentiâ *quæst.* 9. *punct.* 1. ab Herinex *disp.* 1. *quæst.* 2. *num.* 24.

58 Probatur primò ex Sanctis Patribus; nam Emisenus *homil.* 5. *in Pascha* illud Luc. 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequàm patiar* intelligit de Paschate mystico, & Eucharistia. Augustinus *lib.* 3. *de consens. Evang. cap.* 1. verba sequentia ejusdem Lucæ, quibus Christus accepto calice dixit *Non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, intelligit de calice, & vino consecrato. Chrysostomus *homil.* 83. *in Matth.* explicans illud *Hic enim est sanguis meis* ait de Christo *Ipsi quoque bibit ex eo ne audiens illis verbis* (quibus scilicèt Christus dicebat esse propriam carnem, & proprium Sanguinem, id quod tradebat) *dicerent? Quid ergo sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideò perturbarentur*, subintellige, sicut anteà perturbati fuerant, & scandalizati Capharnaitæ dum *Io* 6. promiserat se daturum propriam carnem ad comedendum, & proprium sanguinem ad bibendum. Hieronymus *quæst.* 2. *ad Hedibiam* ait de Domino Jesu *Ipse conviva, & convivium, comedens & qui comeditur*. Quibus paucis verbis cum Hieronymus significare voluerit magnum miraculum, verisimile prorsùs est in ly *Qui comeditur*, subintellexisse *à se ipso*, ut quidam metricè clariùs protulit apud D. Thomam *pracit. art.* 1. *ad* 1.

Rex sedet in cœnâ, turbâ cinctus duodenâ;
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Inter has auctoritates duæ priores, quàmvis solùm illativè intentum nostrum concludant, maximi momenti sunt, quia vim aliquam hauriant ex Sacrâ Scripturâ, cujus sunt expositiones, & ex consensu aliorum plurium Sanctorum Patrum, & Sacrorum Interpretum eadem Scripturæ loca uniformiter exponentium; & illud præsertim de Calice non posse nisi de consecrato intelligi fusè ostendit Vasquez *disp.* 196. *cap.* 4., & 5.

59 Probatur secundò congruentiis. Prima, quâ utitur D. Thomas, quamque insinuat præallata Chrysostomi auctoritas, est, quia congruebat Christum in sumptione Eucharistiæ sicut in aliis exemplo suo præcedere; debuit igitur ipse primus sumere sacramentum corporis, & sanguinis, quod aliis sumendum tradebat: Secunda, quia sicut in veteri lege Sacerdos sacrificans prior sumebat de victimarum carnibus, ità Christus debuit prior participare, & sumere de hostiâ sui sacrificii incruenti; & hæ duæ congruentiæ suadent, Christum non solùm Eucharistiam sumpsisse, sed sumpsisse primum & antequàm aliis distribuerit: Tertia, quia pertinet ad dignitatem Sacramenti, quod ipse met Christus fuerit eo usus: Quartò, quia est de communi ratione convivii, ut qui alios invitavit, sicut invitaverat Christus ad cœnam ultimam, sumat de epulis, quas aliis porigit.

Et sumpsit primus, antequàm aliis distribuerit.

Dices: Christus neque sacramentaliter, neque spiritualiter Eucharistiam sumpsit: Non primo modo, quià sacramentaliter sumere est sumere mysteriosè, & tamquàm signum rei altioris occultæ, ad cujus perceptionem sumens indigeat Sacramentalibus signis, & speciebus sensibilibus duci, at Christo Domino nihil est mysteriosum, nihil occultum, nihil ad quod percipiendum indigeat specie sensibili. Non secundo modo, quia Eucharistiam spiritualiter sumere est ipsam sumere cum suo effectu, qui est augmentum gratiæ; at Christus non fuit capax augmenti gratiæ; & hinc manet confirmatum, quod non sumpserit sacramentaliter, nam sumptio sacramentalis sine spirituali, idest sacramenti sine effectu, est

defe-

defectuosa, & imperfecta; ergo Christus nullo modo Eucharistiam sumpsit, nisi velis sumpsisse eam per modum cibi communis, quod esset contra dignitatem Sacramenti, & contrà notitiam, quam Christus non poterat non habere de re contentâ sub speciebus cibi communis. Sed contrà: In

60

duobus Scholastici conveniunt; Primò in eo, quod Christus non sumpserit per modum cibi communis: Secundò in eo, quod sumpserit sacramentaliter: In tertio scilicèt in eo, quod sumpserit spiritualiter, nec ne? est dissidium, leve tamen, ut poté non tàm de re, quàm de modo loquendi: Sentiunt, & loquuntur negativè apud Vasquium *in comment. præcit. art.* 1. Alensis, Bonaventura, & Gabriel, quibus Suarez *præcit. sec.*2. addit Palacium: Affirmativè D. Thomas, Sotus, Richardus, Sylvius, Suarez, Vasquez, & alij magis communiter: Istis adhæreo saltem propter regulam generalem, quâ modus loquendi magis, & à pluribus usitatus censetur melior cæteris paribus; Nego igitur utrumque instantiæ membrum.

61 Sumpsit sacramentaliter.

Ad probationem primi dico signum per hoc, quod ejus significatio innotescat, non desinere esse signum; nec oportere, ut loquitur Bonaventura *in 4. dist.*9. *art.*1 *qu.*4., quod veniat signum tamquàm velamen, sed sufficere, quod veniat tamquàm significans: Sumpsit igitur Christus signum sacramentale non ut velamen, non ut eo indigens ad cognoscendam rem significatam, & sub velamine existentem; sumpsit tamen ut significativum rei sacræ, altioris, aliis absconditæ; & ideò sumpsit sacramentaliter, ac mysteriosè, aliter quidem, at perfectius quàm nos, quibus signum sacramentale datur ex indigentiâ, & simul ut velamen.

Et simul spiritualiter, quamvis aliter ac nos.

Ad probationem secundi dico Christum non caruisse omni Eucharistiæ effectu, & quàmvis ex eâ non perceperit gratiæ augmentum, percepisse, ut docet D. Thomas *præcit. art.*1.*ad* 3. quamdam actualem delectationem spiritualis dulcedinis, & ideò sumpsisse spiritualiter, quàmvis aliter, ac nos. Potest insuper abstrahendo ab effectu sumptio spiritualis sumi pro sumptione dignè, sanctè ac in Spiritu Sancto facta, & hoc quoque modo fuit maximè spiritualis sumptio Eucharistiæ respectu Christi. Ad confirmationem, quâ iterùm improbatur sumptio sacramentalis, dico hanc sine spirituali sumptâ pro eâ, quæ importat effectum gratiæ, esse defectuosam, & imperfectam, quando effectus gratiæ desideratur ex imperfectione, & indispositione suscipientis, secùs quando ex nimiâ perfectione, & præviâ gratiæ plenitudine, ut in Christo.

62 Epilogus ordinis, temporis, modi quo peracta est ultima Cœna, & instituta Eucharistia.

Ex toto progressu hujus, & præcedentis §. habetur hoc planè ordine, tempore, & modo fuisse à Christo peractam ultimam cœnam, institutionemque Eucharistiæ, quidquid quòad aliqua aliqui aliter sentiant. Lunâ apud nos eo anno martiali decimâquartâ, & die decimâ quartâ mensis, apud Judæos primi, circà diei finem, & solis occasum Judæis omnibus Pascha celebrantibus etiam Christus postridiè moriturus, & ejus discipuli id præstiterunt, & stantes ad mensam comederunt agnum paschalem, cœnaruntque legaliter: peractâ legali cœnâ surrexit Christus, seù discessit à mensâ; se præcinxit, & Apostolorum pedes lavit, his lotis, & propriis vestimentis depositis recubuit cum Apostolis ad mensam instructam cibis usualibus, brevem sermonem habuit de desiderio manducandi Pascha, & de futurâ proditione, cœperunt Apostoli simul cum Christo usualem cœnam, & omnes manum in paropside intingere, & dum quilibet sciscitatur, an ipse esset, à quo Christus dixerat se esse tradendum, ipse Christus obscurè, & secretò Judam monet de suâ perfidiâ. Apostolis sic cœnantibus Eucharistiam instituit, quam sumit sub utrâque specie ipse primus, & posteà omnibus adstantibus etiam Judæ distribuit: Deindè prosequendo usualem cœnam indicio panis intincti, quem Judæ porrigit, detegit Judæ peccatum; sumptâ intincti panis buccellâ, & Christo ei dicente *Quod facis, fac citiùs* recedit Judas daturus operam proditioni, & Christus totam cœnam concludit longo sermone, quem Joannes memorat à fine capitis XIII. ad initium capitis XVIII. in quo Christi egressum à loco cœnæ, Orationem in horto, Judæ adventum, & reliqua ad mortem præludia prosequitur.

CAPUT SECUNDUM.

De constitutivis permanentibus Sacramenti Eucharistiæ.

NON est, quod in præsenti quæramus constitutiva, & constitutionem Eucharistiæ sub communi ratione Sacramenti, sub quâ sufficit ex præced. tract. supponere ipsam, sicut cætera Sacramenta secundum acceptionem omninò adæquatam componi ex re significante, & significatione, secundùm acceptionem minùs adæquatam, usitatiorem tamen, ex rebus, & verbis: Determinandum modò est pro Eucharistiâ ut tali Sacramento in particulari, quænam res, quænam verba ipsam essentialiter intrinsecè constituant: Quoad res in quæstionem veniunt tùm entia quædam permanentia, nimirum Panis, & vinum, Panis, & vini accidentia, seù species, corpus, & sanguis Christi; tùm quædam successiva, nimirùm transubstantiatio, seù actio transubstantiativa, & usus, seù sumptio: Successiva etiam, & transeuntia sunt verba, quæ propterea in ordine ad Eucharistiæ constitutionem simul cum rebus successivis expediemus. Initium sumimus à rebus permanentibus tamquàm nobilioribus, & in Eucharistiâ præcipuis; ipsas sicut, & posteà res successivas occasione acceptâ considerabimus non præcisè, ut Eucharistiam

stiam constituunt, sed etiam ut sub aliquâ aliâ ratione ad Eucharistiam pertinent. Ideo sit

§. I.

Quomodò ad Eucharistiam se habeant Panis, & Vinum.

2

ASSERT. I. Panis, & Vinum, & quidem ipsa sola, sumpta secundùm substantiam, seu secundùm sua substantialia sunt materia remota, & extrinseca, ex quâ desinente conficitur, non proxima, & intrinseca, ex quâ permanente constituitur Eucharistiæ Sacramentum. Assertum quò ad ly, *& quidem ipsa sola* est contrà plures, hosque magnâ ex parte turpissimos errores antiquorum, qui referuntur consuevisse aliquid aliud præter panem, & vinum Deo in Eucharistiâ offerre, Artotyritæ scilicet panem, & caseum; Cataphrygæ, & Pepuziani panem compactum ex sanguine infantis, quem toto corpore æreis aciculis compungebant; Gnostici, & Manichæi humanum semen, vel panem eo conspersum: Deindè Aquarii sobrietatis specie panem, & solam aquam adhibuerunt. Tandem Beza, & aliqui alii Calvinistæ senserunt posse quodlibet esculentum subrogari loco panis, & quodlibet poculentum loco vini, si panis, & vinum deficiant, ità refert Gonetus *disp 3. art.* 1. §.1. ubi etiam ait Vasquium *disp*.170.*cap*.1. immeritò contendere, quod tres priores errores non attingant Eucharistiæ Sacramentum, & ipsorum Auctores senserint rectè offerri Deo in sacrificium illas materias, at non putaverint ex illis confici Christi Corpus, & Eucharistiæ Sacramentum; additque saltem ex præmemorato Calvinistarum errore evinci falsitatem ejus, quod Vasquez concludit *eod cap*.1. *nu*. 7. dicens nullam hactenùs hæresim fuisse circà materiam consecrationis corporis Christi præter errorem Græcorum de fermentato.

Errores inducentes pro materia Eucharistiæ aliquid aliud à pane, & vino.

3

Errores ponentes reperiri in Eucharistia substãtias, aut aliquid substantiale panis, & vini.

Quò ad reliqua assertum est præcipuè contrà Calvinistas, & Lutheranos, qui ponunt in Eucharistiæ Sacramento totam panis, & vini substantiam reperiri, priores quidem sine corpore, & sanguine Christi, posteriores simul cum ipsis, quem utrumque errorem successivè à multis anteà annis tradiderat Berengarius ut narrat Gonetus *hic disp*. 1. *art*. 1., & nos attingemus infrà partim cum de transubstantiatione, partim cum de præsentiâ Christi in Eucharistiâ: Minùs præcipuè verò est contrà aliquos Scholasticos olim opinatos manere sub speciebus consecratis aliquid substantiæ panis, & vini, nimirùm vel materiam, vel formam, vel existentiam, vel rationem genericam, vel quid simile, de quibus infrà cũ de transubstantiatione: Interim certum sit assertum saltem duplici primo modo acceptum esse omninò de fide.

Probatur primo quo ad ly *& quidem ipsa sola*: Christus Dominus, ut perspicuum est ex locis Evangeliorum sæpiùs *præced. cap.* memoratis, in solis pane, & vino Eucharistiam instituit, nec perhibetur quidquam aliud addidisse; de solo pane dixit Hoc est Corpus meum, de solo vino Hic est Sanguis meus; ergo verè panis, & vinum, & quidem ipsa sola sunt materia, ex qua Eucharistia conficitur. Estque hoc definitum, ac traditum in Conciliis Lateranensi, & Florentino, ac multoties deindè repetitum in Tridentino *sess*. 13., & 21. Est item perpetuo Ecclesiæ usu, Sanctorum Patrum consensu, & Fidelium omnium sensu perspicuum: Est tandem variis congruentiis confirmatum: Prima desumi potest ex parte usus, qui est comestio, ac bibitio, & ex parte finis, qui est spiritualis refectio, nullus autem cibus ad comedendum, nullus potus ad bibendum est, aut magis necessarius, aut magis usitatus, quàm panis, & vinum, nihil item eo utroque ad reficiendum accommodatius: Secunda ex parte sumentis, qui corpore, & animâ constat, & ideò corpus Christi sub specie panis congruè offertur pro salute corporis, sanguis verò sub specie vini pro salute animæ *ex levit.* enim 17. anima carnis in sanguine est: Tertia ex parte Ecclesiæ, quatenùs sicut panis ex multis granis conficitur, & vinum ex multis acinis confluit, ità Ecclesia constat ex multis fidelibus, hisque per Eucharistiam arctiori charitatis vinculo in unum corpus sub Christo capite colligatis: Quarta ex parte passionis, quæ per Eucharistiam rememoratur, per panem autem, & vinum seorsim sumpta rectè insinuatur sanguis effusus, & separatus à corpore, in quâ effusione, & separatione passionis summa consistit.

Excluduntur priores errores.

4

Et afferuntur congruentiæ pro Eucharistia a solis pane, & vino instituta.

5

Cur non fuerit congruum illã institui in carne, & sanguine animaliũ.

Dices non ne meliùs, & expressiùs rememoraretur passio Christi per mactationem animalium, in quibus caro carnem, sanguis sanguinem, effusio effusionem, mors mortem repræsentaret? Sed contrà: licet in animalibus mactatis major utique, & expressior foret Dominicæ passionis repræsentatio, nihilominùs ex jam dictis habetur hæc sufficienter per panis, & vini species; & aliundè caro, & sanguis animalium essent materia valdè incongrua pro Sacramento, & Sacrificio Eucharistico, quia ut ait D. Thomas *hic quæst*.74.*art*.1.*ad* 1. Minùs competunt ad communem usum hujus Sacramenti, & ad Ecclesiasticam unitatem significandam: Tres alias affert ejusdem incongruentiæ rationes Estius *in* 4. *dist*.8.§.5. Prima quia non videretur lex vetus abolita, si adhuc novæ legis tempore animalia in sacrificiis mactarentur: Secunda quia conveniebat, ut sicut antiquitùs offerebantur caro, & sanguis animalium sine carne, & sanguine Christi, ità nunc mutatis vicibus offerantur caro, & sanguis Christi sine carne, & sanguine animalium: Tertia quia homo in statu innocentiæ terræ fructibus, non animalium carnibus vescebatur, Sacramentum igitur, per quod ad, imò suprà, illius status dignitatem homo quodammo-

dò revocatur, debuit inſtitui ſub ſpeciebus non carnis, & ſanguinis, ſed fructuum terræ, ut ſunt panis, & vinum.

6

Probatur ſecundò aſſertum quò ad reliqua nimirùm quò ad totalem ſubſtantiæ panis, & vini deſinentiam, ex quâ deindè conſequens eſt utramque ſubſtantiam eſſe Sacramenti Euchariſtici, quoà perſeverat, ac permanet, materiam remotam, & extrinſecam, vel ut nonnulli loquuntur eſſe materiam conſecrationis, non ipſius Sacramenti: Probatur illud, inquam, imò ſupponitur ex dicendis infrà de tranſubſtantiatione, ſeù actione tranſubſtantiativâ *cap.* 7. §. 1. Item de pronominibus *Hoc*, & *Hic* in formis conſecrationis *cap. eod.* §. 10. Neque enim ſalvari in Euchariſtiâ poteſt, aut propria ratio tranſubſtantiationis, aut germana ſignificatio illorum pronominum, ſi aliquid ſubſtantiæ panis, & vini ſub ſpeciebus conſecratis remaneat; loquendo verò de ſpeciebus ipſis, ſeù de pane, & vino ſecundum ſua accidentia conſideratis, ſit

7

Aſſert. 2. Panis, & Vinum ſumpta ſecundum ſua accidentia ſenſibilia remanent realiter, & phyſicè in Euchariſtiæ Sacramento propriis ſubſtantiis deſinentibus. Eſt veritas ad dogma pertinens, & de fide contrà plures Sectarios contendentes Euchariſtiã eſſe Sacramentum tranſiens, & in ſolo uſu conſiſtere, ac per conſequens accidentia, ſaltem quatenùs antè uſum exiſtunt, non exiſtere in Sacramento: Eſt inſuper contrà Petrum de Aliaco, qui ut refert Suarez *diſp.* 56 *ſect.* 1. dixit non ſatis conſtare, an accidentia panis, & vini in Sacramento vera, vel apparentia ſint? & cenſuit poſſe id probabiliter negari: Eſt tandem contrà, neſcio quem Recentiorem, cujus ſuppreſſo nomine meminerunt Pontius *diſp.* 44. *quæſt.* 9., & Herinex *diſp.* 4. *qu.* 1., non ad admittentem in Euchariſtia accidẽtia ipſa realia panis, & vini, ſed ſolum ſpecies ipſorum intentionales.

Cur & quę accidentia panis, & vini in Euchariſtia, denominẽtur ſpecies?

Dixi *ſecundum ſua accidentia ſenſibilia*, ſubintellige, immediatè, & per ſe talia, quia de reliquis res non eſt ità certa, cum nec ſenſuum experimento comprobentur, nec apud omnes in confeſſo ſit Conciliorum definitionibus comprehendi, nec adeò propriè veniant nomine ſpecierum Sacramentalium, quod nomen videntur accidentia panis, & vini obtinuiſſe, vel quatenus tranſmittunt proprias ſpecies ad ſenſus, vel quatenùs ipſa tamquam ſpecies (cognitæ tamen) ducunt nos in cognitionem propriarum ſubſtantiarum, quod utrumque ſolis accidentibus immediatè, & per ſe ſenſibilibus propriè convenit, ideò de his ſolis nunc agimus, acturi mox etiam de reliquis, ſicque aſſertum

8

Panis, & vini accidentia ſenſibilia realiter, & phyſicè remanere in Euchariſtia eſt de fide.

Probatur ex Conciliis Lateranenſi *in cap.* 1. Florentino *in decreto unionis*, Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. 3., & 4. item *can.* 2., & 3., quæ quidem Concilia quatenus definiunt realem Chriſti Domini præſentiam ſub ſpeciebus panis, & vini omninò ſupponunt remanere, & ſimul cum Chriſto in Sacramento reperiri tales ſpecies, quarum nomine ex mox dictis veniunt in primis panis, & vini accidentia ſenſibilia; Unde etiam inter propoſitiones Uviclephi damnatas in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. ſecunda ità habebat *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in Altaris Sacramento*. Confirmatur validiſsimè ex eo, quod permanentia accidentium ſenſibilium panis, & vini in Euchariſtia eſt omninò neceſſaria tùm pro ratione ſigni ſenſibilis in Sacramento, tùm pro communi termino tranſubſtantiationis, in quâ debet una ſubſtantia alteri ſuccedere ſub aliquo tertio, quod in propoſito nequit eſſe aliud quam prædicta accidentia: & ex utroque hoc capite maximè improbatur opinio tùm de accidentibus apparentibus, tùm de ſpeciebus intentionalibus; enim verò ex accidentibus apparentibus ſequitur Sacramentũ Euchariſtiæ eſſe ſignũ ſenſibile ſolum apparentèr, ex ſpeciebus intentionalibus eſſe ſignũ ſenſibile ſolũ ut *quo*, ſicuti ſolùm ut *quo* ſunt ſenſibiles intẽtionales ſpecies; & nec accidẽtia apparentia, nec ſpecies intentionales poſſunt eſſe terminus communis in tranſubſtantiatione Euchariſticâ, cum ſub neutris præextiterint ſubſtantiæ panis, & vini; hinc prædicta innominati Recentioris opinio ut hæretica, nedum ut temeraria notatur à Pontio *præcit. quæſt.* 9.

9

Eſt item naturaliter evidens ex ſenſuum experientia.

Supernaturali circà aſſertam veritatem certitudini fidei accedit naturalis evidentia, & ſcientia experimentalis, quâ poſt conſecrationem eadem, quæ antè conſecrationem panis, & vini accidentia experimur, & viſu colorem, guſtu ſaporem, tactu quantitatem &c. in ſpeciebus conſecratis percipimus; & cum aliundè nulla ſit neceſsitas fingendi miraculum, quo ſenſus circà propria objecta decipiantur, imò tale miraculum in propoſito fingere ſit contrà fidem, aut negandum eſt experientiæ ſenſuum omne indicium veritatis, aut certè ex ipsâ in noſtro caſu ſumendum evidens argumentum realis, & phyſicæ exiſtentiæ prædictorum accidentium: Ad ſummum poteſt argumentum mutare in identitate numericã, eo quod inter accidentia ſibi ſuccedentia ſolo numero diverſa ſenſus vix diſcernant, adeoque in re noſtrâ non videatur ex ſenſuum judicio admodum efficaciter inferri accidentia, quæ in Sacramento percipimus, eſſe eadem numero, quæ anteà percipiebamus in pane, & vino. Verùm licèt in hoc judicium ſenſuum non ſit ità certum, quoties tamen illi diverſitatem numericam non diſcernunt, non eſt hæc aſtruenda, at in Sacramento non aliundè probatur, imò priore argumento ab auctoritatibus deducto evincitur oppoſitum, nimirùm numerica illorum accidentium cum iis, quæ in pane, & vino præceſſerunt, identitas, ideò &c.

Idque intellige de accidentibus ijsdem numero.

10

Loquendo jam de accidentibus non per ſe immediatè ſenſibilibus; Sed aut ſolum mediatè, & in effectibus, cujuſmodi ſunt in vino calor virtualis, & vis inebriandi, aut etiam nullo modo, cujuſmodi ſunt qualitates quædam omninò occultæ, ſi quæ in ſubſtantiis dantur: loquendo, inquam, de iſtis acci-

accidentibus, maneant ne ipsa quoque post consecrationem? ratio dubitandi pro parte negativa est, quia non veniunt simpliciter, & propriè nomine specierum, & tamen Tridentinum *sess. 13. can.* 2. definit transubstantiationem Eucharisticam fieri *manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*. Nihilominùs cum ex una parte contextus, & scopus Concilii suadeat particulam exclusivam *dumtaxat* poni ad excludendum totas substantias, non aliqua accidentia panis, & vini, & ex alia parte absentia proprii subjecti, & præsentia corporis Christi non magis cum posterioribus, quàm cum prioribus accidentibus pugnet, sentiendum est simul cum per se sensibilibus remanere etiam reliqua, exceptis solum modalibus, relativis, & si quæ alia id genus sunt à propriis subjectis realiter indistincta, & nec divinitùs separabilia: Utrùm deindè ista accidentium etiam non per se immediatè sensibilium in Sacramento permanentia censenda sit, sicut de fide censetur permanentia cæterorum per se immediatè sensibilium, affirmant Vasquez *disp.* 194 *cap.* 1. Lugus *disp.* 10. *sect.* 1. *num.* 4., & aliqui alii: Negant Suarez *disp.* 56. *sec.* §. *dico secundò*. Amicus *disp.* 23. *nu.* 10, Arriaga *disp.* 38. *sect.* 1. Madermus *quæst.* 5. *art.* 1. *num.* 1. Herinex *disp.* 4 *quæst.* 1. *num.* 2., & alii plures. Ut mihi videtur, controversia multum pendet ab eo, quod in substantiis panis, & vini dentur nec ne qualitates aliquæ prorsus occultæ, & nequidem mediatè sensibiles? hæ si dantur, sicuti specierum nomine nimis impropriè significarentur, ità ad ipsas existimandæ non sunt extendi definitiones Conciliorum, & locutiones Patrum militantes pro permanentiâ specierum panis, & vini in Eucharistia, atque adeò n[illegible] est censendum de fide ipsas simul cum accidentibus per se sensibilibus permanere: Si verò qualitates illæ non dentur, sed accidentia panis, & vini per se insensibilia sint omnia sensibilia mediatè in aliquo suo effectu, facilius possunt omnia venire sub specierum nomine, & omnia comprehendi sub prædictis definitionibus, & locutionibus; sicque omnium in Sacramento permanentia poterit censeri de fide: quamvis non eodem rigore, nec in eodem gradu, quo permanentia accidentium per se sensibilium, sed hæc erit de fide magis explicitè, & ut aliqui loquuntur per se primò, illa implicitè, & per se secundò, simpliciter verò, absolutè, & indistinctè loquendo, quia negatio est malignantis naturæ, affirmandum, non negandum est ad fidem pertinere, quod accidentia panis, & vini post consecrationem in Eucharistia permaneant, sintque Sacramento intrinseca.

Remanent in Eucharistia etiā reliqua panis, & vini accidentia non per se immediatè sensibilia.

11 At de his omnibus non est ità certum ut de prioribus.

12 Ex dictis habetur duplicem sensum habere posse, quod ex pane, & vino fiat Eucharistiæ Sacramentum, nam si panis, & vinum sumantur secundùm substantiam, seù secundùm sua substantialia, ly *ex* importat terminum extrinsecum, & materiam remotam, eo modo, quo dum dicitur ex ligno fit ignis; Si verò panis, & vinum sumantur secundùm sua accidentia, ly *ex* importat aliquid intrinsecum eo modo, quo dum dicitur ex partibus fit totum, ex corpore, & animâ fit homo: Utrùm deindè tale quid Eucharistiæ intrinsecum se habeat ut tota Sacramenti Eucharistici essentia, an ut pars essentiæ? Et si ut pars, utrum ut materia, an ut forma, ut rectum, an ut obliquum? tractabitur infrà, ubi & alia pertractanda sunt de iisdem accidentibus, quò ad ipsorum existentiam sine subjecto, actiones, passiones &c. Interim interponimus ea, quæ pertinent ad panem, & vinum secundùm suas substantias, & secundùm quod sunt Eucharistiæ materia remota, ac extrinseca. Ideò sit

---

§. II.

Quis, & qualis panis requiratur ad Eucharistiam conficiendam, & præcipuè fermentatus ne, an azymus?

13 ASSERT. 1. Panis ad Eucharistiam conficiendam requisitus debet esse triticeus: Hocque est de necessitate Sacramenti, non præcepti dumtaxat. Est assertum nunc receptissimum, & quamvis olim antè tempora Eugenii IV., & Concilii Florentini forsan tolerabile fuerit diversimodè sentire eo, quod ut observat Vasquez *disp.* 170. *cap.* 2., & 3. *num.* 11., & 14. Pontifices antiquiores Eugenio IV., & Concilia anteriora Florentino loquendo de materiâ corporis Christi solum assignent panem, aut panem ex frumento, quod tritico latiùs patet, & complectitur omnia grana habentia aristas ut sunt hordeum; Ador, seù adoreum, vulgo far; Zea, vulgò Spelta, farri similis; typha, seù blatta, & siligo, vulgo Secale; Nihilominus postquam Eugenius IV. in Concilio Florentino expressiùs locutus est de pane ex tritico, quod solum tamquam frumentum potissimum, ac nobilissimum censentur antecedentibus temporibus intellexisse Pontifices, & Concilia nomine frumenti absolutè dicti, non est ampliùs tolerabilis sententia docens ex omni frumenti specie confici posse panem sufficientem pro materiâ corporis Christi, & Gabriel *lect.* 35. *in Canonem Missæ*, nec non *in 4. dist.* 11. *quæst.* 2. *art.* 2., ubi post definitionem Eugenii IV. sibi tameo fortasse ignotam, scribens prædictam sententiam probabilem censet, communiter reprehenditur, & ab aliquibus etiam, inter quos Henriquez *lib.* 8. *de Sacram. cap.* 9. temeritatis arguitur; Sicuti etiam malè audit Cajetanus *hic quæst.* 74. *art.* 3. in eo, quod excepto pane hordeaceo alium quemcumque panem frumentaceum, qui simpliciter panis dicatur, putat consecrationi idoneum, & definitionem Eugenii determinantis panem triticeum intelligit de necessitate præcepti, non Sacramenti: Paucissimos igitur habemus, & vix aut ne vix quidem toleratos in re præ-

14

 senti

ſenti Adverſarios; nec refert, quod ex *ſeq. num.* 19. multi Auctores ſine ullâ intolerantiæ notâ etiam nunc doceant ſiliginem, far, & ſpeltam ad panem pro Euchariſtiâ ſufficere: Non refert inquam, quia id docent non ex eo, quod velint ad Euchariſtiam ſufficere panem non triticeum, ſed ex eo, quod ſentiant ſiliginem, far, & ſpeltam eſse tritici ſpecies, & panem triticeum conficere, ſicque non adverſantur præfixo aſserto, quod

15 — *Panis pro Euchariſtia debet eſſe triticeus.*

Probatur ex Concilio Florentino, quatenùs in primis *ſeſſ. ult.* antè litteras unionis admittit verba Græcorum in eo, quod de materiâ Euchariſtiæ interrogati reſponderant, De pane ſivè azymus, ſivè fermentatus ſit Græci non curant, dummodò ex tritico conſtet: Deindè in ipſis litteris unionis definit in pane triticeo conficiendum eſſe corpus Chriſti: Tandem poſt ſeſſionem ultimam in decreto Eugenii aſſignat pro materiâ Euchariſtiæ, panem triticeum, & vinum de vite. Nec Concilium explicari poteſt aut cum Cajetano de neceſſitate præcepti, aut cum aliis nonnullis de materiâ præſtantiore, & magis congruâ, non de unicâ, eo quod ſi intendiſset loqui de pane triticeo tamquàm de materiâ unicâ debuiſſet apponere aliquam particulam exceptivam, & excluſivam cujuſcumque alterius panis non triticei. Non poteſt inquam Concilium ſic explicari, quia eodem modo quo loquitur de pane triticeo reſpectu conſecrationis Corporis, loquitur de vino ex vite reſpectu conſecrationis ſanguinis, de aquâ naturali reſpectu baptiſmatis, & de aliis aliorum ſacramentorum materijs, quas tamen aſſignat tamquàm eſſentiales, & neceſsarias neceſſitate ſacramenti, non dumtaxat tamquàm congruentiores, & neceſsarias ſolâ neceſſitate præcepti, & quando mixtionis aquæ ſolùm ex præcepto neceſsariæ mentionem fecit, non aſſignavit abſolutè pro materiâ vinum aquâ mixtum, ſed alio dicendi modo, *vinum de vite, cui aqua miſcenda eſt*.

Idque eſt de eſſentia, & neceſſitate Sacramenti, non ex congruentia tantù, & de neceſſitate præcepti.

16 — Particula excluſiva, cum pro aliis materiis à Concilio non apponatur, non eſt requirenda pro pane triticeo, pro quo tamen etiam non omninò deeſt, ſed habetur in prææallatâ, & à Concilio approbatâ reſponſione Græcorum in ly *dummodo:* Certè autem in re noſtrâ talem particulam, ubi non exprimitur, debere ſubintelligi, evincitur ex eo, quod in Catechiſmo Romano *cap. de Euchar.* §. 12. dicitur *Nullus panis niſi triticeus apta ad ſacramentum materia putandus eſt: hoc enim apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſia Catholica auctoritas firmavit:* Et his verbis maximè corroboratur, quod *præced. num.* 14. inſinuavimus, antiquitùs Summos Pontifices, & Concilia, dum ad Euchariſtiam requiſierunt panem ex frumento, frumenti nomine ſolum triticum intellexiſse; quin etiam idem evenit, cum in veteri teſtamento euchariſticum ſacramentum nomine frumenti adumbratur, & apud profanos potius, quàm apud ſacros Auctores nomen frumenti eſt commune omni grano habenti ariſtas, & non proprium aut appropriatum tritico, ut obſervant Suarez *hic diſp.* 44. *ſec.* 1. §. *Dicendum verò*, & Vaſquez *præcit. cap.* 3. *num.* 18.

17 — Ratio univerſalis horum omnium eſt, quia ſolus panis ex tritico eſt panis ſimpliciter, & maximè uſualis; ipſe eſt ad roborandum, & nutriendum cęteris omnibus aptior, adeòque ad roboris, & nutrimenti ſpiritualis perfectionem ſignificandam congruentior; in ipſo Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, & proprium Corpus primò conſecravit.

Conſtito de pane ad Euchariſtiam requiſito, quòd debeat eſſe triticeus, non adeò facilè, nec certò conſtare poteſt, quiſnam panis triticeus ſit, & quænam frumenta ſub tritico contineantur tamquàm aut ſpecies infimæ ſub ſubalternâ, aut individua etherogenea, & ſolùm accidentaliter diverſa ſub ſpecie infima. Ratio difficilioris, & incertioris deciſionis, ut obſervat Herinex *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *nu.* 12., & Joannes à S. Thomâ *diſp.* 27. *art.* 2. §. *Et quidem*, oritur partim ex eo, quod eadem frumenta non eodem modo in omnibus regionibus naſcantur, & quædam ſint quibuſdam nationibus omninò ignota; partim ex eo, quod aliquorum frumentorum nomina multiplicem, & non eamdem apud omnes habeant ſignificationem; ſic nomen farris apud antiquos erat generale ad omne frumenti genus, nunc ſupponit pro genere determinato, quod alio nomine appellatur. Ador ut habetur ex Collumella *lib.* 8 *cap.* 5. Nomen Siliginis, quod nunc vulgò ſumitur pro tritico deteriore, cujus proprium nomen eſt Secale, ex Iſidoro *lib.* 17. *ethimol. cap.* 3. eſt deductum à Seligendo, & ſignificat ſelectiſſimum, ac candidiſſimum tritici genus undè Plinius *lib.* 18. *cap.* 8. ait Siligenem eſse delicias tritici. Porrò inter frumenta de quibus dubium incertumque eſt, utrùm ſub tritico contineantur? tria ſunt præcipua, & appellantur nominibus quidem vulgarioribus, quibus nos in progreſſu utemur Secale, Far, Spelta; nominibus verò magis latinis Blatta, ſeù Siligo, Ador, Zea.

Utrùm panis ex ſecale, farre, & ſpelta triticeus ſit, dubiū, & cur?

18 — In hoc dubio D. Thomas *hic qu.* 74. *art.* 3. *in c.* ex illo principio philoſophico *generans generat ſibi ſimile in ſpecie* infert tamquàm regulam generalem, quod cenſenda ſint ſolùm accidentaliter diverſa, ejuſdem verò ſpeciei cum tritico ea frumenta, quę poſſunt ex tritici ſemine generari, ac per conſequens, quod ſolus panis ex his frumentis confectus poſſit eſſe Euchariſtiæ materies, & talem in particulari putat panem ex Secale, ſeù Siligine non ex Speltâ neque etiam ex farre; at ſi creditur Plinio apud Eſtium *in* 4. *diſt.* 8. §. 6. dicenti triticum non in Secale tantùm, ſeù Siliginem, ſed & in avenam degenerare, quæ certè ad panem pro Euchariſtiâ non ſufficit, regula S. Doctoris non procedit univerſaliter, niſi aliquid addatur, ſeù ſubintelligatur; & forte ſubintelligi poteſt, quod unum ex alio naſcatur mutuò ſicut non ſolum in terris deterioribus ex tritico Secale, ſed & in fertilioribus ex Secale triti-

S. Thomas affirmat de pane ex ſecale potiùs, quàm ex farre aut ſpelta, & cur?

triticum nasci ex Plinio, & Columellâ refert Estius *pracit.* §. 6. triticumque passim ex secale in Ungariâ reddi testatur Arriaga *disp.* 30. *sect.* 1. *num.* 3, apud neminem autem legi alicubi generari ex avenâ triticum; solùm ex Paludano apud eumdem Estium lego mutuum generationis transitum non solùm siliginis, sed etiam farris, & speltæ cum tritico, & tamen D. Thomas de farre, & speltâ non idem sensit, quod de Siligine; Verùm si benè attendatur S. Doctor, de farre & speltâ dubitanter non asseveranter locutus est, ideò ipsius auctoritas hâc in re, nec certa est, nec satis perspicua.

In reliquis Auctoribus magna est altercatio, & non solùm Albertus *in 4. dist.* 11. *art.* 14. Paludanus *ead. dist. quæst.* 1. Estius *pracit.* § 6., & plures alii in præsenti materiâ affirmativè sentiunt de farre, & speltâ sicut de secale, sed insuper Præpositus *quæst.* 74. *art.* 3. *num.* 23. putat far esse perfectius triticum, & panis eucharistici materiam magis idoneam, quàm Secale, & Arriaga *disp.* 30. *sec.* 1. *num.* 5. propendet in idem dicendum de Speltâ. Ex adverso neque Speltam, neque far, neque etiam secale esse verum triticum, & nullum ex illis ad Eucharistiam sufficere docent, Vasquez *disp.* 170. *cap.* 3. *num.* 21. Madernus *quæst.* 2. *art.* 1. *num.* 5. Ledesma, & aliqui alii. Mediâ eâque plausibiliore incedunt viâ Suarez *disp.* 44. *sec.* 1. §. *Tertium exemplum*, Gaceatius *disp.* 6. *quæst.* 2 *cap.* 1. Mastius *disp.* 3. *quæst.* 3. *num.* 77. Herincx *pracit. num.* 12. Joannes à S. Thomâ *pracit.* §., *& quidem*; & magis communiter reliqui nostrorum temporum Scriptores, qui relictâ præmemoratis opinionibus suâ probabilitate speculativâ docent in praxi non licere consecrare nisi in materiâ, de quâ certùm, & incontroversum sit, esse idoneam, ac per consequens nisi in pane, de quo certum, & incontroversum sit esse triticeum; panem verò Siligineum, farraceum, speltaceum, sicuti est solùm probabiliter, nec sine ratione dubitandi triticeus, ità esse solùm probabilem, dubiam, nec in praxi licitam consecrationis materiam: Utrùm deinde etsi non regulariter, ex magnâ tamen causâ puta ne infirmus, viatico, aut in die festo populus missæ Sacrificio careat, possit licitè, & sine peccato hujusmodi panis consecrari? affirmat Arriaga *pracit. sec.* 1. *num.* 6. at meliùs negant Joannes à S. Thomâ §. *pracit.*, & Gonetus, *disp.* 3. *art.* 1. §. 2. *num* 6., eo quod non sit simpliciter ad salutem necessarium aut infirmo sumere viaticum, aut populo audire missam in die festo: Præter quod Joannes à S. Thomâ rectè observat vix posse apud nos evenire, quin panis ille in prædictis casibus non sit aliundè idest ratione fermenti materia illicita, undè sicut *ex seq. num.* 38., *&* 39. neque ad ministrandum viaticum infirmo, neque ad celebrandum coram populo, licet Sacerdoti latino consecrare in fermentato, sed solum in casu non relinquendi sacrificium mutilum, ità pariter in hoc ad summum casu crediderim licere consecrare in pane siligineo, farraceo, aut speltaceo; præ-

Etiam urgente magna causa.

Ad

ceptum enim ne quis consecret in materiâ dubiâ, aut magis aut certè non minùs obligat, quàm præceptum ne Sacerdos latinus consecret in fermentato.

21 Quid de pane hordeaceo?

Ex his habetur panem hordeaceum esse materiam aut, consecrationi prorsùs ineptam, aut certè magis dubiam quàm panem ullum ex illis, de quibus mox actum est; hordei enim sicut, & avenæ usus est in jumentorum pabulum potiùs, quàm in panem pro hominum nutrimento, & qui olim affirmarunt panem ex hordeo posse consecrari, id affirmarunt ex fundamento non amplius tolerato, nimirùm ex eo, quòd censuerint quemlibet panem frumentaceum non solùm triticeum esse consecrabilem, cæterùm quod ego sciam, nullus sensit hordeum esse propriè triticum, & licèt aliqui referant sedem apostolicam judicasse speltam esse speciem hordei, atque adeò hordeum eâdem probabilitate quâ speltam contineri sub tritico: Nihilominùs Albertus *in 4. dist.* 12. *art.* 7. respondet, vel non fuisse id re verâ judicatum, vel fuisse judicatum ex ignorantiâ; & prætereà dici potest illud judicium processisse ex sententiâ simpliciter negante speltam esse triticum, & ex illo inferri quod neque spelta sub tritico contineatur, potiùs quàm quod contineatur etiam hordeum. A fortiori sunt materia non dubia, sed omninò inepta consecrationi panes ex avenâ, milio, & si quod aliud est hujusmodi frumenti genus: Multo magis adhùc panes ex leguminibus, quorum nomine veniunt quæcumque ex terræ satis carent aristis, & nascuntur in siliquis: Item ex arborum fructibus, ut castaneis, aut radicibus, ex quibus apud Indos panem confici fama est; aut aliâ quâcumque re ex quâ in defectum panis triticei, alteriusvè ad ipsum magis accedentis non communis usus, sed peculiaris necessitas panem fieri docuerit.

Quid de pane ex avena milio, leguminbus &c.

23 Quid de pane ex iisdem mixtis tritico?

Si quæras hic, utrùm saltem sit materia sufficiens panis confectus ex avenâ, milio, aut etiam leguminibus tritico permixtis? Respondetur communiter & benè, attendi debere quid præponderet; Si enim præponderet triticum, adeò ut secundùm communem æstimationem panis adhùc censeatur triticeus, erit materia sufficiens, & apta; sin minus, erit insufficiens, & inepta: Si de præponderantiâ non constet, & diversa sit diversorum æstimatio, erit pariter inepta, aut certè dubia, nec adhibenda in praxi juxtà regulam de quâ suprà *num.* 20.

Et ecce pro prima tituli parte explicatum quis, seù cujus substantiæ esse debeat panis consecrandus? consideremus jam pro secundâ parte qualitates ejusdem, & accidentia, pro quibus sit

Assert. 2. Panis ad Eucharistiam conficiendam requisitus debet esse compactus ex farinâ (subintellige ex jam dictis triticeâ) & aquâ naturali, seù elementari: Debet item esse ignis calore assatus, seù per modum assationis coctus. Ità Doctores sivè Scholastici, sivè Morales ferè omnes paucis

circà

circà aliqua ad priores potissimùm asserti particulas pertinentia adversantibus, quos mox inter probandum recensebimus.

23 Probatur universim, quià quidquid ex tritico aut in farinâ triticeâ, aliter quam in asserto describitur, fit, non comeditur tamquàm usualis panis, & communis aliorum ciborum comes, sed aut nullatenùs aut se solo comedi solet; undè etiam non nominatur simpliciter panis, sed aut cum addito panis dulciarius, aut nominibus aliis, puta pasta seù massa, placenta, puls, & similibus. Nec refert, quod crudæ farinæ massa per hoc, quod coquatur, aut aquâ naturali, aliovè liquore coagmentetur, non contrahat specificam diversitatem; nam quidquid de hoc sit benè monent Lugus *disp.* 4 *sec.* 1. *num.*6. Arriaga *disp.*30. *sec.*2. *num.* 7. Herinex *disp.*2. *quæst.* 2. *num.* 15., & alii, in proposito magis attendendam esse, unitatem, & diversitatem penes usum, & æstimationem moralem, quàm penes substantiam rei, & speciem physicam. & quoties penes priorem habetur notabilis diversitas, nil prodest quod penes posteriorem servetur unitas. Verùm percurramus singulas asserti partes magis dearticulatè.

24 *Panis pro Eucharistia debet esse ex tritico non lacte aut adipe sed farina non excluditur panis ex amylo.*

Ly *ex farinâ* excludit, quidquid fit ex tritico aliter, quàm pinso, & in farinam redacto, & singillatim excludit amylum, de quo Paludanus in 4. *dist.*11. *quæst.* 1. *art.*4. *conc.* 5., & aliqui alii malè sentiunt posse confici panem consecrationi idoneum; excludit inquam amylum, quia ex tritico macerato, non pinso: & tritici adipe, & quasi lacte, non ex farinâ coalescit. Aliâ etiam ex causâ amylum excluditur à D. Thomâ *præcit. art.*3 *ad* 4., & *in* 4. *dist.*11. *quæst.*2. *art.*2. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. nimirùm ex eo, quod fit ex tritico corrupto: & corrumpi triticum, antequàm in amylum transeat, Suarez *disp.* 44. *sec.*2. §. *Unum verò*. deducit ex madefactione, maceratione, exsiccatione & aliis actionibus, quæ circà illud fiunt.

25 *Debet esse ex farina subacta aquæ naturali, nec potest loco aquæ naturalis poni aut aqua artificialis, puta rosacea.*

Ly, *& aquâ naturali, seù elementari* excludit tùm aquas artificiales, tùm alios ab aquâ liquores, & singillatim excludit primò aquam rosaceam licèt contrarium docuerint Caietanus *hic quæst.*74. *art.*7. Alensis *par.* 4. *quæst.*10. *memb.*4. *art.*1. §.5., & Pontius *disp.* 44. *quæst.*3. *num.*21. dicentes aquam esse panis materiam transeuntem, non permanentem, nec componentem, inservire dumtaxat ad farinam coagulandam, consumi verò, & evanescere vi caloris ignei, dum farina coagulata, & in massam redacta concoquitur, ideò ad panis diversitatem nil aut parùm conferre, quod ex aquâ naturali, vel artificiali puta rosaceâ farina coaguletur. Nihilominùs nec puto totam aquæ, cui farina subacta est, substantiam vi caloris ignei consumi, & appositum non leviter suadetur ex mox dicendis de lacte; quando deindè tota consumeretur, probaretur ad summum aquam non conferre ad diversam speciem physicam panis, conferret tamen ad diversam speciem moralem, quia si artificialis puta rosacea sit, panem extrahit à ratione communis, & usualis. Excludit secundò lac, quod si loco aquæ ad farinam coagulandam ponatur, redditur panis consecrationi ineptus, & hic quidem non solum specie morali, sed etiam specie physicâ videtur diversus à pane communi, sapor enim dulcis, & maior candor talis panis arguunt ipsi inesse plures partes substantiæ lactis, quibus inhæreant, alioqui hujusmodi accidentia, vel transissent de subjecto in subjectum, vel fuissent à dulcedine, & candore lactis producta in substantiâ panis; primum autem est contrà communem rationem accidentis, secundum contrà peculiarem naturam qualitatum secundarum, quæ non sunt activæ, & productivæ aliarum sibi similium: Hinc sicut in pane magis sensibilia, & discernibilia sunt accidentia lactis, quàm accidentia aquæ sivè naturalis, sivè artificialis, etsi ex istis putem aliqua etiam in pane remanere, ità in præsenti maior est ratio excludendi lac, quam aquàm artificialem magisque displicet Cajetanus *præcit. art.* 7. idem de lacte sentiens, quod de aquâ rosaceâ, idque probabile pariter censuit Arriaga *præcit. num.* 7.

26 *Aut lac.*

Excludit tertiò à fortiori vinum, oleum, mel, aliosque humores, seù liquores magis ab aquâ distantes, & ex quibus si farina coaguletur, conficitur aliquid, quod vix potest etiam cum ullo addito panis nominari, & certè à pane usuali sivè moraliter, sivè physicè plurimùm differt.

27 *Aut vinum oleum, mel.*

Ly *Ignis calore assatus, seù per modum assationis coctus* explicat, id quod ad panem consecrandum requiritur ex parte coctionis, & excludit in primis crudam farinæ coagulatæ massam etsi fortè exsiccatam calore solis sivè hæc specie physicâ differat à pane cocto, sivè non, ut benè probabile censet Scotus *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 6. §. *Quò ad secundum*: Nec refert, quod panis præsertim recens per modicam madefactionem aut etiam solam in digitis compressionem reducatur in pastæ massam, & tamen sic reductus possit consecrari, sicut si fuerat anteà consecratus retinet sic reductus consecrationem, alioqui hostia dum madescit in ore, & manditur amitteret consecrationem, antequàm deglutiatur.

Debet esse calore ignis assatus

28 Non refert, inquam, quia panis ille recenter coctus madefactus deindè aut compressus accedit quidem secundùm aliquid, ut secundùm duritiei remissionem, ad pastæ massam, at retinet concoctionem saporem, & aliqua alia panis cocti accidentia, quibus omnibus caret massa cruda. Excludit insuper farinæ coagulatæ massam oleo butyroue frixam aut elixam aquâ; dummodò autem ignis calore assetur, parum interest, quod vel in furno, vel sub cineribus, vel intrà ferrum aliquod vel etiam vas fictile coquatur; in his enim variatur applicatio ignis, at nec additur ullus liquor extraneus, nec impeditur vera coctio per modum assationis.

Non frixus oleo aut elixus aqua.

Mox dicta si conferas cum præcedentis primi asserti corollariis duo facilè inferes: Primum est Auctores stantes pro consecrabilitate

Duo præcedentis doctrinæ corolaria.

bilitate panis, ad quem lac vel aqua rosacea fuerint adhibita loco aquæ naturalis si quid obtinent, obtinere ad summum, quod panis ille sit consecrabilis aliquali probabilitate metaphysicâ, at practicè erit semper ad minus materia dubia, & consecrari prohibita. Secundum est farinam subactam aquâ naturali permixtâ aquæ rosaceæ, lacti, oleo, aut alteri liquori extraneo reddere panem consecrationi aptum vel ineptum, pro ut in illâ mixtione aqua naturalis, vel liquor extraneus præponderat, & juxtà communem æstimationem panis ille censetur adhùc vsualis, vel non.

29

Asert. 3. Panis ad Eucharistiam conficiendam requisitus quantum ad necessitatem sacramenti perindè est, quod azymus sit, vel fermentatus; quantùm ad necessitatem præcepti debet esse azymus in Ecclesiâ latinâ, fermentatus in Græcâ. Pro intelligentiâ

Origo, & progressus controversiæ, & schismatis de fermentato, & azymo.

Adverte Incertum esse, & incompertum, quisnam per aliquod prima sæcula fuerit azymi; & fermentati usus; Sunt, qui putent circà initia Ecclesiæ ritu ab Apostolis accepto, omnes consuevisse consecrare in azymo; exortâ verò hæresi Ebionitarum nimis extollentium observantiam legalium, aut etiam aliquâ aliâ occasione inductum apud omnes fuisse ritum consecrandi in fermentato, à quo deindè latini, non Græci recesserint: Expendit hæc latè, eruditèque Vasquez *disp.* 174. *cap.* 1. vbi ad primum propender, non sic ad secundum: Quomodocumque antiquiùs res se habuerit, certum, compertumque est, processu temporis evenisse, vt Greci in fermentato, latini in azymo consecrare consueverint, itâ tamen ut nec latini consuetudinem Græcorum, nec Græci consuetudinem latinorum saltem palàm, & apertè damnaverint, nisi sub Leone IX. circà annum 1052., quo tempore Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus cæpit latinos habere tamquàm hæreticos, & Azymitas vocare, ipsisque propter ritum consecrandi in azymis imponere, quod judaizarent, & consecrarent invalidè, undè adversus Michaelem gravem, & prolixam epistolam Leo IX. conscripsit, & subortis hâc occasione Græcos inter, & latinos acerrimis contentionibus in schisma ex parte Græcorum desinentibus, ut utrorumque vnioni consuleretur, celebratum est Concilium Florentinum, & in ipso utrisque consentientibus definitum juxtà præfixum asertum, quamvis posteà à Concilii definitione Græci fere omnes resilierint, & inciderint in apertum schisma, suntque modò schismatici, non quatenùs Christi Corpus conficiunt in pane fermentato, sed quatenus contendunt istum esse de necessitate sacramenti, ac censent peccare, judaizare, & consecrare invalidè latinos utentes azymo. Favent Græcorum schismati recentiores hæretici Lutherani. & Calvinistæ, qui licèt videantur existimare pro Eucharistiâ sufficientem panem azymum, in re semper utuntur fermentato, & græcam obersvant consuetudinem.

30

31

Errores varii exorti occasione prædicti schismatis.

Hinc constat asertum esse principaliter, & fere totaliter contrà Græcos. Auctores, aut Sectatores Schismatis excitati tempore Leonis IX., & renovati post Concilium Florentinum. Habet tamen etiam alios Adversarios, nam sicuti Græci præmemorati voluerunt panem fermentatum esse simpliciter de necessitate Sacramenti, nec sufficere azymum, itâ ex opposito Armeni referuntur voluisse non sufficere fermentatum, sed esse simpliciter de necessitate Sacramenti azymum; & quidam Hugo, quem refert, & sequi videtur Glossa *in cap. litteras de celebr. Missar.* fortè, ut mediam iniret viam, sensit esse de necessitate sacramenti fermentatum Græcis, azymum latinis: Sed prior opinio sivè fuerit Armenorum, sivè ut vult Suarez *disp.* 44. *sec.* 3. §. *Quarta sententia* omni careat asertore, error est non minus, quam schisma Græcorum: Secunda ex Glossâ, & Hugone desumpta habetur pariter pro errore ab Amico *disp* 16. *sec.* 1. *num* 15., ineptissimâ dicitur à Suario mox *cit. sec.* 3. §. *Secunda sententia*, ridicula à Joanne à S. Thomâ *disp.* 27. *art.* 2. §. *Quæ definitio*. Quatenùs deindè asertum loquitur de necessitate præcepti, & hanc astruit pro pane azymo respectu latinorum, est contrà præmemoratos Sectarios servantes græcam inter latinos consuetudinem; quatenus verò eamdem necessitatem astruit pro pane fermentato respectu Græcorum, est contrà Paludanum *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 4. *conc.* 6. existimantem liberum esse, & licitum Græcis vtriusque panis azymi, & fermentati usum, aut saltem non teneri ad usum fermentati, hoc enim solum Paludanus clarè docuit, & Vasquez *disp.* 74. *cap.* 2. vult ipsum sensisse Græcos teneri ad utendum azymo, nec posse licitè uti fermentato, ut sensit Gabriel *lect.* 34. *in canon Missæ*. & tùm à Gabriele ibi, tùm ab aliquibus aliis tribuitur etiam Scoto *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 6. in fine, vbi tamen dubitanter loquitur, & in diverso melioríque sensu solet à suis intelligi, ut videre est apud Mastrium *hic disp.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 81. Sic prolatis asertæ veritatis Adversariis, non est, quod proferam Patronos, cum majori ex parte ad dogma spectet, & ex integro tradatur unanimiter à Scholasticis, vel *in* 4. *dist.* 11., vel in Summâ 3. *part. quæst.* 74. *art.* 4.

32

33

Quò ad necessitatem Sacramenti perindè est, quod panis azymus sit, vel fermentatus.

Probatur prima aserti pars ex Concilio Florentino *in litteris unionis* dicente. *Definimus in azymo, sivè fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere*; quod & anteà tradiderat Leo IX. in epistolâ ad Michaelem Cerularium, in qua Græcorum sententiam de insufficientia panis azymi hæreticam vocat. Ratio aserti est, quia panis azymus, & fermentatus leviter, ac valdè accidentaliter ab invicem differunt; uterque est simpliciter panis, cum Scriptura, cujus plura loca memorat Estius *in* 4. *dist.* 8. § 8. azyma sæpius appellet panem

sine

sine ullo addito, nec ullus, nisi fortè ex propriâ improbitate aliquis Græcus putaverit faciendam esse fermenti mentionem in pane desiniendo. Uterque item est panis usitalis, & usitatus; & licèt fermentatus sit usitatior, dabantur tamen ex præscripto legis antiquæ dies, in quibus non licebat uti, nisi azymis: Uterque tandem suas habet congruentias, & rationabiles causas, ob quas in Eucharistiæ Sacramento, & Sacrificio jure, & convenienter adhibeatur, quasque videre est apud Estium *præcit. dist.* 8. §. 7., &

34

Gonetum *disp.3.art.*1. Confirmatur specialiter asserta veritas quò ad sufficientiam azymi contrà Græcos, confirmatur, inquam, exemplo Christi, qui in azymo consecravit, & primâ die azymorum Eucharistiam instituit, ut suppono *ex cap præced.*§.2. hincque ruit potissimum Græcorum fundamentum ex opposito contendentium Christum non primâ die azymorum, sed die antecedente celebrasse ultimam cœnam, & consequenter in fermentato Eucharistiam instituisse, & hunc esse de necessitate Sacramenti: Quâ in re non solum est falsum fundamentum, sed & est mala illatio, nam si Christus anticipasset cœnam legalem, verisimiliter anticipasset, & talis cœnæ ritum, ad quem pertinebat, quod agnus comederetur cum azymis; ex illa igitur anticipatione malè infertur consecratio à Christo facta in fermentato; ex hâc rursùs malè infertur fermentatum esse de necessitate Sacramenti, non enim omnia, quæ Christus in Sacramentorum institutione servavit, de necessitate Sacramenti sunt, sed aliqua prorsùs indifferentia, aliqua de majori congruitate, unde benè nos hanc solam pro pane azymo inferimus ex Eucharistiâ in azymis instituta, eamdemque solam Adversarij debuissent pro fermentato inferre ex institutione, quam supponunt in fermentato factam.

Fundamentum Græcorum contrà azymū est falsum, & illatio mala.

35

Probatur secunda asserti pars ex eodem Concilio *ibid.* quatenùs ad verba jam recitata subdit *Unumquemque scilicet juxtà Ecclesiæ suæ* (sivè occidentalis, sivè orientalis) *consuetudinem, & ritum*; præcesserat autem *conficere debere*, & ly *debere* vim præcepti indicat: Eamdem præcepti obligationem partim supponit, partim strictius imponit Pius V. in motu proprio edito anno 1566. incipiente *Providentia Romani Pontificis*, ubi post revocatas omnes facultates, & licentias concessas, aut Latinis ad celebrandum more græco, aut Græcis ad celebrandum more latino, subdit *Quibusvè Presbyteris tàm Græcis, quàm Latinis præcipimus in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à divinis pænis districtius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci* præsertim uxorati latino more, & Latini græco ritu, hujusmodi licentiarum, *& facultatum, aut alio quovis prætextu Missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant.*

Quò ad necessitatem præcepti panis consecrandus debet esse azymus in Ecclesiâ latina, fermentatus in Græca.

36

Hinc infertur Ecclesiam Latinam Græcis non solùm permittere, sed præcipere consecrationem in fermentato, & ad suum servandum ritum ipsos teneri non ex solo præcepto suæ Ecclesiæ ex parte Schismaticæ, sivè hoc illos obliget, sivè non, sed ex præcepto etiam nostræ Ecclesiæ Catholicæ; ex quo improbata manet opinio, cujus suprà *num.*32. ex Paludano meminimus, & cui videtur adhærere Lauræa *disp.*18. dicens, quod sicuti meliùs facerent Græci, si Romanæ Ecclesiæ, quæ cæterarum Caput est, omnes se conformarent amplectendo ritum consecrandi in azymo, ità etiam modò benè faceret aliquis Græcus, qui consecraret in azymo, ad conformandum se Romanæ Ecclesiæ. At non valet argumentum à toto ad partem, à corpore ad membrum, & bene potest tota Respublica mutare aliquem ritum, quem à Republicâ retentum nequeat propria auctoritate mutare privata persona. Deindè si omnes Græci vellent se conformare &c. meliùs facerent, quatenus id facerent consentiente, approbante, & præceptum, de quo supra, revocante Romanâ Ecclesiâ, Romanoque Pontifice, ex cujus dispensatione bene est, licere etiam alicui privatæ personæ Græcorum conformationem cum Latinis, & consecrationem in azymo.

37

Dubitatur hic, Utrùm saltem in aliquo, & in quonam casu possit licitè, vel Sacerdos Græcus in azymo, vel Latinus in fermentato consecrare? Primus casus esse potest necessitas sumendi, aut ministrandi viaticum. Secundus, necessitas celebrandi coram populo alioqui remansuro sine Missæ Sacrificio in die festo. Tertius, necessitas non relinquendi imperfectum, ac mutilum Sacrificium, quatenùs Sacerdos Latinus post consecratum calicem inveniat hostiam antecedenter consecratam esse corruptam, aut aliundè ineptam consecrationis materiam, nec habeat deindè nisi panem fermentatum, in quo possit iterùm consecrare, & sacrificium perficere. Quartus, necessitas, seù obligatio conformandi se legibus locorum, in quibus quis peregrinus est, aut hospes, aut incola.

38

Ad primum, & secundum casum respondeo non licere: Ità Suarez *disp.*64. *sect.*3.§. *Unum verò* Vasquez *disp.*174. *cap.*4. *num.*38. Amicus *disp.*16. *num.*25. Gonetus *disp.*3. *num.* 16. Herinex *disp.*2. *num.* 21. Madernus *quæst.* 2. *art.*1. *nu.* 18. cæterique communiter contrà Lauream, Tannerum, & paucos alios. Ratio est quia sumptio viatici instante morte, & auditio Missæ in die festo non sunt necessaria ad salutem, subintellige necessitate medii, sunt verò solum necessaria necessitate præcepti, & quidem affirmativi, ex genere suo non obligantis semper, & pro semper, sed cum debitis circumstantiis, & quando impleri potest servatis ritibus, & legibus ab Ecclesiâ præscriptis. Neque dicas, præcepta sumendi viaticum, & audiendi Missam in die festo, licèt sint affirmativa, spectant ad religionem, & charitatem, præceptum, quo Latinus tenetur consecrare in azymo, est & ipsum affirmativum, spectat verò dumtaxat ad cæremoniam, & ritum;

Ne moribundus viatico, aut populus missa careat non licèt græco in azymo, aut latino in fermentato consecrare.

tum;

tum; ergo debent illa isti, non istud illis prævalere, ac per consequens &c. Contrà enim, eâdem ratione probaretur licere in prædictis casibus celebrare sine prævio jejunio, sine sacris vestibus, extrà sacrum altare, nullo accenso lumine, nam hæc quoque spectant ad cæremoniam, & ritum, sicut igitur propter maximam reverentiam debitam sacramento, & ne aperiatur aditus ipsum indignè tractandi, præcepta de his posterioribus prævalent præcepto communionis, & auditionis missæ, ità censendum est apud nos prævalere præceptum de ritu azymi.

30 Benè verò id licet os factifie um relinquatur imper fectum.

Ad tertium dico licere, quin & in eo casu teneri Sacerdotem latinum in fermentato, Græcum in azymo consecrare, quoties nõ possit aliter sacrificium inchoatum perficere. Ità Amicus, Gonetus, Maderinus locis præcitatis, à fortiori verò Lauræa, & Tannerus; idem censendi sunt sentire cæteri communiter, & quamvis à pluribus non tradatur, non est nisi quia à pluribus non tractatur. Ratio responsionis est, quia necessitas integritatis sacrificij est maxima, & præceptum ipsius divinum, ac majus, quàm præceptum statuens pro Latinis azymum, pro Græcis fermentatum, quod humanum & ejusdem rationis; cum præcepto jejunii, sacrarum vestium, & similibus, quibus prævalet obligatio non relinquendi sacrificium mutilum: & potest ratio instaurari atque altiùs deduci ex eo, quod præmemorata præcepta humana imposita sunt propter reverentiam debitam sacramento; at magis læditur sacramenti reverentia in eo, quod non perficiatur in ratione sacrificij, & ab hâc separetur, quam in eo, quod sumatur, & conficiatur aut à non jejuno, aut absque aliquo ritu aliàs præscripto.

40 Ad quartum dico duo esse satis communiter recepta: Primum est Græcos, qui inter latinos versantur in loco, in quo habent propriam Ecclesiam, ut habent hic Romæ, teneri celebrare in propriâ Ecclesiâ proprio ritu: Secundum est Græcos, qui inter latinos versantur non tamquàm peregrini, & advenæ, sed tamquàm incolæ, & domicilium contraxerunt, teneri celebrare, & consecrare ritu latino: & utrumq; proportionaliter procedit de latino, qui versatur inter Græcos: Quando verò neutrum ex his contingit, sed Græcus versatur tamquàm peregrinus, & advena in locis latinorum, in quibus nullam habet Ecclesiam propriam, magna est opinandi varietas, Amicus *disp.16. num* 27. Coninchus *quæst.*74. *art.4. num* 103. & 110. Herinex *disp.2. num.*22. & 23., & Gonetus *disp.* 3. *art.* 1. *num.* 14. putant licitum ei, & liberum esse, vel amplecti ritum loci, in quo versatur, & consecrare in azymo, vel retinere ritum propriæ Ecclesiæ, & consecrare in fermentato, eamdemque viceversâ libertatem tribuunt latinis. Suarez *præcit. sec.* 3. §. *Illud verò.* Vasquez *disp.* 174. *cap.*3. *num.* 28. Ioannes à S. Thomâ *disp.* 27. *art.*2. §. *solum posset*, & Madernus *præcit. art.*1. *num.* 23. sentiunt teneri sequi ritum propriæ Ecclesiæ, & Græcum inter latinos in fermentato, latinum inter Græcos in azymo debere consecrare; Lauræa *disp.*18. idem sentit de Latino inter Græcos, de Græco verò inter latinos sentit cum Auctoribus prioris sententiæ, & quasi inter utramque sententiam mediat: Recedit autem ab utrâque Ledesma *in* 4.1. *par. quæst.* 15. *art.* 4. *dub.* 2. docens Græcum inter latinos teneri consecrare in azymo, latinum inter Græcos teneri consecrare in fermentato, eo quod unusquisque teneatur stare legibus, & consuetudinibus loci, in quo versatur. Uerùm in hoc Ledesma est ferè singularis, & universalis doctrina de conformatione Peregrinorum ad locorum leges, vel est initiùs accipienda, adeò ut peregrinus, quando leges, & consuetudines locorum, per quæ transit, sunt contrariæ propriis, licitè possit ar seclusò scandalo non teneatur se illis conformare, & sic standum esset primæ sententiæ; vel est in proposito limitanda propter peculiaria decreta, & testimonia Leonis IX. in suâ Epist. Eugenii IV. in Concilio Florentino, & Pii V in motu proprio, quæ quidem vel evincunt Græcum, & à fortiori latinum nullibi impediendum esse à proprio ritu servando quò ad consecrationem fermentati, vel azymi, & sic iterùm standum est primæ sententiæ; vel etiam suadent obligationem servandi eũ in re proprium ritum esse personalem, nec affixam locis, & sic standum est secundæ sententiæ, quam sicut prædictis decretis, & testimoniis conformiorem ità, & probabiliorem judico: Sivè autem secunda sivè prima sententia teneatur, benè & jure Gonetus *præcit. art.* 1. *num.* 15. reprehendit zelum nonnullorum, qui quemdam Metropolitam Græcum in Galliis non ità pridem exulantem coegerunt consecrare in azymo.

41 Græcus peregrinans inter latinos nõ tenetur consecrare juxtà consuetudinè loci in quo peregrinatur.

Sed potiùs juxtà ritũ propriæ Ecclesiæ.

---

§. III.

Quod, & quale vinum requiratur ad Eucharistiam conficiendam; præcipuè meerum ne, an aquâ mixtum?

42 **A**SSERT. 1. Vinũ ad Eucharistiam conficiendam requisitum debet esse vitigineum, seu de vite. Est veritas pertinens ad dogma contra Aquarios, & nonnullos Calvinistas, quorum suprà meminimus *num.* 2., & his addi possunt quidam alii hæretici relati in Concilio Bracharensi III., & arbitrati posse validè consecrari lac, aut mel.

Vinum pro Eucharistia debet esse vitigineũ, seu de vite.

Probatur ex eo, quia Concilium Florentinum in Decreto Eugenij sicut assignat pro materiâ Corporis Christi panem triticeum, ità pro materiâ sanguinis vinum de vite, quod & præstiterunt plura alia Concilia, quorum meminit Vasquez *disp.* 175. *cap.* 1. *num.* 1. Ratio etiam universalis pro

D pane

pane triticeo superiùs adducta militat proportionaliter pro vino vitigineo, hoc quippè solum venit nomine vini simpliciter, & absolutè prolati; ipsum solum est maximè usuale, & commune ciborum vehiculum, potusque sicut cæteris aptior ad exhilarationem, & refocillationem corporalem ità ad lætitiam, & refocillationem spiritualem significandam congruentior; in ipso Christus Eucharistiam instituens consecravit, de eo enim, quod in Calice sivè consecrato, sivè consecrando continebatur dixit Christus Matth. 26., & Marc. 14. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*; quin & interdum in Scripturâ sub nomine vini de vite significatur Sanguis Christi, ut observat Suarez *disp.* 45. *sec.* 1. in principio.

43 Hinc habetur omnia, & sola vina de vite esse sufficientem, ac idoneam materiam calicis, seù sanguinis Christi: Ex eo, quod omnia vina de vite talia sint, deducitur parùm referre, quod sint (si aliqua sint) inter se specie diversa, ut specie differre aliqui censent vinum album, & vinum rubrum, item vina diversarum regionum, quæ ex soli, & aeris diversitate magnam contrahunt diversitatem saporis; odoris, coloris &c. Parùm inquā hoc refert, quia adhùc quodlibet hujusmodi vinum est genimen vitis, est vinum simpliciter, est potus maximè usualis &c. undè, & proportionaliter præced. *num.* 17. attigimus omne triticum esse materiam idoneam Corporis abstrahendo ab eo, quòd illud contineat, vel non contineat sub se diuersas species.

Nec refert si vinum ab alio specie differat.

44 Ex eo, quòd talia, ideft in Christi sanguinem consecrabilia, sint sola vina de vite, excluduntur primò à materiâ sanguinis omnia vina, quæ de vite non sunt, nec vina nominantur nisi analogicè ex eo, quod vel conficiantur, & adhibeantur ad modum vini, vel aliquam coloris saporisvè similitudinem cum vino habeant, ut sunt cervisia, & sicera, quarum illa ex frugibus, & præcipuè ex hordeo, ista ex pomis fit; eadem est ratio de vino ex malogranatis. Excluduntur secundò succi, seù liquores, qui nec sunt de vite, nec vina nominantur, nec tàm ad potum, quàm ad cibum, ciborumque condimentum, aut ad pharmaca inserviunt, ut lac, mel, oleum, balsamum, & innumera alia id genus. Nec refert, quod frutex, seù arbuscula emittens balsamum sit viti similis, & ab aliquibus vitis balsami nominetur; Non refert, inquam, quia est similis dumtaxat quò ad folia, cæterùm nec producit palmites, nec racemos, & non solùm ei abusivè tribuitur vitis nomen, sed insuper balsamo nullatenùs tribuitur nomen vini. Excluduntur tertiò liquores, & succi, qui licèt de vite sint, quin & aliquando vina fuerint aut futura sint, de facto tamen vina non sunt, ut Vappa seù vinum evanidum, & cujus vis tota evaporavit, Sapa seù mustum valdè decoctum, Omphacium vulgo *Agresta*, Iora vulgo *Aquatiecio*; & alia hujusmodi, de quibus aliquid amplius, & opportunius in sequenti asserto

Excluduntur à materia sanguinis Cervisia, Sicera.

Et omnes liquores, qui nec de vite, nec vina sunt.

Item ex liquoribus de vite Vappa, Sapa, Omphacium, Iora.

occasione explicandi, quale vinum ad Eucharistiam requiratur: Interim si petas, quid sentiendum de vino verè, ac propriè vitigineo, cui admixtus sit aliquis ex præmemoratis liquoribus, seù succis ad consecrationem ineptis, dico breviter attendendam esse præponderantiam, & repetendam proportione servatâ regulam de quâ suprâ *num.* 25.

45 Assert. 2. Vinum ad Eucharistiam conficiendam requisitum debet esse expressum ex uvis, iisque maturis; debet item permanere in proprio esse substantiali. Est assertum quò ad omnia receptissimum, & nullum aut vix ullum patitur dissidium nisi in modo assignandi, & explicandi particulares rationes.

Probatur universim, quia quidquid de vite est, aliter quàm in asserto describitur, aut simpliciter non venit vini nomine aut non habet rationem vini usualis, ut facilè innotescet recensendo, & excludendo singillatim ea, de quibus aliqua asserti particula non verificatur.

Ly *expressum ex uvis* excludit primò uvas ipsas nondum expressas ipsarumq; succum (etiamsi fortè mustum jam sit, aut à musto specie non differat) botris inclusum, quia hujusmodi uvæ, & succus habent rationem cibi non potus, & comedi non bibi dicuntur, undè etiam vinum non uva inebriat, & ex adverso uvâ non vino jeiunium frangitur: Alias hujus rei rationes affert Suarez *disp.* 45. *sec.* 1. §. *Undè fit*, sed difficultate non carent, & mox adducta est cæteris sicut familiarior ità, & sufficientior. Nec obstat, quod *in can. Didicimus* de consecrat. *dist.* 2. permissum fuerit distribui populo uvas in Altari benedictas; Non obstat inquam, quia ibi non agitur de benedictione consecratoriâ. Excludit secundò loram, quæ non ex uvis exprimitur, sed post uvas expressas extrahitur ex uvarum folliculis, & vinaceis aquâ maceratis, undè etiam secundùm maximam sui partem, aut fortè totaliter est aquæ non vini substantia: Cæterùm si uvis aut nondùm, aut parùm expressis aqua infundatur in multo minore quantitate quàm sit mustum exprimendum, ut in aliquibus Italiæ locis, & præcipuè Bononiæ ad maiorem vini depurationem, & decoctionem fit, procul dubio habetur sufficiens pro consecratione materies; Nec refert quod aliquando ex aquâ uvis injectâ vinum evadat tenue, nam hoc est differentia vini accidentalis, & ex conditione soli aliqua vina etiam mera sunt tenuissima, & villa dicuntur, quæ tamen procul dubio sunt consecrabilia, cum & usualia sint, & habeant propriam vini substantiam.

Vinum pro Eucharistia debet esse expressum ex uvis.

46

47 Ly *iisque maturis* admittit latitudinem, & complectitur uvas etiam maturescentes, seù imperfectè maturas, & aliquantulùm acerbas, dummodò non tantâ acerbitate ut succus ex illis expressus omphacium, non mustum sit; cæterum omphacium per ly *maturis* omninò excluditur, utpotè quod nec vini denominationem, nec potus ratio-

Iisque maturis.

nem

nem habet, sed pro ciborum condimento inservit, & sivè differat specie physica à musto, ut vult Alensis 4. *par. quæst.* 10. *memb.* 4., sivè non ut vult Paludanus *in* 4. *dist.* 11 *quæst.* 1. *art.* 5. saltem differt specie morali. Porrò mustum ex D. Thomâ *quæst.* 74. *art.* 5. *ad* 3. à vino nullatenùs specie differt, & licet quià non est vinum depuratum, nequeat licitè sine necessitate consecrari, quia tamen substantialiter vinum est, est certa materia consecrationis, & in necessitate aut communicandi infirmum, aut celebrandi coram populo in die festo, aut aliâ simili licitè consecratur, & immeritò hâc de re dubitarunt aliqui Recentiores suppresso nomine memorati à Lugo *hic disp.* 4. *sec.* 1 *num.* 9. contrà quos præter communem aliorum sensum est expressa auctoritas Julii II. in Decretali *Cap. Cum omne crimen* de consecratione *dist.* 2. approbata in Concilio Bracharensi III. *cap.* 1., & ità habet *Quod de expresso botro (idest de uvarum granis) populus communicatur, valdè est omninò confusum: sed si necesse sit botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur*: Ecce Pontifex primò reprehendit, quod ponantur in calice, & consecrentur uvarum grana dumtaxat à botro separata at non compressa, quæ ex dictis inconsecrabilia; deindè permittit imò consulit, quod in necessitate compresso intrà calicem botro mustum exprimatur, hocque aquâ mixtum consecretur.

Mustum est idonea, & certa consecrationis materia, at non debet adhiberi sine necessitate.

48 Ly *permanere in proprio esse substantiali* indicat non obesse vino consecrando mutationem accidentalem, benè verò substantialem: Ex primo capite non desinit esse materia consecrabilis vinum per hoc, quod sit v. g. calefactum, vel extrinseco aliquo odore imbutum, vel etiam conditum aromatibus (quod hyprocaticum vocant) dummodo aromata non sint in majore copiâ quàm vinum ipsum, vel si in minore non tantæ efficaciæ, ut totum vini colorem, saporemque notabiliter mutent, nam in hoc casu vinum censetur substantialiter mutatum, in illo non est, ut ad consecrationem requiritur, designabile per pronomen *hoc*, & de illo toto melius dicetur; Hoc est aggregatum aromatum, quàm Hoc est vinum. Ex secundo capite excluditur omne vinum corruptum, & in speciem saltem moraliter diversam transmutatum; sic excluditur primò Sapa idest mustum quò ad duas tertias partes in decoctione consumptum, & cujus tertia pars remanens, densior ac dulcior reddita, jure censetur substantialiter à vino, & musto diversa, undè nec ad bibendum, sed ad cibos condiendos adhibetur, & quasi melli æquivalet: Cæterum si mustum modicè coquatur, & solùm despumetur, quemadmodum in Piceno, Umbriâ, & aliquibus aliis Italiæ Provinciis fit, ut vinum reddatur defæcatius, salubrius, & possit facilius æstivo tempore asservari; hujusmodi decoctio sicuti vinum perficit, non corrumpit, nec à communi potus usualis ratione extrahit, ità certò certius est, quod nullatenus officiat consecrationi: Excluditur secundò vini vapor aut spiritus, idest subtilior, & magis ignea ipsius pars, quæ ex vino, quod in allembico aduritur, elevata, & deindè addensata, in vas aliud guttatim decidit, desinitque in aquam ardentem, quam vulgariter *Aqua di vita*, item *Spirito di vino* dicimus, & cum nulla ferè habeat accidentia vino communia, non dubitatur, quin à vino substantialiter differat: Excluditur tertiò vappa, terrea scilicèt, & magis crassa vini pars, quæ tenuioribus particulis aut vi caloris, ut in allembico subsilientibus, aut aliter in auram abeuntibus, subsidet & remanet sine vini sapore, ac vi. Excluditur quartò acetum perfectè tale, quod est vinum corruptum, nec ampliùs potabile ratione nimiæ acrimoniæ, & mordacitatis, ad quam redactum est, sivè hoc evenerit actione vel arte extrinsecâ; sivè etiam ab intrinseco, quatenùs partes vini acerbiores acrioresvè, & quasi acutiores cæteris prævaluerint. Dixi *perfectè tale* nam vinum acescens dici potest imperfectè acetum, at sicuti est acescens, non acetum perfectè, ità est in via ad corruptionem non adhùc corruptum, & quamvis non sit congrua, nec extrà casum necessitatis licita, est tamen sufficiens, & valida, ut de musto dicebatur, consecrationis materia ex D. Thomâ *præcit. art.* 5. *ad* 2. aliisque communiter, quibus accenseri debent, & benignè de aceto imperfectè tali intelligi illi, qui videntur absolutè docuisse acetum esse consecrabile, nec specie à vino differre, ut præstiterunt Alensis *præcit. memb.* 4., & Isidorus *lib.* 8. *Ethimolog. cap.* 3. Item Innocentius III. *lib.* 4. *de Sacrif. Missæ cap.* 30. cum ait vinum acidum, quod vocatur acetum, esse materiam consecrationis sanguinis, & Glossa *ad c. sicut in Sanctificando* de consecratione *dist.* 2. dicens acetum, dummodò sit ex vino, esse materiam sacramenti altaris: Quòd si hæc glossa videatur clarior, quàm ut possit prædictam benignam intelligentiam admittere, reiicienda est, & reprehendenda, sicut eam reprehendunt Sotus, & Victoria apud Valentiam *hic disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. *Hinc sequitur*.

Per multam coctionem redditur materia inepta.

Nô sic per modicam, seù per despumationem.

49 Est item materia inepta acetum perfectè tale.

Non sic tale imperfectè est vinum acescens, quod est materia solùm regulariter illicita.

50 Antequàm ad tertiam tituli partem, quæ de vino mero, vel aquâ mixto est, procedamus, tria supersunt de vino consecrabili, vel non consecrabili dubia: Primum est de vino expresso ex astaphide, seù uvis passis: Secundum de vino imbibito in offâ panis: Tertium de vino congelato.

Ad primum respondeo affirmativè, dico scilicèt esse materiam consecrabilem: Ratio est, quia Uvæ passæ retinent propriam rationem Uvarum, & humor intrà ipsarum folliculos inclusus remanet substantialitèr idem, dummodò non sint illæ ad nimiam siccitatem redactæ, adeò ut vel nonnisi ex magnâ compressione humorem aliquem reddant, huncque spissiorem, & sapæ, quàm vino similiorem, vel ad humorem extrahendum infundenda sit aquæ copia major quàm sit humor, qui exprimitur, quod erit

Quid de vino ex astaphide, seù ea uva passa expresso?

extrahere loram, non vinum. Hæc limitatione Laurea *in 4. disput.* 18. *art.* 3. *nu.* 67. & Madernus hic *quæst.* 3. *art.* 2. *nu.* 8. negantes esse consecrabilem succum ex uvis passis expressum, videntur conciliari cum nostrâ responsione affirmativâ, quam tradunt Amicus *disp.* 36. *nu.* 34. Gonetus *disp.* 3. *art.* 2. *nu.* 25. & alij. Hinc patet quodnam judicium ferendum sit de quibusdam populis in Æthyopia degentibus, qui ut fama fert, pro Eucharistia vinum ex uvis passis exprimunt; quidquid autem de ipsis judicetur, certè apud nos id non licet extrà necessitatis casum, & vini magis usualis defectum, est enim pro consecratione materia parum congrua, & non omninò indubitata illud, quod potest ex uvis passis exprimi.

51 Quid de vino in offa imbibuto?

Ad secundum in partem affirmantem propendent Arriaga *disput.* 30. *sect.* 3. *nu.* 12. & Herinx *disput.* 2. *quæst.* 4. *num.* 31. Negant Amicus *nu.* 36. Gonetus *nu.* 26. Lugus *disput.* 4. *sect.* 1. *nu.* 12. Mastrius *disput.* 2. *qu.* 3. *art.* 2. *nu.* 83. & alij magis communiter, quibus subscribo ex eo quia vinum in offâ, seu frusto panis imbibitum, quamvis retineat propriam substantiam, hincque si fuisset antecedenter consecratum, retineret pariter consecrationem, & substantiam sanguinis Christi, est tamen cum pane, seu offâ adeò permixtum, & confusum, ut non possit tamquàm vinum, & tamquàm potus designari dicendo, Hoc est vinum. Hic est potus, ut requiritur ad consecrationem sanguinis recipiendam, etsi non ad ipsam retinendam, quando recepta est. Neque dicas ex Herinex; Panis ipse vino madefactus est consecrabilis in Corpus; ergo etiam vinum pani imbibitum est consecrabile in sanguinem, cùm præcipuè à vino sic imbibito non videatur valdè diversimodè se habere vinum infusum spongiæ, aut vasi argenteo per artificis industriam poroso adinstar panis tritici. Contrà enim: de pane,

52 Quid obiter de offa vino imbuta in ordine ad materiam Corporis.

qui esset solâ aquâ madefactus, & delibutus facilè concederem esse materiam in Christi Corpus consecrabilem, & videtur hoc jam à nobis insinuatum *præced. nu.* 28. At de pane, qui sit totus madidus, & imbutus vino, res est mihi valdè dubia, quia talis panis retinet quidem rationem comestibilis, at non per modum panis usualis, & comitis aliorum ciborum, sed per modum specialis cibi, sicuti etiam non tàm panis, quàm alterius specialis cibi, & ejusdam pultis modum habet panis pinguiore jure imbutus: Detur nihilominùs antecedens, vel etiam admittatur, ut admittitur ab Amico *præcit. nu.* 26. nego consequentiam, panis enim vino imbutus retinet rationem comestibilis non vinum pani imbibitum retinet rationē potabilis, utrumque simul comeditur, non potatur, & consequenter de utroque simul meliùs dicitur, est panis, quàm est vinum. Exemplum spongiæ, aut vasis argentei per artem porosi non est ad rem, neque enim vinum per hoc, quod illis inexistat, deperdit, ut in offâ rationem potabilis, & rationē comestibilis induit, aut dum extrahitur secum fert spongiæ, & vasis argentei partes aliquas, aut aliqua accidentia, sicuti secum fert tenuiores partes, & aliqua accidentia panis, si facta offæ, cui imbibebatur, compressione exprimatur; Undè etiam nemo nō judicat hujusmodi vinum fieri magis intrinsecum, & magis pervadere omnes partes offæ, quàm possit tal: fieri respectu spongiæ, vasisvè porosi.

53 Quid de vino congelato?

Ad tertium Auctores ferè ex æquo dividuntur, & ipsorum utrumque catalogus videri potest apud Suarium *præcit. sec.* 1. §. *Solum dicendum*, & Madernum *præcit. art.* 2. *num.* 4. Mihi inprimis non probatur argumentum, quod nonnulli pro parte negante desumunt ex eo quòd vinum congelatum, ut ipsi putant, non sit potabile, nec habeat rationem probus: Non probatur inquam, quia est potabile saltem radicaliter, sicut est comestibilis panis durissimus, & sicut iste est sufficienter, & quantum ad consecrationem requiritur comestibilis, licèt nequeat comedi, nisi moliatur; ità illud est sufficienter potabile, licèt nequeat potari, nisi dissolvatur: Vel meliùs dico vinum congelatum, etsi nec facilè, nec commodè, esse tamen potabile formaliter, & proximè, quatenùs quomodocumque ab ore in stomachum trajiciatur sivè sugendo, sivè lambendo, sivè ipsam vini congelati massam, vel totam simul, vel in frusta divisam, & confractam degluttiendo, potatur, non manducatur, & siti, quæ est appetitus potus, non fami, quæ est appetitus cibi explendæ inservit, undè etiam ecclesiastico jejunio, quod manducando, non potando violatur, non officit: & hinc patet obiter, non benè inferri rationem potus, & potabilis esse negandā vino congelato, ex eo quod *præced. nu.* 52. negata fuerit vino in offâ imbibito: Alterū deindè ejusdem partis negantis argumentū à pluribus desumptum ex eo, quòd vinum congelatum vi nimii frigoris, aut etiam siccatum exhalationum ad congelationem inducendam concurrentium, virtutem, speciemque suam amittat, & substantialiter corrumpatur, est mihi profectò firmius, & magis probatur: at non verificatur universaliter, sed solùm in villo, vinoque tenuiore, & dudùm, profundique congelato, non quando vinum generosius est, aut congelatio modica, superficialis, & recens. Breviter igitur pro dubii solutione dico non posse certam de vino congelato regulam statui, sed ex modo congelationis, & conditionibus vini esse à prudenti viro judicandum, utrum species ejus, ac virtus deperierit, & congelatio substantialem corruptionem induxerit, nec ne? Quoties judicium affirmativum sit, erit inepta consecrationis materia; apta, quoties negativum: In praxi tamen, tùm quia hoc judicium erit semper cum aliquâ perplexitate, tùm propter probabilitatem argumenti negantis vino congelato sufficientem rationem potabilis, erit semper materia consecrationis incerta, incongrua, ac illicita extrà casum necessitatis; hunc casum Joannes à S. Thomâ *disp.* 37.

54

27. *art.* 2. §. *pro parte verò*, putat non esse practicè dabilem, at loquitur ex falso supposito, supponit enim vinum congelatum non posse sumi per modum potus, nisi liquefiat, quod falsum est *ex praeced. nu.* 53.

55 Neque aut hoc suppositum Joannis à S. Thomâ, aut incorruptio, & permanentia vini congelati in suâ specie, & proprio esse substantiali rectè infertur ex eo, quod in rubricis Missalis Romani de defectibus Missæ præcipitur, ut si species post consecrationem congelentur, aliquo calore liquefiant, & sumantur cum reverentiâ tamquàm Sanguis Christi. Neutrum inquam rectè infertur: Non primum, quia præceptum liquandi species non est, quia nequeant in statu congelationis potari, sed quia liquatæ potantur modo decentiore, & usitatiore. Non secundum, quia ad præceptum sumendi tales species reverenter tamquàm Christi sanguinem, sufficit probabilitas de sanguinis sub illis permanentiâ; est autem hujusmodi probabilitas semper maxima in casu allato, quia congelatio inter consecrationem, & sumptionem contingens non potest esse, nisi modica, & recens, quâ nequidem vinum tenue solet substantialiter corrumpi ut nos ipsi insinuavimus: Cæterùm in proposito Madernus *praeci. art.* 2. *n.* 6. optimè consulit ut sumens illas species liquatas observet, utrùm percipiat in ipsis, & experiatur virtutem, & saporem vini nec ne? Si experiatur, jure censetur vinum substantialiter incorruptum, & Sacrificium benè perficitur; Si non experiatur, vinum censendum est congelatione corruptum, & ne Sacrificium relinquatur imperfectum, debet vinum aliud consecrari, & sumi.

Optimum Maderni consilium pro casu vini post consecrationem congelati.

56 Assert. 3. Vinum ad Eucharistiam conficiendam requisitum quantum ad necessitatem Sacramenti perindè est, quod sit merum, vel aquâ mixtum, nec excludit scilicet nec includit aquæ mixtionem: Quantùm ad necessitatem præcepti debet ei antè consecrationem aqua misceri: & hujusmodi præceptum Ecclesiasticum est, non divinum. Prima asserti pars quoad ly *Nec excludit* est de fide, imò nullos habet, quod sciam Adversarios, nam licèt multorum error fuerit, non debere vino consecrando aquam misceri, hanc tamen censentur exclusisse tamquam Sacramento, & ejus significationi incongruam, non tamquam contrà ipsam Sacramenti essentiam: Quò ad ly *nec includit* quamvis non sit expressè de fide, est certa, & receptissima contra antiquam quamdam opinionem, quam refert D. Bernardus *Epist.* 96., & secutus est Armacanus *lib.* 9. *de quæstionib. Armenor. cap.* 9. Eidem favere videtur Alensis quatenus ait aquæ mixtionem esse de substantiâ Sacramenti, sed alium esse hujus Auctoris sensum rectè observat Laurea *in* 4. *disp.* 18. *art.* 4. *num.* 73.

57 Secunda asserti pars quatenùs affirmat necessitatem præcepti, est pariter de fide contrà quosdam Armenos, qui cum Eutychete errantes in tribuendâ Christo unicâ naturâ noluerunt aquam vino consecrando miscere, ne ipsâ mixtione aquæ cum vino duas in Christo naturas fateri viderentur: Errorem Armenorum amplexi postea sunt Lutherani, & Calvinistæ, sed ex diverso ab Armenis fundamento, nimirum partim ex eo, quòd putent mixtionem aquæ cum vino habere significationem pessimam, significare scilicet fraudem, & corruptionem, partim ex eo, quod velint Christum in ultimâ cœnâ, vel vinum non miscuisse, vel si miscuit, id præstitisse pro more regionis Orientalis, in quâ ultimam cœnam celebravit, & vinum generosius est, cæterum id non fuisse à Christo, nec esse à nobis præstandum, in quibus ad communes mensas vinum aqua non temperatur eo quod aut regiones ipsæ frigidiores sint, aut vina debiliora: ut ex Luthero præsertim, Richero, & Kemnitio refert Bellarminus in controvers. *tom.* 3. *lib.* 4. *de Sacram. Euchar. cap.* 10. Eadem secunda asserti pars quatenus astruit Ecclesiasticum tantum non divinum prædictum præceptum, controvertitur etiam inter Catholicos, & est contrà Stanislaum Hosium in confessione catholicâ *cap.* 14. Alphonsum de Castro *lib.* 6. *advers. hæres. verbo Eucharistia hæres.* 7. Valentiam *disp* 6 *quæst.* 2. *punct.* 1. Alanum *lib.* 1. *de Eucharistia cap.* 13., aliosque nonnullos, & à fortiori Armacanum, de quo suprà. Tradunt verò cum postremâ hâc parte totum assertum D. Thomas hic *quæst.* 74. *art.* 7. & & 8. Scotus *in* 4 *dist.* 11. *quæst.* 7. Durandus *ead. dist. quæst.* 5. Argentinas *quæst.* 2. *art.* 1. Estius *dist.* 8. §. 10., & iisdem circiter locis Thomistæ, Scotistæ, Recentioresque communiter.

58 Probatur prima pars, quia quantum ad rationem potus usualis perindè est quod vinum sit merum, vel modicâ aquâ mixtum, nec unum ab alio specie aut morali, aut physicâ differt, cum modica aquæ mixtio vinum nec corrumpat, nec in speciem aliam transferat: ergò quantum ad necessitatem Sacramenti perindè est &c. ut à fortiori constabit ex eo, quod mox probabitur, vinum sine aquæ mixtione esse materiam minùs congruam, & prohibitam, cum mixtione verò esse materiam congruentiorem quidem, & præceptam, at præcepto solùm ecclesiastico, ac humano: neutrum igitur est de necessitate Sacramenti, quia quod tale est, nequit aut prohiberi, & non requiri ad Sacramentum, aut requiri ex solo præcepto humano. Confirmatur singillatim quoad aquæ mixtionem, quod de necessitate Sacramenti non sit: Florentinũ sæpiùs memoratum assignans Eucharistiæ materiam non assignat vinum, & aquam, sed vinum, cui aquâ miscenda est: ergò hanc non requirit ut partem materiæ, & eodem modo quo vinum, nec ut necessariam necessitate Sacramenti sicut vinum. Optimè quoque veritatem hanc comprobat ratio D. Thomæ *praecit. art.* 7. *in c.* quatenùs significatio propria, & essentialis Sacramenti Eucharistiæ respicit tùm Corpus, & Sanguinem Christi, tùm gratiam per modum

Quò ad necessitatem Sacramenti perindè est, quod vinum purum sit aut aqua mixtum,

dum spiritualis refectionis, nullum autem ex his significat aquæ mixtio, sed aliquid diversum, nimirum, ut insinuat Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 7. effusionem aquæ cum sanguine ex Christi latere, & unionem populi, seù Ecclesiæ cum Christo, quæ significatio sicuti non est essentialis Sacramento, ità nec debet censeri de necessitate, seù essentiâ Sacramenti aquæ mixtio. Nec refert, quòd Ciprianus videatur oppositum docuisse, dum in ordine ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum comparavit aquam vino, & mixtionem aquæ cum vino respectu sanguinis ad mixtionem aquæ cum farinâ triticeâ respectu corporis. Non refert inquam, quia vel cum D. Thomâ *præcit. art.* 7. *ad* 1. aliisque magis communiter Cypriani comparatio intelligenda est procedere solùm in ordine ad congruentiam, & necessitatem præcepti, non etiam in ordine ad essentiam, & necessitatem Sacramenti, quod est idem, ac dicere procedere secundum quid, non simpliciter. Vel cum Lugo *disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 19. (vbi nonsolum refert verba Cypriani, sed & subdit verba quædam Julii I. illis Cipriani affinia) & nonnullis alijs sentiendum est, Cyprianum nihil ex proprio sensu de aquæ necessitate protulisse, sed loquendo ad hominem contrà Aquarios solam aquam consecrantes intendisse docere esse necessarium vinum eo planè modo, quo Aquarij (licèt falsò) putabant esse necessariam aquam.

59 Occurritur verbis Cypriani pro necessitate vini aquæ mixti.

60 Quòad necessitatem præcepti vinû consecrandum debet esse aqua mixium.

Probatur secunda pars ex pluribus pervetustis tùm summorum Pontificum, tùm Conciliorum decretis, quorum meminit Estius *præcit.* §. 10. Nobis sufficiant expressa verba duorum Conciliorum magis recentium Florentini scilicèt, & Tridentini, nam Florentinum *in litteris unionis Armenorum* postquàm docuit ab Apostolorum tempore semper fuisse in omni Ecclesiâ servatum ritum miscendi aquam vino antè consecrationem, ità concludit: *Decernimus igitur, ut etiàm ipsi Armeni, se cum universo Orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino:* Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 7. ità habet: *Monet deindè sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent:* Quæ utraque auctoritas non solum præceptum evincit, sed & ecclesiasticum esse suadet, nam Tridentinum expresse ait *præceptum esse ab Ecclesiâ*; Florentinum verò dum decernit, quod Armenii vinum aquâ misceant, ut se cum toto orbe christiano conforment, nec ab universali Ecclesiæ observantiâ discrepent, insinuat se non agnoscere præceptum plus quàm humanum, & ecclesiasticum; nec benè dissimulasset, si agnovisset præceptum divinum, quod erat pro Armeniis reprehendendis, & coercendis validius.

Tale præceptum ecclesiasticum est, non divinum.

61

Dices, aliqua præcepta esse simul ecclesiastica, & divina, tale esse illud, de quo agitur, de quo propterea ex eo, quod probetur esse ecclesiasticum, malè infertur non esse divinum. Sed contrà: Præcepta, quæ sunt simul ecclesiastica, & divina, ab Ecclesiâ, & à Christo non solent simpliciter, & absolutè dici esse ab Ecclesiâ, ut tamen dicit de nostro præcepto Tridentinum; non solet item in iisdem reticeri ratio divini, quando maximè facit ad rem, ut maximè faciebat ad rem, & intentum Florentini, quod propterea, dum illam reticuit, jure censetur non agnovisse, & implicitè negasse. Accedit, quod præceptum divinum sivè seorsim, sivè simul cum ecclesiastico non debet induci sine sufficienti auctoritate, & necessitate, quæ non habetur pro præcepto de aquâ vino miscenda.

62 Fundamenta, & auctoritates pro præcepto divino.

Urgebis, dicendo nec necessitatem, nec auctoritatem deesse, sed haberi primò ex institutione, & facto Christi Domini, qui, in ultimâ cœnâ vinum consecrandum aquâ miscuit, ut fert communis sententia, quam veriorem, & ferè certam vocat Suarez *disp.* 45. *sec.* 2. §. *Verior tamen.* catholicam, & ab Ecclesiâ definitam censet Vasquez *disp.* 177. *cap.* 2. *num.* 8. contrà Valdensem *lib. de Sacramental. tom.* 3. *cap.* 32. defendentem Christum consecrasse in vino puro, & Durandum *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 5. *num.* 5. judicantem satis incertum, utrùm Christus aquam miscuerit in principio totius cœnæ, an posteà dum incæpit Eucharistiæ mysterium. Secundò ex Conciliis Carthaginensi III. Aurelianensi IV. Vormatiensi, Affricano, & Trullano statuentibus in sacro Mysterio omninò esse aquam vino miscendam, eo quod sit divina traditio, mandatum Salvatoris, institutio Christi &c., ut videre est in verbis singulorum Conciliorum relatis à Lugo *præcit. sect.* 2. Tertiò ex D. Cypriano *Epist.* 63. expressè dicente vini, & aquæ in calice conjunctionem doceri à Christo exemplo magisterii sui, & præcipi, & ad illam etiam referri verba ejusdem Christi *Hoc facite in meam commemorationem*; undè & Justinus *Apolog.* 2. *ad Antoninum* de ritu Eucharistiæ mixtionis aquæ, & consecrationis ait *Apostoli enim in commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur ità sibi Christum præcepisse tradiderunt.* Sed contrà: Instantia in primis nimis probat, probat scilicèt aquæ mixtionem esse de necessitate sacramenti, de tali enim necessitate est, quidquid est necessarium ex Christi institutione, nec facilè in proposito assignabitur, per quid differat Christi institutio à Christi præcepto, & quid Christus, quando voluisset aquæ mixtionem reddere de necessitate sacramenti, debuisset præstare ampliùs, quam eam ipse adhibere in sacramento conficiendo, & adhibendam præcipere. Deindè respondeo ad singulas probationes in particulari.

63 Si quid probant, nimis probant.

Ad primam libenter concedo, & simpliciter assevero Christum vino consecrando aquam miscuisse; at non omnia, quæ Christus fecit facienda præcepit, & aliqua ipse in sacramentorum institutione servavit, quæ arbitrio Ecclesiæ determinanda, & præcipienda reliquit, ut solemni, opportunoque exemplo constat in pane azymo, in quo ex

Occurritur singulis in particula:i.

ico, quod Christus consecraverit, arguitur major ipsius, quàm fermentati congruentia, at non sacramenti aut præcepti divini necessitas; sic ex eo, quod Christus vinum aquâ pro consecratione miscuerit, ultrò fatemur argui majorem vini aquâ mixti, quàm puri congruentiam, at nihil ampliùs, & ecce obiter partim ex Christi facto, partim ex duplici significatione, de quâ suprà *num.* 58. tres præcipuas congruentiæ rationes, ob quas Ecclesia mixtionem aquæ præcepit; sunt & aliæ ejusdem mixtionis rationes minùs præcipuæ, quas videre est apud Bellarminum *præcit. cap.* 10.

64 Ad secundam communis, & trita responsio est, in præmemoratis Conciliis, sicut & in aliquibus Patribus aquæ ad vinum pro Eucharistiâ mixtionem dici esse ex traditione Dominica, ex mandato Salvatoris, quatenùs est ex traditione, & præcepto, solius quidem Ecclesiæ, fundatis tamen in exemplo Christi Domini, & facto Salvatoris: Item quatenùs traditio divina, vel ordo divinitùs traditus, ut habetur in Trullano, sumi potest non pro præcepto, sed pro dispositione divinæ providentiæ. Respondetur quoque aliter, nimirùm Concilia tantùm intendisse, quod sit de necessitate divini præcepti, imò & Sacramenti, aquam non consecrari solam, aut mixtam alteri liquori à vino, pura lacti, oleo &c., & nihil amplius significasse dicendo aquam debere misceri vino: Hæc responsio non est quidem adeò trita; si tamen, ut contendit Lugus *præcit. sec.* 2. optimè consonat omnibus præmemoratis Conciliis præterquàm Trullano, plausibilis est, & non contemnenda.

65 Ad tertiam Vasquez *disp.* 177. *cap.* 3. *nu.* 20., & Lauræa *præcit disp.* 18. *art.* 4. *nu.* 88. admittunt Cyprianum fuisse quò ad hanc in sententiâ oppositâ: Reliqui magis communiter benignè adhibent ei eamdem, quam Conciliis, explicationem: imò Lugus ex intento illius Epistolæ contrà Aquarios conscriptæ, & ex argumentis, quibus intentum suum Cyprianus probat, infert non debere, nec posse Cyprianum intelligi nisi juxtà præcedentem secundam responsionem, quod scilicèt dicendo mixtionem aquæ esse ex magisterio, & præcepto Christi nil aliud intendere, quam ex Christi institutione, & præcepto excludere aquam puram.

66 *Quando, & à quo impositum fuerit præceptum de aquâ vino consecrando miscendâ?*

Stabilito præcepto hocque ecclesiastico de aquâ vino miscendâ, si quæratur à quonam tempore, & ex cujus impositione in Ecclesiâ cœperit? Duo sunt certa: Primum est cœpisse saltem ex impositione, & tempore Alexandri I. in lectione quippe, quæ de ipsius vitâ legitur in Breviario Romano die 3. Maii, habetur *Vinum autem aquâ misceri jussit*: Certum est secundò ritum, & consuetudinem talis mixtionis cœpisse à tempore Apostolorum, sit enim ipsius mentio in Liturgia Iacobi, & Alexander I. *epist.* 14. *cap.* 4. docens non decere aut vinum solum aut aquam solam offerri ait. *Ut à Patribus accepimus*: Utrùm deindè talis consuetudo ab Apostolorum tempore cœperit sub obligatione, & præcepto ab ipsis Apostolis sancito, quod posteà Alexander solum confirmaverit, & primus scripto tradiderit? an sine obligatione, & fortè etiam processu temporis in desuetudinem abierit, Alexander verò non solum consuetudinem instauraverit, sed & sub obligatione esse voluerit, præceptumque nondum anteà traditum, primus imposuerit? incertum est: & problematicè sentit Arriaga *disp.* 30. *sec.* 3. *num.* 15. partem verò affirmativam præferunt Suarez *disp.* 45. *sec.* 2. §. *Secundum dubium*. Lauræa *præcit. art.* 4. *num.* 90., & alij plures. Certè autem sivè ab Apostolis, sivè solum ab Alexandro I. emanarit, præceptum aquæ vino miscendæ grave est; & sub lethali, & licèt ratione modicitatis aquæ videatur posse esse suspicio obligationis dumtaxat sub veniali ex parvitate materiæ, quia tamen cæremonia gravis, & significatio magni momenti est, liquet non posse sine lethali omitti extrà casum necessitatis; & hic non videtur assignabilis alius sufficiens, nisi ne relinquatur sacrificium mutilum, sicuti hic solus sufficit, ut liceat consecrare sine sacris vestibus, sine prævio jejunio, aut in materiâ validâ quidem, sed non congruâ aut non certâ, ut est ex dictis vinum acescens, panis farraceus &c. Vide Vasquium *disp.* 177. *cap.* 2. *num.* 16.

67 *Brevis enumeratio modi, & conditionum quibus prædicta mixtio facienda est.*

Multa hic occurrerent de assertæ mixtionis modo, & circumstantiis expedienda; & signanter quæ, qualis, quanta, quo tempore, in quo loco, & à quâ Persona debeat aqua vino consecrando misceri, seù imponi? Proferam cursim quid de singulis sentiendum sit, nec morabor in afferendis probationibus aut solvendis rationibus dubitandi, quæ non nisi leves esse possunt: dico igitur talem aquam debere esse naturalem: nullâ extraneâ qualitate reverentiæ sacramento debitæ incongruâ affectam: in modicâ quantitate servatâ ad vinum proportione; & Lugus *præcit. sec.* 2. *num.* 38. censet posse sine scrupulo apponi sextam, vel etiam quintam vini partem; debere misceri nec domi, nec in dolio, sed in loco, & tempore sacrificii circà missæ initium, & ante oblationem, in calice, in quo facienda est consecratio; à Sacerdote celebrante in Missis priuatis, à Subdiacono ex Sacerdotis celebrantis commissione in missis solemnibus. Quæ & similia ex Missalis rubricis, & ex Auctoribus super tales rubricas, sacros ritus, & liturgias conscribentibus magis, quàm ex Theologis sivè scholasticis, sivè etiam moralibus petenda.

§. IV.

§. IV.

An, & quomodò Aqua vino consecrando infusa, ac immixta convertatur in sanguinem?

68

Aqua vino consecran do immixta neque transit in aquam de Christi latere effusam, neque remanet in propria specie.

ASSERT. I. Aqua vino consecrando infusa, ac immixta neque convertitur per consecrationem in aquam, quæ de Christi latere fluxit, neque remanet per se loquendo post consecrationem in specie, & substantiâ propriâ accidentibus vini circumfusa: est assertum quò ad utramque partem receptissimum, & pro opinione primæ parti oppositâ Vasquez *disp.* 178. *cap.* 1. *num.* 1. testatur se nullum invenisse Auctorem ex iis, qui usquè ad ipsius tempora prælo sua scripta mandaverant, quin neque pro opinione oppositâ secundæ parti invenio Auctorem ullum nominatim referri præter Cardinalem Jacobum à Vitriaco apud Ectium in libro orationum theologicarum *orat.* 16., & quidem Jacobus à Vitriaco extitit Innocentii III. tempore, quo non dubitatur inter Scholasticos viguisse tùm opinionem de aquâ manente in propriâ specie, tùm aliam de aquâ transeunte in aquam, quæ de Christi latere exiit; utramque enim opinionem refert ipse Innocentius in cap. *Cum Martha*, extra de celebratione Missarum, & licèt neutram damnet, sed solùm dicat probabiliorem esse opinionem docentem aquam cum vino transire in sanguinem Christi; Nihilominùs saltem opinio de aquæ in aquam transitu nequit carcere gravi notâ, & censeri potest etiam aliqualiter damnata ab eodem Pontifice, dum in cap. *In quadam* eodem titulo rejicit tamquam absurdam erroneam, & veritati catholicæ contrariam sententiam de aquæ transitu in humorem aqueum, seù phlegma, quod non aqua naturalis secundùm hanc sententiam de Christi latere fluxit: dixi, *aliqualiter* nam illud, quod ibi Innocentius directè damnat, est phlegma, humoremvè phlegmaticum, non veram aquam naturalem de Christi latere exiisse: Hincque obiter sententia de conversione acquæ in plegma remanet singillatim rejecta tamquàm duobus præmemoratis, & mox improbandis deterior ex eo, quod nitatur supposito falso, & fidei contrario.

Censura, & judiciū opinionū oppositarum;

Sicut, & opinionis de transitu ejusdem aquæ in phlegma.

69

Probatur prima asserti pars: Materia calicis, sivè sit vinum sivè aqua vino mixta, per consecrationem convertitur in id, quod per verba calicis consecratoria significatur, & ad Christum in propria specie existentem pertinet, quod enim convertitur per consecrationem, convertitur vi verborum, quæ operantur id quod significant, & per eamdem Christus ponitur quidem partim formaliter, partim concomitanter, totus sub speciebus, non tamen quidquam aliud præter ipsum; Atqui aqua quæ de aperto Christi latere fluxit, nec significatur per verba consecratoria calicis, neque pertinet ad Christum existentem in propriâ specie; ergo: Minor probatur quò ad primam partem, quia illa aqua non est sanguis, qui solus significatur per verba consecratoria calicis; quò ad secundam, quia illa aqua fuit aqua elementaris miraculosè producta; quâ elementaris non est de ratione corporis humani, præsertim gloriosi, ut est de facto illud Christi Domini; quâ miraculosè producta non est astruenda conservari in Christi corpore sine peculiari necessitate propter tritâ regulam non inducendi, nec extendendi sine necessitate miracula. Hoc bimembre argumentum primâ sui parte eamdem, quâ contra aquam elementarem, vim habet cōtrà humorem aquæum, seu phlegma, cujus jam meminimus, & cujus insuper suppositionem falsam, ac hæreticam notavimus: & verò cum in Evangelio Jo: 19. in terminis habeatur *exivit sanguis & aqua*, non nisi licentiâ, aut potius impudentiâ hæreticali potest contrà vim verborum, & communem Sanctorum Patrum intelligentiam nomen aquæ detorqueri ad significandum aqueum phlegmatis humorem; eâdemque licentiâ ibidem liberum cuique esset nomine sanguinis humorem alium sanguini apparenter similem, & sanguineo dumtaxat colore imbutum intelligere.

Aqua de Christi latere effusa fuit vera aqua elementaris.

Non aqueus humor phlegmatis.

70

Probatur secunda asserti pars, in quâ dixi *per se loquendo*, quia in aliquo particulari casu præter communem Ecclesiæ intentionem remanere aquam post consecrationem in propriâ specie admittunt quamplures apud Sylvium *hic quæst.* 74. *art.* 8. §. *eamdem hanc*. Imò ferè omnes Auctores sustinentes conversionem aquæ in sanguinem solùm mediatam, & secundùm istos casus evenit, quoties aqua, aut ex vini debilitate, aut ex brevitate temporis quo mixta est, aut aliundè nondùm conversa est in vinum, quando verba consecratoria proferuntur; Lauræa tamen *in* 4. *disp.* 18. *num.* 96. *&* 97. putat casum modicæ aquæ vino mixtæ, & in vinum non conversæ esse metaphysicum, nec posse naturaliter evenire, in hypothesi verò quod eveniret, & proferrentur verba consecratoria, mavult ista carere effectu, & etiam vinū tali aquæ mixtum remanere in propriâ substantiâ potius quàm transubstantiari vinum retinente propriam substantiam aquâ: Sed quidquid de iis sit, loquendo per se, & suppositâ vini transubstantiatione, non remanere secundùm propriam substantiam, & in propriâ specie aquam, probatur ex eo quia saltem per se loquendo totum quod est in calice consecrato est sanguis Christi, totum quippè designatur per pronomen *Hic* est sanguis in formâ consecrationis, totum proponitur populo adorandum, totum à Sacerdote sumitur sine violatione naturalis jejunii; Nec posset non mirum videri, quod Ecclesia sciens, aut probabile censens aquam non converti simul cum vino in sanguinem præciperet illam misceri vino consecrando, quamvis in propriâ specie permansuram, & tamen ad occurrendum periculo falsæ, aut signi-

71

Cur post consecrationem nō remaneat aqua in propria specie.

significationis verborum, aut adorationis populi, nec præceptum nec documentum ullum præberet, ut Sacerdos in prolatione verborum, & populus in adoratione calicis consecrati intentionem suam dirigeret non indiscriminatim ad totum mixtum in calice existens, sed solùm ad vinum, & ad id quod sub propriis ejus speciebus continetur: Nec minùs mirum foret, quod eadem Ecclesia distinctè præcipiat, ut Sacerdos jejunus celebret, & quoties permittit ipsum secundam Missam eâdem die celebrare, id permittat eâ conditione, quod servaverit in primâ Missâ jejunium non sumendo purificationẽ, & tamen ne verbum quidem faciat se dispẽsare in his casibus quò ad jejunium violatũ per sumptionem aquæ vino antè consecrationem appositæ, si existimaret hanc in propriâ specie post consecrationem remanere, ac per consequens naturale jejunium in eo, qui ipsam simul cum vini consecrati speciebus sumit, infringere.

71 Ex eo quod aqua vino consecrando apposita nec remaneat post consecrationem per se loquendo in propriâ specie, nec dum vinum transit in sanguinem, transeat ipsa in substantiam illam, quæ simul cum sanguine de Christi latere fluxit, multoque minùs in ullam aliam substantiam à Christi sanguine diversam; consequens ac perspicuum est converti in sanguinem, maximè verò controvertitur modus conversionis, mediatusne sit, quatenus aqua prius, quàm in sanguinẽ, convertatur in vinum, an immediatus, quatenùs conservetur & maneat propria aquæ substantia cum vino confusa, & permixta usque ad consecrationem, cujus vi totum mixtum æquè primò desinat tùm quò ad substantiam vini, tùm quò ad substantiam aquæ, & sub totius mixti accidentibus succedat substantia sanguinis. Priorem modũ

72 & conversionem solùm mediatam tradunt D. Thomas *hic quæst. 74. art. 8. in c. & in 4. dist. 11. qu. 2. art. 4. quæstiunc. 4.* Scotus *eâdem dist. quæst. ult.* & cum his Scholarum Antesignanis proprii utriusque Scholæ Alumni, ac præterea Suarez *hic disp. 45. sec. 4.* Valquez *disp. 178. cap. 2.* Amicus *disp. 16. sec. 2.* Ricardus *in 4. dist. 11. art. 3. quæst. 5.* Estius *præcit. orat. 16.* & post Innocentium III. tùm torrens Antiquorum, tùm major pars Recentium Scholasticorum. Posteriorem modum, & conversionem aquæ in Christi sanguinem, aut semper aut saltem in aliquibus casibus immediatam sustinent Cardinalis Alanus *lib. 1. de Euch. cap. 13.* Cardinalis Toletus *lib. 2. Summa cap. 25.* Cardinalis Lugus *hic disp. 4. sec. 3.* Dertonensis Episcopus Aresius *in opusc.* hâc de re edito, & *lib. 1. de Generat. disp. 7. quæst. 52.* Coninchus *tom. 1. de Sacram. quæst. 74. art. 8.* Præpositus *eâd. quæst. & eod. art. dub. unic.* Scortia *lib. 4. de Sacrif. cap. 1. num. 14.* Esparsa *lib. 10. quæst. 62. art. 4.* Madernus *quæst. 2. art. 3.* & plures alii non ignobiles Recentiores, apud quos & signanter apud Lugum *præcit. sec. 3. num. 48.* videre est etiam non paucos Sanctos Patres, quàmvis non ex professo, & fortè nec satis clarè loquutos.

73 Hic mihi antequàm ulteriùs progrediar duo observanda occurrunt, Primum est ex copiâ & conditione Auctorum pro quâlibet ex oppositis sententiis militantium benè argui utramque esse ab omni censuræ suspicione immunem, & neutram, aut ab Ecclesia definitam, aut aliundè certam; Unde displicet tũ quod Baronius *lib. 12. Annal.* in fine anni 1188. videatur affirmare, esse de fide immediatã conversionẽ aquæ in sanguinem, tũ quod ex adverso Ferchius apud Mastriũ *in 4. disp. 3. quæst. 4. num. 91.* contendat talem immediatam conversionem esse in fide periculosam, atque suspectam: item quod Estius *lib. præcit. orat. 17.* in principio appellet omninò veram & indubitatam opinionem de conversione mediatâ, hancque Sotus *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 6.* dicat Innocentium III. præcit. cap. *Cum Marthæ* docuisse ut certis-

74 simam. Secundum est, supposito quod aqua vino mixta convertatur in Sanguinem, quæ est res theologica, & apud Theologos ex dictis certa, modum conversionis mediatæ vel immediatæ plurimùm pendere à re physicâ & philosophicâ, idest à convertibilitate naturali aquæ in vinum, seù à virtute naturali vini ad convertendam in se aquam, neque enim ullus, ut reor, ad sustinendam mediatam aquæ conversionem in sanguinem affirmavit, aut affirmabit fieri miraculosam ipsius præconversionem in vinum, & supernaturali Dei virtute elevari, augeri, suppleri virtutem vini naturalem aquę in se convertendæ imparem: Porrò pro hâc naturalis virtutis imparitate, seù pro naturali aquæ in vinum inconvertibilitate stant plures egregii Philosophi validis rationibus, & insignibus experientiis suffulti, quibus mox obiter in primâ assertipaite adhærebimus.

Assert. 2. Quod aqua vino consecrando infusa, ac immixta priùs convertatur in vinum quàm in sanguinem est philosophicè minùs probabile, & quantùm ad præsentem quæstionem theologicam accidentale: Est quippè theologicè probabilius ex vi institutionis Christi aquam vino immixtam posse per se immediatè converti in sanguinem, & de facto immediatè converti, quoties non invenitur præconversa in vinum, sivè præconversa non inveniatur per se & semper, ut nos censemus, sive solum per accidens, & in aliquo particulari casu, ut solent eam nõ præconversam admittere etiam Auctores defendentes naturalem ipsius convertibilitatem. Breviter: Aqua vino mixta per se loquendo convertitur ex vi consecrationis immediatè in sanguinem Christi, & præconversio in vinum, si detur, est ei accidentalis, & non necessaria ad conversionem in sanguinem. Auctores hujus Asserti tùm Patronos tùm Adversarios habes *præced. num. 72.*

75 Probatur prima pars: Quod aqua universim loquendo sit naturaliter, seù naturali virtute vini convertibilis in vinum est philosophicè minus probabile, probabilius verò quod sit naturaliter inconvertibilis atque ut præmisi, aqua vino consecrando infusa si

Aqua non est naturaliter convertibilis in vinum.

in ipsum convertitur non miraculosè, sed naturaliter convertitur; ergo quod aqua vino consecrando infusa &c. Major probatur. naturalis virtus vini attenditur penes accidentia ipsius vel formalia, vel virtualia: atqui per neutra aqua est in vinum convertibilis, per neutra scilicèt potest ad formam vini ultimò disponi: Non per accidentia formalia, quia ista vel sunt qualitates primę vel secundæ; qualitates secundæ non sunt activæ: qualitates primæ vini non sunt contrariæ illis aquæ; & licèt vinum utpotè mixtum habeat aliquem formalem calorem, hunc habet adeo remissum, ut non sufficiat ad aquæ corruptionem: Non per accidentia virtualia, scilicèt per virtualem calorē, quia iste non agit, nisi excitetur à calore vitali, & producat calorem formalem, in aquâ autem nec invenit calorem vitalem, à quo excitetur, nec producit umquàm calorem formalem. Accedit quod non solum elementum ex genere suo difficillimè

76

convertitur in mixtum, undè ad viventis nutritionem non inservit, sed insuper ex unâ parte aqua inter elementa maximè resistit conversioni, & tenacissimæ naturæ est, adeò ut vix possit corrumpi ab igne sibi maximè contrario, & maximè activo, quin ab isto in vapores resoluta adhùc retinet propriam naturam, & vapores illos excipiēdo, ut in alembyco fit, tota prior aqua iterùm habetur: ex aliâ parte vinum inter mixta maximè improportionatum est ad convertendum in se aliquid aliud, elaboratur enim à vite virtute vitali, sicut sanguis in homine, nec videtur posse allo modo naturaliter generari, undè sicut sanguis extrà venas, ità vinum extrà uvas non videtur posse in se convertere aquam, aliamvè substantiā. His rationibus addunt robur experientiæ, quibus aqua à vino, cui infusa fuit, extrahitur: Nec juvat dicere, illud, quod extrahitur, non esse aquam elementarem antecedenter infusam, sed humorem aqueum vini potis inclusum: Non juvat, inquam, quia si vinum non convertit in se hunc humorem aqueum, cur convertet aquam elementarem? aut si elementarem aquam, cur non aqueum humorem?

77

Probatur secunda pars, quod nimirùm *sit, theologicè probabilius ex vi institutionis Christi &c.* porrò particulæ aliæ intermediæ, quibus dicitur esse ad præsentem quæstionem theologicam accidentale, quòd aqua vino consecrando immixtâ priùs convertatur in vinum, explicatæ, ut probatæ remanebunt ex hâc ipsâ secundâ parte, quæ nunc probanda assumitur, & probatur sic: Aqua vino mixta, quæ in vinum physicè non conversa supponatur, est materia consecrationis calicis æquè, ac si supponatur conversa physicè in vinum; hocque si non est certum, est saltem theologicè probabilius: ergo est theologicè probabilius ex vi institutionis Christi aquam vino immixtam &c. Consequentia patet, probatur antecedens: Materia consecrationis calicis est vinum usuale; quod scilicèt apud omnes habere solet in mensis nomen & usum vini: at aqua (modica ut supponitur) mixta vino, quæ non conversa physicè in vinum supponatur, est vinum usuale æquè ac si supponatur physicè conversa; nam vinum usuale dividitur in purum, & lymphatum, sicut panis usualis in azymum, & fermentatum; vinum autem lymphatum est, quod aquam sibi effusam in se physicè non convertisse supponitur æquè ac illud quod supponitur convertisse, imò ex vi significationis vocum vinum lymphatum, vinum aquâ mixtum, denotat vinum simul & aquam, at ubi aqua est in vinum physicè transmutata, non est amplius vinum & aqua: Deindè statim ac aqua vino affusa est, dicitur vinum lymphatum æquè ac post aliquam moram, & tamen si in vinum physicè convertitur, post aliquam moram, non statim, convertitur: Tandem Christus Dominus, de quo non dubitatur, quin in vino usuali consecraverit censetur consecrasse statim post aquam vino affusā, ac per consequens antè ipsam in vinum physicè conversam: ergo ex facto Christi Domini evincitur vinum, cui aqua infusa est, etsi non in vini substantiam transmutata, esse vinum lymphatum usuale. Confirmatur ex modo loquendi plurium Sanctorum Patrum apud Lugum. *præcit. sec. 3. num. 48.* dicentium vinum & aquam consecrari, in sanguinem transmutari, antè Christi verba in calice existere, magis autem propriè dicitur vinum & aqua illud, in quo aquæ substantia simul cum vini substantiâ permanet, quàm in quo substantia aquæ desiit, & transiit in substantiam vini, magis item perfectè magisque cohærenter verificatur vinum, & aquam consecrari, ac in sanguinem transmutari, si id de utroque verificetur uniformiter, & immediatè, quàm si difformiter, & immediatè de uno, mediatè de altero: ergo rationibus ex Christi institutione deductis, & Patrum auctoritatibus redditur theologicè probabilior immediata convertibilitas, qualis asserta est.

Et vino mixta sivè supponatur in vinū conversa, sivè non, est materia Calicis, & convertibilis in sanguinem Christi.

78

Dices primò nostra argumenta nimis probare, & quatenus aliquid non nimium probent, suadere assertam opinionem esse aliqualiter probabilem, at non probabiliorē opposità sustinente conversionem aquæ solùm mediatam, & prius necessariò in vinum quam in sanguinem: Probatur prima instantiæ pars, quia nostra argumenta probarent aquam esse de necessitate Sacramenti æquè ac vinum, illud enim quod requiritur ut materia, est de necessitate Sacramenti, & si aqua æquè ac vinum convertitur immediatè in sanguinem, non est, cur non sit æquè ac vinum ad consecrationem necessaria: Probatur item secunda pars, quia opinio opinioni à nobis assertæ opposita declaratur probabilior ab Innocentio III. præcit. cap. *Cum Martha*, & in Catechismo Romano *tract. de Euch. cap. 4.* dicitur simpliciter esse sententia Ecclesiasticorum Scriptorum, quando autem ex duabus opinionibus oppositis una declaratur probabilior, & Ecclesiasticorum Scriptorum judicio absolutè firmata,

79

mata, potest altera remanere aliqualiter probabilis at non probabilior ipsa quoque, ut per se patet. Sed contrà:

80

Ad primam instantiæ partem dico materiam Sacramenti aliam esse necessariam, aliam sufficientem, & aquam sumi posse vel seorsim, & secundùm propriam rationem præcisè, vel ut mixtam vino, & secundùm rationem vini usualis: Porrò nostra argumenta nimis probarent, si probarent aquam aut esse materiam necessariam, aut esse materiam sufficientem seorsim, & secundùm propriam rationem, sic quippè ex primo capite concluderent esse de necessitate Sacramenti, ex secundo esse de tali necessitate æquè ac vinum, at neutrum ex illis probant. sed solùm aquam ut mixtam vino, & secundùm rationem vini lymphati esse materiam sufficientem, sicque non est de necessitate Sacramenti, quia de tali necessitate non est materia sufficiens, ut patet in peccatis venialibus respectu Pœnitentiæ, in pane fermentato respectu Eucharistiæ: Non est necessaria aut potius sufficiens æquè ac vinum, quia vinum est materia sufficiens etiã ut non mixtum, aut delibutum aquâ, & secundùm propriam præcisè rationem, idest secundùm rationem vini meri.

Aquæ est materia calicis non necessaria, sed sufficiens, & est talis, ut mixta vino, non secundum se.

81

Expenditur auctoritas Innocentii III. pro conversione aquæ in vinum prius quam in sanguinem

Ad secundam instantiæ partem expedit Innocentii auctoritatem, quæ Adversariorũ Achilles est, aliquantulùm expendere, & plura ex textu verba in medium proferre; Innocentius igitur III. de quæstione in quã nunc versamur consultus ab Archiepiscopo Lugdunensi cap. *Cum Martha* de celebratione Missarum hæc habet: *Quæsivisti, utrùm aqua cum vino in sanguinem convertatur? Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quòd cum à latere Christi duo præcipuè fluxerint Sacramenta, redemptionis in sanguine ac regenerationis in aquâ, in illa duo vinum, & aqua, quæ commiscentur in calice, divinâ virtute mutantur, ut in hoc Sacramento plenè sit veritas, & figura: Alii verò quòd aqua cum vino transubstantietur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino* (& nonnullis interpositis) *Præterea potest dici quòd aqua non transit in sanguinem, sed remanet, prioris vini accidentibus circumfusa* (& infrà concludendo ait) *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut expressius eluceat proprietas Sacramenti, nam cum aquæ multæ sint populi multi, ideò vino aqua unitur ut Christo populus adunetur.* Ecce inquiunt Adversarii Innocentius probabiliorem declarat opinionem inter tres relatas secundam, quæ affirmat aquam vino mixtam in vinum transire: & ne dicatur non quò ad hanc partem, sed solùm quo ad alteram, quod aqua cum vino transubstantietur in sanguinem, procedere majoris probabilitatis declarationem, addunt alium clariorem textum *ex lib. 4. de Altaris mysterio cap 31.* ubi Innocentius cum sibi pariter proposuisset quæstionem, de quâ nunc agimus, respondet sic: *Quibusdam verò non absurdum videtur, quòd aqua cum vino transit in sanguinem, eâ videlicet ratione quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem. Quis enim ambiget aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* Quo textu nihil potest esse clarius, & ex postremis verbis constat Pontificem ex propriã sententiã loqui, quod est in primis ambiguum propter ly *Quibusdam verè*.

82

83

Expenditur eadem auctoritas pro conversione immediata aquæ in sãguinem.

Sic pro se expendunt Innocentii textum Adversarii, at nec desunt quæ pro nobis expendamus; & primò dum probabilior judicatur opinio, *quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari* expendo in ly *aquam cum vino* significatum particulæ *Cum* de qua Aristoteles *6. Topic. cap. 6.* ait *Qui hoc cum illo assignavit, hoc & illud, aut quod ex ipsis assignavit*, & Concilium Ephesinum *can. 6.* dicentes hominem assumptum; & Deum esse adorandum tamquàm alterum cum altero existentem damnat ex eo, quod tali modo loquendi importetur dualitas, & distinctio suppositorum, idemque sit *alterum cum altero*, ac *alterum, & alterum*, & ait *Hanc enim intellectum particula*, Cum adjecta, perpetuò ac necessariò afferre consuevit. Secundò expendo in illâ declaratione probabilioris opinionis non solùm reticeri rationem desumptam ex transitu aquæ in vinum, sed afferri rationem aliam deductam ex unione aquæ cum vino; & significatione unionis Ecclesiæ cum Christo. Tertiò expendo in verbis relatis ex libro de Alt. Myst non dici absolutè aquam transire in vinum; sed transire *per admixtionem*, quod est ipsam fieri vinum mixtione, non specie, moraliter non physicè. Ecce igitur Innocentium attentiùs expensum pro nobis potiùs, quam pro Adversariis stare; & opinionem quam probabiliorem judicat, esse eam, quam nos asserimus, non quam astruunt Adversarii. quin & possumus *ex eod. lib. 4.* intentum nostrum confirmare; quatenùs *cap. 11.* videtur supponi immediata conversio aquæ in sanguinem, & permanentia specierum ipsius in vinum non conversæ in calice, dum dicitur. *In Sacramento est trinitas specierum, scilicèt panis, vinum, & aqua.*

84

Explicatur eadem auctoritas independenter à præmissis expensionibus.

Ex Innocentio sic in utramque partem expenso constat saltem Adversarios non posse ex ipso contrà nos sumere ullum efficax argumentum: quod si hujusmodi expensiones subtiliores videantur, & contentiosæ, potest omni expensione, & contentione omissâ, pluraque Adversariis permittendo res expediri, si vel textus explicetur de aquæ in vinum transitu morali, non physico, vel dicatur opinionem de conversione aquæ in sanguinem mediatâ, & prius in vinum declarari ibi probabiliorem dumtaxat comparativè ad duas alias opiniones *ibid.* relatas; non verò omninò absolutè, nec comparativè ad opinionem de conversione immediatâ aquæ in sanguinem; quæ eo loco non refertur, & fortè eo tempore non vigebat aut certè ad Pontificis notitiam

 non

non pervenerat; & conversionem immediatam aquæ in sanguinem esse, ut nos asserimus, probabiliorem conversione mediatâ, benè cohæret cum eo, quod Pontifex declaraverit conversionem mediatam esse probabiliorem, quàm ejusdem aut conversionem in humorem de Christi latere effusum, aut permanentiam in propriâ substantiâ.

85

Occurritur auctoritati cathechismi Romani;

Ad illud, quod addebatur ex Catechismo Romano, cujus verba sunt *Sacerdotibus animadvertendum est, quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhiberi oportet; sic etiam modicam infundendam esse, nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ, & judicio aqua illa in vinū convertitur*, dico hujusmodi verba Catechismi quamvis editi jussu Pii V. non esse, nec continere ipsius definitionem, & quando etiam intelligantur de conversione physicâ, nihil aliud evincere quam ità sensisse eos, qui Catechismum composuere, & plures alios Ecclesiasticos Scriptores, quorum sensus, & consensus sufficit ad reddendam opinionem nostræ oppositam probabilem, at non nostrâ probabiliorem: Quod si placeat aliquid ampliùs Catechismi auctoritati tribuere, intelligito ly *convertitur* de conversione morali, non de physicâ; & benè conversio etiam solum moralis affertur pro ratione modicæ aquæ infundendæ, quia si aqua vino infusa multa sit, & prædominans, nequidem moraliter transit in vinum, & vel physicè vinum corrumpit, vel certè sivè corrumpat, sivè non potatur per modum loræ, non per modum vini usualis, nec est vinum lymphatum, sed lympha, ut ita dicam vinata, non vinum aquâ delibutum, sed aqua vino intincta.

86

Dices secundò: ex Florentino sæpiùs memorato materia calicis est vinum de vite, cui modica aqua miscenda est; atqui aqua quomodocumque vino mixta semper remanet per nos essentialiter, ac substantialiter aqua, ergo numquàm est vinum de vite, & materia calicis; quin ex modo ipso loquendi Concilium contradistinguit aquam à materia calicis, & quando intendisset docere illam simul cum vino esse materiam, assignasset pro ista vinum, & aquam, non vinum cui miscenda sit aqua. Confirmatur ex eo, quod Tridentinum *sess. 13. can. 2.* explicando transubstantiationem ait esse *conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*, de conversione autem substantiæ aquæ, & permanentiâ specierum ipsius nil profert: & *can. 3.* statuit *Sub unaquâque specie, sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri*: Quis autem dicat separatis post consecrationem, ut separari per nos possunt, speciebus aquæ à speciebus vini, remanere sub illis Christum? Sentiendum est igitur species aquæ in calice consecrato non reperiri, sed illas in species vini, & aquæ substantiam in substantiam vini antecedenter transiisse. Sed contrà: Concedo

87

majorem, distinguo minorem, aqua sumpta secundùm suum esse simplex, & propriam præcisè entitatem remanet essentialiter, ac substantialiter aqua concedo; sumpta secundùm esse complexum, & ut per mistionem unita, ac per quamlibet minutissimam sui partem minutissimis partibus vini conjuncta, est essentialiter & substantialiter aqua subdistinguo, physicè & inadæquatè concedo, moraliter & adæquatè nego: hâc quippè ratione cum habeat nomen, & usum vini, vinum est, & quidem de vite; ly enim *de vite* ponitur ad excludendum vinum, quod de fructibus aliarum arborum sit, non quod partialiter ex aquâ sibi mixta coalescat, & quando vinum de vite rigidiùs sumeretur pro eo solo, quod se toto de vite generatur, etiam vinum, in quod aqua physicè conversa sit, non erit vinum de vite, sed vinum de vino de vite, aut de aquâ, hincque vinum à Christo miraculosè productum in nuptiis, aut aliud simile non esset materia consecrabilis, ut tamen ab omnibus esse censetur: Ad illud, quod inferebatur ex modo loquendi ipsius Concilii, dico ex tali locutione nihil aliud benè inferri, quàm aquam non esse de necessitate sacramenti, & materiam necessariam, sicut est vinum, quod jam explicatum est *præced. num. 80.* Ad primam auctoritatem Tridentini pro confirmatione adductam dico inprimis esse negativam, & parùm probare, dico insuper ibi vini nomine intelligi vinum usuale à puro, & lymphato abstrahens, & quià substantia, & species vini lymphati includunt substantiam, & species aquæ sibi mixtæ, quod Tridentinum dixit explicitè de vino, dixit implicitè de aquâ ei mixtâ, sicut universim, quod dicitur explicitè de toto, & includente, dicitur implicitè de parte, & de incluso: Ad secundam ejusdem Tridentini auctoritatem dico sensum ipsius esse, quod ex vi separationis præcisè Christus non desinat esse sub singulis speciebus separatis; at si species, dum separantur, desinant esse species panis, vel vini, utique desinet esse sub illis Christus, qui sub solis speciebus panis, & vini sacramentaliter existit, desinet verò non ex vi separationis præcisè, sed ex vi mutationis, ut ità dicam, substantialis in ipsis speciebus: In proposito species aquæ post consecrationem separatæ à speciebus vini desinunt esse species vini usualis, ut erant anteà, & remanent species aquæ præcisè; ideò desinit esse sub illis Christus, & ponitur substantia aquæ, at non præcisè per hoc, quod fuerint separatæ, sed per hoc quod in separatione statum substantialiter suo modo mutaverint.

Occurritur auctoritatibus Conciliorum, Florentini,

88

Et Tridentini,

Dices tertiò: Aqua rosacea, oleum, lac, aliique liquores, qui non sunt materia consecrationis se solis, & seorsim à vino, per hoc quod vino in modicâ quantitate misceantur, non evadunt consecrabiles, nec in sanguinem immediatè convertibiles, & quoties antè consecrationem non convertantur in vinum, remanent post consecrationem in propriâ substantiâ, ergo idem sentiendum de aquâ naturali. Sed contrà:

89

Con-

Aqua rosacea, aut alius liquor etsi vino misceatur, non convertitur per consecrationem in sanguinem.

Concedo antecedens, nego consequentiam, disparitas facilis est, quia usus obtinuit, ut vinum mixtum aquâ habeat se toto rationem vini usualis, non sic mixtum alio liquore. hinc aqua per hoc, quod misceatur vino, evadit vinum usuale, seu vini usualis pars, & quâ talis consecrabilis; non sic ullus alius liquor, qui si vino miscetur, miscetur ad condimentum ciborum, aut ad medicamen non ad potum ordinarium, qui est proprius vini usus: Nec vinum simpliciter dictum sicut in purum, & lymphatum, ità in purum, & lactatum, ut ità dicam, vel in purum & oleâtum dividitur.

90

Egregia proportio inter panē triticeum furfurosū, & vinum virgineū, lymphatū.

Occurrit hic accomodatum exemplum, & ad omnes ferè Adversariorum instantias retorquendos opportunum argumentum in materiâ Corporis idest in pane triticeo: Hic sivè fiat ex farinâ triticeâ omninò purâ, & à furfure defecatâ, sivè modico furfari permixtâ, usualis est, & dividi potest in depuratum, & furfurosum, sicut vinum in merum, & lymphatum: Porrò furfur se solo, & panis ex furfure solo confectus esse non solet alimentum hominum, sed canum, æquorum, aliorumque brutorum; sicut eorumdem non hominum ordinarius potus est aqua se solâ; hinc neque furfur se solo est panis usualis, & materia Corporis, neque aqua se solâ est vinum usuale, & materia sanguinis. Procedamus jam ulteriùs ad, id quod intento nostrò deservit; Modicum furfur farinæ triticeæ immixtum retentâ propriâ substantiâ transit in panem usualem, per consecrationem convertitur immediatè in Christi Corpus: si furfuris species separentur ab aliis speciebus panis; desinit esse sub illis Christus; non est eadem, quæ de furfure, ratio, de minutissimis festucis aut pulvisculis farinæ triticeæ permixtis, nec per mixtionem evadunt ista consecrabilia sicut furfur: Cur igitur hæc omnia non benè proportionalitèr dicta sint de aquâ mixtâ vino?

91

Scio, Lauræam *hic disp.* 18. *art.* 5. *num.* 120, negare nostri exempli suppositum, & velle furfur, si in panem se solo redactum, non est consecrabile, non evadere tale ex eo, quod fuerit in modicâ quantitate permixtum farinæ triticeæ; imò sacrilegio se exponere eum, qui consecrat in pane paululùm furfuroso, & non confecto ex pollitne, seù farinâ triticeâ maximè defecatâ, idemque anteà *num.* 110. docuerat de pane confecto ex granis tritici non scelectissimis, sed in farinam redactis simul cum aliquibus aliis licet paucissimis granis extraneis, hordei v. gr. vel avenæ: At hoc in praxi nimis rigidum, scrupulosumque est, materiam Corporis Christi frequenter incertam reddit, ac moraliter impossibilem, & pro pane ad consecrationem depurando solicitudinem requirit majoremque, quam videatur esse in usu præsertim apud Græcos consecrantes in fermentato sæpè forsan tali, qualis in hâc, vel illâ domo pro totâ familiâ confectus reperitur: Hinc non solùm paululùm furfuris, sed etiam paululum farinæ hordaceæ, farraceæ aut similis per mixtionem cum farinâ triticeâ conficere panem triticeum usualem; & evadere materiam consecrabilem tradunt in terminis Madertus *præcit. art.* 3 *num* 23., & Lugus *præcit. sec.* 3. *num.* 70, & valdè favet D. Thomas *quæst.* 74. *art.* 3. *ad* 3 dicens *Quod est modicum, quodammodò absumitur à plurimo, & ideò si sit modica permixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exindè confici panis, qui est materia sacramenti*; ex quibus verbis, præsertim ex ly *Quodammodò*, quod absûmptionem conversionemque moralem, & minùs propriam denotat non physicam, & rigorosam, Lugus *num.* 69. infert S. Doctorem non solùm tradidisse illud, quod precisè nunc intendimus, sed etiam quando dixit aquam converti in vinum priusquàm in sanguinem locutum fuisse de conversione morali, sicque in totâ controversia, quæ nunc agitatur, stare pro nobis, aut saltem esse dubiam nec pro Adversariis sufficienter expressam Angelici mentem.

Modica farina alterius frumenti à triticeo mixta farinæ triticeæ est materia cōsecrabilis.

92

93

Ex dictis habetur magis pendere à quæstione philosophicâ de naturali convertibilitate, vel inconvertibilitate aquæ in vinum opinionem Adversariorum astruentium aquæ conversionem in sanguinem dumtaxat mediatam, quàm nostram quâ talem conversionem asserimus etiam immediatam; Adversariorum enim opinio, supposito quod in quæstione philosophicâ negetur naturalis convertibilitas physica aquæ in vinum, omninò corruit, nostra verò subsistit, sivè in quæstione philosophicâ negetur sivè affirmetur talis convertibilitas naturalis in vinum, cum hoc discrimine, quod si negetur, conversio aquæ in sanguinem erit semper immediata; si affirmetur, conversio aquæ in sanguinem erit immediatè solum aliquando, idest quoties aqua licèt alioqui physicè in vinum convertibilis non invenietur antè consecrationem in vinum physicè conversa: Hinc sine ullâ doctrinæ discordantiâ *præced. num.* 74. supposuimus modum conversionis mediatæ, vel immediatæ in sanguinem plurimùm pendere à convertibilitate naturali aquæ in vinum, & paulo post in asserto diximus, quod aqua convertatur physicè in vinum, esse ad præsentem quæstionem theologicam, accidentale; plurimùm scilicèt pendet ex parte Adversariorum astruentium conversionem aquæ in sanguinem solùm mediatam, accidentale est, & parum pendet ex parte nostrâ admittente conversionem immediatam; undè etiam nostra opinio benè expensa non omninò directè opponitur opinioni Adversariorum, & ut omninò directè opponeretur, & æquè, ac illa dependeret à quæstione philosophicâ, deberemus nos dicere aquam numquàm posse converti in sanguinem mediatè, sed immediatè dumtaxat, & quatenùs non sit prius conversa in vinum, quod non dicimus: Hicque moneo obiter etiam ex hoc capite idest ex majori independentiâ, & abstra-

94

ctione

ctione abeo, quod in physicis controvertitur, sententiam à nobis assertam eligibiliorem esse, & plausibiliorem.

---

§. V.

Quid de aquâ immixtâ vino, ceptâ jam aut perfectâ consecratione, prolationeque verborum.

95 ASSERT. I. In nostrâ sententiâ de convertibilitate immediatâ aquæ in sanguinem non habetur hæc immediata conversio, si aqua vino misceatur perfectâ jam consecratione prolationeque verborum: Et proportionaliter in sententiâ de convertibilitate solùm mediatâ non convertitur mediatè in sanguinem aqua, quæ antecedenter mixta vino, fuerit conversa in ipsum dumtaxat perfectâ consecratione: Ità omnes Scholastici, nec video quemquam contrà referri; & licèt primâ facie sit aliqua ratio suspicandi oppositam sententiam in quibusdam Græcis assuetis aquam fervidam, seù calidam injicere calici jam consecrato, ut meminit Florentinum *Sess. ult.* paulò ante finem, & suo tempore fuisse in quâdam Græcorum Missâ observatum refert tamquã testis de visu Vasquez *hic disp.* 176. *cap.* 1. *nu.* 2. idemque à Moscovitis fieri notat Isthius in libro orationum theologicarum *orat.* 16. nõ longè ab initio: Nihilominus qui hujusmodi ritum observant, non intendunt talem aquam converti in sanguinem, sed significare vel adventum Spiritus Sancti, vel communionem populorum in uno calice, vel exitum aquæ de Christi latere; undè ex hoc ritu Scholastici inferunt potiùs prædictos Græcos sensisse aquam nullatenùs converti in sanguinem, & ideò esse vino affundendã post, non antè consecrationem: Verùm neque ista illatio subsistit, sicut contendit ostendere Vasquez *præcit. cap.* 1. qui miscent aquam, quod nos non facimus, post consecrationem, miscent etiam, ut nos facimus, aquam aliam antè consecrationem.

Ritus aliquorum affundentiũ aquam calici consecrato qualis?

96 Probatur assertum: Aqua, quæ juxtà nostram sententiam vino misceatur, aut juxtà sententiam aliorum vino antecedenter mixta in vinum physicè convertatur perfectâ jam consecratione, prolationeque verborum, neque convertitur in sanguinem ex vi accidentium vini consecrati, quibus miscetur, neque ex vi consecrationis, prolationisque verborum, quæ mixtionem, conversionemvè physicam in vinum immediatè præcessit; ergò in nostrâ sententiâ de convertibilitate &c. Consequentia patet, quia non est assignabile, quânam aliâ vi possit aqua illa in sanguinem converti. Probatur antecedens quo ad primam partem, quia ex dicendis accidentia vini consecrati, si quid operantur, operantur in ordine ad convertendas res alias in substantiam vini, non in substantiam sanguinis Christi, in quam non fit sacramentalis conversio, nisi per transubstantiationem, & hæc habetur solâ virtute verborum consecrationis, non accidentium vini, sicut nec panis: Probatur idem antecedens quo ad secundam partem, quia consecratio, quæ immediatè præcessit: habuit jam totum suum effectum, & aqua postmodùm aut immixta, aut juxtà aliorum sententiam in vinum conversa non habet sufficientem præsentiam, ut possit ex vi consecrationis, quæ immediatè anteà præcessit transubstantiari, quemadmodum à fortiori constabit ex dicendis pro sequenti asserto: ergo

97 Assert. 2. In nostrâ sententiâ, de quâ suprà, aqua si vino misceatur ceptâ jam consecratione, prolationeque verborum, non convertitur immediatè in sanguinem, neq; in sententiâ aliorum convertitur mediatè, si quamvis mixta vino fuerit in ipsum conversa dumtaxat consecratione cepta. Assertum quatenùs procedit in nostrâ sententiâ, supponi solet magis, quàm examinari, quatenùs procedit in sententiâ aliorũ videtur pati aliquam majorem rationem dubitandi, undè & habet aliquos oppositum expressè sentientes, nimirùm Vasquium infrà *disp.* 201. *cap.* 4. *num* 42. Nugnum in præsenti *quæst.* 74. *art.* 8. Sylvium *eod. art.* in fine. Gavatium *disp.* 6. *quæst.* 6., & paucos alios, contrà quos assertam doctrinam partim supponunt partim ex professo tradunt Suarez *disp.* 45. *sec.* 4. §. *Tertiò difficilius* Amicus *disp.* 16. *sec.* 2. *num.* 89. Lugus *disp.* 4. *sec.* 5. Arriaga *disp.* 31. *sec.* 4. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 4. *nu.* 100. Lautræa *disp.* 18. *art.* 5. *num.* 121. Herinex *disp.* 2. *quæst.* 6. *num.* 56. Madernus *quæst.* 2. *art.* 3. *nu.* 25. & alii plurimi.

Aqua mixta vino aut juxtà aliorum sententiã conversa in vinũ, cæpta jam consecratione non transubstãtiatur in sanguinem

98 Probatur, & explicatur: Ceptâ jam consecratione, & prolato v. g. in formâ consecratoriâ Calicis pronomine *Hic*, calici, suprà quem verba consecratoria proferuntur, de novo injiciatur aut anteà injecta in vinum convertatur aquæ gutta: hanc nos asserimus remanere post consecrationem in primo casu substantialiter aquam, in secundo substantialiter vinum, in neutro fieri ex vi consecrationis substantialiter sanguinem; loquendo quò ad secundum casum in sententiâ aliorum, de quâ suprà sustinente aquam non posse converti in sanguinem, nisi sit præconversa in vinum, nam nos qui existimamus præconversionem in vinum per accidens se habere, & sufficere mixtionem, cum talis gutta pro secundo casu supponatur antè consecrationem injecta, seù mixta vino, sicuti fuisset per nos talis gutta immediatè in sanguinem transubstantiata, etiamsi tempore consecrationis in vinum non transiisset, ità procul dubio transubstantiabitur mediate, si in vinum consecrationis tempore transierit: Cæterùm loquendo quò ad secundum casum, ut dixi in sententiâ aliorum sic formo pro toto asserto argumentum:

99 Gutta aquæ in datâ hypothesi non est sub ratione materiæ consecrabilis, & in sanguinem convertibilis sufficienter præsens formæ consecrationis, ergò gutta aquæ in data

Nec est sufficienter præsens formæ consecratoriæ.

el hypothesi, neque juxtà nostram sententiam immediatè, neque juxta sententiam aliorum mediatè convertitur in sanguinem: consequentia patet, antecedens probatur: Gutta aquæ non habet rationem materiæ consecrabilis, & in sanguinem convertibilis, nisi sit mixta vino juxtà nostram sententiam, & conversa in vinum juxtà sententiam aliorum; atqui juxtà primum casum, & hypothesim nostræ sententiæ, gutta illa sub ratione aquæ mixtæ vino, juxtà secundum casum, & hypothesim sententiæ aliorum, eadem gutta sub ratione aquæ conversæ in vinum non est sufficienter præsens formæ consecrationis, cum non sit sub tali ratione præsens, & physicè coexistens ipsi toti; ergo.

Dices ex Nugno pro sententiâ sustinente aquam non esse convertibilem, quamdiù non est conversa in vinum: licèt in casu nostro pro illo priori, pro quo profertur pronomen *Hic* aut etiam aliquod aliud verbum formæ, aqua non sit verè, & realiter in vinum conversa, est per se, & proximè convertenda, & propter dispositiones quas habet, quasque successivè suscipit, illicò convertetur, cum igitur, ut dici solet, proximè accingendus habeatur pro accincto, & parùm pro nihilo reputetur, adeòque quod parum distat, nihil distare videatur, fit quod pro illo priori, pro quo profertur pronomen *Hic*, aqua in casu nostro possit jam in vinum conversa reputari, & dici sub ratione aquæ in vinum conversæ præsens toti formæ moraliter, & secundùm moralem existimationem, quàmvis non verè, & reliter secundum rigorem conversionis.

100 Sed contrà: eodem ratiocinio salvaretur esse consecrabilem aquam nondum in vinum conversam pro ultimo instanti prolationis formæ, illicò tamen in instanti sequenti convertendam; aut saltem à pari evinceretur posse validè consecrari panem, aut vinum, etiamsi initio prolationis formæ istud non sit existens, dummodò sit illicò exiturum producendumque à Deo, & ille nondùm sit igne sufficienter assatus, dummodo sit proximè assandus, & futurus sufficienter assus antè ultimum instans prolationis formæ; quæ & similia duriora sunt, quàm ut absolutè possint admitti: Ratio verò universalis, & à priori tùm horum omnium non admittendorum, tùm falsitatis instantiæ est, quia inter materiam consecrabilem, & formam consecrationis non sufficit quò ad tempus præsentia, & coexistentia moralis, sed requiritur physica.

Neque urgeas, sacramenta sunt composita ex genere suo moralia, inter quorum materias, & formas sicuti sufficit moralis unio, ità & moralis coexistentia; non est igitur, cur in Sacramento Eucharistiæ hujusmodi coexistentia, & moralis præsentia non sufficiat inter materiam consecrabilem, & formã consecrationis? Contrà enim

101 ut attigi *in proprio tractatu de Sacram. in gen. lib. 2. cap. 1 num. 23.* ex eo, quod Sacramenta sint composita moralia, infertur ad summum contenta esse unione, præsentiâ & coexistentia morali inter formam, & materiam proximam, quæ est pars intrinseca constitutiva, non similiter inter formam, & materiam remotam, quæ est subjectum, circà quod forma operatur, & quod à formâ immutatur, ac sanctificatur, hujusmodi est materia consecrabilis respectu Sacramenti Eucharistiæ, homo baptizandus, confirmandus, ordinandus, respectu Sacramentorum baptismi confirmationis, ordinis; & sicuti non remaneret baptizatus infans, qui fieret physicè præsens post incepta verba formæ baptismi, ità nil mirum, si non remaneat consecrata materia facta physicè præsens solùm post incepta verba formæ consecrationis. Nec refert, quod in baptismo, sicut etiam in Confirmatione, & Ordine forma sit per modum locutionis (quæ absenti non fit) directæ ad personam suscipientem, non sic in Eucharistiâ forma consecrationis fit per modum locutionis directæ ad materiam consecrabilem.

Cui non sufficit quod materia consecranda sit præsens solum moraliter;

102 Non refert inquam, quia ut observat Lugus *praels. sec. 5. num. 77.* formæ illæ possunt etiam aliter, quam per modum locutionis ad suscipientem directæ validè proferri, dicendo v. gr. *Baptizatur servus Christi in nomine &c. Divina gratia promovet hunc in Presbyterum &c.* Deindè in Eucharistiâ forma per pronomen. Hic dirigitur ad demonstrandam, designandamque materiam; ad veritatem autem formæ per modum designationis, & demonstrationis requiritur præsentia ejus, ad quod designatio, seù demonstratio dirigitur, æquè ac ad veritatem formæ per modum locutionis requiratur præsentia personæ, ad quam dirigitur locutio.

Dices aliter pro eâdem sententiâ ex Vasquez: Verba consecratoria Calicis præstant suum effectum in fine non initio prolationis, & pronomen *Hic* demonstrat sanguinem Christi præsentem, ac existentem sub speciebus vini, non quando ipsum profertur, sed quando forma perficitur; ergo non est necesse; quod aqua in ratione materiæ consecrabilis, & trasmutabilis per verborum effectum sit præsens ab initio, dum profertur pronomen, *Hic*, sed sufficit si sit præsens in fine, dum forma perficitur; sicque ait Vasquez, si à principio totus calix esset aquâ plenus, & antequam finiretur prolatio converteretur per divinam potentiam in vinum, satis esset, ut tandem virtute verborum in sanguinem Christi transiret: idem meo videri in nostrâ sententiâ dicturus, si à principio modica duntaxat calici inesset aqua, cui, antequàm finiretur formæ prolatio, major vini copia infunderetur. Sed

103 contrà: In primis retorqueretur ex modo dictis instantia, quia formæ baptismi, confirmationis, & ordinis, etiam ipsæ præstant suum effectum, idest characterem, & gratiam, in personâ baptizatâ, confirmatâ, & ordinatâ, in fine non in initio prolationis, & tamen non sufficit, quod talis persona in fine, non in initio prolationis verborum præsens fiat. Deindè eodem ratiocinio probare-

Aut solum in fine, & ultimo instanti prolationis verborum.

fieretur, accidentia vini, quibus nulla ab initio subesset substantia, in fine verò prolationis verborum supponeretur Sanguis Christi verificare formam, & validè consecrari, quia pronomen *Hic* demonstraret Sanguinem Christi præsentem, & existentem sub speciebus vini, quando forma perficitur, verificatur etiam in hoc casu, in quo tamen consecrationem non valere evincitur ex eo, quod nulla fiat transubstantiatio, nec habeatur conversio alterius substantiæ in substantiam sanguinis; signum est igitur præter præsentiam sanguinis sub accidentibus vini in fine prolationis verborum, requiri præsentiam substantiæ consecrabilis, & in sanguinem convertibilis pro ejusdem prolationis initio, & toto tempore antecedente ultimum instans: Hinc tandem ad instantiam directè dico ly, *Hic*, etsi ut præcisè refertur ad præsentiam, seù existentiam Sanguinis Christi sufficienter verificetur in fine prolationis formæ, ut tamen refertur ad talem præsentiam ex sacramenti institutione ponendam per transubstantiationem, & per præviam intentionem Ministri determinatam ad materiam consecrabilem requirere hanc materiam, & vini substantiam physicè præsentem in prolationis initio, ut magis constabit ex inferiùs sparsim dicendis de pronominibus, *Hic*, & *Hoc*, in formis consecratorijs vini, & panis.

104

Sic impugnatis responsionibus, & rationibus, quibus in aliorum sententiâ propugnatur mediata transubstantiatio aquæ in sanguinem, etiam quando cæptis jam, & dimidiatis verbis consecrationis in vinum transit, non est, cur aliquid addamus contrà eos, qui in nostrâ sententiâ propugnarent transubstantiationem ejusdem immediatam etiam quando cæptis jam verbis vino miscetur; prævia enim aquę cum vino mixtio ad transubstantiationem illius immediatam in nostrâ sententia eodem porsùs modo se habet, quo prævia aquæ in vinum conversio ad transubstantiationem ejusdem mediatam, ut facilè quisque poterit tùm ex superiori probatione deducere, tùm propriâ consideratione percipere; eâdemque probatione, & consideratione facilè porest cuique innotescere, neque etiam transubstantiari novum vinum additum calici, aut novas particulas additas pyxidi, cæptâ jam suprà calicem, & pyxidem prolatione verborum. Neque dicas *ex præced. num.* 98. transubstantiaretur in nostrâ sententiâ aqua, quæ antecedenter mixta vino supponatur converti physicè in vinum cęptâ jam prolatione verborum, atqui hujusmodi physica aquæ in vinum conversio se haberet, ut novi vini additio; ergo potest transubstantiari novum vinum additum cæptâ prolatione verborum. Contrà enim negatur minor, quia aqua, quæ antè prolationem verborum miscetur vino, confestim per nos fit materia consecrabilis, & vinum usuale, dum igitur supponitur posteà in vinum physicè converti non se habet, ut novi vini additio, sed ut accidentalis mutatio alicujus partis vini præexistentis, quatenus illa pars vini, quæ erat vinum solùm moraliter, & per mixtionem, fit vinum physicè, & per substantialem conversionem, quod per nos accidentale est vino consecrando, seù consecrabili.

105 Vinum de novo additum calici, aut particula addita pyxidi cæpta jam cõsecratione non transubstantiãtur.

Superest hic dubium de aquâ, quæ supponatur physicè converti in vinum, aut esse ultimò disposita ad talem conversionem, in ultimo instanti prolationis verborum, quod est instans transubstantiationis vini in sanguinem. Dubium est autem, utrùm talis aqua præsertim, si fuerat antè prolationem verborum inceptam vino mixta transubstantietur? Quò ad primum, idest si supponatur in vinum converti, dico neque in aliorum sententiâ neque in nostrâ transubstantiari, nam nec transubstantiari potest in ipso ultimo instanti prolationis, nec in alio sequenti: Non in ipso ultimo instanti, quia in hoc supponitur incipere esse vinum, adeoque vel inciperet simul esse vinum, & sanguis, quod non est transubstantiari in sanguinem, vel simul inciperet & desineret esse vinum, quod repugnat ex terminis; Non in alio instanti sequenti, quia forma consecrationis post ultimum prolationis instans nihil operatur, ut conclusum est in primo asserto omnibus auctoribus, cum quibusmodo agitur, consentientibus. Quò ad secundum, idest si supponatur ultimò disposita ad physicam in vinum conversionem, dico non transubstantiari in sententiâ aliorum de cõvertibilitate solùm mediatâ; benè verò in nostrâ de convertibilitate immediatâ. Ratio primi est, quia esse ultimò dispositum ad aliquam formam non est esse sub tali formâ, & aquam esse ultimo dispositam ad physicam conversionem in vinum non est ipsam esse physicè vinum, & tamen in aliorum sententiâ aqua potest in sanguinem transubstantiari solùm, quando est facta physicè vinum. Ratio secundi est, quia aquam esse ultimò dispositam ad physicam conversionem in vinum non tollit ipsam esse vino mixtam, & per mixtionem unum cum vino, quod in nostrâ sententia sufficit ad hoc, ut aqua possit consecrari, in sanguinem immediatè converti, & transubstantiari.

106 Quid de transubstãtiatione aquæ, quæ anteà mixta vino in ultimo instanti prolationis formæ, vel physicè cõvertatur in vinum:

Vel sit ultimò disposita ad talem physicam conversionem.

107

Dices: Ultima dispositio ad formam est simul cum formâ, imò est à formâ, ad quam ultimò disponit, ergo in illo instanti, in quo aqua est ultimò disposita ad physicam conversionem in vinum physicè convertitur, & est physicè vinum, ergo in proposito respectu transubstantiationis idem sentiendum de aqua, quæ in ultimo instanti prolationis formæ supponatur converti, ac de eâ, quæ supponatur ultimo disposita ad conversionem in vinum. Sed contrâ: præter quod hæc instantia impugnat quæsiti, seu dubii hypothesim, non responsionem & solutionem ipsius, dico, quod ultima dispositio sit à formâ, esse absolutè falsum, nisi intelligatur de dispositione consequente formam, ut observavimus in tract. de Gratiâ *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 64. Quod ultima dispositio sit simul

108

(subin-

(subinstellige tempore, non naturâ) cum formâ, verificatur, quoties non occurrit aliquod impeditivum formæ, ut occurrit in præsenti, ubi verba consecrationis pro ultimo suæ prolationis instanti, pro quo inducunt sub speciebus sanguinem, impediunt, & excludunt ab iisdem quamlibet aliam substantiam, & signanter formam substantialem vini sivè positam, sivè ponendam.

Urgebis: In illo priori naturæ, in quo aqua est ultimò disposita ad formam vini, quamvis non intelligatur forma vini adesse, intelligitur tamen forma aquæ desinere, & non esse ex defectu propriarum dispositionum per contrarias dispositiones vini expulsarum; ergo pro instanti temporis subsequente, & complectente illud istans naturæ non potest aqua transubstantiari in sanguinem; probatur hæc consequentia, quia aquam transubstantiari est ipsam coverti in aliud, quomodò autem convertitur, si ipsa non adest? transubstantiari in sanguinem est desinere ex vi substantiæ sanguinis succedentis, quomodo autem desinit ex vi talis substantiæ, si supponitur in priori naturæ desiisse ex vi contrariarum dispositionum, & propriarum defectu? Sed contrà: Qui in physicis docent, quoties generatio unius est corruptio alterius, generationem, & inductionem formę novę naturâ præcedere ad corruptionem, & desitionem formæ antiquæ, neque huic deesse dispositiones pro sui conservatione necessarias nisi in illo signo naturæ, in quo forma nova inducitur; Isti, inquam, (& ipsorum responsionem commendat Arriaga *præcit. sec. 4. n. 31. & 32.*) coherenter nunc dicent, in aquâ ultimo dispositâ ad formam vini introductionem sanguinis Christi naturâ præcedere ad desitionem formæ aquæ, & sic facilè se expedient à totâ instantiæ instauratione, negando absolutè antecedens. Nihilominùs ne alligemur huic opinioni philosophicæ, & relinquamus argumentum insolutum in opinione aliorum docentium formam antiquam desinere priùs naturâ, quàm nova inducatur, do hoc universim, & dato pariter toto instantiæ antecedente, nego consequentiam; ad cujus probationem dico id, quod convertitur in aliud, non debere existere pro instanti conversionis, sed sufficere, quod immediatè anteà fuerit, & tunc primò non sit: Dico item in aquâ dispositiones contrarias, & defectum propriarum esse à substantiâ vini, & aquæ formam ex illarum vi, & istarum defectu desinentem non desinere sine ordine ad substantiam vini, aliamvè loco ipsius succedentem, qualis est substantia sanguinis Christi, ideò aliquo modo ex istius vi illam desiisse, quamvis in priori naturæ desierit, & hoc sufficere ad aquæ in sanguinem transubstantiationem, cum præcipuè materia, quæ immediatè anteà sub formâ aquæ fuerat, desinat formaliter, & unicè ex vi substantiæ sanguinis sub speciebus succedentis.

109

§. VI.

An, & Quomodo Panis, & Vinum debeant esse materia præsens, & determinata respectu Ministri consecrantis?

110

ASSERT. I. Materia consecranda, sivè panis, sivè vinum sit, debet esse (& quidem ex necessitate non præcepti tantum, sed sacramenti) Ministro consecranti præsens præsentiâ sensibili importante tùm quamdam propinquitatem localem, tùm aliquam notitiam sensus. Ità quò ad rem, quamvis terminis minùs explicitis, nec omninò iisdem D. Thomas *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1.* Durandus *eâd. dist. quæst. 6. num. 6.* Gabriel *quæst. 2. dub. 1.* Ricardus *dist. 10. art. 7. quæst. 1.* Suarez *disp. 43. sec. 5.* aliique omnes Scholastici nullo, quem sciam, excepto, & licèt Amicus *disp. 16. sec. 3. num. 120.* videatur Majori, ex eo quod *in 4 dist. 11. quæst. 2.* affirmaverit posse validè consecrari hostiam existentem à tergo, aut post parietem, tribuere, quod non requisierit materiæ præsentiam, in re tamen hanc requiri non negavit, sed ipsius significationem usurpavit latiùs, quàm communiter soleat, undè etiam quoad consecrabilitatem hostiæ à tergo, vel trans parietem existentis. Majori consentit Bernal, & favet Diana, apud Madernum *quæst. 2. art. 4. nu. 3.* nec propterea censentur non requirere materiæ consecrandæ præsentiam.

111

Materia consecranda debet esse Ministro consecranti præsens.

Probatur assertum. De necessitate sacramenti est, quod circà materiam consecrandam verificetur forma verborum; hæc quippè nequit esse falsa, & habere effectum suum; atqui ut verificetur forma verborum, materia consecranda debet esse ministro consecranti præsens præsentiâ sensibili importante &c., ergo materia consecranda, sivè panis sivè vinum sit, debet esse &c. Minor probatur, forma verborum pro sacramento Eucharistiæ est enunciatio continens pronomen, *Hic*, respectu materiæ sanguinis, & pronomen, *Hoc*, respectu materiæ corporis; pronomina autem, *Hic*, & *Hoc*, sunt demonstrativa, & demonstrant seù designant rem præsentem ea pronunciantì, undè D. Thomas *in præcit. resp. ad 1.* rectè ait. *Ipsa forma pronomine demonstrativo utens ostendit, quòd materia consecranda debet esse præsens coram Sacerdote.* ergo ut verificetur forma verborum, materia consecranda debet esse ministro consecranti præsens, & quidem præsentia sensibili, quia sacramenta sunt signa sensibilia, & esse præsens modo humano est esse præsens modo sensibili: Quod deindè hujusmodi præsentia sensibilis importet tùm quamdam propinquitatem localem, tùm aliquam notitiam sensus, probatur ex eo, quia nec sufficit propinquitas localis sine aliquâ notitiâ sensus, nam sicut præsentia ex genere suo dici-

Præsentia sensibil. & quid ista importet?

tur relatè ad cognitionem, undè Deus dicitur esse in rebus omnibus per præsentiam, quatenus res omnes intuetur, ità præsentia sensibilis dicitur relatè ad cognitionem sensitivam, seù notitiam sensus; nec sufficit ista sine quâdam propinquitate locali, nam cista panis v. g. aut vini dolium sensu visus percipi potest in valdè magnâ, puta aliquorum milliariorum, distantiâ, in quâ nequit validè consecrari, cum nequeat verè, & propriè designari per pronomina demonstrativa, præsertim ex se præcisè, & sine alio signo adhibita, ut adhibentur in formis consecratoriis, quod ut magis elucear,

112 Pronominum *Hic*, & *Hoc*, duplex acceptio, & usurpatio.

Adverto pronomen, *Hic*, (eadem est ratio de pronomine, *Hoc*) duo significare, nimirum rem singularem, & rem præsentem, seù singularitatem, & præsentiam rei cui adjicitur: quatenus significat singularitatem, seù rem singularem abstrahit à locali propinquitate, & distantiâ; quatenùs significat præsentiam, seù rem præsentem; vel sumitur, & adhibetur præcisè, nulloque addito alio signo, aut nutu: vel sumitur cum addito alterius signi, puta extensionis digiti versùs rem, vel prævii discursus de re, cui pronomen, *Hic*, applicatur, & ad quam illius signi additione determinatur, ac quasi dirigitur: isto posteriore modo pronomen, *Hic*, magis in significatione suâ extenditur, refertur ad rem minùs perfectè præsentem, & admittit localem ipsius distantiam etiam ingentem; sic v. g. extendendo digitum versus, Petrum adhùc distantem, & à longè venientem, rectè dicitur *Hic est Petrus*, & cum quis Romæ loquitur de Gallorum Rege Parisiis commorante rectè potest adjicere, *Hic Rex est*, vel *Hic est Rex potentissimus*. Posteriore modo pronomen, *Hic* denotat rem perfectiùs præsentem, requirit propinquitatem localem, & modicam distantiam, quoties propriè verificatur, admittit: Quanta verò esse debeat illa localis propinquitas, quanta esse possit hæc modica distantia, utrùm ad decem, ad viginti, ad centum passus extendi? Non est exactè assignabile, & definibile, nec alia occurrit regula præter consuetudinem humanam, & judicium prudentum, & illa distantia censenda est admitti, quæ non impedit, ne res in eâ existens humano more, & prudentum judicio significetur pronomine demonstrativo, quia verò hujusmodi judicium, & mos obtinuit, ut majora corpora in majori, minora in minori distantiâ demonstrentur, in majore scilicèt distantiâ solemus dicere. *Hoc est mare*; *Hic est acervus tritici*: in minore, *Hic est fons*: *Hoc est tritici granum*; habetur alia regula priori subalterna, & nec adhùc omninò determinata consistens in eo, quod admittatur major distantia, & requiratur minor propinquitas, quando res per pronomen demonstranda magna est, admittatur verò distantia minor, & requiratur propinquitas major, quando res demonstranda est parva.

113 Prædicta pæsentia quam loci propinquitatem requirat?

114 Explicatâ propinquitate locali ad præsentiam materiæ consecrandæ requisitâ, aliquid etiam addendum, & advertendum est pro alterâ ejusdem præsentiæ conditione, quam dixi esse aliquam notitiam sensus; & hanc quodammodò vagam locutionem consultò adhibui, ut complecterer quamlibet cujuslibet sensus notitiam, per quam Minister reddatur moraliter certus de existentiâ, & propinquitate materiæ consecrandæ: neque enim necessaria est aut omnium sensuum, aut visus, qui inter omnes videtur præcellere, notitia, alioqui cæcus non posset validè consecrare, cujus oppositum evincitur ex eo, quod Amicus *præcit. sec. 3. num.* 122. refert quemdam Episcopum cæcum fuisse à Summo Pontifice dispensatum ad quotidiè consecrandum; Sufficit igitur etiam notitia alicujus alterius sensus, sufficit scilicèt quod Sacerdos consecrans panem, & vinum percipiat tactu, olfactu, vel gustu, quin, & notitiam ex auditu, hoc est ex alterius relatione, sufficere docuit Sotus apud Amicum *num.* 123. idemque posteà probabilius censuit ipse Amicus *num.* 140. Et fortè huic opinioni favet; quod communiter censeatur valida consecratio pyxidis coopertæ, de quâ Sacerdos à Ministro missæ inserviente audierit continere particulas consecrandas; fertè, inquam, favet, quia hæc nec est vnica, nec potissima ratio illius validæ consecrationis, sed alia, nimirùm quòd notitia sensus, seù sensatio requisita ad præsentiam materiæ consecrandæ non est necesse, quod sit omninò immediata, sed sufficit, quod sit aliqualiter mediata, & in alio, dummodò hoc aliud sit illius proximum, & ordinarium continens, ut est calix coopertus, aut pyxis clausa: Non est tandem necesse, quod, dum materia consecratur, ipsius sensatio sit actualis, sed satis est, quod non multum præcesserit, nam etiam per sensationem, quæ non multum præcessit, Sacerdos remanet moraliter, & humano modo certus de præsentiâ rei, quam consecrat.

Quam itèm sensus notitiam?

115

Ex totâ hâc doctrinâ continente varias quasi generales regulas circà propinquitatem loci, & notitiam sensus requisitam in pane, & vino, & consecrandis facile infertur, quid sentiendum sit in casibus particularibus, quorum nonnullos subjicio.

116 Variorum casuum resolutio ex propinquitate loci.

Ex dictis scilicet de propinquitate loci infertur, Sacerdotem in domo existentem invalidè consecrare hostiam, quàm in Altari videt, imò cum hostia, & materia, quæ consecrari solet, sit modica, vix videtur admittere distantiam majorem eâ, quæ latitudini corporalis, aut ad summum areæ, seù mensæ Altaris correspondet, si tamen consecraretur multa materia, puta integrum, idque ingens vini dolium, posset consecrari validè in majore puta viginti passuum distantiâ. Infertur insuper materiam consecrari solitam, etsi modicam consecrari validè absque eo, quod sit omninò indistans, aut contigua Sacerdoti, item absque eo, quod sit in tali propinquitate ut sonus verborum ad ipsam pertingat: Neque dicas obiter, ex *præced. num.* 101. inter materiam conse-

crandam,

crandam, & formam verborum requiritur coexistentia, & præsentia physica temporis; ergo etiam coexistentia, & præsentia physica loci, hæc autem non salvatur, nisi sonus verborum perveniat ad locum, ubi est materia, hancque physicè contingat. Contrà enim, nego consequentiam, disparitas est, quia, quod non est physicè coexistens tempore, est simpliciter non existens, adeòque incapax tùm demonstrativæ designationis tum cujuslibet passionis, ac per consequens tùm verificationis, tùm effectus formæ verborum: At quod non est physicè coexistens, & contingens loco, adhuc potest esse simpliciter existens, adeoque capax tùm demonstrativæ designationis, tùm &c. ideò &c.

117 — *Variorum item ex notitia sensus.*

Ex dictis de notitiâ sensus infertur validam esse posse consecrationem materiæ, quam quis actu nec præ manibus habeat, nec oculis cernat, nec alio sensu percipiat, item validè consecrari particulas, aut sub aliis latentes, aut sub corporali positas, aut intrà pyxidem clausas; Non sic si existerent trans parietem, aut in alio cubiculo: Et hæc quidem, sicut & ea, quæ in præcedenti illatione protulimus, sunt communiter recepta, & habentur tamquam moraliter certa: Ex hâc verò morali certitudine fit, in recensitis casibus consecrationis validæ non esse hanc sub conditione iterandam, & in jisdem Sacerdotem, etiamsi consultò ità consecret, non peccare lethaliter saltem contrà obligationem habendi materiam præsentem, undè ab Herinex *disp. 2. quæst. 1. num. 4.* notatur tamquam nimis rigidus Marchant *tit. 4. quæst. 2. §. 2. dub. 2.*, ubi vult eum, qui non per oblivionem, sed datâ operâ non discooperiat tempore consecrationis pyxidem, ut in Missali præscribitur, peccaturum lethaliter, non ob violatam Missalis rubricam, sed ob neglectam omnimodam certitudinem moralis præsentiæ particularum in pyxide existentium.

118 — *Variorum tandem quæstio dubia ex utraque.*

Ex dictis tandem de utrâque remanet dubium, validè ne, an invalidè consecretur materia existens, vel à tergo consecrantis, à quo præsertim nec teneatur manu, nec digito, aliove signo indicetur: vel posita in sacrario, seù tabernaculo altaris præsertim clauso, vel præsens, seù propinqua, & sensata secundum unam sui partem, non secundum se totam: In quibus, & similibus casibus Auctores hucusque præmemorati, aliique inter se dissident de consecrationis validitate, & invaliditate: Sanum autem, optimumque consilium est, ob Sacramenti reverentiam abstinere ab omni consecratione materiæ, quæ incerta est, ac sub dissidio, & quoties hæc ex alicujus levitate, aut pravitate consecretur, nec consecrans excusandus est à lethali peccato, nec materia consecrata sacramentaliter adhibenda est, vel si urgeat necessitas eam sacramentaliter sumendi, ac adhibendi, debet prius sub conditione reconsecrari.

119

Procedendo jam à primâ ad secundam tituli partem, à præsentiâ scilicet ad determinationem, adverto hanc considerari posse, vel ex parte intentionis in Ministro consecrante, vel ex parte quantitatis in re consecrandâ: sub primâ consideratione dubitatur: Utrùm sit de necessitate Sacramenti, quod Minister intentione suâ determinet materiam consecrandam, an verò etiam cum intentione vagâ possit validè consecrare aliquam partem indeterminatam materiæ sibi præsentis? Sub secundâ, utrum materia consecranda habeat terminum aliquem magnitudinis versus maximum, aut parvitatis versùs minimum: adeò ut materia illa magnitudine major, aut istâ parvitate minor nequeat validè consecrari, quod aliis terminis dici solet Utrùm in materiâ consecrandâ detur maximum, aut minimum, quod sic: De hâc posteriore materiæ determinatione agetur *in seq. §.* De priore sit

Materia consecranda duplicē determinationem, alteram ex parte sui, alteram ex parte Ministri habere potest.

120 — *Ista posterior determinatio est de necessitate Sacramenti.*

Assert. 2. Est de necessitate Sacramenti, quod materia consecranda, sivè panis, sivè vinum sit, à Ministro consecrante, seù ex Ministri consecrantis intentione determinetur. Ità Richardus *in 4. dist. 10. art. 7. qu. 2.* Durandus *dist. 11. quæst. 7.* Nugnus *hic quæst. 74. art. 2. dub. ult.* Sylvius *eod. art.* Sylvester *verb. Eucharistia 2. quæst. 6.* Angelus *verb. Eucharistia 1. num. 27.* Navarrus *in Man. cap. 25. num. 91.* idemque tradunt, aut supponunt alii omnes tùm Scholastici, tùm Summistæ, & licèt oppositum ab aliquibus censeatur fuisse opinio Majoris *in 4. dist. 11. quæst. 2.* Ex Suario tamen *hic disp. 43. sect. 6.* neque est opinio ejus, neque alicujus esse potest.

Probatur: Est de necessitate Sacramenti non solum forma verborum, & intentio Ministri, sed etiam quod forma verborum verificetur, & intentio ministri proportionetur actioni, quâ Sacramentum conficitur: nam verba causant ut vera, & intentio Ministri debet esse practica, & in ordine ad actionem: requiritur enim ad hoc, ut actio rationabiliter, & modo humano fiat: atqui tùm ut verificetur forma, tùm ut actioni proportionetur intentio, materia consecranda debet esse respectu Ministri consecrantis certa, ac definita, & ex vi intentionis determinata: ergo est de necessitate Sacramenti, quod materia consecranda &c. Probatur minor quò ad primam partem, quia pronomina demonstrativa *Hic* & *Hoc* requirunt ad sui verificationem rem determinatam non minus, imò potius magis, quam rem præsentem; determinatam, inquam, ex parte, & in notitiâ ejus, qui pronomina profert, & qui v. gr. inter decem homines sibi præsentes scit adesse inimicum, at nescit determinatè quis sit? sicuti nequit suum inimicum designare, & digito v. gr. demonstrare, ità nequit propriè dicere, Hic est meus inimicus, sed solum vagè, & confusè, aliquis, aut hic, vel ille, vel alius ex decem est meus inimicus. Probatur eadem minor quò ad secundam partem, quia actio, quâ Sacramentum conficitur, debet esse circà materiam singularem, certam, & determinatam, cum actiones reales ex genere suo

121 — Et requiritur, tùm pro veritate formæ verborum,

Tùm pro sufficientia intentionis Ministri.

ſint ſingularium, & circà ſingularia non vaga, & indefinita, ſed certa, & determinata; ergo ut actioni proportionetur intentio, debet & ipſa circà rem certam, & determinatam verſari. Confirmatur ex aliis Sacramentis, in quibus nihil fit, ſi circa ſubjectũ immutandum, ac ſanctificandum intentio Miniſtri vaga, ac indeterminata ſit, ſi quis v. gr. ex multis hominibus præſentibus intendat baptizare, confirmare, ordinare aliquem vagè, hunc vel illum, non hunc determinatè; Inſtauratur confirmatio ex rebus phyſicis, præſertim ex eo, quod alibi dicebamus, in Deo ipſo decretum ſubdisjuncto, & voluntatem quaſi vagam producendi hunc, vel illum mundum ad nullius mundi productionem ſufficere.

122 — Varia de conſecrationis valore dubia dependentia à determinatione intentionis.

Ex hac doctrinâ, & ex eo, quod ſuo loco univerſim dictum eſt, non eſſe ad Sacramenta conficienda neceſſariam intentionem actualem, ſed virtualem ſufficere, facilè occurritur pluribus de conſecrationis valore dubiis, aut quæſitis ex miniſtri intentione pendentibus, & primò dubitari, ac quæri poteſt, Utrùm validè conſecret Sacerdos intendens conſecrare ſolum hoſtiæ medietatem, aut ex decem hoſtiis ſibi præſentibus ſolùm unam? Secundò, An poſſit remittere ſuam intentionem in Deum dicendo quodammodò, ex pluribus hoſtiis mihi præſentibus volo conſecrare illas quatuor, quas Deus maluerit? Tertiò, aliquid ne, & quid conſecret is, qui putans ſe habere, & conſecrare unam hoſtiam poſt conſecrationem invenit eſſe duas, aut deferens ad altare plures hoſtias conſecrandas in actuali conſecratione recordatur tantum unius? Quartò, An regulariter loquendo maneant conſecratæ guttæ vini calici adhærentes à reliquo vino ſejunctæ, aut minima fragmenta adhærentia hoſtiæ ſeparata tamen, & dumtaxat contigua? Quintò, An ſit aliquo modo conſecrabilis gutta vini calici conſecrato infuſa, aut ſaltem particula non conſecrata permixta conſecratis, à quibus nequeat amplius diſcerni, & dignoſci quænam ſit?

123 — Solvitur primũ de intendente conſecrare medietatẽ hoſtiæ, aut unam hoſtiam ex decem.

Ad primum, vel Sacerdos mente ſaltem deſignat peculiarem hoſtiæ medietatem, & illam ex decem hoſtiis unam, quam conſecrare intendit; vel confusè, & abſtractè ſe habet intendendo conſecrare hoſtiæ medietatem, ſivè dextram, ſivè ſiniſtram, unam ex decem hoſtiis, ſivè proximiorem, ſivè remotiorem. Si ſecundo modo ſe habet nihil conſecrat, quia intentio eſt vaga, & ſicuti ex vi talis intentionis non eſt major ratio, quod una quam alia medietas, una quam alia hoſtia conſecretur, ità nulla conſecratur. Si primo modo, validè conſecrat illam hoſtiæ medietatem, & illam unam hoſtiam, quàm mente deſignat, intentio enim eſt ſufficienter determinata, nec ei obeſt aliarum hoſtiarum præſentia, aut medietatis non deſignatæ cum deſignatâ continuatio, quia nulla eſt neceſſitas conſecrandi, aut totam materiam præſentem, aut totam materiam continuam. Nec refert, quod deindè nequeat exactè diſtingui ſecundum ultimum ſuum terminum medietas conſecrata à non conſecratâ. Non refert inquam, quia quærendus in præſenti non eſt ultimus terminus metaphyſicus, aut mathematicus, ſed ſenſibilis, & humanus; ſufficit enim quod humano, & ſenſibili modo medietas conſecrata diſcernatur, & diſtinguatur à non conſecrata

124 — Secundum de remittente ſuam intentionẽ in Deum, Angelum, aut alium hominem

Ad ſecundum, vel Deus antè conſecrationem manifeſtavit Sacerdoti, quas quatuor hoſtias malit conſecrari, vel non: Si primum, Sacerdos validè conſecrat, habet enim intentionem ſufficienter determinatam licet quodammodo mediatè, & dependenter ab intentione Dei; Si ſecundum, non item, quia non poteſt deſignare, ac demonſtrare, quænam ſint illæ quatuor hoſtiæ, quas Deus conſecrari mavult, & ipſe conſecrare intendit: Poteſt igitur quis remittere ſuam intentionem in Deum, eodemque modo in Angelum, vel alium hominem, ſi voluntas, & determinatio ejus, in quem ſe remittit, ſit ſibi antecedenter nota, ſecùs ſi ignota. Nec refert, quod poſſit quis applicationem ſacrificii in Deum remittere, offerendo pro eâ animâ, quam Deus maluerit, etiamſi ignoret prorſus quam animam Deus malit Non refert inquam, quia non eſt neceſſe ſacrificantem deſignare pronomine demonſtrativo animam, pro quâ offert, ſicut deſignat conſecrans materiam, quam conſecrat. Deindè etiam abſtrahendo ab hoc ad applicandum ſacrificium minor intentio ſufficit, quàm ad conficiendum Sacramentum, & qui applicationem ſacrificii in Deum remittit, remittit effectum ſacrificii, non ſacrificium ipſum; in caſu autem dubii in Deum remittitur Sacramentum, non ſolus effectus Sacramenti.

125 — Tertium de putante ſe conſecrare unam hoſtiam, & invenientẽ duas; aut deferente ad altare plures, & conſecrante cum actuali memoria unius dumtaxat.

Ad tertium, vel Sacerdos habet intentionem conſecrandi præcisè illam hoſtiam, quam videt, & quam putat ſe conſecrare excludendo omnem aliam, & tunc hanc ſolam conſecrat, non aliam quam poſteà coram ſe invenit; vel habet, ut haberi ſolet & debet, intentionem conſecrandi materiam præſentem, & tunc, quod putet ſe unam conſecrare, non impedit, quin alia coexiſtens, & præſens maneat conſecrata, quia privata deceptio non officit debitæ intentioni, cum iſta ſit per ſe volita à Miniſtro, illa ſit per accidens, & interpretativè involuntaria. Eâdem ferè ratione reſpectu deferentis ad altare plures hoſtias cum intentione, ut ſupponitur, illas omnes conſecrandi, eſſe per accidens & ferè involuntarium, quod tempore actualis conſecrationis unius tantùm recordetur, & cum aliundè materiæ conſecrandæ recordatio actualis non ſit neceſſaria ad valorem conſecrationis, aliarumque hoſtiarum non recordatio non tollat perſeverantiam virtualem intentionis, quæ circà alias præceſſit, etiam aliæ, dummodò ſufficienter præſentes ſint, remanent ex vi hujus intentionis virtualis conſecratæ, imò etiam ex vi intentionis

actua-

actualis, si is, qui unius tantùm hostiæ recordatur, actu intendat consecrare omnem materiam sibi præsentem: In casu igitur dubii aliæ hostiæ non consecrarentur solum, quando Sacerdos haberet in actuali consecratione intentionem limitatam ad illam hostiam præcisè, cujus actu recordatur, & omnem aliam materiam excludendo, intentionem, quæ præcesserat, implicitè retractaret: ex his patet eum, qui ab initio missæ habuit intentionem consecrandi simul cum hostia pyxidem in altari positam, regulariter loquendo verè hanc consecrare, etiamsi in missæ progressu, & in ipso actu consecrationis nullatenùs de eâ cogitet.

126

Quartum de consecratione guttarum calici aut fragmentorum hostiæ adhærentiũ

Ad quartum, Guttæ vini calici adhærentes, vel adhærent superficiei calicis concavæ, seù interiori, & intrà calicem sunt, licèt à vino, quod in fundo calicis est, separatæ; vel adhærent superficiei calicis convexæ, seù exteriori, & extrà calicem existunt; hoc posteriori modo certum videtur non manere regulariter consecratas, quia intentio Ministri pro consecratione sanguinis solet versari solùm circà materiam existentem intrà calicem, non aliter ut eumque præsentem; priore modo est aliqua major ratio dubitandi, quia quidquid est intra calicem, videtur habere aliquam majorem conjunctionem moralem, & uniformem præsentiam ad terminandam per modum unius intentionem Ministri: Nihilominùs quia ex unâ parte Minister supponitur intendere consecrationem solius materiæ licitè consecrabilis, & ex aliâ parte est regulariter licitè consecrabile solum vinum aquâ mixtum, adhibenda est pro dubii solutione distinctio, & considerandum, utrùm guttæ, de quibus agitur, fuerint à vino, quod in fundo calicis est, separatæ antè vel post mixtam aquam? si post, sunt guttæ vini aquâ mixti seù sunt vinum aquâ mixtum, & cum supponantur existere intrà calicem, ad quem terminatur intentio, non est cur sub intentionem non cadant, & consecratæ non censeantur? Si antè, sunt guttæ vini non mixti aquâ, non licitè consecrabiles, nec censendæ regulariter sub intentionem consecrantis cadere, & manere consecratæ: Quia verò hujusmodi guttarum separatio facilè contingit antè mixtionem, in ipsâ scillicet vini, vel aquæ in calicem infusione, non post, rectè Suarez *præcit. sec. 6. §. sed obiciet*, Reginaldus *lib. 29 cap. 2.* Gavantus *in Rubr. Miss. par. 3. tit. 7. nu. 4.* Madernus *quæst. 2. art. 4. n. 15.* & alii magis communiter docent absolutè guttas calici adhærentes non manere consecratos contrà Bonacinam *disp. 4. qu. 2. par. 5. num. 7.*, & Chamerotam *cap. 6. dub. 6.*

127

De fragmentis hostiæ adhærentibus non est eadem ratio dubitandi, quia etiam separata sunt panis azymus ejusdẽ omninò rationis cum hostiâ, & æquè præsentia, ac hostia; non est igitur, cur regulariter censeantur non cadere sub intentionem Ministri, & non manere consecrata, undè, quidquid in contrarium sentiat Passarinus *quæst. 74. art. 2. num 14.* receptior opinio est, ea regulariter manere consecrata, & confirmatur positivè ex usu, quo diligenter perquiruntur, & tamquam consecrata sumuntur antè sumptionem sanguinis: Aliam addit confirmationem Madernus *præcit. art. 4. num. 17.* quia inquit Sacerdos, qui intenderet consecrare in hostiâ, quidquid continuum est, non quod Deus, vel Angelus videt esse tantùm contiguum (ut contigua tantùm sunt fragmenta de quibus agitur) nihil efficeret & haberet intentionem vagam, ac indeterminatam similem ei, quâ quis ex duabus hostiis sibi præsentibus intenderet consecrare solùm unam, quam Deus maluerit: At hæc confirmatio meo videri infirma est, nec servat, quam affert paritatem, intentio enim consecrandi quidquid in hostiâ continuum est non, quod Deus, vel Angelus videt esse contiguum, est vaga & indeterminata quò ad id, quod contiguum, est quodque à consecrante non designatur, & fortè nec totum percipitur, sed in quò ad id, quod continuum: Nec servatur paritas ejus, qui ex duabus hostiis sibi præsentibus &c. quia iste neutram hostiam determinat, ille verò determinat, quod continuum est, & ad similitudinem, paritatemque servandam deberet in casu dubii supponi, quod quis intenderet consecrare in hostiâ sibi præsente solum, quod continuum, vel solùm quod contiguum est, pro ut Deus Angelusvè viderit, & maluerit; intentionem sic formatam fateor esse indeterminatam, vagam, & nihil efficere, intentionem verò à Maderno allatam dico esse indeterminatam quò ad fragmenta contigua, & quò ad hæc nihil efficere, esse verò determinatam quoad totum in hostiâ continuum, & hoc manere consecratum: Neque dicas, non potest Sacerdos discernere, ac distinguere totum continuum ab omni eo, quod est contiguum, utpotè quod potest modicissima, & ferè imperceptibilia fragmenta complecti, ergo non potest, quod continuum est, determinatè designare, estque intentio allata etiam quò ad totum continuum indeterminata. Contrà enim, quamvis fortè nequeat discernere, ac distinguere modo metaphysico aut mathematico, benè tamen modo sensibili, & humano, quod sufficit ut de medietate hostiæ dicebamus *præced. num. 123.*, & admittit Madernus *ibid. num. 20.*

128

129

Quintum de consecrabilitate guttæ aut particulæ non consecratæ infusæ aut immixtæ vino aut particulis consecratis.

Ad quintum dico cum Lugo *disp. 4. sec. 7. num. 136.* Arriagâ *disp. 30. sec. 4. num. 18.*, & Maderno *præcit. art. 4. num. 19.* illam guttam vini, & particulam, seù buccellam panis non esse validè consecrabilem intentione absolutâ terminatâ ad ipsam solam, dicendo v. g. intendo consecrare guttam non consecratam, particulam non consecratam, quidquid hic est non consecratum; benè tamen intentione conditionatâ terminata simul ad totam materiam consecratam cui gutta aut particula non consecrata infusa aut permixta est, dicendo v. g. intendo consecrare, quidquid est in hoc calice, quidquid est in hâc pyxide, si est aliquid non consecratum. Prima pars, quæ est contrà

Passa-

Passatinum *præcit.art.2. num.26.* probatur ex eo, quod consecrans nescit determinatè, quænam sit illa gutta, aut illa particula? nequit igitur illam solam, & seorsim designare, nec item de illâ verificare pronomina demonstrativa formarum consecrationis, ut constat ex supradictis *num.* 121. Nec opinioni oppositæ suffragatur universalitas illa, quâ quis dicat, Intendo consecrare, quidquid est non consecratum, aut quidquid est consecrabile. Non suffragatur inquam, quia intentio, dum est absoluta, dirigit ly *Quidquid* ad solam guttam, seù particulam non consecratam, & ex circumstantiis, ac intentione loquentis dicere quidquid est consecrabile, & dicere guttam seù particulam non consecratam, sunt in proposito synonima, quàmvis ex se præcisè in propriâ significandi ratione valdè differant. Probatur secunda pars, quia totum, quod est in hoc calice, totum, quod est in hâc pyxide, est determinatè designabile, & aptum verificare pronomina demonstrativa, & aliundè suprà materiam consecratam potest conditionatè reiterari consecratio, & intentio consecrandi, quoties de illâ totâ dubitatur, aut de illius parte incertâ scitur, quod consecrata non sit. Utrùm verò in casu dubij, pro consecrandâ illâ gutta, seù particulâ non solùm validè, sed & licitè possit suprà totam materiam adhiberi forma, & intentio conditionata, sicque consecranda illa sit, an potius relinquenda inconsecrata? Certum est non licere universim in Sacramentis usum formæ, & intentionis conditionatæ sine necessitate, & causâ gravi; hæc in proposito nulla occurrit pro illâ vini guttâ, quia totum vinum in calice existens sumitur à Sacerdote, cui nihil obest in tali vino esse guttam non consecratam, quin nec cuiquam obesset, si vinum consecratum distribueretur, quia nulli obveniret sola gutta non consecrata; sicuti tamen si distribuerentur particulæ, singulæ singulis, ut mos est, alicui obveniret sola illa particula non consecrata; iste propterea fraudaretur sacramenti effectu, distribuens & adstantes adorarent panem non consecratum, aliaque inconvenientia sequerentur, propter quæ est aliqua causa, & necessitas utendi formâ, & intentione conditionatâ, ne illa particula inconsecrata remaneat; adhùc nihilominùs videtur posse illis inconvenientibus aliter occurri distribuendo singulis binas particulas, sic quippè nulli obveniet sola particula non consecrata: Ideò certum sit in casu proposito guttam vini relinquendam esse inconsecratam, idem probabilius esto in casu unius particulæ; quod si multæ particulæ non consecratæ multis, aut uni particulæ consecratis misceantur, tunc, ne illæ inconsecratæ remaneant, adhibeatur modus prædictus conditionatus,

130

131 His dubiis expeditis ad horum instar expediri possunt alli casus innumeri, quorum tamen magna pars solum in disquisitionibus Scholasticis agitatur, & rarissimè, aut numquam evenit in praxi; præsertim si Sacerdos, ut debet, nec leviter nec scrupulosè attendat ad varios, quos habere potest, materiæ consecrandæ, & intentionis modos, nec ex malitiâ velit inordinatè, & dubiè consecrare, sed prudenter, pièque amplectatur optimum consiliū habendi semper sine ulteriori discussione intentionem consecrandi totam materiam consecrabilem, quam habet præsentem, & quam Ecclesia consecrari intendit.

Optimum consilium circà intentionem habendam in consecratione.

---

§. VII.

An in Pane, & Vino consecrandis detur determinatus terminus magnitudinis, & parvitatis, seù maximum, & minimum quod sic?

132 Nulla materia redditur incōsecrabilis per se, & formaliter ex nimia magnitudine.

ASSERT. I. Panis, & Vinum possunt in quâcumque magnitudine, in qua habeant præsentiam sufficientem, validè consecrari, at nequeunt habere in quâcumque magnitudine præsentiam sufficientem: Quod est idem, ac dicere, in pane, & vino validè consecrandis non datur determinatus terminus magnitudinis, & maximum, quod sic per se, ac ratione quantitatis præcisè, at datur per accidens, & ex defectu præsentiæ. Prima pars est S. Thomæ *hic quæst. 74. art. 2.*, & *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3.* Durandi *eâd. dist. quæst. 6.* Richardi *dist. 10. art. 7. quæst. 1.* Cajetani *eod. art.* 2. Mastrii *disp. 3. quæst. 5. art.* 2. Laureæ *disp. 18. art. 6.* Suarii *disp. 43. sec. 8.* Vasquii *disp. 171. cap. 3.* Valentiæ *disp. 6. quæst. 2. punc. 2.* Maderui *quæst. 2. art. 4.*, & cæterorum ex quâlibet scholâ contrà Alensem *4. par. quæst.* 10. *memb. 4. art. 2. §. 6.* Bonaventuram *in 4. dist. 10 par. 2. art. 1. quæst. 4.*, & aliquos alios docentes, non posse validè consecrari, nisi quantitatem, seù magnitudinem accommodatam usui fidelium. Item contrà Paludanum *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. concl. 1.* dicentem virtutem Sacerdotis esse finitam, & postulare finitam, ac determinatam materiam, quamvis quænam sit illa determinata materia, ultrà quam operari non potest, soli Deo, non homini innotescat. Secunda asserti pars, quæ nec ab antiquis Scholasticis, nec à majori parte recentium sub propriis terminis expenditur, pendet plurimum ab eo, quod materia consecranda debeat esse præsens secundum omnes, & singulas sui partes, an sufficiat, quod sit præsens secundum unam partem, ut possit consecrari tota? Singularum partium præsentiam requirunt, & nobiscum in hâc asserti parte sentiunt Suarez *disp. præcit. sect. 5. §. Tertiò quæri.* Arriaga *disp. 30. sect. 4. nu. 17.* Lugus *disp. 4. sect. 7. nu.* 127. Herinex *disp. 2. quæst. 1. num. 7.* Mastrius *præcit. art. 2. nu. 132.* Madernus *præcit. art. 4. num. 4.*, & reliqui magis communiter contra Vasquium *disp. præcit. cap. 4. num. 25.* Lauream *præcit. art. 6. num. 129.*, & aliquos alios.

133 At potest reddi talis per accidens, & cōsequenter ex insufficientia præsentiæ.

Probatur prima asserti pars: Loquendo per se, & attentâ præcisè magnitudine, sup-

possit

positis verò præsentiâ aliisque conditionibus ad validam quidem consecrationem requisitis at ad materiæ magnitudinem per accidens se habentibus, multo major est ratio negandi, quàm affirmandi determinatum terminum, & maximum quod sic in materiâ consecrandâ; ergo panis, & vinum possunt in quacumque magnitudine &c.

134
Rationes excludendi maximum, quod sic in materia consecrabili desumptæ primò ex consecrationis termino à quo;

Probatur antecedens discurrendo per capita, ex quibus erui possunt, vel pro negativâ vel pro affirmativâ parte rationes: Et primò, si attendatur consecrationis, seu transubstantiationis terminus à quo, nimirum substantia panis, & vini; istæ possunt sub propriis accidentibus in quacumque magnitudine reperiri, ut constat tùm experientiâ à posteriori, tùm ratione à priori ex eo, quod formæ substantiales rerum inanimatarum juxtà Philosophos communiter non habent maximum, quod sic: Secundò, si

Secundò ex termino ad quem;

attendatur terminus ad quem, nimirùm substantia corporis Christi, ponitur hoc sub speciebus per præsentias replicatas, & sicuti possunt istæ pluries, & pluries in infinitum replicari, ità potest illud sub pluribus, & pluribus speciebus majorique in infinitum quantitate sacramentaliter collocari. Ter-

Tertiò ex proximo efficiente:

tiò, si attendatur proximum efficiens nimirùm potestas Sacerdotis, & virtus verborum, hæc operatur obedientialiter, sicut instrumentum Dei, quâ ratione est illimitata, & potens cujuscumque magnitudinis materiam transmutare: & sicuti forma absolutionis non habet terminum in suâ materiâ remotâ idest in peccatis, à quibus absolvit, ità nec forma consecrationis habere debet terminum in materiâ, quam consecrat:

135
Quartò ex fine primario:

Quartò, si attendatur finis primarius nimirùm significatio, & productio gratiæ: hæc indifferens est, ut significetur, & producatur à Christo sub quacumque panis, & vini quantitate existente, imò cæteris paribus sub majori quantitate potest major, & in pluribus produci. Quintò, si attendatur

Quintò ex Christi institutione:

institutio, nullâ traditione, nullâ auctoritate, nullâque aliâ viâ constat fuisse limitatam potestatem consecrantis, aut determinatam quantitatem materiæ consecrandæ: Neque ex eo, quod Christus *Luc.* 22. in Eucharistiæ institutione consecrans sanguinem dixerit *Hic est Calix* &c: infertur ipsum instituisse, ut vinum consecrandum non sit in quantitate majore quam quæ possit in calice contineri: Non inquam id infertur, quia est figurata locutio; in quâ continens sumitur pro contento, & certum est posse vinum validè consecrari, etsi aut in calice non existat, aut etiam existente eo in calice non fiat ut *Matth.* 26., & *Mar.* 14. non fit calicis mentio in formâ verborum. Deindè impertinens est mensura calicis ad determinandam vini consecrandi quantitatem, cum possint calices tùm grandiores, & grandiores efformari, tùm plures, & plures simul consecrari:

Sextò ex usu, & sumptione,

Sextò, & ultimò, si attendatur usus, seu sumptio, cum indeterminatus sit numerus fidelium ad Eucharistiam sumendam accedentium, & possint insuper singuli sæpiùs, ac sæpiùs accedere; habetur etiam ex hoc capite, in quo Adversarii suam sententiam maximè fundant, aliquod nostræ sententiæ fundamentum, & est ratio D. Thomæ *præsit. art.* 2.

136

Dices hanc rationem non militare pro indeterminatâ quantitate specierum vini, cum istæ à solo consecrante sumantur, & quò ad species panis valere solum intrà certam latitudinem, intrà quam solam est indeterminatus numerus concurrentium ad sumendam Eucharistiam, quilibet enim Parochus v. gr. plus minusvè, & intrà certam latitudinem scit, quamnam panis consecrati quantitatem singulis annis, vel mensibus distribuat, & nemo non judicaret usui fidelium improportionatum, & Sacramento injuriosum, consecrare totum panem, qui in foro venditur, aut in parvi oppidi Ecclesiâ centena particularum millia: Confirmatur hoc tùm exemplo Christi Domini, qui consecravit solum materiam pro communicandis Apostolis adstantibus commodè sufficientem, tum consuetudine, & ritu Ecclesiæ non conficientis, nec asservantis Sacramentum in valdè magnâ quantitate, sive continuâ, sive discretâ. Sed contrà:

137

Do rationem ab usu desumptam excludere determinatum materiæ consecrandæ terminum in materiâ Corporis magis quàm in materiâ sanguinis, at valet deindè ab illâ ad istam illatio: Do item illam se solâ esse efficacem intrà certam, non intrà quamcumque maximam latitudinem, at nobis sufficit, quod sit pro quacumque latitudine efficax in consortio aliarum rationum præcedentium, ex quibus omnibus simul sumptis, & ad Adversariorum fundamenta, quæ mox excutio, comparatis, abundè evincitur majorem esse, ut in primo antecedente dicebatur, rationem negandi quàm affirmandi determinatum terminum, & maximum, quod sic in materia consecrandâ; & posse hanc validè consecrari in quantitate etiam usui fidelium improportionatâ, superfluâ, & Sacramento injuriosâ. Ratio est, quia nec

138
Occurritur fundamentis Adversariorum.

usus, nec reverentia Eucharistiæ debita est pars ipsius intrinseca, & essentialis, sed effectus posterior, & circumstantia, requiritur que ut illa licitè non ut validè fiat: Accedit, quod superfluitatis, & irreverentiæ inconveniens, quod objicitur consecrationi maximæ materiæ, incurreretur pariter ex iteratâ sæpius consecratione plurium mediocrium materiarum, ut D. Thomas *opusc.* 59. *cap.* 5. exemplificat in eo, qui per omnia fora, quibus panis, per omnia cellaria, quibus vinum venditur, cursitaret proferendo verba consecratoria, etiam in Christi Domini ludibrium, & irrisionem; his & similibus inconvenientibus sufficienter consultum est per hoc, quod sint prohibita, nec expedit, quod ratione ipsorum Sacramenta sint irrita. Ad instantiæ confirmationem dico exemplum Christi, & ritum Ecclesiæ probare convenientiam, & obligationem, non absolutam necessitatem consecrandi in non valdè magnâ materia, & suadere hujus consecra-

secrationem illicitam, non invalidam; Nec certè in Sacramentis, quod facit illicitum, facit invalidum, alioqui essent invalida omnia Sacramenta, quæ conficiuntur à Ministris in lethali existentibus.

Urgebis: Materia superflua non sanctificatur per formam baptismi, ergo similiter non consecratur per formam Eucharistiæ, ergo quando materia, sive panis, sive vinum sit, est adeò magna, ut fidelium usui superfluat invalidè non illicitè tantum consecratur; probatur antecedens, quia non tota fluminis, aut maris aqua sanctificatur per hoc, quod quis in flumine, aut in mari baptizetur. Sed contrà: Sacramentum baptismi in usu, & sumptione perficitur, ideo ea sola aqua sanctificatur, quæ in usum venit, & ablutioni ejus, qui baptizatur, inservit, ad eamdem solam forma baptismi per ly *baptizo*, quod idem est, ac *abluo* determinatur: Sacramentum Eucharistiæ non sumptione perficitur, sed consecratione, sub quam potest quælibet magna materia cadere, nec refert, si sit usui superflua, quia usus est extrà Eucharistiæ licèt non extrà baptismi essentiam.

139

Probatur secunda asserti pars: Panis, & vinum nequeunt in quâcumque magnitudine esse secundum omnes, & singulas suas partes præsentia Ministro consecranti præsentiâ sensibili importante propinquitatem localem, & notitiam sensus, atqui hæc præsentia requiritur, & sola sufficit, ut validè consecrentur; ergo panis, & vinum nequeunt habere in quâcumque magnitudine præsentiam sufficientem ad validè consecrari: Major constat, certè enim panis, qui Româ Neapolim v. g. protenderetur, & vinum, quod per Tyberim loco aquæ deflueret, haberent multas sui partes valdè distantes, & sensibus imperceptibiles à Ministro Romæ consecrante: Minor probatur, si quæ alia præsentia sufficit maximè ea, qua panis, & vinum sint Ministro consecranti localiter propinqua, & sensu percepta secundùm aliquas sui partes etsi non secundùm omnes, & singulas, at hæc præsentia non sufficit, & magna materia præsens tantùm secundùm unam, vel aliquas partes non potest validè consecrari tota, quod sic probo: Partium secundùm se distantium, & sensu imperceptibilium continuitas, aut quasi continuitas cum aliis partibus propinquis, & sensu perceptis non sufficit, ut de illis verificentur pronomina demonstrativa Hic, & Hoc, & quàmvis v. g. totus aer, totaquè ferè terra continuetur, qui tamen in infimâ aeris regione Romæ constitutus dicit, Hic aer. Hæc terra juxtà communem loquendi morem, & prudentium intelligentiam, non demonstrat aerem Regionis Supremæ, nec terram Constantinopolitanam, alioqui posset verè, & propriè dicere, Hic aer numquam est nubilosus, hæc terra est infidelium, cum ad regionem aeris supremam numquam nubes perveniant, & Constantinopolim infideles occupent; & nihilominus è contrà solùm verè, & propriè dicit, Hic aer est nubibus obnoxius, Hæc terra est fidelium; ergò signum est pronomina demonstrativa non verificari de omnibus partibus continuis, aut quasi continuis cum iis, quæ sunt localiter propinquæ, & sensu perceptæ, nec sufficere partium secundùm se distantium continuitatem &c.

140 Ut magna materia tota consecretur non sufficit, quod sit præsens secundùm aliquam sui partem

141

Dices nos ex unâ parte laborare inutiliter, & ex aliâ nimis probare: laboramus inutiliter, quia materiæ sacramentorum sunt res naturales, & moraliter possibiles, vinum autem, & multò magis panis tantæ magnitudinis, ut secundùm aliquam sui partem nequeat ratione distantiæ sensu percipi, non est res naturalis, & moraliter possibilis; imò, si materiæ consecrandæ, ut *num.* 114. insinuavimus, sufficit perceptio ex auditu, seu ex alterius relatione, nulla illius distantia potest impedire, ac sensu sufficienter percipiatur. Probamus nimis, quia ut objicit Vasquez *præcit. num.* 25. ex nostrâ probatione concluditur non posse validè consecrari materiam, nec valdè magnam, nec valdè distantem ità appositam, ut à fronte tota videretur, reliquæ verò partes non viderentur, nec videri possent, eo quod ad modum pyramidis procedentes in cuspidem desinerent: Idem concluditur de vino, quod in vase profundo, & arcto existat: Imò vix umquam ulla materia validè consecraretur, cum quælibet, præsertim quandò res opaca est, ut panis, etiamsi modica sit solùm secundùm exteriorem superficiem, & ut plurimum ne quidem totam sentiatur; aperiretur igitur aditus innumeris scrupulis, si ut validè consecraretur tota aliqua materia, deberet secundùm omnes, & singulas partes sensu percipi, nec sufficeret percipi secundum aliquas, cum quibus aliæ continuitatem, aut quasi continuitatem habeant, & unum quid faciunt. Sed contrà:

142

Ad primam instantiæ partem dico, etiam circà hypotheses impossibiles non inutiliter laborari, & quandò materia consecranda non posset pervenire ad magnitudinem, extensionemvè majorem, quàm possit sensu percipi; adhùc de tali magnitudine, extensionevè majore, quò ad speculationem, si minus quò ad praxim, utiliter quæreretur, an esset consecrabilis, adhùc enim quæstio inserviret ad dignoscendam præsentiam materiæ debitam, & potestatem, ac virtutem Ministro, ac formæ communicatam: Deindè Sacramentorum materiæ necessariæ, & ordinariæ, non sufficientes, & extraordinariæ, debent esse res naturales, & moraliter possibiles; & sicuti vinum à Deo in nuptiis miraculosè productum, ac per consequens quò ad modum supernaturale, erat consecrabile, ità si ab eodem produceretur ingens vini lacus, aut panis mons, non debere censeri materia inconsecrabilis ex eo, quod esset res quò ad modum supernaturalis, & moraliter impossibilis de lege ordinariâ; utiliter igitur de tali re quæritur, an esset consecrabilis aliundè: Ad illud quod addebatur *ex nu.* 114. dico me ibi insinuasse, quid aliqui sentirent, non quid ego? Quin etiam

143 Utrû quis possit consecrare materiam solo auditu perceptam?

nunc

nunc id cum Mastrio *præcit. art. 2. num.* 135. libenter relinquo aliorum judicio, & solùm pro re præsenti moneo, quod si sufficit, materiam consecrandam à consecrante sentiri ex auditu, & ex relatione alterius, debet saltem in tali casu supponi ea localis propinquitas, quæ requiritur ad præsentiam sensibilem simpliciter, & absolutè dictam, in quâ scilicet non ex solo auditu (licet de facto ex hoc solo sentiatur,) sed ex aliquo alio sensu potest, & solet res sentiri, seù cognosci; ideò &c.

Ad secundam Instantiæ partem dico, nec quamlibet materiam debere secundùm omnes, & singulas partes sub sensum cadere, ut tota validè consecretur, nec quamlibet posse totam validè consecrari per hoc, quod secundum aliquam partem sub sensum cadat; sed alicui materię sufficere sentiri secundùm aliquas partes, ut etiam secundùm reliquas consecretur, tales sunt materiæ in instantiâ adductæ; alicui id non sufficere, talis est materia utcumque magna, de quâ nunc agitur. Pro quo adverto, partes materiæ consecrandæ, vel omnes & singulas etiam seorsim, & secundùm se acceptas esse intrà sphæram propinquitatis, & sensibilitatis ad consecrationem requisitæ, vel non; si omnes, & singulæ sint intrà sphæram, ut evenit in materia non valdè magna, non est necesse, quod singulæ sensu percipiantur; sed conjunctio ipsarum cum aliis sensu perceptis sufficit, quia cum sint intrà sensuum sphæram, per accidens est, quod actu non sentiantur, & sicuti possunt sentiri immediatè in se, ità rectè dicuntur sentiri mediatè in aliis: si omnes, & singulæ intrà talem sphæram non sint, ut facilè evenire potest in materiâ valdè magnâ, illarum, quæ intrà sphæram non sunt, cum aliis sensu perceptis conjunctio non sufficit, ut validè consecrentur, quia sicut ratione distantiæ non sunt sensibiles, & pronominibus demonstrativis designabiles secundum se, ità nec ut conjunctæ cum aliis: per hanc quippè conjunctionem, nec tollitur nec minuitur illa distantia.

144 Quandonam aliqua materia possit validè consecrari tota per hoc, quod sentiatur secundùm partem; quando non.

145 Urgebis: De toto exercitu rectè dicitur, est præsens Cæsari. vel hic est exercitus Cæsaris, etiamsi aliqui ipsius milites seorsim non sint intrà sphæram prædictæ propinquitatis, & sensibilitatis, sed ratione distantiæ nequeant pronomine demonstrativo designari, & sensu à Cæsare percipi: Item de toto aliquo lacu, eoque ingenti puta de lacu lemano, rectè quis ad ipsius ripam constitutus dicit, Hic est lacus lemanus, vel Hic lacus est piscium abundans, etiamsi nequeat remotiores ipsius partes seorsim acceptas sensu percipere, aut prædicto pronomine designare: ergo doctrina nostræ responsionis non subsistit, & vel omnis, vel nulla materia potest tota validè consecrari per hoc, quod sit propinqua, & sensata secundum aliquas partes, cum quibus cæteræ continuentur. Confirmatur Instantiæ instauratio ex eo, quod quælibet hominum multitudo est sufficienter præsens, ut tota simul à censuris, aut etiam à peccatis validè absolvatur, & sic v. g. potest in vastâ planitie simul ab excommunicatione absolvi maximus exercitus, aut ingens populus: ergo etiam quælibet hostiarum aut calicum multitudo est sufficienter præsens, ut tota simul validè consecretur. Sed contrà: Res ex genere suo magnæ importantes scilicèt magnam quantitatem, vel continuam, vel discretam, cujusmodi sunt lacus, & exercitus sicuti ex *præced. nu.* 143. possunt designari, & tamquam præsentes demonstrari in aliquâ majori distantiâ, ità conjunctio partium potest ipsis deservire ad hoc, ut cadendo sub sensum secundùm aliquas partes censeantur sensibiliter præsentes, & pronomine demonstrativo designabiles secundùm alias plures, & remotiores at intrà sphæram propinquitatis, & sensibilitatis, de quâ suprà: Ad exempla adducta dico in hypothesi ibi factâ illas locutiones esse improprias, & per figuram synecdochem à parte totum significari, seù pro parte totum sumi, unde locutione rigorosâ, & propriâ dici deberet Pars totius exercitus est præsens Cæsari. Hæc est pars totius exercitus Cæsaris: Item hæc est pars lacus lemani &c. sicuti pariter loqueretur impropriè, & partem pro toto sumeret, qui diceret video exercitum Cæsaris, video lacum lemanum: Præterea in illis locutionibus non importari propriè totum exercitum, totum lacum deducitur ex eo, quod non bene diceretur expressis terminis Totus exercitus est præsens Cæsari. Hic est totus lacus lemanus, alioqui etiam ad littus Oceani constitutus rectè proprieque diceret, Hic est totus Oceanus.

146

147 Ad confirmationem concedo antecedens nego consequentiam; disparitas quò ad absolutionem à censuris est perspicua, cum enim certum sit ipsam posse impertiri absentibus, non est mirum, quod præsentia quæcumque etiam impropriissima sufficiat, ut validè impertiatur. Quò ad absolutionem à peccatis dico ex ipsius formâ non continente ullum pronomen demonstrativum constare, quod ad sui verificationem non requirat illam strictam, & propriam præsentiam, quam requirit forma consecrationis; nec dicendo v.g. *Absolvo vos* designo personas cum eo rigore, quo designo contentum sub speciebus panis dicendo, *Hoc est Corpus meum*.

Ad absolutionem à censuris, aut etiam à peccatis non requiritur tanta præsentia, quanta ad consecrationem.

148 Assert. II. Panis, & Vinum possunt validè consecrari in quâcumque parvitate in quâ habeant præsentiam sensibilem, seù sensu perceptibilem; Utrùm deindè hanc habeant, nec ne in quâcumque parvitate? pendet à quæstione philosophicâ affirmante, vel negante minima naturalia in rebus inanimatis. Quod est idem, ac dicere, in pane & vino validè consecrandis non datur determinatus terminus parvitatis, & minimum, quod sic per se, ac ratione quantitatis præcisè: an detur per accidens, & ex defectu sensibilitatis? pendet à quæstione philosophicâ &c. Ità iisdem ferè locis Auctores præcitati circà magnitudinem aliique commu-

Nulla materia reddi tur inconsecrabilis per se, & formaliter ex nimia parvitate.

niter contrà Sotum *in 4. dist. 9. quæst. un. art. 1.* docentem posse validè consecrari quamcumque panis, & vini parvitatem, etiamsi nequeat sensu percipi, & volentem materiæ consecrabili sufficere, quod sit sensibilis ex specie, & naturâ suâ, nec obesse, quod per accidens sentiri non possit: Putant aliqui favere Soto D. Thomam, eo quod *præcit. quæstione. 3.* dixerit *Quantitas parva, vel magna ad hoc* (idest ad consecrationem) *nihil facit*. Verùm S. Doctor loquitur per se, & suppositâ præsentiâ sensibili, seù intrà talis præsentiæ terminos.

149 Probatur prima asserti pars, quia ut benè ait D. Thomas *præcit. art. 2. In argum. Sed contrà* Multum opponitur pauco, & magnum parvo, ergo sicuti suppositâ sensibilitate, & intrà terminos præsentiæ sensibilis, panis, & vinum possunt validè consecrari in quâcumque magnitudine, ità & in quacumque parvitate, addunt aliqui, in quâ panis, & vini substantiæ existant, at hoc ex terminis subintelligitur, nam si formæ substantiales panis, & vini habeat parvitatis licet non magnitudinis terminos, illa parvitas materiæ, in quâ panis, aut vini forma non conservatur, & substantia non existit, non poterit quidem etiamsi sensibili supponatur, validè consecrari, at non erit panis, nec vinum. Probatur consequentia, quia eadem est pro re præsenti ratio parvitatis, & magnitudinis, ut evincitur tùm expendendo communem legem oppositorum, tùm applicando servatâ proportione ad parvitatem ea, quæ *num. 134.* protulimus circà magnitudinem.

Dices: Non quæcumque parvitas aquæ sufficit pro baptismo, ergo non quæcùmque parvitas panis, & vini sufficit pro Eucharistiâ: Si respondeatur disparitatem esse, quia aqua est materia Baptismi, quatenus abluens; panis (sicut & proportionaliter vinum relatè ad sanguinem) est materia Eucharistiæ ut transiens in Corpus Christi, eique sub propriis speciebus locum cedens, nequit autem quælibet modicissima aqua abluere, sicut potest quilibet modicissimus panis transire in Corpus Christi, eique, utpotè quod totum indivisibiliter existit, sub quacumque propriarum specierum parvitate locum cedere: Impugnabitur responsio, quia panis transit, seù transubstantiatur in Corpus Christi, & vinum in sanguinem non quomodocumque, sed per modum cibi, & potus; at nec quicumque modicissimus panis potest manducari, & modum cibi habere, nec quodcumque modicissimum

150 vinum &c. ergo. Sed contrà: Sicut *ex præced. num. 139.* non est de baptismi, & Eucharistiæ materiâ eadem ratio quo ad magnitudinem, ità benè est, quod neque sit eadem quò ad parvitatem: Optimè igitur procedit disparitas instantiæ interposita: ad ejus impugnationem dico, quod aqua in baptismo sit abluens, spectat ad baptismi essentiam, & constitutionem, nam ablutio est proxima baptismi materia; quod verò panis, aut potius Corpus Christi sub panis speciebus habeat modum cibi, si intelligitur de cibo corporaliter sumptibili, spectat ad sumptionem, & usum, adeoque ad aliquid Eucharistiæ secundarium, & non essentiale, cujus defectu illa non deficit, nec impeditur ne fiat: Si intelligitur per modum cibi spiritualis animam reficientis, transeat spectare ad Eucharistiæ essentiam, at potest Eucharistia hanc cibi rationem habere, & spiritualiter animam reficere in modicissimâ specierum quantitate, in quâ seorsim acceptâ non sit corporaliter manducabilis.

151 *Utrùm possit reddi inconsecrabilis per accidens ex insufficientia præsentiæ consequente parvitatem? pendet à quæstione philosophica.*

Probatur, & explicatur secunda asserti pars recolendo ex philosophiâ res animatas, & formas viventes non posse naturaliter existere, & conservari in quâlibet maximâ, aut in quâlibet minimâ quantitate, propter etherogeneitatem dispositionum, & organizationem, quam requirunt, neque in quâlibet maximâ, neque in quâlibet minimâ quantitate reperibilem; hujusmodi res dicuntur habere maximum, & minimum, quod sic seù maximum naturale, & minimum naturale: In hoc conveniunt Philosophi, sicut & in eo, quòd res inanimatæ, ac formæ non viventes maximum, quod sic non agnoscant. Utrùm verò agnoscant minimum? duplex est sententia, altera absolutè negat, & vult inanimata, ac non viventia posse existere naturaliter, & conservari in quantitate minore, & minore in infinitum, aut in indivisibili; altera affirmat præsertim in iis, quæ licèt inanimata, & non viventia sint, non sunt prorsùs homogenea, atque etiam in his admittit minima naturalia, respectu diversarum rerum diversa, ac inæqualia, & non solum physicè divisibilia, ac sensibilia, sed etiam aliqua notabiliter magna, ut præcipuè constat in formis viventibus, quæ si valde perfectæ sint, ut anima hominis, forma Leonis, habent pro minimo naturali satis notabilem quantitatem:

152 *Et affirmandum est id in sententia negante, negandum in sententia concedente rebus inanimatis minima naturalia.*

Ex hâc universali doctrinâ ad materiam consecrationis descendendo dico, quod ista sit in quacumque parvitate sensibilis vel non, pendere ab eo, quod juxtà præmemoratam quæstionem philosophicam affirmentur, vel negentur in rebus inanimatis, signanter in pane, & vino, minima naturalia; Si enim affirmentur, substantia panis, & vini non conservabitur in parvitate minore minimo naturali, divisibili licèt, ac sensibili; Si negentur, conservabitur etiam in indivisibili, aut in parvitate in infinitum minore, & sic juxtà priorem sententiam panis, & vinum habent, juxtà posteriorem non habent, in quâcumque parvitate præsentiam sensibilem, seù sensu perceptibilem. Hinc probata manet, & explicata secunda asserti pars, ut jacet, idest indefinitè, & abstrahendo ab alterutrius philosoficæ sententiæ delectu, quod si ulterius procedendū sit, & ex unius potius quàm alterius delectu discurrendum, utriusvis delectus supponatur, peculiares difficultates, dubitationesque occurrunt. Et primò

153 Juxtà sententiam affirmantem minima naturalia, pars materiæ minor minimo naturali

turali

Occurritur dubiis pro ex præsentibus occurrentibus tùm in prædicta sententia affirmante.

turali sumi potest, vel seorsim à cæteris partibus, vel conjunctim, vel in statu separationis, vel in statu unionis: Si sumatur in statu separationis, sicuti nequit sub eâ poni, aut conservari substantia panis, ità nec Corpus Christi (idem semper proportionaliter intelligito de vino, & sanguine) quod per consecrationem non ponitur, nisi succedendo panis substantiæ, nec post consecrationem conservatur, nisi ubi panis substantia conservaretur; est igitur in tali sententiâ perspicuum, quod pars materiæ minor minimo naturali à reliquis separata etiamsi sensibilis supponatur, inconsecrabilis sit: Si verò eadem pars supposita sensibilis, & pronomine demonstrativo designabilis sumatur in statu unionis ad alias partes continentes substantiam panis, sicuti hanc, & ipsa continet, ità dubitatur, utrùm ipsa etiam sola consecrabilis sit, adeo ut Sacerdos in hostiâ integrâ, & continuâ v. gr. designans (ut designare posse supponitur) medietatem minimi naturalis, & ad istam solam dirigens verba consecratoria verè, & validè ipsam solam consecret? Negat Madernus *quæst. 2. art. 5. num. 10.* Affirmant Suarez *disp. 43. sec. 8. conc. 2.* Lugus *disp. 4. sec. 6. num. 101.* Arriaga *disp. 30. sec. 5. num. 27.* Lauræa *præcit. art. 6. nu. 131.*, & alii plures, quibus adhæreo ex eo, quod in datâ hypothesi medietas minimi verè in se continet naturaliter substantialem formam panis, & propriissimè panis est, isque sensibilis, ergo potest sub ipsâ per consecrationem poni Corpus Christi, & si valet à contrario argumentari; Medietas minimi separata nequit validè consecrari, quia non retinet substantiam panis, ergo eadem conjuncta potest consecrari, quia talem substantiam retinet. Neque dicas, in tali medietate non contineri substantiam panis completè, & sub accidentibus sibi debitis, præsertim verò non sub sibi debitâ extensione. Contrà enim verificatur hoc de tali medietate, quando esset à reliquis partibus separata, non quamdiù est cũ reliquis unita; quâ in re multus est Lugus *præcit. sec. 6.* & apud ipsũ plura pro, & cõtrà videri possunt.

154

Juxtà sententiam illa minima naturalia negantem, quæ sicut in philosophiâ magis placuit, ità & nunc magis placet, dubitatur, Utrùm pars modicissima, & sensu etiam acutissimo naturaliter imperceptibilis (eadem est ratio dubitandi de indivisibili, si ponatur continuum ex indivisibilibus constare) simul cum aliis consecrata, & deindè ab aliis separata, retineat Corpus Christi, sicut, si non fuisset consecrata, retineret substantiam panis. Negant Major *in 4. dist. 10. qu. 1. §. Sed contrà* Vasquez *hic disp. 191. cap. 2. num. 12.* Amicus *disp. 16. sec. 3. num. 138.* Lauræa *præcit. art. 6. num. 133.* Affirmant Suarez *disp. 43. sec. 8. §. Respondetur ergo* Lugus *præcit. sect. 6. num. 111.* Herinex *disp. 2. quæst. 1. num. 8.*, & Sotus hanc partem affirmantem *præcit. art. 1.*, adeò veram censet, ut oppositum putet esse manifestum errorem. Utraque pars solido nititur fundamento; Pars enim negans fundatur in eo, quod de ratione generica Sacramenti tàm in facto esse, quàm in fieri sit sensibilitas, nec definiatur Sacramentum solùm in fieri, dum dicitur esse invisibilis gratiæ visibilis forma, seù signum sensibile, ubi igitur sensibilitas deficit, desinit esse Eucharistiæ Sacramentum, & Christus sacramentaliter existens: Accedit, quod panis, qui desinit esse sensibilis, desinit esse usualis, & tamen sub solis speciebus panis usualis ponitur, & conservatur Christi Corpus. Pars affirmans nititur tùm regulâ generali, quâ Corpus Christi semel positum sub speciebus existit loco, & gerit vicem substantiæ panis, debet igitur conservari, ubicumque substantia panis conservaretur; tum auctoritate Tridentini *sess. 13. can. 3.* sine ullâ limitatione, & restrictione statuentis *Sub singulis cujusque speciei partibus separatione factâ totum Christum contineri:* Propter tàm solidum utriusque partis fundamentũ Mastrius *disp. 3. quæst. 5 art. 2. num. 130.*, & ferè etiam Arriaga *præcit. sec. 5.* hærent problematici: His ego facilè accederem, remque utrimque probabilem judicando libenter relinquerem indefinitam, & solum in Soto displiceret, tùm quod partem negantem gravi censurâ notet, tum quod ex permanentiâ Corporis Christi in parte modicissimâ, & sensibus imperceptibili ab aliis post consecrationem separatâ inferat talem partem sic separatam, & antecedenter non consecratam esse consecrabilem: Displicet censura, quia cadit in opinionem à gravibus Auctoribus ex gravi fundamento traditam; Displicet illatio, quia est regula generalis plura requiri ad Sacramentũ in fieri, quàm in facto esse; ut corpus Christi ponatur, quàm ut conservetur sub speciebus.

155 Tùm in sententia negante, quæ magis placet,

Utrum Christus existat in parte imperceptibili hostiæ consecratæ, factâ separatione,

Quod si à me quis exigat absolutam propositi dubii resolutionem, & unius partis problematis optionem extorqueat, in partem affirmantem propenderem, tùm quia est pluribus acceptior, & Tridentino conformior: tùm quia fundamentum partis negantis parùm premit, si dicatur sensibilitatem, quæ est de ratione genericâ Sacramenti, abstrahere à proximâ, & remotâ, extrinsecâ, & intrinseca, & quatenùs contrahitur ad Sacramentum in facto esse, supponere pro sensibilitate remotâ, & purè intrinsecâ, quam habet quælibet res materialis ex eo præcisè, quod materialis sit, quatenùs verò contrahitur ad Sacramentum in fieri supponere pro sensibilitate proximâ, & extrinsecè etiam completâ, quæ requirit in re materiali certam extensionem, aliquam loci propinquitatem, & alias hujusmodi conditiones. Ratio autem, ob quam Sacramentũ Eucharistiæ (nam in reliquis Sacramentis, quæ transeunt, & in fieri tota consistunt, hæc sensibilitatis diversitas non habet locum) majorem requirat sensibilitatem in fieri, quàm in facto esse, desumitur primò ex regulâ generali contrà Sotum prænunciatâ; Secundò ex propriâ significatione formæ consecrationis propter pronomina demonstrativa, quæ continet, requirentis ad sui verificationem in materia consecrandâ sensibilem

156 Aut problematicè,

Aut affirmativè sentiendum,

157

G 2 lem

lem præsentiam sitam in propinquitate locali, & notitiâ sensus, ut ex professo stabilivimus *num* 110 Neque facit difficultatem, quod Laurea *num*.136. ait posse pronomine designari rem etiam spiritualem ne dum materialem sensu imperceptibilem, unde potest quilibet jurare *Per hanc meam animam, per hunc meum characterem baptismi*: Non facit inquam difficultatem, quia hujusmodi designatio est intelligibilis non sensibilis; ad intelligibilem non ad sensibilem præsentiam refertur; fit modo communi animabus separatis, & Angelis, non modo proprio hominum in mortali vitâ existentium; pronomina autem demonstrativa ut posita in formis consecrationis referuntur ad præsentiam sensibilem, & ad designationem faciendam hominibus viatoribus, & in vitâ mortali existentibus, ideò &c. Hincque manet validius impugnata superior Soti illatio, & radiciùs improbata tota ipsius doctrina, quâ contendit esse validè consecrabilem panem etiam in eâ parvitate, in quâ sensu imperceptibilis sit, & sensibili præsentiâ careat.

158 — *Panis in ea parvitate, in que nequit, aut naturaliter sentiri, aut naturaliter existere, non est côsecrabilis;*

Dubitatur hîc pro côplemento, Utrùm possit validè consecrari? aut in nostrâ sententiâ non admittente minima naturalia, pars panis modicissima, & sensu imperceptibilis, aut in sententiâ ea admittente pars materiæ minor minimo naturali separata à cæteris, datâ hypothesi, quod divinitùs, illa sub sensum cadat, ista substantiam, seù formam substantialem panis retineat. Amicu *præcit. sec.* 3. *num*. 157. negat quo ad primum, affirmat quo ad secundum: Affirmat etiam quo ad primum Hetinex *præcit. num*.8. Negant verò quo ad utrumque Suarez *disp* 47. *sec*.7. §. *Sed dices*. Lugus *præcit, sec*. 6. *num*.92. Arriaga *præcit. sec*. 5. *num*. 21. Maderner *præcit. art*. 5. *num* 9., & alii magis communiter, quibus adhæreo; Ratio negandi primum est, quia pars modicissima divinitùs sub sensum cadens sicuti adhuc non posset simpliciter dici habere præsentiam sensibilem, adhuc non esset secundùm communem, & usitatum modum loquendi humanum designabilis sensibiliter per pronomen demonstrativum contentum in formâ consecrationis. Ratio negandi secundum est, quia substantia panis in illâ sententiâ, & in data hypothesi non esset sub quantitate, & extensione debitâ, per quam possit naturaliter significari; sicuti igitur substantia panis divinitùs posita sub accidentibus ligni non esset validè consecrabilis, quia non esset sub accidentibus sibi debitis, per quæ posset naturaliter significari, ità divinitùs conservata in parte minore minimo naturali non esset consecrabilis, quia non esset sub quantitate, & extensione &c.

Etiamsi aut divinitus sentiatur.

Aut divinitus conservetur.

§. VIII.

An accidentia Panis, & Vini, & an ipsa sola, intrinsecè constituant Sacramentum Eucharistiæ?

159 — *Accidentia panis, & vini pertinent ad côstitutionem intrinsecam Eucharistiæ.*

ASSERT. I. Accidentia Panis, & Vini, quæ propriis substantiis in consecratione desinentibus remanent, sunt essentiale, & intrinsecum constitutivû Sacramenti Eucharistiæ, seù pertinent essentialiter, & intrinsecè ad ipsius constitutionem. Sub hâc universalitate, & disjunctione (quâ utor, ut pro nunc omninò abstraham à constitutione adequatâ, vel inadæquatâ, à constitutivo importato in recto, vel in obliquo) assertum est receptissimum, & traditur communiter à Scholasticis partim cum D.Thomâ hic *quæst*.73. *art*.1. *ad*.2., & 3. partim cum Magistro, & Scoto *in* 4. *dist*.8. Et licèt aliqui velint, quod Eucharistiæ sacramentum à Cajetano *quæst*. 63. *art*.6. ponatur consistere in solâ formâ consecrationis; à Uvaldensi *tom* 2. *de Sacramentis cap*. 21. in solâ gratiâ invisibili, seù in præsentiâ Christi Domini, ab aliis multis in solo Christi corpore, & sanguine: Nihilominus Cajetanus eo loco loquebatur in sensu non formali, & constitutivo, sed causali, & effectivo, agebat enim de Eucharistiæ non essentiâ, & constitutione, sed de efficientiâ, seù actione, quâ Eucharistia conficitur, ac perficitur, & hanc dicebat esse non sumptionem, sed consecrationem, sicque effectivè, & causaliter loquendo collocabat, & benè, nec cum aliquâ ad nostram præsentem doctrinam contrarietate, Eucharistiæ Sacramentum in solâ consecratione: De Uvaldensi, opinionem, quam ei imponunt, nec ab ipso nec ab ullo usque ad illa tempora Scholastico fuisse aut traditam aut excogitatam, ostendit Vasquez *disp*. 157. *cap*.2. De aliis, quonam modo fuerint sine asserti nunc positi præjudicio locuti, constabit *ex seq. num*. 162., & 163.

Nec ullus Scholasticus propriè oppositum docuit.

160 Probatur: esse sensibile est essentiale, & intrinsecum constitutivum Sacramenti Eucharistiæ, seù pertinet essentialiter &c. atqui per accidentia panis, & vini, quæ ut suprà *num*. 7. asseruimus, propriis substantiis in consecratione desinentibus remanent, & species consecratæ nominantur, habetur in Eucharistiâ esse sensibile; ergo accidentia panis, & vini, quæ propriis substantiis &c. sunt essentiale, & intrinsecum constitutivum &c. Major supponitur *ex tract. de Sacram. in gen*. Minor probatur, quia ex unâ parte accidentia panis, & vini sunt in se, ac per se verè, & propriè sensibilia, & ad significandam sensibiliter gratiam per modum spiritualis refectionis, ut in Eucharistiâ confertur, conferendam aptissima propter analogiam refectionis spiritualis ad corporalem, quam panis, & vinum maximè præstant; ex aliâ parte nihil aliud est, quod fal-

tem

tem se solo possit Eucharistiæ tribuere esse sensibile, nam Corpus, & Sanguis Christi, ut sacramentaliter existunt, non habent immediatam sensibilitatem; verba consecratoria sunt quidem per se sensibilia, at faciunt unum cum sensibilitate specierum, & præterea sensibilitas Eucharistiæ debet esse permanens, & verba non habent permanentiam nisi moralem, & quatenùs moraliter afficiunt species, undè tandem in has solas resolvitur sensibilitas immediata physica, & permanens debita Eucharistiæ tamquàm sacramento permanenti; ergo verè per accidentia panis, & vini quæ &c. habetur in Eucharistia esse sensibile. Neque in hoc est ulla alicujus momenti difficultas, aut certè si quæ est, remanebit elucidata ex sequentibus, & præcipuè ex mox subjiciendis pro secundâ præfixi tituli parte; pro quâ

In illa resolvitur tota sensibilitas Eucharistiæ immediata, physica, & permanens

161 Adverto per ly, *An ipsa sola* non poni pro nunc in controversiâ, formam verborum, quæ ut potè successiva, & transiens sub hoc Capite, cujus titulus fuit *De constitutivis permanentibus* non continetur, sed Christi corpus, & Sanguinem quæ ad Eucharistiam spectant, ut quid permanens sicut species; Per ly igitur, *An ipsa sola* comparamus accidentia panis, & vini ad corpus, & Sanguinem, & sub tali comparatione quærimus: Utrùm illa sola, an etiam ista essentialiter, & intrinsecè Eucharistiam constituant? Quod quidem videtur magno Scholasticorum dissidio disputari; fortè tamen si benè expendatur dissidium, aut nullum est, aut levissimum, & solùm in diversam vocabulorum acceptionem desinens.

162 Porrò duo inprimis expendenda occurrunt: Primum est, non illud solum, quod ab aliquo concreto, seù composito importatur in recto, importari intrinsecè, seù tamquàm constitutivum intrinsecum, nec illud omne, quod importatur in obliquo, importari tamquàm connotatum extrinsecè, sic v. g. hoc concretum, *Intelligens*, ut potè, quod idem est, ac *Habens intellectionem* importat solam personam intelligentem in recto, actum intellectionis in obliquo, & tamen importat utrumque intrinsecè, & ex utroque constituitur: Imò omne compositum, seù concretum accidentale, ut potè, quod est habens formam, puta album est subjectum habens albedinem, non subjectum, & albedo importat in recto subjectum, in obliquo formam accidentalem, & tamen (si aliqua per denominationem extrinsecam resultantia, ut *cognitum*, *visum*, excipias) nullum importat extrinsecè formam accidentalem, intrinsecè solum subjectum, sed quodlibet constituitur intrinsecè ex utrisque. Secundum est, Sacramenti nomen duplicem habere acceptionem, alteram omninò adæquatam, secundùm quam importat totum constitutum ex re significante, & significatione: alteram non ità adæquatam magis tamen usitatam, secundùm quam importat solam rem significantem, seù substratum significationis; & secundum hanc utramque acceptionem Sacramentum simpliciter, & absolutè dicitur; est verò adhùc altera acceptio, secundùm quam importat illud, quod in Sacramento simpliciter, & absolutè dicto appellatur, aut Sacramentum tantùm, aut Sacramentum, & res; Quæ omnia attigimus *in tract. de Sacram. in gen.* pluriès, & signantèr *lib. 2. cap. 1. §. 5.*

Recti, & obliqui explicatio.

Sacramenti multiplex acceptio.

163 Redeundo jam ad dissidium de constitutivo intrinseco adæquato Sacramenti Eucharistiæ, puto illud oriri partim ex eo, quod constitutivum intrinsecum ab aliquibus sumatur pro eo solo, quod importatur in recto, ab aliis pro eo omni, quod essentiale, & intrinsecum est, etiamsi importetur in obliquo; partim ex eo, quod Sacramentum ab aliquibus sumatur omninò adæquatè, aut saltem secundum, quod simpliciter, & absolutè dicitur, ab aliis secundum, quod dicitur Sacramentum tantùm, ab aliis secundùm, quod dicitur Sacramentum, & Res: Sicque licèt aliqui constituant Eucharistiæ Sacramentum tùm ex accidentibus panis, & vini seù speciebus consecratis, tùm ex Corpore, & Sanguine Christi; alii ex solis speciebus consecratis; alii ex solis Corpore, & Sanguine; videntur tamen omnes, aut unicè, aut potissimùm in nominum acceptione differre; quatenùs Auctores primæ sententiæ nomine constitutivi sumant indifferenter rectum, & obliquum, & nomine sacramenti intelligant Sacramentum omninò adæquatè, aut saltem simpliciter, & absolutè dictum: Auctores secundæ nomine Sacramenti intelligant illud, quod est Sacramentum tantùm: Auctores tertiæ illud, quod est Sacramentum, & res, aut fortè etiam isti utrique nomine constitutivi intelligant solum rectum.

Et ex indè nominale dissidium circà constitutivum adæquatū Sacramenti Eucharistiæ

164 Afferuntur autem pro primâ sententiâ, idest pro eâ, quæ docet Sacramentum Eucharistiæ esse, tùm species consecratas tùm Christi corpus, & Sanguinem D. Thomas *opusc. 58. cap. 17.* Alensis *par. 4. quæst. 10. memb. 3. art. 3.* Cajetanus infrà *quæst. 75. art. 1.* Suarez hic *disp. 42. sec. 3.* Vasquez *disp. 167. cap. 5.* Amicus *disp. 15. sec. 1.* Lugus *disp. 1. sec. 2.* Esparza *lib. 2. quæst. 64.* Madernus *quæst. 1 art. 2.* &c. Pro secundâ, idest pro eâ, quæ docet Sacramentum Eucharistiæ esse solas species consecratas Magister *in 4. dist. 8.* Bonaventura *eâd. dist par. 2. art. 2 quæst. 1.* Scotus *quæst. 1.* Sotus *quæst. vu. art. 1.* Nugnez hic *quæst. 73. art. 1.* Ioannes à S. Thomâ *disp. 26. art. 2.* Gonetus *disp. 2. art. 1. §. 2.* Mastrius *disp. 3. quæst. 1. art. 1.* Lauræa *disp. 17. art. 2.* &c. Pro tertiâ, idest pro eâ, quæ docet Sacramentum Eucharistiæ esse solum Christi corpus, & Sanguinem Sylvius *hic qu. 73. art. 1. conc. 2.* Estius *in 4. dist. 8. §. 3.* Alanus *lib. 1. de Euchar. cap. 5.* Claudius Sainetes *repetit. 2. de Euchar. cap. 4.* &c. Moneo hic obiter aliquos Auctores inveniri modò pro unâ modò pro aliâ sententiâ relatos, & ipsummet D. Thomam, quem nos pro primâ retulimus, Auctores secundæ sententiæ referunt pro secunda; hancque putant à S. Doctore insinuatam tùm hic *quæst. 73. art. 1. ad 3.* tùm *in 4. dist. 8. quæst. 1.*

Auctores pro constitutivo Eucharistiæ, tùm in speciebꝰ cōsecratis tùm in corpore, & Sanguine.

Auctores pro eodem constitutivo in solis speciebus consecratis

Auctores pro eodem constitutivo in solis corpore, & Sanguine.

quæst.1.art.2. quæstiunc.2., & hoc meo videri confirmat, quod permittebamus, inter enumeratas sententias vix esse de re dissidium; hinc quippe benè stat posse eumdem Auctorem absque ulla contradictione in re modo uni, modò alteri sententiæ favere ex diversâ dumtaxat acceptione, seu usurpatione vocabulorum: His interpositis sit

165 Assert. II. Accidentia panis, & vini, seu species consecratæ non sunt se solis adæquatum constitutivum Sacramenti Eucharistiæ, sed hujus constitutivum partiales sunt etiã Christi Corpus, & Sanguis. Ità Auctores *præced. num.* relati pro primâ sententiâ, à quibus, ut præmonuimus, vix aliter quàm in modo loquendi differunt Auctores relati pro secundâ, & tertiâ; ideò assertum in re censeri potest communiter receptum.

Corpus, & Sanguis Christi pertinent ad constitutionem intrinsecã Eucharistiæ. Probatur: Eucharistia, ut sacramentum significat sensibiliter gratiam sanctificantem homines, ut sacramentum tale significat, & causat talem gratiam per modum spiritualis refectionis, seu spiritualis cibi, & spiritualis potus, & per hoc utrumque tamquàm per genus, & indifferentiam adæquatè constituitur; atqui hoc utrumque non habetur per species consecratas se solis, sed ratio spiritualis cibi, & spiritualis potus habetur potissimùm per Corpus, & Sanguinem; ergo accidentia panis, & vini, seu species consecratæ non sunt &c. Major probatione non indiget, probatur minor, primò, quia Tridentinum *sess. 13. cap. 2.* agens de ratione institutionis Eucharistiæ ait, quod *Christus sumi voluit Sacramentum hoc tamquàm spiritualem animarum cibum quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me*; quibus verbis rationem cibi spiritualis in Eucharistiâ explicat per hoc, quod in eâ Christus manducetur, & clariùs ipsemet Christus *Jo. 6.* antè verba mox ex Tridentino relata. *Qui manducat me* &c. dixerat *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus* utique spiritualis. Probatur eadem minor secundò; Species consecratæ materiali modo existunt, & materiali modo manducantur, ergo minùs propriè, & non ipsæ solæ habent rationem spiritualis cibi, hanc propterea D. Ambrosius *lib. de iis, qui initiantur cap. 9.* non ex speciebus, sed ex Christi corpore deducit dicens. *In illo Sacramento* (subintellige Eucharistiæ) *Christus est quia Corpus est Christi: Non ergo corporalis esca est, sed spiritualis.*

Et penes ipsa habetur præcipuè tùm ratio cibi, & potus spiritualis.

166 Confirmatur: In Eucharistiâ totum esse causativum gratiæ est constitutivum ipsius, ad essentiam enim sacramenti præsertim novæ legis æquè spectat causare, ac significare gratiam; atqui esse causativum gratiæ, seu causare gratiam non habetur à solis speciebus consecratis, sed simul, & potissimùm à corpore, & sanguine tum quia *Jo. 6.* & alibi, vita æterna expressius promittitur manducanti carnem, & sanguinem, quam manducanti species panis, & vini, tum quia Tridentinum *sess. 21. cap. 3.* ex eo, quod Christus etiam sub alterâ tantum specie totus, & integer contineatur, infert eos, qui unam speciem solam accipiunt, nullâ gratiâ defraudari; supponit igitur Concilium insumente Eucharistia causari gratiam non à solis speciebus, sed præcipuè à Christo, seu à Corpore, & Sanguine ipsius.

Tum causativitas gratiæ.

Dices triplicem cibi, & potus modum ad Eucharistiam pertinere: Quidam est cibus (idem semper extendito proportionaliter ad potum) quo ad substantiam, & modum corporalis; Quidam quo ad substantiam, & modum spiritualis; Quidam corporalis quo ad substantiam, spiritualis quo ad modum: Primus cibus sunt species panis, quæ & habent in se corporalem entitatem, & corporalem, ac sensibilem existendi modum, & sunt commune, ac usitatum humani corporis alimentum: Secundus est gratia habitualis sanctificans, quæ animam nutrit, ac reficit, ut materiale alimentum corpus, & tùm in se spiritualis est, tùm spirituali modo existit: Tertius est corpus Christi, quod in se quid materiale est, ac modo spirituali, ac insensibili existit, & quatenùs sub speciebus panis continetur, & gratiam causat, rationem cibi habet: Porrò causare gratiam per modum cibi in secundâ acceptione convenit Eucharistiæ tamquam effectus Sacramenti; in tertiâ acceptione tamquam aliquid contentum in Sacramento, & quasi virtus Sacramenti; solùm verò in primâ acceptione convenit ei tamquam Sacramenti constitutivum, quia solùm in primâ acceptione ratio cibi in Eucharistiâ est res significans, & signum sensibile: Hinc eluditur tota nostra probatio imò, & confirmatio, quia in Eucharistiâ non omne causativum gratiæ est constitutivum Sacramenti, sed solum illud, quod est gratiæ causativum tamquàm res significans, & signum sensibile, Corpus autem Christi est quidem gratiæ causativum, at tamquam res significata, & quid in Sacramento contentum; Nec quidquam ampliùs deducitur ex Tridentino, quod supponit quidem in suscipiente Eucharistiam gratiam causari præcipuè à Christo ejusve Corpore, & Sanguine, at tamquam à contento in Sacramento non tamquam à constitutivo Sacramenti, unde ipsummet Concilium *sess. 13. cap. 1.* expressè profitetur *in Eucharistia Sacramento post panis, & vini consecrationem Dominum nostrum Jesum Christum sub specie illarum rerum sensibilium contineri*: Ex mente igitur Concilii Christus ejusve Corpus, & Sanguis continetur in Sacramento, non constituit Sacramentum, & dum verbis primo loco *ex eâd. sess.* relatis docuit Sacramentum hoc sumi tamquam spiritualem animarum cibum, contentum pro continente usurpavit, alioqui verba Capitis secundi verbis primi contradicerent. Sed contrà: Hujus instantiæ doctrina, & quasi medulla sententiæ Adversariorum, quatenus nobis contraria est, fundatur potissimum in eo, quod nomine Sacramenti Eucharistiæ veniat id, quod in ipsâ est præcisè res significans, & signum per se sensibile, at hoc per nos est in Eucharistiâ Sacramentum tantum, non Sacramentum

167

abso-

absolutè, & simpliciter dictum, vel est ratio generica Sacramenti ut sic, non simul ratio specifica Sacramenti talis, sicque ex hâc parte recurrit, quod præmonui, præsens sententiarum dissidium ferè totum desinere in diversam vocabulorum acceptionem.

168

Ad instantiam directè, approbo vehementer divisionem, seù distinctionem triplicis cibi ad Eucharistiam pertinentis, item quod cibus in secundâ acceptione sit Eucharistiæ effectus; at quod dicitur dumtaxat in primâ acceptione esse constitutivum Sacramenti, in tertiâ verò esse aliquid contentum in Sacramento, mihi falsissimum est, nisi aut nomine Sacramenti intelligatur Sacramentum tantum, aut nomine contenti intelligatur contentum tamquam pars in toto: & quidem de Sacramento tantùm, non de Sacramento simpliciter dicto verificatur adæquatè constitui per rem præcisè significantem, & solum tamquam rem significantem gratiam causare, de contento verò tamquam parte intrinsecâ, & constitutivâ in toto, non tamquam aliquo extrinseco, & essentialiter distincto in continente utcumque intelligitur Tridentinum *præcit. cap. 1.* Neque dicas; Nihil potest esse in alio tamquam pars in toto, nisi participet naturam, & quiditatem totius, atqui natura, & quiditas Sacramenti est, quod sit signum sensibile; & corpus Christi sub speciebus, cum nec signum sit nec sensibile, talem naturam, quiditatemque non participat; ergo Corpus Christi sub speciebus non potest esse in Sacramento tamquam in toto. Contrà enim; Numquid anima participat naturam compositi physici, & est in se physicè composita, sicut est homo, in quo est tamquam pars in toto; Major igitur propositio indiget in compositis etherogeneis aliquâ limitatione, & pars debet participare naturam totius secundùm aliquam non secundum omnem rationem: Porrò Sacramentum est signum sensibile causativum gratiæ, ideò ut Corpus Christi in Sacramento sit tamquam in toto, sufficit quod de ipso participet secundum rationem causativi gratiæ etsi non secundum rationem signi sensibilis in re tamen etiam secundum rationem hanc participat quia Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento est sensibile mediatè, & per aliud scilicet per species consecratas; Sicut mediatè, & per aliud scilicet per confessionem est sensibilis dolor in Sacramento Pænitentiæ. Utraque hæc ad instantiæ instantiationem responsio traditur a D. Thomâ *in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3.* ubi cum sibi objecisset, quod Sacramentum est exterius oculis suppositum, non sic corpus Christi; Respondet *quod omne Sacramentum est visibile, non tamen oportet, quod quidquid est in Sacramento, sit visibile, vel dicendum, quod verum Corpus Christi est visibile non in se, sed in speciebus, quæ ipsum tegunt.* Addo hic obiter eâd. *quæstiunc. ad 2.* S. Doctorem ferè in terminis tradere nostrum assertum dicendo quod *ex speciebus, & Corpore Christi fit unum Sacramentum.*

Corpus Christi est in Sacramento Eucharistiæ ut pars in toto.

169

Et particeps de Sacramento, tùm secundùm rationem causativi gratiæ:

Tum etiâ secundum rationem sensibilis.

170

Dices aliter: est communis Scholasticorum sententia, quod in quolibet Sacramento detur Sacramentum tantum, quod significet, & non significetur; Res tantum, quæ significetur, & non significet; Res, & Sacramentum, quod significetur, & significet: Item, quod in Eucharistia sacramentum tantùm sint species; Res tantum sit gratia habitualis; Res, & Sacramentum sit Corpus, & Sanguis Christi: Positâ hâc communi sententiâ sic arguitur: Quod est res, & sacramentum, non est partiale constitutivum, seu pars constitutiva sacramenti; Atqui in Eucharistiâ Corpus Christi est res, & sacramentum, ergo non est partiale constitutivum sacramenti, sed constitutivum adæquatum sunt solæ species consecratæ, quæ propterea in prænunciato ternario jure dicuntur sacramentum tantum: Probatur major, primò à pari imò ab inductione in omnibus aliis sacramentis, in quibus res, & sacramentum est character, aut alius effectus secundarius, non pars constitutiva: Secundò ex ipsâ explicatione terminorum, nam sacramentum est signum, res & sacramentum significatur, adeòque est signatum, at signatum non potest esse constitutivum signi, alioqui relativum esset constitutivum sui correlativi, & sui oppositi, à quo essentialiter distinguitur: Tertiò ex propriâ ratione sacramenti Eucharistiæ ab aliis diversi in eo, quod (ut docet D. Thomas tùm *præcit. quæstiunc. 1. in c.* tùm hîc *quæst. 73. art. 1. ad 3.*) significatio sacramentalis aliorum est in ordine ad gratiam habitualem causandam in suscipiente, significatio sacramentalis Eucharistiæ est in ordine ad gratiam substantialem causatam in materiâ consecratâ, idest ad præsentiam Christi positam sub speciebus, sicuti igitur in aliis sacramentalis gratia habitualis est effectus non pars sacramenti, ità similiter in Eucharistiâ gratia substantialis, seù Christi Domini præsentia, ejusvè Corpus. Sed contrà: fortè non deerit, qui respectu Eucharistiæ dicat rem, & sacramentum esse non Christi corpus, & sanguinem, sed dulcedinem spiritualem solitam ex ipsius susceptione percipi, do id tamen coherenter ad supradicta *in tract. de Sacram. in gen. lib. 2. cap. 1. §. 5.*, & approbando totum instantiæ præambulum.

171

Ad instantiæ argumentum in formâ nego majorem universaliter, & absolutè prolatam; ad primam majoris probationem negatur inductionis suppositum, in sacramento Pænitentiæ ab iis, qui in isto pro re, & sacramento dolorem assignant, ab iis verò, qui assignant conscientiæ serenitatem, aut aliquid hujusmodi, permissâ simpliciter inductione respondetur, non valere illationem à sacramentis in usu, & susceptione consistentibus ad sacramentum permanens, & ab usu independens, ex quo capite sicuti etiam per Adversarios malè infertur, in omnibus aliis sacramentis res, & sacramentum est aliquid consequens usum, productum in suscipiente, non contentum in sacramento; ergò idem evenit in Eucharistiâ;

Quomodò Corpus Christi in Eucharistia possit simul esse signatum, & signum, signati, & constitutivum signi?

sistit; ità mala est illatio, quam Adversarii nobis objiciunt. Ad secundam probationem benè est, signatum non posse esse constitutivum signi, cujus est signatum, & hoc evincit ratio correlativi, & oppositi, at in casu nostro res, & sacramentum, seù Corpus Christi est signatum respectu specierum, est signum respectu gratiæ sacramentalis; est signatum respectu sacramenti tantùm, & est constitutivum sacramenti simpliciter, & absolutè dicti, & sic neque est signatum, & signum respectu ejusdem, neque est constitutivum signi, cujus est signatum: Aliis terminis in idem recidentibus dici potest, quod sit signatum, & signum diversa significatione, signatum scilicèt significatione non sacramentali, signum significatione sacramentali, ut mox explico in solutione tertiæ probationis.

172

Quomodò in aliis Sacramentis unica, in Eucharistia duplex sanctificatio significetur?

Ad tertiam igitur dico D. Thomam benè docere, quod in aliis sacramentis significetur solùm sanctificatio suscipientis per sanctitatem accidentalem habitualis gratiæ, præter hanc verò in Eucharistiâ significetur sanctificatio materiæ per sanctitatem substantialem corporis, & Personæ Christi, at non addit S. Doctor etiam hanc posteriorem significationem esse Sacramentalem, & nego propriè talem esse; enimverò significatio propriè sacramentalis est ea sola, quæ ponitur in definitione sacramenti, per quam cum reliquis sacramentis Eucharistia convenit, & quæ in sacramento simpliciter, ac absolutè dicto, non præcisè in eo, quod est sacramentum tantùm reperitur; hujusmodi verò est sola significatio gratiæ accidentalis sanctificantis homines; & significatio gratiæ substantialis sanctificantis materiam non est sacramentalis nisi impropriè, prout sicut quodlibet signum rei occultæ sacramentum, ità qualibet ejusdem rei significatio sacramentalis dici potest.

173

Urgebis ex Mastrio *præcit. art.* 1 *num* 17. Eucharistia est sacramentum permanens, & antè usum: ergo significatio ipsius propriè sacramentalis est in ordine ad illam sanctitatem, quam permanenter, & antè usum significat; sic autem significat sanctitatem substantialem sanctificativam materiæ, seù specierum, & videtur hoc colligi ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 3. ubi postquam docuit commune esse Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, quod sit invisibilis gratiæ visibili forma, insinuat primarium esse in aliis Sacramentis, quod sanctificent in usu, in Eucharistiâ verò, quod ei insit ipse sanctitatis auctor, seù sanctitas substantialis antè usum. Confirmatur, significatio propriè sacramentalis habetur præcipuè ex verbis; hæc enim sunt, quæ in quolibet sacramento determinant, & expressiorem reddunt significationem rerum, atqui significatio, quæ in Eucharistiâ habetur ex formâ verborum, est in ordine ad Corpus Christi, seù in ordine ad sanctificationem materiæ per ipsum tamquàm per sanctitatem substantialem, ergo significatio propriè, & præcipuè Sacramentalis in Eucharistiâ est significatio sanctitatis substantialis. Sed contrà: Adverto sacramenta significare gratiam, & sanctitatem, non quæ semper ab ipsis in actu secundo causetur, sed quæ, quantum est ex virtute ipsorum, causari possit, alioquin sacramenta, quæ cum obice suscepta nullam gratiam actu causant, suâ sacramentali significatione carerent: Hinc in proposito dico Eucharistiam etiam permanenter, & antè usum non significare solam sanctitatem substantialem, sed etiam sanctitatem accidentalem habitualis gratiæ, at in actu primo, non in actu secundo, & hujus significationem dumtaxat esse propriè sacramentalem, ut jam probatum est: Nec oppositum ex Tridentino colligitur, fatemur enim primarium esse, vel, ut Concilium ait, excellens, & singulare in Eucharistiâ, quod ante usum ei insit sanctitas substantialis, at tamquam pars constitutiva non tamquàm res sacramentaliter significata, item non tamquàm excludens, sed tanquàm partialiter tribuens significationem propriè sacramentalem sanctitatis accidentalis etiam antè usum. Ad confirmationem, forma verborum considerari potest, vel ut est forma consecrationis efficiens sub speciebus Corpus Christi, vel ut est forma sacramenti informans moraliter species, & denominans ipsas formaliter consecratas; sola significatio, quæ in Eucharistiâ habetur ex formâ verborum, hoc secundo modo sumpta est propriè sacramentalis, at hæc est in ordine ad sanctitatem accidentalem suscipientis, ut constabit ex dicendis infrà de formis verborum *cap.* 3. §. 3., & attingit in præsenti quamvis ex alio intento Laurea *præcit. art.* 2. *num.* 34.

174

At sola significatio sanctificationis accidentalis fit propriè sacramentalis.

175

Ex dictis habetur Sacramento Eucharistiæ convenire sensibilitatem præcipuè ratione specierum, causativitatem gratiæ ratione Corporis Christi, & eo ferè modo, quo Corpus Christi habet à speciebus consecratis, quod sub sensum cadat, species consecratæ habent à Corpore Christi, quod gratiam causent, sicque attentis sensibilitate, & causativitate gratiæ, quæ sunt duo prædicata maximè intrinseca, & maximè constitutiva cujuslibet Sacramenti, valde inter se proportionantur, & æquiparantur in Eucharistiæ Sacramento constituendo accidentia panis, & Christi Corpus, accidentia vini, & Christi sanguis, quod quidem sicut, & tota præcedens doctrina melius innotescet, si, ut *seq.* §. fiet, ostendatur utraque supradicta ex æquo, utraque in recto ab Eucharistiâ importari. Neque interim dicas, Corpus Christi sacramentaliter existens nullo modo sub sensum cadit, ergo non habet à speciebus consecratis, quod sub sensum cadat; Species consecratæ non elevantur à corpore Christi ad gratiam causandam, ergo non habent à corpore Christi, quod gratiam causent. Contrà enim, Ad primum *ex præced. nu* 169. nego antecedens, & dico sub sensum cadere mediatè, & per aliud quamvis non immediatè, & per se, quamvis scilicet non sentitur in se, cognoscitur

176 Quomodo Corpus Christi habeat à speciebus, quod sensibile sit, seu sentiatur mediatè?

sciatur tamen ab intellectu medio sensu, & ex verbis consecrationis, ac panis accidentibus sensu perceptis, unde corpus Christi in Eucharistiâ non dicitur sentiri mediatè, quatenùs mediante alio emittat propriam sui speciem, quâ sentiatur, sed quatenùs mediante specie sensibili alterius ab intellectu dependenter à sensu percipiatur: Ad secundum, si Sacramenta ponantur elevari per aliquid physicum superadditum, negari poterit antecedens, & negationi favebit D. Thomas *precit. quæstione 2. ad 2.* docens species in Eucharistiâ non esse causam alicuius spiritualis effectus, nisi mediante corpore Christi, & hoc ad illas se habere, sicuti se habet in aliis sacramentis virtus ad materiale elementum: Loquendo autem conformius ad supradicta *in tract. praced. lib. 2. cap. 4. num. 51.* ubi asseruimus sacramenta elevari à Deo per extrinsecam solùm assistentiam, concesso antecedente nego consequentiam, & dico species non physicè, sed moraliter habere à corpore Christi, quod gratiam causent, quatenùs ratione corporis Christi continetur in Eucharistiâ fons, seu Auctor Sanctitatis, & causa moralis, ac meritoria tùm totius gratiæ, quæ per Eucharistiam causatur, tùm elevationis specierum ad gratiam causandam, & favebit etiam huic doctrinæ D. Thomas mox prælaudatus, si in sensu morali ipsius textus intelligatur.

Et species habeant à Corpore Christi, quod gratiam causent?

§. IX.

An tùm accidentia panis, & vini, tùm Corpus, & Sanguis, aut etiam totus Christus, ab Eucharistiâ importentur in recto?

177 **A**SSERT. I. Eucharistiæ Sacramentum importat in recto, tùm accidentia panis, & vini, seu species consecratas, tùm Corpus, & Sanguinem Christi. Ità in terminis Suarez *disp. 42. sec. 4. §. Secundò colligitur.* Amicus *disp. 15. sec. 1. num. 28.* Mastrius *quæst. 1. art. 2. num. 19.* Arriaga *de Sacram. in gen. disp 4. sec. 5. num. 39.*, & plures alii contrà Auctores *praced. num. 164.* relatos pro secundâ, & tertiâ sententiâ; Auctores enim ibi relati pro secundâ sententiâ licet videantur docere solas species consecratas esse adæquatum constitutivum Eucharistiæ, in re tamen nihil aliud intendunt, quàm esse adæquatum rectum, seu ipsas solas ab Eucharistiæ Sacramento in recto importari, eâdemque ratione Auctores relati ibidem pro tertiâ sententiâ docendo Sacramentum Eucharistiæ essentialiter consistere in solo corpore, & sanguine vix intendunt aliquid amplius, quam solum Corpus, & Sanguinem in recto importare. Præter hos utrosque Auctores habemus ex iis, qui Eucharistiam tùm ex speciebus consecratis, tùm ex Corpore, & Sanguine constituunt, Adversarios in hoc puncto Lugum *disp. 1. sec. 3.*, & Esparzam *precit. quæst. 64. art. 2.* volentes solùm corpus, & sanguinem in recto importari.

Probatur, & explicatur: Ab aliquo composito, seu concreto illud importatur in recto, quod est tali composito essentiale, & de eo dicitur in casu nominativo, qui solus est casus rectus, illud importatur in obliquo, quod dicitur in alio casu, omnis quippe casus alius à nominativo obliquus est: atqui tùm species consecratæ, tùm Corpus, & sanguis Christi dicuntur de Eucharistiæ Sacramento in casu nominativo, &, ut jam probatum est, sunt eidem essentialia, ergo utraque importantur in recto ab Eucharistiæ sacramento, seu quod idem est, ergo Eucharistiæ sacramentum importat in recto &c. Major continet magis receptam, & grammaticali etiam significationi (cujus quidem multa ratio haberi debet in iis, quæ ad modum loquendi pertinent) terminorum magis conformem intelligentiam ejus, quod in præsenti venit per importari in recto, & importari in obliquo, & licet Lugus, ac Esparza aliter expliceat, Lugus scilicet *disp. 1. sec 4. num 63.* doceat, & supponat importari in recto illud, quod importatur per modum habentis, & sustentantis, in obliquo illud, quod per modum habiti, & adjacentis; Esparza verò *quæst. 8. de Sacram. in gen. art. 1.* velit importari in recto nihil aliud esse, quàm importari clariùs, & expressiùs, importari in obliquo importari minùs clarè, & insinuativè; Nihilominus utraque hæc explicatio est minus recepta, ac ferè singularis, & præterea juxtà priorem explicationem in concretis substantialibus formæ substantiales non importarentur in recto, juxtà posteriorem non importarentur in recto subjecta in concretis accidentalibus, quod utrumque est contrà magis communem, & à nobis sæpiùs insinuatam doctrinam: Rursus juxtà priorem explicationem una pars importaretur quidem in recto respectu alterius, at quælibet importaretur in aliquo respectu totius, quia ex partibus comparatis ad invicem una quidem est habens, alia habita, at ex iisdem comparatis ad totum quælibet est habita ab ipso toto; Juxtà posteriorem explicationem eadem res sub uno nomine importaretur in recto id, quod sub alio importat in obliquo, eadem v. gr. Incarnatio sub nomine incarnationis importaret in recto carnem, in obliquo personam, sub nomine impersonationis in recto personam, in obliquo carnem: Et hæc in re ferè totâ de nomine sufficiunt, & abundant ad majoris propositionis probationem, ulteriùs verò procedendo

178 Quod sit aliquid importari in recto, quid importari in obliquo?

179

Minor propositio quò ad primam partem, quæ est de speciebus consecratis, probatur variis auctoritatibus, quibus dicitur species consecratas esse Eucharistiæ Sacramentum, aut è converso Eucharistiæ Sacramentum esse species consecratas, sic in cap. *Cum Martha* de celebrat. Missar. habetur, quod *species sunt Sacramentum tantum.* Tridentinum *sess. 13. can. 1., & 3.* statuit in Eucharistiæ Sacramento contineri verè, & realiter

180 Sacramentum Eucharistiæ est in recto, tùm species consecratæ,

liter totum Christum, atqui Christus continetur in speciebus consecratis, ergo ex Tridentino species consecratæ sunt Sacramentum. In sequentiâ Missæ canimus, *fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto* (subintellige Sacramento) *tegitur*; atqui id quod frangitur, quod tegit in Eucharistia, sunt species consecratæ; ergò istæ sunt sacramentum. D. Augustinus *Epist.* 23. propè finem ait *Secundum quemdam modum Sacramentum Corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est*; atqui id quod secundum quemdam modum (metaphoricum scilicet, & sumendo continens pro contento) est corpus, & sanguis Christi, ergo ex Augustino Sacramentum sunt species. D. Ambrosius relatus *praced. num.* 165. ait *in Sacramento Eucharistiæ Christus est*, atqui Christus est in speciebus, ergo Eucharistiæ Sacramentum sunt species: Auctoritatibus igitur, & usu loquendi constat in casu nominativo rectè ad invicem dici Eucharistiæ sacramentum, & species consecratas.

181 Tùm Corpus, & Sanguis Christi.

Minor eadem probatur quò ad secundam partem, quæ est de corpore, & sanguine Christi: In formulâ juramenti professionis fidei ex præscripto Pii IV. traditur, & in Tridentino *sess.* 21. *cap.* 3. definitur sub alterâ tantum specie verum sacramentum sumi, atqui illud, quod sub alterâ tantum specie sumitur, est Christus ejusvè corpus, aut sanguis; ergo Christus, ejusvè corpus, aut sanguis est verum Sacramentum. Idem Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 5. approbat, quod fideles *latria cultum huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant*, at fideles cultum latriæ exhibent corpori, & sanguini Christi, ergo ista sunt sanctissimum Sacramentum: Et ut in unum multa colligam, familiare est sanctis Patribus, Auctoribus sacris, sicut & Scholasticis dicere, quod per consecrationem fiat, ac incipiat esse in Altari Sacramentum, illud autem, quod per consecrationem de novo fit, ac incipit esse, est corpus, & sanguis: Item quod Eucharistia, quod cibus, & potus, quem de altari sumimus, sit caro filii Dei, sit corpus, sit sanguis Salvatoris, ut pluribus testimoniis in medium prolatis ostendit Lugus *pracit. sec.* 3. *num.* 40. Auctoritatibus igitur, & usu loquendi constat in casu nominativo rectè ad invicem dici Eucharistiæ sacramentum, & corpus, ac sanguinem Christi.

182

Dices: Ex eo, quod aliquid simpliciter dicatur in casu nominativo de aliquo toto, infertur non solùm, quod ab illo importetur in recto, sed etiam, quod sit adæquatum illius constitutivum: atqui ex prædictis auctoritatibus non infertur, quòd tùm species consecratæ, tùm Corpus, & Sanguis sint constitutivum adæquatum Sacramenti Eucharistiæ, ergo neque quod tùm species, tùm corpus, & sanguis à Sacramento Eucharistiæ importentur in recto: Minor patet, quia non potest id inferri sine repugnantiâ cum doctrinâ assertâ *praced. num.* 165. imò sine repugnantiâ in terminis, in ipsis enim terminis repugnat dari respectu ejusdem constituti duo constitutiva adæquata: Major probatur, quia non solùm, quod non importatur in recto, sed etiam quod non est adæquatum constitutivum, etsi in recto importetur, non benè dicitur in casu nominativo de suo toto, ut patet in his propositionibus Homo est anima, Homo est corpus, lignum est materia &c. ergo ex eo, quod aliquid simpliciter dicatur in casu nominativo de aliquo toto, infertur &c. Sed contrà: Adverto, & fateor prædictas auctoritates in toto rigore acceptas, nec nostræ præassertæ doctrinæ, nec sibi ipsis cohærere; & adductas primo loco, si intelligantur rigidè, & ut ex terminis sonant, favere opinioni ponenti pro Eucharistiæ constitutivo solas species consecratas, adductas secundo loco favere ponenti solum corpus, & sanguinem: Hinc ut vitetur talium auctoritatum discohærentia, & contradictio, debet vel utraque, vel altera ipsarum classis mitiùs, & minùs rigidè intelligi; nequit autem servato integro unius rigore tota mitior explicatio alteri attribui, cum utraque classis videatur pro se habere modum loquendi æquè communem, & æquè gravibus testimoniis comprobatum, & aliundè ostensum jam sit, nec solas species consecratas, nec solùm corpus, & sanguinem esse adæquatum Eucharistiæ constitutivum: Superest igitur, quod utraque classis mitiùs, & non in toto rigore procedat; quod utraque accipiatur in sensu inadæquato, vel subintelligendo implicitè aliquid aliud; sicque dum in testimoniis primæ classis dicitur, species consecratæ sunt sacramentum; in testimoniis secundæ Corpus, & Sanguis Christi sunt Sacramentum; vel utraque intellige inadæquatè; vel in prioribus subintellige implicitè corpus, & sanguinem, in posterioribus species consecratas. Hâc ratione remanet utrisque auctoritatibus sua vis, & æquale pondus, utræque inter se cohærent, & nostræ doctrinæ, tùm præcedentis tùm præsentis asserti favent; & facilè solvitur argumentum instantiæ adhibitâ ad majorem propositionem distinctione, quâ concedatur intellecta in toto rigore; negetur verò intellecta mitiùs, idest vel inadæquatè, vel subintelligendo aliquid implicitè; ut dictum est debere sumi omnes præmemoratas auctoritates; ex quibus propterea rectè infertur, tùm species consecratas, tùm Corpus, & Sanguinem esse constitutivum sacramenti inadæquatum, non adæquatum; vel quodlibet esse constitutivum adæquatum cum altero implicitè importato, non præcisè ex se: In hoc sensu pars rectè dicitur de toto; Rectè scilicèt dicitur Homo inadæquatè est Anima, Homo inadæquatè est corpus, vel Homo est anima subintelligendo implicitè corpus &c.

183 Consideratio, & conciliatio auctoritatũ, quæ videntur sibi cõtradicere circà constitutivũ, & rectum Sacramẽti Eucharistiæ.

184

Quomodo aliquando rectè dicatur pars de toto?

Urgebis, quamvis in sensu inadæquato, & aliquid implicitè subintelligendo, rectè dicatur pars de toto; solet tamen sic dici sola pars principalior, quia hæc sola con-

venienter

venienter pro toto sumitur, & esset nimia improprietas, quod pars minus principalis principaliori quodammodò prævaleret, & illa istam tamquàm obscurè subintellectam, & implicitè importatam secum traheret, cum præcipuè subintelligi, & importari implicitè vix tandem differat ab importari cônotativè, & in obliquo: Atqui in proposito solum corpus, & sanguis Christi est pars principalior; ergo nostra responsio solum quadrat auctoritatibus secundo non primo loco adductis, solum illis, quibus dicitur Sacramentum est Corpus, & Sanguis, non aliis, quibus dicitur Sacramentum est species consecratæ; ergo saltem quo ad istas recurrit instantia. Sed contra.

185

Major propositio potius explicat, quandoquam per synecdochen rectè ponatur pars pro toto in locutione tropicâ, quam quando rectè dicatur pars de toto in prædicatione scholasticâ; Quod deindè addit importari implicitè vix differre ab importari connotativè est omninò falsum *ex praced. num.* 179. Detur tamen absolutè major, distinguo minorem, solum corpus, & sanguis Christi est pars principalior materialiter, & absolutè concedo, formaliter, & relatè ad constitutionem Sacramenti, nego, & adverto Eucharistiam constitui in ratione Sacramenti per sensibilitatem, & causativitatem gratiæ; & sicuti *ex praced. num.* 171. priorem habet præcipuè à speciebus consecratis, posteriorem à Christi corpore, & sanguine,

186

Quomodo sub diversa ratione tùm species, tùm corpus, & sanguis sint pars principalior Sacramenti Eucharistiæ?

ità si secundùm priorem rationem idest sensibilitatem consideretur, principalior ipsius pars sunt species, si secundum posteriorem idest gratiæ causativitatem, principalior pars sunt corpus, & sanguis: Sicque quamvis considerando materialiter, & absolutè tùm corpus, & sanguinem, tùm species, vix ulla sit proportio perfectionis, & ut ità dicam principalitatis istarum ad illa, considerando tamen utraque formaliter ut constitutiva Eucharistiæ in ratione Sacramenti, & relatè ad talem constitutionem, ità sub unâ consideratione sunt pars principalior corpus, & sanguis, ut sub aliâ sint pars principalior species. Porrò in auctoritatibus primo loco positis, in quibus Sacramentum dicitur esse species consecratæ, attenditur præcipuè ad sensibilitatem, in aliis, in quibus dicitur esse corpus, & sanguis, ad gratiæ causativitatem, & sub diversâ consideratione in utrisque Eucharistia sumitur secundù suam principaliorē rationem, ac de toto dicitur pars principalior.

187

Hinc formari potest argumentum ad asserti jam hucusque probati confirmationem sic: Eucharistiæ sacramentum importat in recto tùm esse signum sensibile, tùm esse causam gratiæ, utrumque enim de eo dicitur in casu nominativo, ut ex se patet, atqui, quod sit signum sensibile, habet præcipuè à speciebus consecratis, quod sit causa gratiæ à corpore, & sanguine, ut mox *ex praced. num.* 171. repetitum est; ergo Eucharistiæ Sacramentum importat in recto tùm species consecratas, tùm corpus, & sanguinem. Confirmatur rursùs assertum aliter ex aliâ doctrinâ partim pluribus in locis obiter, partim *in tract. de Sacram. in gen.* traditâ: Concreta, seù composita substantialia important in recto suas partes substantiales idest tùm materiam, tùm formam; atqui Sacramenta in genere proprio, morali scilicet, seù sacramentali, sunt composita substantialia; ergo important in recto tùm materiam, tùm formam tamquam suas partes in tali genere substantiales; ergo Sacramentum Eucharistiæ ex communi aliorum Sacramentorum lege importat in recto tùm species consecratas, tùm corpus, & sanguinem, ex quibus essentialiter constituitur, & in suo esse sacramentali per se, ac substantialiter componitur: Et ex hoc

188

manet obiter solutum argumentũ, quo aliqui (inter quos Lugus *pracit. sec.* 3. *nu.* 41.) supponentes corpus Christi ad species se habere ut subjectum, aut quasi subjectũ, & cum ipsis facere unum per accidens, ex eo quod composita per accidens importent in recto solum subjectum, inferunt Eucharistiæ sacramentũ importare in recto solum corpus, & sanguinem. Manet inquam solutũ, quia licet physicè, & materialiter corpus Christi cum speciebus consecratis faciat unum per accidens eo ferè modo, quo cum iisdem non consecratis facit unum per accidens substantia panis, secùs tamen res se habet moraliter, seù sacramentaliter, ideo &c.

Utrùm deindè moraliter, seù sacramentaliter loquendo corpus Christi (idem semper proportione servatâ procedit de sanguine) non solum non faciat cum speciebus unum per accidens, sed neque ad ipsas se habeat ut subjectum; Affirmarunt aliqui arbitrati corpus, & species totum sacramentale componere per modum partium integrantium. Verum vix relucet inter compositionem sacramentalem, & integralem aliqua affinitas. Suarez *disp.* 42 *sec.* 3. §. *Ad primam rationem* putat posse utrumque sub diversâ consideratione probabiliter dici: posse scilicet corpus dici formam specierum, quatenus est veluti virtus ipsas sanctificans: posse item dici earumdem subjectum, seù materiam, quatenus est quid ipsis nobilius, & principalius operans, composita autem sacramentalia assimilantur artificialibus, in quibus sæpè materia, seù subjectum est id quod nobilius est, præcipuamque vim ad operandum confert. Prior ratio mihi magis probatur: Nihilominus ex alio fundamento, & sub aliâ consideratione ab eâ

189

Quomodo insuper corpus ad species sub diversa ratione se habeat tùm ut materia tùm ut forma?

Suarezii libenter cũ ipso propendeo ad tribuendam corpori Christi sub diversâ comparatione utramque prærogativam, si scilicet comparetur ad Sacramentũ ut est quid sensibile, se habet ut materia, seù subjectũ, quia est pars sub hâc comparatione minùs principalis, & redditur sensibile per species quasi per formam; si cõparetur ad illud, ut est quid sacrũ, seù sanctũ, & sanctitatis causativum, se habet ut forma, quia corpus Christi est sub hâc comparatione pars sacramenti principalior, & per ipsũ, quasi per formã species sanctificant.

ctificant.

dificatur, & participant esse causâ sanctitatis.

190 Assert. II. Eucharistiæ Sacramentum formaliter, & propriè loquendo non habet pro constitutivo essentiali, nec importat in recto totum Christum: non Christi animam, non divinitatem, non unionem hypostaticam, uno verbo, non quidpiam aliud ipsius præter Corpus, & Sanguinem. Ità in terminis Amicus *disp. 15. sect. 1. num. 25.*, & Lugus *disp. 1. sect. 2. num.* 30. idemque sentire censendi sunt reliqui communiter.

Eucharistia non importat in recto Christi animam, divinitatem, aut aliud quidpiam præter Corpus, & sanguinem.

Probatur: Eucharistiæ Sacramentum habet pro constitutivo essentiali, & importat in recto illud solum, quod est quid sensibile, & causativum gratiæ, atqui non totus Christus est in Eucharistiâ propriè, & formaliter, ut quid sensibile, & causativum gratiæ, & tali modo non est ejus anima diuinitas &c., nec quidpiam aliud præter corpus, & sanguinem: ergo Eucharistiæ Sacramentum formaliter, & propriè loquendo non habet &c. Major abundè constat ex jam dictis: Minor probatur quò ad primam partem, Christus non est in Eucharistiâ, ut quid sensibile immediatè, & per se, sed mediatè & per aliud, nimirùm per verba, & species: per verba autem, & species Christus sicuti non significatur totus, ità non redditur sensibilis totus: redditur igitur sensibilis solùm secundùm ea, secundùm quæ ponitur ex vi significationis verborum, at sic ponitur solùm secundùm corpus, & sanguinem, ut explicabitur infrà *cap. 7. §. 11.* ergo. Minor eadem probatur quò ad secundam partem, Christus non est in Eucharistiâ, ut quid causativum gratiæ (subintellige semper formaliter, & propriè) nisi per modum cibi, & potus spiritualis, solum verò secundum corpus, & sanguinem, non secundùm animam, non secundùm diuinitatem, non secundùm aliud quidpiam habet modum cibi, & potus spiritualis: cum solùm corpus, & sanguis ab accidentibus, seu speciebus cibi, & potus corporalis significentur: solùm item Christi carnem, seu corpus manducantibus, & sanguinem bibentibus facta sit gratiæ repromissio Jo. 6., ergo.

191 Confirmatur: Ut suppono ex *præsit. §. 11.* Quidquid aliud in Christo est præter corpus, & sanguinem, ponitur ac reperitur in Eucharistiâ per concomitantiam, idest per conjunctionem ad corpus, & sanguinem, hâc verò conjunctione sublatâ, & positis ac remanentibus solis corpore, & sanguine, sub speciebus poneretur, ac remaneret sacramentum ejusdem rationis, & essentiæ, cujus nunc est; ergo ex iis, quæ in Christo sunt, solùm corpus, & sanguis pertinent ad constitutionem, & essentiam Sacramenti Eucharistiæ; & hoc per consequens propriè, ac formaliter non habet pro constitutivo, nec importat in recto totum Christum, non Christi animam, non divinitatem &c.

192 Ex dictis habetur, tùm nomen sacramenti, tùm nomen Eucharistiæ posse inter æquivoca recenseri, utrumque scilicet habere variam, & multiplicem significationem, ut quò ad nomen sacramenti jam suprà observavimus *num. 162.*, & 163. Quò ad nomen verò Eucharistiæ constat non solùm ex eo, quod ipsa contineat rationem sacramenti, ac per consequens eamdem, quàm istud significationis multiplicitatem, sed multo magis ex eo, quod latius, quàm sacramentum pateat, & plura quàm sacramentum contineat, continet enim rationem sacrificii, continet totum Christum, alia que multa ad Sacramentum præsertim simpliciter, & absolutè dictum non pertinentia, undè aliud est dicere Eucharistiam, aliud Eucharistiæ Sacramentum utcumque, aliud Eucharistiæ sacramentum simpliciter, & absolutè: Porro Sancti Patres, & Auctores Scholastici loquuntur de Eucharistiâ aliquando secundùm rationem sacrificii, aliàmve à ratione sacramenti disparatam, aliquando secundum rationem sacramenti utcumque, aliquando secundùm rationem sacramenti simpliciter, & absolutè, diligenter ex contextu verborum observandum est, in quonam sensu loquantur, nec quidquid de Eucharistiâ proferunt, censendi sunt proferre de Eucharistiæ sacramento præsertim simpliciter, & absolutè dicto: Hinc: manet omninò perspicuum, quod *præced. num. 163.*, & aliàs in doctrinæ progressu insinuavi, opinionum de Sacramenti Eucharistici essentiâ diversitatem esse magnâ ex parte vocalem, & ex diversâ vocum, ac nominum acceptione deductam.

Nomen Sacramenti, & multò magis nomen Eucharistiæ, posse recenseri inter æquivoca.

CAPUT III.

De Constitutivis transeuntibus Sacramenti Eucharistiæ:

Utrùm scilicet aliquid physicè transiens ingrediatur intrinsecam ejus constitutionem?

Videtur primo aspectu absolutè negandum, cùm videatur ferè ex terminis notum ens permanens, cujusmodi est Eucharistia, non posse constare, seu constitui intrinsecè ex aliquo transeunte: Nihilominùs quia verba consecratoria etsi successiva, & transeuntia nequeunt salvâ cohærentiâ doctrinæ à nobis alibi traditæ excludi à Sacramenti Eucharistici constitutione, non est aut levis ratio dubitandi etiam in aliquibus aliis rebus transeuntibus, aut tenuis difficultas affirmandi, & sustinendi id in verbis: ideò hoc utrumque est præcipua hujus capitis materies: Occurrunt verò, ut jam in limine capitis præcedentis attigimus, ex genere successivorum, & transeuntium, præter formas verborum duo alia, de quibus controverti solet, utrùm intrinsecam Eucharistici Sacramenti constitutionem ingrediantur? & sunt usus, seu sumptio, & transubstantiatio, seu actio transubstantiativa: Est autem major de primo controversia propter solemnem ejus occasione exortum Sectariorum errorem: Pro quo

Præ-

2 Quomodò erraverint Sectarii ponendo sumptionem esse de constitutione Sacramenti Eucharistiæ,

Præmitto ex Bellarm. *tom. 3. controversiar. lib. 4. de Sacram. Euchar cap.* 1. Martinum Bucerum fuisse primum Auctorem erroris ponentis existere sub speciebus panis corpus, & sub speciebus vini Sanguinem Christi Domini solùm, dum species sumuntur; ex quo consequens est Eucharistiam esse sacramentum solùm tempore sumptionis, adeòque transiens, & in actione consistens sicut cætera, non permanens, & asservatis speciebus perseverans: In hunc Buceri errorem, ut potè ad evertendam Augustissimi Sacramenti, aut super altare expositi, aut in Sacrario repositi, aut ad infirmos delati adorationem accommodatissimum libenter consenserunt Lutherani, & Calvinistæ, quamvis non omnes cum eodem rigore, ex Calvinistis enim aliqui præsentiam Christi sub speciebus ad totam actionem cænæ dominicæ, aliqui etiam ad aliquod breve tempus subsequens, aliqui usque ad triduum extenderunt: Verùm istæ extensiones temperant, non diluunt errorem, cujus substantia consistit in eo, quod Christus non existat sub speciebus consecratis, ubi primùm istæ consecratæ sunt, & quamdiù post consecrationem perseverant:

3 Hinc apud Catholicos certum est, sumptionem non ingredi constitutionem Sacramenti Eucharistiæ ità, quod sine ipsâ, & antecedenter ad ipsam, aut non ponatur, aut non diù permaneat Christus Dominus sub speciebus; at non ex hoc illicò consequitur, sumptionem non esse Sacramentum, nec partem sacramenti; excogitari enim potest, quod aut sit Sacramentum distinctum à Sacramento Corporis, & Sanguinis, aut sit hujus sacramenti pars integralis, ut est satisfactio respectu Sacramenti Pænitentiæ: Istud quamvis non factâ partis integralis, sed solùm essentialis expressâ mentione, docuit Aureolus *in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. propos. 3.* Illud cum formidine insinuavit Gabriel *ead. dist. quæst. 1. art. 3. dub. 2.* ubi videtur Eucharistiam in tria sacramenta dividere, quorum alterum in Consecratione, alterum in speciebus Christum Dominum continentibus, alterum in sumptione, seù usu consistat; & ne censeatur augere septenarium Sacramentorum numerum ab Ecclesiâ definitum, loquitur de Eucharistiâ proportionaliter, ut de ordine, & dicit Eucharistiam, sicut ordinem, esse unum sacramentum sub se continens plura sacramenta: Utramque hanc opinionem invenio referri, & refelli à Scholasticis communiter, at neutram video notati censurâ saltem gravi: His præmissis sit

Quomodò possit aliter excogitari, quòd sumptio sit sacramentum, aut pars sacramenti?

§. I.

Utrùm sumptio, seù usus ingrediatur Eucharistiæ constitutionem, & sit aut sacramentum aut pars sacramenti?

4 Sumptio in ordine ad existentiam Christi sub speciebus nequidem est conditio sine qua non.

ASSERT. I. In ordine ad existentiam, realemque præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, sumptio, seù usus nullatenùs ingreditur Eucharistiæ constitutionem, & non solùm non est sacramentum, nec pars sacramenti, sed neque est conditio sine quâ non. Est veritas ad dogma, & ad fidem pertinens contrà errorem Buceri, & aliorum Sectariorum de quibus *præced. num.* 2.

Probatur. Sine sumptione, seù usu, & antecedenter ad ipsa habetur permanenter, ac perseveranter in Eucharistia existentia, realisque præsentia corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, ergo in ordine ad existentiam realemque præsentiam &c. consequentia patet, quia illud, sine quo aliquid habetur, nullatenùs ingreditur istius constitutionem, & neque etiam ut conditio sine quâ non ad istud requiritur, ut perspicuum est expendenti terminos: Antecedens probatur ex Concilio Tridentino *sess. 13. cap* 5., & 6. item *can.* 4., & 7. quibus locis approbatur mos adorandi cultu latriæ, venerandi solemniter, & honorificè ac reverenter in processionibus circumgestandi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; item anathematizantur dicentes peractâ consecratione in eodem non esse corpus, & sanguinem, sed solùm dum sumitur, non antè, vel post, nec licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed debere statim post consecrationem astantibus distribui; quæ certè omnia, & singula nequeunt subsistere, nisi sine sumptione, seù usu, & antecedenter ad ipsa habeatur permanenter, ac perseveranter &c. ergo sine sumptione, seù usu &c.

5 Idem antecedens probatur secundò ex eo, quod corpus, & Sanguis Christi succedunt substantiis panis, & vini, & habent proportionalem rationem cibi, & potus; substantiæ autem panis, & vini, rationesque cibi, & potus habentur permanenter, ac perseveranter sine sumptione, seù usu, & antecedenter ad ipsa. Idem antecedens probatur tertiò ex eo, quod verba consecratoria efficiunt, quod significant, significant autem existentiam, realemque præsentiam corporis, & sanguinis absolutè, & simpliciter, non cum conditione, & hypothesi sumptionis, seù usus. Aliæ plures ejusdem antecedentis, totiusque assertæ veritatis probationes; plures pro eâdem Sanctorum Patrum auctoritates; solutiones item, & impugnationes argumentorum, quibus Sectarii nituntur, videri possunt apud Valentiam *hic disp. 6. quæst. 1. punct. 3.*, & Bellarminum *præcit. lib. 4. à cap. 2. ad 6.* à nobis

bis rem alioqui certam, & magnâ ex parte Controverſiſtarum propriam, magnâ item ex parte tractandam iterùm infrà *cap* 4. ſufficit pro nunc leviter, ac breviter attigiſſe.

6 — *In ordine ad cauſandam gratiam eſt conditio; at neque eſt Sacramentum, neque pars Sacramenti*

Aſſert. II. In ordine ad cauſandam gratiam ſumptio, ſeu uſus ſe habet ut conditio & applicatio ſacramenti; at gratiam ipſam non cauſat neque ut ſacramentum, neque ut pars ſacramenti nequidem integralis. Hoc aſſertum non habet tantam certitudinem, quantam præcedens, in ipſo tamen contrà Gabrielem, & Aureolum de quibus *praced num.* 3. conveniunt Scholaſtici communiter, & inter alios magis ex profeſſo Suarez *diſp.*42. *ſec.*4. Lugus *diſp.* 1. *ſec.* 7. Arriaga *diſp.*28. *ſec.*5. Eſparza *lib.*10. *quæſt.*71., & Madernus *quæſt.* 1. *art.*4.

Probatur prima pars: Illud ſe habet ut conditio, & applicatio cauſæ ad effectum, quod in effectum non influit, requiritur tamen, ut cauſa influat, ſitque ad influendum ſufficienter applicata; atqui in gratiam, quam Euchariſtia cauſat, uſus ſeu ſumptio non influit, requiritur tamen ut Euchariſtiæ Sacramentum influat, ſitque ad influendum ſufficienter applicatum; ergo in ordine ad cauſandam gratiam ſumptio, ſeu uſus ſe habet, ut conditio, & applicatio ſacramenti: Major continet tritam conditionis deſcriptionem, & diverſitatem ejus à cauſâ: Minor quò ad ly *non influit* probanda eſt in ſequenti aſſerti parte; quò ad ly *requiritur tamen* &c. probatur, quia non aliter, quàm per ſumptionem habetur Euchariſtiæ applicatio ad gratiam cauſandam, & Euchariſtiam applicari, ut gratiam cauſet in hoc, non in illo; eſt ipſam ſumi ab hoc non ab illo, & nec in Sacerdote, à quo conficitur, gratiam cauſat, niſi quatenùs ab eo ſumitur, & quando ſumitur: Quadrat hic maximè analogia cibi corporalis, nam ſicuti requiritur materialis ſumptio ad hoc, ut iſte præſtet ſuum effectum, & ſit ſufficienter applicatus ad corporaliter nutriendum, ità proportionaliter debet requiri ſumptio ſacramentalis ad hoc, ut cibus ſacramentalis euchariſticus, ſeu Euchariſtiæ Sacramentum præſtet ſuum effectum, & habeat ſufficientem applicationem, ad nutriendum ſpiritualiter per gratiæ productionem.

7 — *Utrùm prædictæ ſumptionis nomine veniat ſola manducatio, an quæcumque in ſtomachum immiſſio?*

Dubitatur hic, Utrùm nomine ſumptionis, quam ponimus pro conditione ad Euchariſtiæ effectum neceſſaria, veniat ſola Euchariſtiæ manducatio, & ab ore in ſtomachum trajectio, an quæcumque ejus poſitio in ſtomacho ſivè per manducationem, ſivè aliter per miraculum facta? Favet huic ſecundæ parti analogia cibi corporalis, qui quomodocumque in ſtomacho poſitus eſt ſufficienter applicatus, ut corporaliter nutriat; favet verò primæ, quod Chriſtus Jo. 6. dixit *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Item *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam*: Propter hæc verba Suarez *diſp.*63. *ſect.*7. §. *In hâc re*. Gonetus *diſp* 2. *art.* 1. *n.*25., & Madernus *diſp.*1. *art.*4. *num.*16. primæ parti adhærent, & ſentiunt ex vi præſentis inſtitutionis Euchariſtiam ſolum manducatam, & ab ore in ſtomachum trajectam conferre ſuum effectum, & gratiam ex opere operato; quandò verò, ut aliquibus piis, & ſanctis viris contigit, aliter in ſtomacho ponitur, conducit ſolum ad gratiam non ſacramentalem ex opere operantis, is ſcilicèt, cui tale privilegium conceditur, ſolùm ex merito ardentiſſimæ voluntatis, & eximiæ erga Euchariſtiam devotionis ex ipsâ Euchariſtiæ in ſtomacho poſitæ præſentiâ auctæ obtinet gratiam: Neque ſic opinantibus admodùm officit analogia cibi corporalis; hanc quippè certum eſt non procedere quò ad omnia, & ſingillatim non procedere quò ad rem præſentem, putant ipſi ſufficienter colligi ex præallatis verbis Chriſti Euchariſtiæ inſtitutoris: Nihilominùs quia ly *Qui manducat* oſtendit manducationem eſſe ſufficientem, & ordinariam Euchariſtiæ applicationem, at non evincit talem eſſe ipſam ſolam, nec dari aliquam aliam extraordinariam: Et ly (quod videtur efficacius) *Niſi manducaveritis* probat neceſſitatem manducationis, non tàm ad conſequendum Euchariſtiæ applicatæ effectum, quàm ad implendum Euchariſtiæ ſumendæ præceptum, & ſenſus magis proprius, ac magis obvius eſt, quod niſi fideles manducent &c. non habent in ſe vitam, id eſt carent omni gratiâ habituali propter peccatum, quod committunt contrà obligationem Euchariſtiæ ſumendæ. Quia, inquam, hæc ità ſunt, non eſt omninò contemnenda tamquàm Chriſti verbis malè cohærens prælaudata analogia, cum præcipuè quamdam peculiarem benignitatis, ac pietatis ſpeciem in Sacramentorum Inſtitutore præſeferat, quod admittatur in propoſito dubio procedere; ideò Lugus *pracit. ſec.* 7. *num* 117. opinioni docenti Euchariſtiam non manducatam, ſed aliter ſtomacho per miraculum immiſſam cauſare ex opere operato gratiam objicit dumtaxat novitatem; Arriaga *pracit. ſec.* 5. *num.* 19. ait inter utramque dubii partem, quidquid dicatur, divinando magis quàm diſcurrendo dici, & Amicus *diſp.*25. *ſec* 2. *nu.*47. admittit utramque problematicè, ſicut etiam Lauræa *diſp.*26. *art.* 1. *num.*34.

Prior pars eſt receptior.

8

Poſterior tamen non eſt prorſus contemnenda.

9

Probatur ſecunda aſſerti pars primò, quatenùs contrà Gabrielem aſtruit Euchariſtiæ ſumptionem non cauſare gratiam, ut Sacramentum, non eſſe ſcilicèt ſacramentum à Sacramento Corporis, & Sanguinis diſtinctum; nam ut omittam eſſe ſi non contrà, certè præter unanimem Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum ſenſum, quod ſicut ſub ordine, ità ſub Euchariſtiâ tamquàm ſub ſacramento ſolum unitate, aut genericâ, aut aggregationis uno contineantur diverſæ ſpecies totales ſacramentorum, ut, inquam, hoc omittam, arguo poſitivè ſic. Nulla actio, quæ non fit à Miniſtro Sacramenti, eſt ſe ſolâ Sacramentum, atqui

mandu-

Sumptio non est Sacramentū sub Eucharistia contentum, à Sacramento Corporis, & Sanguinis distinctum.

manducatio non est à Ministro Sacramenti; ergo non est se solâ sacramentum; ergo non est sacramentum distinctum &c. Major patet, quia secus sacramentum fieret sine Ministro, idest sine aliquo, qui Dei & Christi nomine operetur, sicque fieret independenter à Dei, & Christi institutione; Minor probatur, quia manducatio est à suscipiente Eucharistiam, nemini autem, ut opinor, venit in mentem, quòd suscipiens Eucharistiam sit in ipsâ susceptione sacramenti Minister, & quatenùs hoc alicui in mentem veniat, impugabitur ex eo, quia suscipiens, & manducans Eucharistiam non operatur Dei, aut Christi nomine, non profert ullam verborum formam, non dicitur, nec intendit sacramentum conficere, sed potiùs consumere; atqui hæc omnia requiruntur in Sacramentorum Ministro; ergo. Confirmatur ex eo, quia sumptio, seù manducatio Corporis Christi non significat (si aliquam significat) gratiam diversam ab eâ, quam significat Corpus; ergo non est sacramentum distinctum à Sacramento Corporis; antecedens probatur, tùm ex analogiâ cibi corporalis, cujus manducatio non respicit corporalem nutritionem diversam, & aliam ab eâ, quam respicit ipse cibus, tùm ex verbis, quibus Christus *Jo. 6.* promittit vitam gratiæ manducanti corpus, promittit inquam ratione cibi manducati, non ratione manducationis, aut certè non aliam ratione illius, aliam ratione istius. Et ex his apertè deficit Eucharistiæ ad ordinem comparatio, nam sub isto singuli ordines conferunt peculiarem potestatem spiritualem, ac peculiarem gratiam, singuli item habent suas peculiares formas verborum, non sic sub illâ consecratio, species consecratæ, & sumptio, quæ à Gabriele ponuntur esse tria distincta sacramenta sub Eucharistiâ eo ferè modo, quo subdiaconatus, diaconatus, Præsbyteratus sunt tria distincta Sacramenta sub ordine.

11 Non est item pars nequidem integralis Sacramenti Eucharistiæ.

Probatur eadem secunda asserti pars secundò, quatenus contra Aureolum astruit sumptionem non causare gratiam ut partem, atque adeò non esse partem Sacramenti Eucharistiæ nequidem integralem, nam ex D. Thomâ *hic quæst. 73. art. 1. ad 3.* Sacramentum Eucharistiæ perficitur in consecratione materiæ, & ab aliis Sanctis Patribus, quin & à vulgo fidelium censetur esse perfectum, ac completum Sacramentum illud, quod vel adorandum exponitur, vel in sacrario reconditur; habet igitur antè sumptionem, & usum omnea suas partes essentiales, & omne complementum etiam integrale, ac per consequens sumptio non est ipsius pars nequidem integralis. Et recurrit hic paritas cibi corporalis, qui est in propriâ ratione perfectus, antequam manducetur, & manducationem non respicit ut sui partem nequidem integralem.

12 Probatur eadem secunda pars tertiò, quatenus contra utrumque prædictum Auctorem absolutè astruit sumptionem gratiam ipsam non causare, nam si sumptio gratiam causat, causat ex institutione, & quatenus est à Christo ad gratiam causandam instituta; at non est, nec ullibi ostenditur sic instituta, si enim alicubi maximè *Jo. 6.* ubi manducanti promittitur à Christo vita gratiæ, atqui hoc loco verè non est instituta ad gratiam causandam manducatio, cum promissio sit facta ratione cibi manducati, non ratione manducationis, undè *ibid.* Christus ait *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*, quod est idem, ac dicere propter cibum manducatum. Præterea manducatio ratione sui non habet ullam significationem symbolicam respectu effectus, aut finis Eucharistiæ ut singillatim explicat Esparza *præcit. quæst. 71. art. 7., & ad 1.* Et tandem ille modus loquendi *Qui manducat hunc panem vivet; Qui manducat meam carnem habet vitam.* Optimè, & juxtà communem usum salvatur per hoc, quod manducatio sit conditio, & applicatio ad vitam habendam, ut patet in his similibus loquendi modis: Qui ad ignem accedit, calefit; Qui bonum cognoscit, appetit.

Nullatenus causat ex Christi institutione gratiā.

Dices primò impugnando probationem primæ partis asserti: Quamvis applicatio ex genere suo se habeat ut conditio, & talis sit in rebus physicis, ac naturalibus; in iis tamen, quæ causant ex supernaturali institutione, ut Sacramenta, non militant leges, & modi naturales, & sicuti de facto in baptismo, extremâ unctione, & aliis sacramentis applicatio materiæ est concausa, non pura conditio respectu gratiæ, ità in Eucharistiâ sumptio quamvis sit materiæ consecratæ applicatio, poterit simul esse respectu gratiæ concausa, non pura conditio, præsertim si sermo sit de concausâ morali, quam difficillimum est à purâ conditione secernere, sufficit enim ad causam moralem, quod eâ positâ alius moveatur ad operandum, nec requiritur, quod per se ipsam operetur, nos autem in proposito videmur solum probare, quod sumptio per se ipsam non causet; at non quod ex sumptione non moveatur Deus ad gratiam causandam, seù conferendam, dum re ipsâ hanc non confert, nisi illâ positâ, ac suppositâ. Sed contrà: Instantia benè suadet sumptionem; quamvis se habeat ut applicatio materiæ consecratæ, adhuc potuisse à Christo institui, tamquam concausam gratiæ, & partem Sacramenti; at nullatenùs probat, quod ità factum sit, cum illatio à possibili ad de facto sit ex genere suo inefficax, & in casu instantiæ maximè appareat falsa ex eo, quod *præced. nu. 12.* ostensum est sumptionem non fuisse de facto ad causandam gratiam institutam; nec valet argumentum ductum ab aliis sacramentis; nam in istis applicatio materiæ, non in Eucharistiâ sumptio, est actio Ministri facta Christi nomine cum intentione faciendi sacramentum, & verbis super ipsam prolatis; ex quibus, & similibus sicut Sancti Patres, & Concilia jure collegerunt, reliqua sacramenta esse transeuntia, & consistentia in usu, non Eucharistiam ità jure colligitur

13 Potuisset tamen sic causare, & tunc fuisset sacramenti pars.

in

Cur in aliis sacramentis ponitis, quam in Eucharistia applicationem materiæ sit instituta ad concausandam gratiam?

in reliquis Sacramentis applicationem materiæ fuisse de facto institutam ad causandam gratiam, non in Eucharistiâ sumptionem. Ratio ulterior, & quasi à priori esse potest, quia in aliis Sacramentis applicatio materiæ est applicatio alicujus, aut non sacri, aut solum sacramentalis non habentis ex se virtutem causativam gratiæ congruebat igitur applicationem cum tali materiâ institui ad concausandam gratiam, nec requiri ut puram conditionem, at in Eucharistiâ sumptio est applicatio Sacramenti habentis ex se virtutem gratiæ causativam, ideò &c. Quod si dicas in hoc peti principium; saltem non negabis in Eucharistiæ sumptione applicari materiam nobiliorem, quàm in ullo alio sacramento, idest ipsum corpus Christi, & hæc ipsa nobilitas præbet aliquam rationem, ob quam Christus in Eucharistiâ reliquerit congruentissimè ut puram conditionem applicationem materiæ, quam in aliis sacramentis instituit, ut gratiæ concausam:

14

Ad illud, quod addebatur de difficultate secernendi puram conditionem à concausâ morali, parum facit ad rem in nostris principiis ponentibus Sacramenta causare gratiam physicè: Quia tamen in rene quidem ullam causalitatem moralem puto esse sumptioni concedendam, dico illam difficultatem procedere ad summum in conditionibus se tenentibus ex parte Ministri, & requisitis ex divinâ institutione: Sumptio autem non tenet se ex parte Ministri, ut jam probavi, nec tàm requiritur ex divinâ institutione, quàm ex naturâ rei, & ex communi lege contactus requisiti inter agens, & passum, ut observat Esparza *præcit. quæst. 71. ad 3.* sumptio igitur nec per seipsam gratiam causat, nec ex illâ movetur Deus ad hanc causandam.

Dices secundò impugnando secundam probationem secundæ partis asserti: Licet Pœnitentiæ Sacramentum perficiatur peccatorum absolutione, & ipsum simpliciter suscepisse dicatur, qui fuit sacramantaliter absolutus, adhuc tamen satisfactio est ejus pars integralis; ergo similiter licet Eucharistiæ sacramentum perficiatur consecratione materiæ, & materia consecrata denominetur simpliciter Sacramentũ, adhuc sumptio potest esse ejus pars integralis, ratio utriusque est, quia ut aliquod totum denominetur simpliciter constitutum, sufficit quod nulla ei pars essentialis desit, quamvis desit aliqua integralis, nec aliquis desinit esse simpliciter homo per hoc, quod ei desit manus, vel pes v. gr.

15

Quomodo satisfactio sit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ?

Sed contrà: Benè Madernus *præcit. art. 4. nu. 7.* monet satisfactionem propriè loquendo esse partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ, quatenus à Sacerdote injungitur, & à Pœnitente acceptatur, quod antè absolutionem fit; non quatenus executioni mandatur, quod post ideò cum quis est absolutus, sacramentum est etiam integraliter perfectum, licèt satisfactio nondùm sit executioni mandata, & juxtà hanc doctrinam negandum est tamquam suppositi falsitate laborans instantiæ antecedens: Nec admodum urget ratio adjecta, quia licet sine parte integrali totum remaneat constitutum quoad essentiam, non tamen simpliciter, & absolutè completum quò ad substantiam; & homo, cui manus, vel pes deest est homo essentialiter, at non simpliciter, & absolutè perfectus, sed mutilus. Nulla autem in proposito est necessitas limitandi ad perfectionem essentialem, & intelligendi cum improprietate, quod simpliciter, & absolutè dicitur Eucharistiam consecratione perfici, esse simpliciter, & absolutè Sacramentum illud, quod antè usum in sacrario asservatur, in altari exponitur &c.

Quomodo satisfactio eadem ratio de sumptione respectu Sacramenti Eucharistiæ.

Quin potius est aliqua ratio concedendi, quod non sit omninò perfectum antè satisfactionem impletam Sacramentum Pœnitentiæ, quam ante sumptionem, & usum Sacramentum Eucharistiæ, cum satisfactionis sacramentalis impletio per se ipsam causet gratiam ex opere operato, Eucharistiæ autem sumptio, nec gratiam, nec aliud quidpiam sacramentaliter operetur, ut ex analogia sumptionis cibi corporalis, & aliter abundè probatum est.

16

Vrgebis, Eucharistiæ sumptio habet significationem sacramentalem, & analogiam sumptionis cibi corporalis, ut à nobis affertur, nimis probat, atque adeò nil concludit; ergo Eucharistiæ sumptio aliquid operatur sacramentaliter, & pertinet ad perfectionem sacramenti saltem integralem, nec subsistit doctrina, quâ nos in oppositum desudamus: Probatur antecedens quoad primam partem, quia Eucharistiæ sacramentum significat præcipuè unionem charitativam communicantis cum Christo, & aliis justis tamquam capite, & membris ejusdem corporis mystici, atqui hujus unionis significationem maximè habet sumptio, quæ per se ipsam uniendo quasi physicè, & conjungendo corporaliter communicantem Christo Domino valdè distinctè, & expressè symbolizat unionem spiritualem, conjunctionemque charitativam, ergo. Probatur idem antecedens quoad secundam partem, quia sicut cibus corporalis in ratione cibi, ità medicina corporalis in ratione medicinæ habet omnem suam perfectionem etiam integralem antè usum, & sicut illius sumptio est conditio, non concausa corporalis nutritionis, ità sumptio istius est conditio non concausa corporalis sanitatis; ergo si ex analogiâ cibi corporalis ad cibum sacramentalem rectè probatur Eucharistiam esse sacramentum etiam integraliter perfectum antè usum, seù sumptionem, & hanc nullatenùs esse causam gratiæ spiritualiter nutrientis; ex analogiâ medicinæ corporalis ad medicinam sacramentalem rectè probabitur extremam unctionem esse sacramentum perfectum antè sumptionem, quod est idem, ac dicere unctionem ipsam, & hanc nullatenus esse causam gratiæ spiritualiter sanantis, sed totam gratiæ causalitatem haberi ab oleo, seù materiâ applicatâ; atqui hoc est nimium probare, & falsum concludere; ergo.

17

Sed contrà nego antecedens quo ad utramque partem.

Ad

17 Ad probationem primæ partis datâ majore nego minorem de significatione sacramentali intellectam, & dico unionem charitativam communicantis cum Christo, & aliis justis haberi per augmentum gratiæ, & charitatis datæ ad bona opera cujuslibet generis, non alicujus generis determinati; ut in aliis Sacramentis, sicuti igitur hujusmodi augmentum nullatenùs à sumptione, aut causatur, aut sacramentaliter significatur, itâ nec unio charitativa, quæ, ut suprà *cap.* 1. *num.* 11. attigimus, habetur à Christo conjuncto non utcumque, sed per modum cibi, & alimenti, sumptio autem ad conjunctionem, aut specierum per modum cibi corporalis, aut Christi per modum cibi sacramentalis cum sumente est pura conditio, quia nullatenus constituit, nec causat, aut in speciebus rationem cibi corporalis, aut in Christi corpore rationem cibi spiritualis. Deindè conjunctionem, quam sumptio significat, si quam significat, significat ex naturâ rei, non ex institutione, adeoque non sacramentaliter. Neque dicas; per hoc ipsum, quòd ex naturâ rei significet conjunctionem materialem, & physicam, habet proportionem, & analogiam ad significandam ex institutione conjunctionem spiritualem: Contrà enim: Hinc ad summum infertur sumptionem potuisse rectè institui ad sacramentaliter significandum, at non fuisse de facto sic institutam; pro quo repete, quæ mox dicebamus *num.* 13.

18 Ad probationem secundæ partis, dico non fuisse eodem modò institutam extremam unctionem, per modum medicinæ, quo Eucharistia per modum cibi; sed in extrema unctione ad causandam gratiam sanantem fuisse institutam medicinam non se solâ, sed simul cum suâ applicatione, in Eucharistiâ ad causandam gratiam nutrientem fuisse institutum cibum se solo, & hoc nos deducere non tàm ex analogiâ cibi corporalis, quàm ex aliis capitibus, de quibus *nu.* 12., & 13. Supposito verò, quod id aliundè constet, analogia cibi corporalis affertur tamquàm optima ad explicandam, & confirmandam congruentiam institutionis itâ factæ; & quod non detur similis analogia corporalis medicinæ ad Extremam unctionem, nihil aliud probat, quam non fuisse eâdem proportionaliter ratione institutam extremam Unctionem per modum medicinæ, & Eucharistiam per modum cibi, quod ultrò fatemur. Ad summum proportionalis analogia cibi, & medicinæ suadet, quod Christus cum aliquâ congruentiâ potuisset, sicut pro Eucharistiâ itâ pro extremâ Unctione instituere sacramentum permanens, & antè usum, & si itâ instituisset, quadraret extremæ Unctioni analogia corporalis medicinæ, sicut Eucharistiæ analogia corporalis cibi.

Analogia corporalis medicinæ ad extremam unctionem non se habet, ut analogia corporalis cibi ad Eucharistiam.

§. II.

Utrùm actio transubstantiativa ingrediatur Eucharistiæ constitutionem, & sit aut Sacramentum, aut pars Sacramenti.

19 ASSERT. Actio transubstantiativa, seù transubstantiatio, quam aliqui consecrationem vocant, non ingreditur intrinsecam constitutionem Eucharistiæ, & neque est sacramentum, neque pars sacramenti. Dixi, *quam aliqui consecrationem vocant*, quia consecratio sumitur quidem aliquando pro actione transubstantiativâ, at sumitur etiam aliter, idest pro prolatione, seù formâ verborum, in quo sensu nos de consecratione agemus §. *seq.*, interim in præsenti duo moneo: Primum est, eos, qui à constitutione Sacramenti Eucharistiæ excludunt consecrationem sumptam pro formâ verborum, à fortiori excludere eamdem sumptam pro actione transubstantiativâ, etsi fortè de eâ in terminis non loquantur. Secundum est, non eos omnes, qui ponunt Eucharistiæ sacramentum intrinsecè ex consecratione constitui, nobis hic adversari, cum major ipsorum pars sumat consecrationem pro verborum forma, non pro actione.

Consecratio, & transubstantiatio aliquando sumuntur pro eodem, aliquando nõ.

20 Hoc assertum itâ explicatum; quatenùs negat actionem consecrativam, seù transubstantiativam esse sacramentum, est contrà Gabrielem, qui, ut retulimus *præced. n.* 3. voluit illam esse unum ex tribus sacramentis ab ipso in Eucharistiâ excogitatis: esset insuper contrà Marsiliom *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 6. *art.* 2. Viguerium in summâ Institutionum theologicarum *cap.* 16. §. 3., & Cajetanum 3. *par. quæst.* 62. *art.* 6. si, ut aliqui referunt collocassent Eucharistiæ Sacramentum in solâ consecratione sumptâ pro actione; at quò ad Cajetanum aliam esse ipsius mentem jam observavimus *cap. præced. num.* 159. Quò ad Marsiliom, & Viguerium videntur consecrationem sumpsisse pro formâ verborum, & neque in hâc totam essentiam simpliciter, sed totum rectum Sacramenti Eucharistiæ collocasse, ut insinuat Vasquez *disp.* 167. *cap.* 2. *num.* 13., & 14. Quatenùs postea assertum negat actionem prędictam esse partem sacramenti, est contrà Bassolium *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 1 §. *Quantum ad primum.* Lugum *hic disp.* 1 *sec.* 6. Bernal. *disp.* 24. *sec.* 2., & alios nonnullos. Sustinent verò totam assertam doctrinam Gonetus *disp.* 2. *art.* 1. *num.* 11. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 5. Suarez *disp.* 42. *sec.* 2. *in princip.* Amicus *disp.* 15. *sec.* 1. *num.* 21. Arriaga *disp.* 28. *sec.* 4., & tùm Thomistæ, ac Scotistæ communiter, tùm major pars Recentiorum.

21 Probatur assertum, & quidem pro ipso quatenùs astruit actionem transubstantiativam non esse sacramentum distinctum à Sacramento Corporis, & Sanguinis, recurrit in primis, quod *num.* 9. dicebamus

Consecratio sumpta pro actione transubstantiativâ non est ex se speciale Sacramentum.

esse præter unanimem Patrum, & Scholasticorum mentem, quod ponantur sub Eucharistiâ plura distincta sacramenta: Deindè actio transubstantiativa, idest conversiva substantiarum panis, & vini in substantias Corporis, & Sanguinis, cum non sit ex se sensibilis, non apparet, quomodo possit esse ex se sacramentum; Nec refert, quod reddatur sensibilis per verba, nam sensibilitas mediata, & per aliud sufficit ad summum, ut aliquid sit pars sacramenti, at non ut sit integrum sacramentum. sicque talis sensibilitas conduceret ad summum, ut esset speciale sacramentum consecratio sumpta, tùm pro actione transubstantiativa, tùm pro formâ verborum; in re tamen neque hoc dici potest, tùm propter jam rememoratam Patrum, & Scolasticorum mentem, tùm quia consecratio etiam co modo sumpta numquàm causat gratiam, aut saltem non causat gratiam specialem distinctam ab eâ, quam causat Sacramentum Corporis, & Sanguinis.

Dices consecrationem, quamvis ex se numquàm causet specialem gratiam accidentalem sanctificativam suscipientis, causare tamen, & practicè significare gratiam subsistentem sanctificativam materiæ, & stam in sanctitate substantiali Corporis, & Sanguinis, & hujus gratiæ subsistentis significationem ad veram rationem Sacramenti sufficere, imò ex mente Scoti *in 4. dist. 8. quæst. 1. §. secundò inquirendum versic. Tertia excellentia, & §. Ex his patet*, esse primariam significationem Eucharistiæ. Sed contrà

22

dico consecrationem causare, & practicè significare gratiam subsistentem, at non significatione sacramentali, adeòque non significatione, quâ possit constitui sacramentum, nam in primis juxtà præsentem institutionem significatio constitutiva sacramenti est sola significatio gratiæ accidentalis: Deindè consecratio, quatenùs sumitur pro formâ verborum prolatâ à Ministro in personâ Christi, significat Christi corpus significatione naturali, & independenter ab institutione; quatenus sumitur pro actione, causat & quidem ex institutione Christi corpus, at non significat sacramentaliter, quia ut actio non significat sensibiliter, item non significat permanenter, & ut forma; pro cujus doctrinæ majore intelligentiâ videri possunt suprà dicta *cap. præced. num. 172.*, & 174. Ad illud, quod ex Scoto addebatur, si Subtilis Doctor præcisè intendit gratiam subsistentem esse primarium, & potissimum Eucharistiæ significatum abstrahendo ab eo, quod significetur sacramentaliter, nec ne? dico benè stare: Si intendit esse primarium significatum, & significari significatione propriè sacramentali, ab ejus mente recedo.

Non significat sacramentaliter gratiam subsistentem, quam causat.

23

Non est item pars intrinseca sacramenti

Probatur jam assertum, quatenus astruit actionem transubstantiativam non esse partem sacramenti: Actio transubstantiativa, & consecratio, prout cum tali actione coincidit, est efficientia, & via ad Eucharistiæ Sacramentum tamquàm ad effectum, & terminum; atqui efficientia non est pars intrinseca sui effectus, & via non est pars intrinseca sui termini, contradistinguitur enim illa ab effectu, ista à termino: desinit illa non desinente effectu, ista non desinente termino; ergo. Nec refert, quod in nostris principiis philosophicis actio sit complexum causæ, & effectus, adeoque inadequatè sumpta sit ipse effectus. Non refert inquam quia adhùc ab effectu distinguitur sumpta inadæquatè, & ex parte causæ, nec potest intelligi, quod secundùm se totam sit effectus, aut effectum constituat sumpta activè, undè in illis principiis philosophicis adhùc probatio evincit actionem transubstantiativam, aut adæquatè, aut activè sumptam non posse esse sacramenti constitutivam, quod sufficit. Verùm aliter, & independenter à complexis, quibus suam oppositam sententiam non fundant Auctores, quos hic adversarios habemus.

Dices primò: Actio transubstantiativa non solùm efficit, ac ponit Corpus Christi sub speciebus, verùm etiam ipsum speciebus unit, atqui quatenùs sic unit, intrinsecè constituit sacramentum, nec præcisè se habet, ut efficientia, & via; ergo actio transubstantiativa &c. Major patet, quia actione transubstantiativâ dicitur confici sacramentum, at hoc consistit non præcisè in eo, quod corpus Christi sit sub speciebus positum, verum etiam in eo, quod sit speciebus unitum: Minor probatur, quia quatenùs sic unit, est unio extremorum componentium sacramentum tamquàm totum, atqui unio intrinsecè constituit totum, cujus extrema unit; ergo. Sed contrà: Utrùm unio, quæ propriè non est pars totius, sed purum *Quo*, aut etiam pura conditio applicans extrema adinvicem (sicuti approximatio est conditio applicans agens ad passum) rectè dicatur constituere essentialiter, ac intrinsecè totum? Utrùm item Christus, ejusvè corpus præter intimam præsentiam habeat specialem unionem ad species? difficultate, & quæstione non caret: Utroque tamen omisso, & permisso, ad instantiam in formâ distinguo majorem, actio transubstantiativa non solùm &c. verùm etiam ipsum speciebus unit effectivè concedo, formaliter nego; atqui quatenùs sic, idest effectivè, unit, intrinsecè constituit, nego minorem, & consequentiam; Ad probationem minoris dico, quatenùs sic, idest effectivè, unit, non esse unionem, sed efficientiam unionis, seù unitionem; at unio formalis, non unionis efficientia, seù unitio intrinsecè constituit totum, cujus extrema unit; undè etiam ea sola est quid permanens in toto facto jam, & constituto; unitio verò est quid transiens, & requiritur solùm respectu totius in fieri; sic in proposito actio transubstantiativa in ipso fieri sacramenti transit statim, ac desinit, permanente sacramento, & Christo speciebus unito tamquàm illius actionis effectu.

24

Non est unio, sed unitio Corporis Christi cum speciebus.

Urgebis ex Lugo *præcit sec. 6. num 96.* Quamvis actio transubstantiativa transeat

sub

sub conceptu primæ positionis, permanet tamen sub conceptu conservationis corporis Christi sub speciebus, seu speciebus uniti, ergo pertinet ad sacramentum permanenter, & in facto esse, ipsumque intrinsecè constituit. Sed contrà: Actio transubstantiativa est à Ministro mediis verbis, seu est per verba, ut à Ministro proferuntur, & quàmvis ex dicendis verba, ut sunt forma specierum, perseverent moraliter, non sic perseverant, ut sunt actio Ministri, cum nec perseveret ipse Minister ex parte cujus, ut ipsius actio se tenent, conservatur igitur Corpus Christi sub speciebus à solo Deo, non simul à Ministro mediâ actione transubstantiativâ, ac per consequens neque perseverat sub conceptu conservationis ipsa actio transubstantiativa; & quando sic perseveraret, adhùc Adversarii non obtinerent, quod intendunt, quia conservatio nihil est aliud, quàm continuata efficientia, & sicut positio, seu prima efficientia non ingreditur intrinsecè constitutionem effectus, ità nec conservatio, sed efficientia continuata; actio igitur transubstantiativa etiam quando sub conceptu conservationis permaneret, non constitueret intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ.

25

Non est quid permanens, & perseverans neque idem sub conceptu conservationis.

Dices secundò: Causalitas, quâ materia causat formam, quæ de ipsius potentia educitur, est via ad compositum, & tamen est intrinsecè constitutiva compositi: ergo ex eo, quod actio transubstantiativa sit via ad sacramentum, non rectè à nobis infertur, quod non sit constitutiva sacramenti: Antecedens probatur quò ad primam partem, quia illa causalitas est via ad formam, ergo etiam ad compositum continens formam; quo ad secundam partem, quia illa causalitas est ipsmet unio, materia enim sustentat formam per sui unionem cum formâ, unio autem ex jam datis est intrinsecè constitutiva compositi, seu totius. Sed contrà: Causalitas, quâ materia causat, & sustentat formam, est diversa ab unione, qua simul cum formâ constituit compositum, seu totum, potest enim constituere compositum cum formâ, cui sustentatio, aut non debeatur, ut non debetur animæ rationali, aut, si debetur, suppleatur à Deo in genere efficientis: Dicito igitur causalitatem illâ, aut non esse appellandam unionem, sed proprio nomine materialem sustentationem; aut si unio appelletur, distinguito duplicem unionis modum, alterum quo materia uniatur formæ tamquàm subjectum inhæsionis, & conjungatur formæ, ut existat in se, alterum quo materia uniatur formæ tamquàm subjectum informationis, & conjungatur formæ, ut existat in toto, unio primi modi aliqualiter præcedit, & est causalitas materiæ in formam, unio secundi modi subsequitur, & ingreditur constitutionem totius, vel etiam dici potest causalitas materiæ in totum. Neque illicò inferas, ergo hæc ipsa unio, quam ponimus ingredi constitutionem totius, est via ad totum, cum omnis causalitas sit via ad effectum, & prior effectu: Contrà enim: Non omnis causalitas simpliciter, sed solum omnis causalitas causæ extrinsecæ, & extrinseca est via ad effectum, & prior effectu: cæterùm causæ intrinsecæ, materialis scilicèt, & formalis, ut actu causantes sunt ipse effectus, non in via ad effectum, aut effectu priores, aut ab effectu distinctæ; istarum igitur causalitas non se habet, ut via, sed ut nexus, & vinculum partium simul cum istis intrinsecè se habens ad totum, & permanens in toto.

26

Causalitas causæ extrinsecæ, non causæ intrinsecæ est via ad effectum.

Ex dictis infertur actionem transubstantiativam, quamvis non constituat intrinsecè Eucharistiæ Sacramentum, essentialiter ad ipsum prærequiri, cum essent aliter prærequiratur ad quemlibet effectum sua actio, & sua productio: Hinc ulteriùs fit, Eucharistiæ sacramentum majorem habere cum transubstantiatione, quàm cum sumptione connexionem, nam licet cum neutrâ connectatur tamquam cum constitutivo intrinseco, cum transubstantiatione tamen connectitur à priori, & tamquam cum aliquo requisito ad ipsius fieri, & ut fit: cum sumptione connectitur à posteriori, & tamquam cum aliquo requisito ad ipsius effectum, & ut operetur: & quia potest esse absque eo, quod operetur, non absque eo, quod fiat, connectitur essentialiter cum transubstantiatione, non cum sumptione, cum illâ magis, quàm cum istâ.

27

Infertur insuper majori jure, majorique ratione excludi à constitutione Sacramenti Eucharistiæ sumptionem, quàm transubstantiationem, tùm quia ex mox deductis minùs cum sumptione, quàm cum transubstantiatione tale sacramentum connectitur, tùm quia ex § *praeced.* præsentia Christi sub speciebus habetur antè sumptionem, & independenter à sumptione; non sic certè ante transubstantiationem, & independenter à transubstantiatione. Hinc si ferendum sit obiter judicium de opinione, cujus meminit Amicus *disp.* 15. *sec.* 1. *num.* 4 docente Eucharistiam licet nec per transubstantiationem, nec per sumptionem constituatur, importare tamen ordinem essentialem ad utramque, cohærenter ad mox deducta censeo talem ordinem nullatenùs posse quo ad sumptionem admitti: At verò si talis ordo admitteretur, deberet ex intentione Ministri determinari tempus sumptionis, quo elapso, & sumptione non positâ desineret esse Christus sub speciebus, at hoc hæreticum est, & accedit ad errorem Kemnitii arbitrati Ministrum debere consecrare species eo animo, ut tunc vel paulo post distribuantur, aliter non poni sub speciebus Christum, sicut & eo animo consecratas paulo post desinere Christum retinere, si paulo post non sumantur ut refert Valentia *disp.* 6. *quæst.* 1. *punc.* 3.

28

Eucharistia non dicit ordinem essentialem ad sumptionem, subintellige ut futuram.

Post expensam hucusque, & exclusam à constitutione Sacramenti Eucharistici consecrationem acceptam pro actione transubstantiativâ, oportet modo expendere eamdem acceptam pro formâ verborum, sub quâ acceptione multo solemnius, & ferè æquali hinc indè tùm argumentorum pondere;

dere: tùm Auctorum numero disputatur, Utrùm consecratio ingrediatur, nec ne intrinsecam Eucharistiæ constitutionem?

29 Auctores negantes verba consecratoria Eucharistiam constituere.

Sustinent sententiam negativam, & excludunt verba consecratoria ab Eucharistiæ constitutione Scotus *in 4. dist. 8. qu. 1. in resp. ad 3.* Gabriel *eâd. dist. quæst. un. in princ.* Mastrius *disp. 3. quæst. 1. art. 1. num. 8.* Laurea *disp. 17. art. 2. num. 24.* Herinex *disp. 1. quæst. 3.* Catharinus *opusc. 3. de verb. quib. Christus consecravit.* Vasquez *disp. 167. cap. 3.* Amicus *disp. 15. sec. 1. num. 8.* Coninchus *quæst. 78. art. 2.* Bellarminus *in controv. lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 18. propos. 5.*, & alii tùm Scotistæ ferè omnes, tùm multi Recentiores.

30 Auctores id affirmantes.

Sustinent partem affirmativam, & ponunt verba consecratoria esse partem, & formam intrinsecè constitutivam Eucharistiæ Nugnus *hic qu 73. art. 1. diffic. 2. conc. 6.* Joannes à S. Thomâ *disp. 26. art. 2.* Gonetus *de Sacram. in gen. disp. 1. art. 7. num. 113.* Arriaga *de Sacram. in gen disp 4 sec. 2.* Suarez *hic disp. 42. sec. 2.* Valentia *disp. 2. quæst. 1. punc. 2.* Esparza *lib 10. quæst. 64.* Lugus *disp. 1. sec. 4.* Madernus *quæst. 1. art. 3.* Caspensis *disp. 1. sec. 3.*, & tùm Recentiorum magna, tùm Thomistarum major pars, favente S. Doctore, quatenus, ubicumque se præbet occasio, indistinctè docet omnia sacramenta novæ legis constare rebus, & verbis, nec aliter in Eucharistiâ, quàm in cæteris sacramentis loquitur de forma verbali: ex quo capite censeri possunt etiam huic affirmativæ sententiæ favere plures alii Scholastici præsertim antiqui eâdem indefinitâ locutione utentes, aut Eucharistiæ essentiam collocantes in speciebus consecratis, quæ videntur consecrationem, seù verba consecratoria includere.

Auctores ambigui, & quasi medii.

Hinc Lugus *nu. 47.* pro se citat Richardum, Alensem, & Majorem, quos Vasquez *nu. 17.* recenset inter Auctores opinionis oppositæ eo, quod dixerint verba consecratoria ab Eucharistia importari in obliquo, & de connotato: Et quamvis mea non intersit accuratius perscrutari germanum talium Auctorum sensum, quem fortè non sufficienter prodiderunt, non possum ex doctrinâ supra traditâ *num. 162.* non indicare Vasquii illationem ægrè subsistere, & ex eo, quod prememorati Auctores docuerint verba ab Eucharistiâ non importari in recto, malè deduci, quod senserint non esse Eucharistiæ constituiva: Verùm relictis his postremis Auctoribus obscurè, & ambiguè locutis, sufficiat retulisse pro utrâque controversiæ parte multos alios, qui clarè sententiam mentemque suam protulerunt, & ut proferam ego quoque, quid sentiam, sit

§. III.

Utrùm consecratio sumpta pro formâ verbali ingrediatur Eucharistiæ constitutionem, & sit forma Sacramenti?

31 Sentiendū cum affirmantibus.

ASSERT. Consecratio sumpta pro formâ verbali ingreditur Eucharistiæ constitutionem; & verba consecratoria sunt verè forma intrinsecè constitutiva Sacramenti Eucharistici. Hujus asserti tùm Patronos, tùm Adversarios, tùm insuper aliquos Scholasticos medios, ut ità dicam, & ambiguos habes *præced num. 29. & 30.*

Probatur primò: Forma verbalis in aliis novæ legis sacramentis ingreditur ipsorum constitutionem tamquam forma intrinseca, ergo etiam in Eucharistiâ, ac per consequens consecratio sumpta pro formâ verbali ingreditur &c. Antecedens supponitur *ex Tract. de Sacram. in gen.* ex doctrinâ scilicet, & regulâ generali, quâ ibi universim statuitur ad novorum Sacramentorum perfectionem, & ab antiquis distinctionem pertinere, quod constent rebus, & verbis, illis tamquam materiâ, istis tamquam formâ, & quidem intrinsecâ: Consequentia probatur, quia nulla est necessitas excipiendi in hoc Eucharistiam à communi lege, & regulâ aliorum novorum Sacramentorum, imò est specialis ratio eam sub tali lege concludendi, tùm quia etiam independenter ab hujuscemodi lege nō deest proprium fundamentum astruendi id in Eucharistiâ, ut in secundâ asserti probatione paulò inferius afferendâ ostendetur: tùm quia Concilium Florentinum in decreto Eugenii sæpiùs, dum de Sacramentis in genere ageremus memorato, postquam docuit nova Sacramenta constare, ac perfici rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, discurrendo per materias, & formas diversorum sacramentorum, assignat pro formâ Eucharistiæ verba consecrationis.

Cum iisdem, & pro iisdem stat Concilium Florentinum.

32

Dices primò: Imò in hoc ipso Concilium Florentinum nobis adversatur, quia ex contextu discursus evincitur assignare verba consecrationis tamquam Eucharistiæ formam efficientem, & extrinsecam, non constituentem, & intrinsecam: Assignat tamquam formam efficientem, tùm quia universim dicit Sacramenta verbis sicut etiam rebus, & personâ Ministri *perfici*, at perfici denotat efficientiam, tùm multò magis, quia explicans singillatim, cur verba consecrationis sint Eucharistiæ forma, ait *Quia ipsorum virtute* (utique effectivâ) *substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* Assignat tamquam formam extrinsecam, quia assignat *ibid.* pro Eucharistiæ materiâ panem triticeum, & vinum de vite, quæ sunt materia remota, & extrinseca, ne igitur simul, ac semel utatur æquivocè, & incohærenter materiæ, & formæ vocabulis, sicut nomine

mate-

materiæ materiam extrinsecam intelligit, ità nomine formæ formam extrinsecam intelligere censendum est. Sed contrà: Est nimis impropria, ac in rigore repugnans, nec Concilio tribuenda locutio, qua verba dicantur forma Eucharistiæ tantùm efficiens & extrinseca, nam licet res, quæ est forma, posit simul esse causa efficiens, attamen ut forma non habet alium modum causandi, quàm intrinsecè constituendo compositum; & forma ignis v. gr. est quidem simul causa efficiens caloris, at non est forma caloris, sed compositi ignis, quod intrinsecè constituit: dum igitur Concilium dicit verba consecrationis esse formam Eucharistiæ, non potest concilium intelligi de formâ, quæ sit res tantum extrinseca, nec possunt verba ad Eucharistiam se habere præcisè tamquam efficiens ad effectum: Quatenùs verò instantia contendit oppositum ex Concilii contextu deducere:

33

Forma numquam est causa efficiens ejus, cujus est forma.

34 Ad primam ejus partem dico ly *perfici* esse vocabulum indifferens ad denotandam, vel efficientiam, vel constitutionem, rectè enim dicitur hominem v. gr. corpore, & animâ perfici, placuit autem Concilio hujusmodi vocabulum indifferens adhibere, vel quia noluit expressè definire formas verborum esse sacramentorum constitutivas, vel, & meliùs, quia simul loquebatur de materiâ, formâ, & personâ Ministri, & cum solum duo priora constitutivè, persona verò Ministri effectivè se habeat, ut adhiberet vocabulum omnibus commune jure adhibuit vocabulum indifferens ad efficere, & constituere. Ad illud, quod tamquam multo magis probans additur, dico, quod virtute verborum, substantia panis convertatur in corpus, nihil aliud esse, quàm formam verborum esse causam efficientem transubstantiationis, seù actionis transubstantiativæ, quod ultrò fatemur, & bene stat eamdem rem esse causam efficientem respectu unius, formam constituentem respectu alterius, in proposito verba efficere actionem transubstantiativam, constituere Eucharistiam, nec nos aliquid amplius intendimus, quam illa non esse respectu ipsius Eucharistiæ formam purè extrinsecam, & causam purè efficientem:

Verba consecratoria sunt forma efficiens, & cõstituens respectu diversorum.

35 Neque urgeas: Verbis consecratoriis dicitur confici Eucharistia; ait enim *ibid.* Florentinum *Sacerdos in personâ Christi loquens hoc conficit Sacramentum*, & D. Ambrosius *lib. de initiandis rudibus cap. 9.* scribit *Sacramentum, quod accipis Christi sermone conficitur*: Deinde actio transubstantiativa est actio ad Eucharistiam terminata, ergo si verba consecratoria à nobis ponuntur causa efficiens talis actionis, nõ possunt nõ poni causa efficiens Eucharistiæ, & cũ non poss int esse respectu ejusdẽ forma extrinseca simul, & intrinseca, efficiens simul, & constituens, cõsequens est, quod sint respectu ipsius Eucharistiæ, forma purè extrinseca, & purè efficiens.

36 Contra enim: Verbis cõsecratoriis dicitur confici sacramentũ, & actio transubstantiativa dicitur terminari ad Eucharistiam, quatenùs illis conficitur, aut speciebus effectivè unitur Corpus Christi, & ista pariter ad idem Corpus terminatur, quod quomodo aliquando veniat Sacramenti, & Eucharistiæ nomine, quamvis in ipso non salvetur tota Sacramenti, & Eucharistiæ essentia, dictum est *cap. preced.* sæpè, præsertim verò *num.* 163. 186., & 192. Propriè igitur loquendo verba, sicut & actio transubstantiativa, efficiunt Eucharistiam sumptam inadæquatè pro parte sacramenti, & constitutivo partiali, cum quo benè stat eadem verba posse ipsa quoque constituere partialiter ipsam Eucharistiam sumptam adæquatè; nec esse formam extrinsecam, & efficientem respectu partis, intrinsecam & constituentem respectu totius, est esse formam extrinsecam, & intrinsecam, efficientem, & constituentem respectu ejusdem; ut familiari exemplo constat in animâ rationali, quæ est causa efficiens nutritionis, & unionis substantiæ alimenti cum substantiâ aliti, & simul constituit illud novum compositum humanum, cujus substantia alimenti, aut potius ex alimento relicta, est pars. Utuntur hoc exemplo Lugus *præcit. sec. 4. num. 17.*, & Arriaga *de Sacram. in gen. disp. 3. num. 32.*, & *disp. 4. nu. 7.*

Efficiens respectu unius partis Eucharistiæ, constituens respectu totius.

37 Ad secundam principalis instantiæ partem non desunt, qui ibi nomine panis, & vini intelligant sola panis, & vini accidentia, adeòque materiam Eucharistiæ proximam, & intrinsecam, at hæc intelligentia, quæ alioqui nostro intento egregiè faveret, durior est, ac nimis impropria, & impugnatur validè ex eo, quod agit ibi Concilium de pane, & vino antè consecrationem, & ait illi vino debere misceri aquam, quæ utique non miscetur solis vini accidentibus: Aliquantulo meliùs aliqui, inter quos Valentia *præcit. punct. 2. §. similiter agitur* intelligendo ibi panis, & vini, tùm substantias tùm accidentia, dicunt assignari à Concilio materiam, tùm extrinsecam tùm etiam intrinsecam, extrinsecam in substantiis, intrinsecam in accidentibus, sicque servari omnimodam proportionem cum assignatione formæ, cum verba ex mox dictis sint pariter forma, tùm extrinseca tùm intrinseca respectu diversorum: Verùm hæc quoque intelligentia nostro quidem faveret intento, at est adhùc impropria, quia accidentia panis, & vini, quamdiù suis substantiis inhærent, impropriè dicuntur materia intrinseca, & proxima Eucharistiæ.

38 Concedatur igitur absolute in decreto præmemorato assignari materiam remotam, & extrinsecam; non ideò Concilium, seù Pontifex æquivocè, aut incohærenter loquitur, assignando posteà eodem contextu formam proximam, & intrinsecam, & nomine materiæ materiam extrinsecam, nomine formæ, formam intrinsecam intelligendo: Ratio est, quia ex unâ parte apud Philosophos, & doctos viros compertum est, materiam aliam esse remotam, & extrinsecam, ut est lignum respectu ignis, aliam proximam, & intrinsecam, ut sunt lapides respectu domus; at

forma

forma omnis sumi semper consuevit pro intrinseca, & proximâ, nec formæ remotæ, & extrinsecæ antiqui Philosophi meminerunt, sed eam primùm occasione hujus controversiæ induxerunt aliqui Scholastici; ex aliâ parte opportunum fuit, Concilium respectu Eucharistiæ, sicut & aliorum sacramentorum materiam extrinsecam explicare magis, quàm intrinsecam, quia illius magis, quàm istius notitia necessaria est ad instituendos Ministros pro validâ sacramentorum confectione; & priore semel expositâ facilè constat de posteriore.

39 Dices secundò impugnando illationem superiùs factam ab aliis novæ legis sacramentis ad sacramentum Eucharistiæ, & afferendo necessitatem istud excipiendi à communi aliorum lege, quò ad constitutionem ex formâ verbali; quia scilicèt proprium istius est permanere, & antecedenter ad usum, ac independenter ab usu existere, cum alia omnia in successivo consistant, & cum usu transeant; licet igitur verba, quæ successiva sunt, & transeunt, dum proferuntur, possint tamquàm forma intrinseca ingredi, & de facto ingrediantur constitutionem aliorum sacramentorum, non sic Eucharistiæ; ex parte quippè successiva, & transeunte benè constituitur totum successivum, & transiens, at non permanens, & perseverans: Et certè cum Eucharistia in ratione perfecti, ac integri sacramenti duret transactis verbis, dicere quod constituatur ex verbis tamquàm ex formâ, est cogi ad consequenter dicendum, quod duret integrum constitutum sine suo partiali constituente, quod compositum perfectè existat sine suâ formâ componente, & totum sine suâ parte; quæ & similia ex terminis repugnant.

40 *Verba constituunt Eucharistiam, quatenùs moraliter permanent.*

Sed contrà: Vulgata, & optima responsio est, verba consecratoria licèt transeant physicè, permanere moraliter, ac virtualiter, & hoc sufficere, ut sint forma constitutiva sacramenti permanentis, utpotè, quod est compositum morale, & sicuti est contentum morali partium unione, ità & potest esse contentum morali alicujus partis existentiâ: Verum insurgit illicò nontenuis labor in explicando, quid addat moralis verborum permanentia suprà ipsorum prolationem præteritam, & existentiam physicam transactam; nam si quis admittat nihil addere, & esse puram denominationem ab existentia præteritâ desumptam, sequitur verba constituere Eucharistiam non magis, quàm anni præteriti constituant hominem senem, vel domum antiquam; quod licèt Arriaga *præcit. disp. 4. num 3.* videatur non improbare, mihi videtur approbari non posse, quia sequeretur verba Eucharistiam constituere per extrinsecam denominationem, & tamquàm extrinsecam formam, qui modus loquendi partim repugnat in terminis, partim recidit in opinionem Adversariorum. Assignandum est igitur aliquid Eucharistiæ intrinsecum, ratione cujus verba physicè transacta dicantur in ipsa moraliter permanere, & hoc dico esse

Et moraliter permanent quatenùs permanet ipsorú significatio

verborum significationem, quæ est quædam illorum moralitas, & quomodò in Eucharistiâ permaneat? in sequentibus exponitur, & simul etiam

41 Probatur assertum secundò: forma verbalis perficit, & determinat species, imò, & Corpus Christi in ratione signi sensibilis practici gratiæ; ergo simul cum speciebus, & Corpore ingreditur constitutionem sacramenti Eucharistiæ: Consequentia patet, quia ratio signi sensibilis practici gratiæ est essentialis, & intrinseca ratio sacramenti, illud igitur, quod in tali ratione perficit, ac determinat, sicut talem rationem ingreditur, ità ingreditur sacramenti essentiam, ac intrinsecam constitutionem, & quidem ut forma, quia proprium est formæ perficere, ac determinare in toto alias compartes: Deindè, ut suo loco tradidimus, ex doctrinâ D. Thomæ suprà *quæst. 60. art. 6.* verba sunt forma intrinseca aliorum sacramentorum, in quantum perficiunt, determinant, expressioremque reddunt in rebus significationem gratiæ, quod est res perficere in ratione signi sensibilis &c. si igitur hoc idem præstant in speciebus, & Corpore, quæ sunt Eucharistiæ res, consequens est, quod verba sint intrinseca Eucharistiæ forma: Primum antecedens probatur: Species, & Corpus sensibilitèr significant, & causant gratiam per modum refectionis, & alimenti spiritualis, at quòad hunc modum, seù in hâc ratione species, & Corpus perficit, ac determinat forma verbalis; nam Corpus Christi (idem proportionaliter intelligito de sanguine, & speciebus vini relatè ad potum) in tantum sensibiliter habet rationem cibi sacramentalis, & refectionem spiritualem significat, in quantum ex verbis nobis innotescit ipsum contineri sub speciebus panis, qui cibus corporalis est, & analogiam cum spirituali habet: Species item, sicuti ex verbis habent, quod Christi corpus sensibiliter contineant, ità ex illis habent, quidquid habent ratione hujus continentiæ, ratione hujus autem præcipuè habent, quod causent gratiam per modum refectionis, & alimenti, ut attigimus *cap. præced. num. 165. 168. & 175.*

42 Confirmatur: Species non ingrediuntur intrinsecam constitutionem Eucharistiæ, nisi ut consecratæ; atqui sunt consecratæ per verba; ergo non ingrediuntur intrinsecam constitutionem Eucharistiæ, nisi simul cum verbis, quod est idem, ac dicere, nisi talem constitutionem simul ingrediantur verba. Neque dicas, species esse consecratas effectivè per verba, formaliter verò per corpus Christi, utpotè quod maximè sacrum, & sanctum est, & solum ut consecratas hoc secundo modo pertinere ad constitutionem Eucharistiæ permanenter, & in facto esse considerate, undè si Deus, ut potest, sine formâ verborum panem secundo modo consecraret, idest sub panis accidentibus corpus Christi poneret, haberetur permanenter, & in facto esse idem sacramentum, quod nunc.

43 Contrà enim: Species per Corpus Christi sunt quidem

Cõsecrant species nõ solum effectivè per Corpus Christi, quod efficiunt, sed & formaliter per se ipsa.

dem consecratæ, at non sacramentaliter, & sensibiliter, & quidquid in contrarium sentiat Vasquez *præcit. cap. 3. num. 28.* benè Lugus *num. 56.* docet, non fore sacramentum, aut saltem non idem, quod nunc, quia non foret idem, quod nunc, signum sensibile, si Deus sine prolatione verborum substerneret panis accidentibus corpus Christi: Verba igitur, quatenus sunt consecratio sumpta pro actione transubstantiativâ, consecrant quidem species effectivè, & spectant ad sacramentum extrinsecè, in fieri, & transeunter, at quatenus sunt consecratio sumpta pro formâ, consecrant species formaliter, & spectant ad sacramentum intrinsecè, in facto esse, & permanenter, undè & in ipso sacramento moraliter permanent.

44

Dices primò, semper superesse explicandum, nec esse explicabile, in quonam consistat, & quid suprà præteritam verborum prolationem addat moralis ipsorum permanentia, ratione cujus contendimus salvare verba physicè transacta adhuc esse formam intrinsecam Eucharistiæ in facto esse perdurantis: In primis enim permanentia moralis videtur propria actuum voluntatis, non est igitur tribuenda verbis, aut saltem erit in verbis eo proportionaliter modo, quo in actibus voluntatis, explicanda per negationem retractationis, adeò ut verba semel prolata moraliter permanere sit ipsa post prolationem non retractari, sit perseverare non retractationem, seù negationem retractationis ipsorum: at hoc sustineri nequit in præsenti, primò quia non salvat verba permanere in ratione formæ intrinsecæ sacramento, cum non sit speciebus, aut sacramento intrinseca negatio retractationis verborum: est enim negatio, ubi esset forma, quam negat, negatio retractationis ubi esset retractatio, esset autem hæc in Christo, vel in Christi Ministro, non in sacramento: Secundo, quia si moralis verborum permanentia in retractationis negatione consisteret, ad positionem retractationis illa deficeret, atque adeò si Christus, vel Minister retractaret verba consecrationis, destrueretur ex deficientiâ formæ sacramentum, & Christus desineret esse sub speciebus, quod videtur contrà verborum prolatorum veritatem. Sed contrà:

45

Perseverantia moralis ex genere non est propria actuum voluntatis.

Permanentia moralis non est adeò propria actuum voluntatis, quin possit etiam rebus aliis tribui, quamvis cum aliquâ semper habitudine ad voluntatem, à quâ totum genus moris dependet, undè convenire potest omni actui, seù effectui voluntario, non soli actui voluntatis, sic perseverant moraliter benedictiones aquæ, & olei v. gr. in baptismo, perseverat moraliter ablutio, si non fuerit simul omninò perfecta forma, in pœnitentiâ perseverat moraliter confessio aliquantulum absolutionem præcedens, & similia, quæ actus voluntatis non sunt; possunt igitur etiam perseverare moraliter verba consecratoria, cum præcipuè semper modo humano, adeoque non sine habitudine ad voluntatem proferantur: Nec pro ipsorum perseverantiâ explicandâ recurrendum est ad negationem retractationis, cum hæc nequidem sufficienter explicet permanentiam moralem actuum voluntatis, negatio quippe retractationis datur etiam respectu volitionis, quæ numquam extitit, ac per consequens, quæ moraliter non perseverat, unde talis negatio quamvis fortè ad moralem perseverantiam requiratur, ad ipsam non sufficit: Sivè igitur verba consecratoria non esse retractata sit necessarium, ut moraliter perseverent, sivè non, de quo *seq. num.* 50. debet pro ipsorum permanentiâ aliquid ulterius assignari, & hoc jam dixi, atque iterùm dico esse ipsorum significationem in species, ut ità dicam, translatam, & per modum formæ moralis species afficientem: Pro quo

Nec consistit in sola negatione retractationis.

46

Significatio verborum consecratoriorũ extenditur ultra tempus prolationis.

Adverto verba consecratoria *Hoc est Corpus meum* enunciare, & significare præsentiam, seù existentiam Corporis Christi sub speciebus non solum pro eo instanti, pro quo ipsorum prolatio perficitur, sed etiam pro toto tempore sequenti, pro quo tales species erunt species panis, & sub se retinerent, nisi essent consecratæ, panis substantiam: Et quamvis ad verificandam in materiâ contingenti enunciationem constantem copulâ temporis præsentis, qualis est copula *est* in verbis consecratoriis, sufficiat, regulariter loquendo, quod res enunciata, & significata existat pro eo tunc, pro quo enunciatio profertur, ut patet in his enuntiationibus, Paries est albus, Petrus studet, Capra saltat: Nihilominùs dantur etiam aliquæ enunciationes copula *est* constantes, ad quas verificandas necesse est rem enunciatam, & significatam existere pro aliquo tempore sequenti, & sunt illæ, quæ ad solum tempus, quo proferuntur, non simul ad tempus sequens relatæ impertinentes forent, & ineptæ: Sic si dico *Hic equus est velox ad cursum. Hic cibus est ad vescendum suavis*, impertinens est, ineptum, & inutile equum esse velocem, cibum esse suavem solum pro eo tunc, quo id enuncio, ideò ut salvetur talium propositionum utilitas, necesse est ad ipsas verificandas requiri rei enunciatæ existentiam pro aliquo tempore sequenti, pro eo scilicet, pro quo occurret opportunitas utendi equo ad cursum, & cibo ad vescendum. In proposito enunciatio

47

consecratoria affirmat, & significat corpus Christi sub speciebus in ordine ad causandam per modum cibi gratiam in sumente, & quia sumptio, & gratiæ causalitas habenda est tempore sequenti, impertinens foret, & ineptum, quod verificaretur solum pro tempore, quo profertur; verificatur igitur ulteriùs, & significat corpus Christi sub speciebus etiam pro tempore sequenti permanenter, ac perseveranter, sicque verba consecratoria quamvis physicè, & quoad sonum materialem in se ipsis transeant, moraliter & quo ad significationem in speciebus durant, vel transit sonus, remanet significatio alligata, quodammodo & affixa speciebus, hasque moraliter informans.

Cop-

48

Et transactis verbis perseverat, ac permanet in speciebus.

Confirmatur hoc ex eo, quia species consecratæ habent transactis physicè verbis eamdem significationem, quam haberent simul cum verbis physicè præsentibus, & secundùm propriam entitatem perseverantibus, ergo remanet in speciebus verborum significatio; & fortè quod D. Thomas *præcit. art. 6.* ait in sacramentis significationem rerum pro verba perfici, insinuat transferri in res, & quodammodo alligari rebus significationem verborum, nec verbis desinentibus desinere, nisi simul desinant res; antecedens probatur, quia realem præsentiam, & existentiam corporis Christi, quam species significarent consecratæ simul cum verbis physicè perseverantibus, significant verbis physicè transactis, & ut ducar ex speciebus in illius præsentiæ notitiam, perindè mihi est, quod audiam nunc super ipsas proferri, ac quod aliundè sciam fuisse antecedenter prolata verba consecratoria, sicuti ut ex iride nunc ducar in notitiam fœderis, perindè est, quod ei nunc à Deo imponatur fœderis significatio, ac quod sciam fuisse antecedenter impositam. Neque dicas, me eodem modo ducendum ex speciebus in illius præsentiæ notitiam per hoc præcisè, quod sciam fuisse sub speciebus permanenter positum corpus Christi, etiamsi nihil sciam de verbis; ergo ex eo, quod nunc per species ducar in talem notitiam, non benè infertur remanere in speciebus significationem verborum. Contrà enim, nego

49

antecedens quo ad ly *eodem modo*, & dico tunc me ducendum in eamdem notitiam, at significatione minùs perfectâ, & minùs expressâ, quæ esset significatio specierum præcisè, non specierum simul, & verborum, qualis est ea, quâ ducor in notitiam nunc sciens fuisse super species prolata verba, undè etiam tunc ex speciebus cognoscerem tantum Christum sub illis permanere, nunc cognosco insuper permanere ex vi, quod est idem, ac dicere ex significatione verborum.

Et ecce independenter à negatione retractationis explicatam moralem permanentiam formæ verbalis, significationemque verborum post verba physicè transacta perseverantem, & suo modo informantem species; Nihilominùs ut instantiæ pleniùs satisfiat, aliquid jam de illâ negatione dicamus, statuamus scilicet, utrum quamvis non sit formalis ratio permanentiæ verborum, ad istam requiratur tamquam conditio, sine quâ non? adeò ut verbis consecratoriis retractatis, seù revocatis species amittant significationem, ratione cujus verba dicebantur in ipsis moraliter perseverare, ipsasque moraliter informare: Dubium ex

50

Etiamsi Minister verba consecratoria à se prolata retractet, non officit Sacramento.

professo tractant Lugus *disp. 1. sec. 5.*, & clarius meo videri Arriaga *præcit. disp. 4. sec. 3.* ubi duo docet: Primum est non revocationem, seù non retractationem Ministri, neque ut conditionem requiri, & quantumvis Minister verba semel validè prolata revocet posteà, & retractet, non officere sacramento, ac per consequens non tollere illam moralem permanentiam verborum, quæ per nos ingreditur constitutionem, & essentiam Sacramenti; Et hoc puto negari non posse, redderetur enim valdè incerta permanentia Sacramenti, & præsentia Christi sub speciebus diù conservatis, si penderet à tali non revocatione, & posset utraque ex Ministri verba retractantis levitate, aut pravitate deficere: Nec deest ratio à priori sita in eo, quod ex Christi institutione confertur Sacerdoti potestas ad proferenda non ad revocanda verba consecratoria, sicque si ea semel rite prolata Sacerdos revocet, revocat proprio nomine, & ut privata persona, nequit autem proprio nomine, & ut privata persona destruere, quod Christi nomine, & ut Christi Minister præstitit, ac construxit. Secundum, quod Arriaga docet, est, non revocationem, seù non retractationem Christi esse conditionem pro Sacramenti permanentiâ, & ipsius Christi sub speciebus perseverantiâ requisitam, si Christus stante

51

Christus verò, si retractet officit quidem Sacramento;

præsenti institutione possit de potentiâ extraordinariâ se subtrahere, & desinere esse sub speciebus, antequam corrumpantur: Quod si nequeat se subtrahere, esse impossibile, quod Christus verba consecratoria semel ritè prolata revocet, & voluntatem permanendi vi verborum sub speciebus retractet, antequam species corrumpantur: Sicque frustrà inquiri, utrùm moralis perseverantia verborum, & permanentia Christi sub speciebus pendeat tamquam à conditione à non revocatione ipsius Christi? vel utrùm Christus per revocationem verborum à se factam desinat esse sub speciebus? cum talis non revocatio omninò necessaria, & revocatio impossibilis sit, stante præsenti institutione.

52

Utrùm deindè Christus divinitùs, & de potentiâ extraordinariâ possit à speciebus semel consecratis, antequàm corrumpantur, se subtrahere, an non? Arriaga *ibid.* ambiguus, & ferè problematicus est, in partem affirmativam propendet *num.* 17., & 21. in negativam *num.* 22., & hanc simpliciter acriterque defendit Lugus *num.* 73., & 74. Fundamentum est, quia præsentia Christi sub speciebus semel consecratis, quousque istæ durant, spectat ad certitudinem fidei, & colligitur ex veritate verborum consecrationis; atqui certitudo fidei, & veritas verborum consecrationis, nec de potentiâ extraordinariâ potest deficere aut falsificari, ut deficeret, & falsificaretur, si Christus à speciebus adhùc durantibus se subtraheret, ergo, nec de potentiâ absolutâ, seù extraordinariâ potest se subtrahere: Respondet Arriaga pro sententiâ affirmante, spectare ad certitudinem fidei, & colligi ex veritate verborum consecrationis, quod Christi corpus sub speciebus existat, quamdiù sub ipsis existeret substantia panis, & sicuti hæc de potentiâ extraordinariâ, quamvis non de ordinariâ potest subtrahi, & desinere durantibus speciebus, seù propriis accidentibus, ità salvâ certitudine fidei, & veritate verborum posse Christum de potentiâ extraor-

traor-

traordinariâ, quamvis non de ordinariâ à speciebus adhùc durantibus se subtrahere; Responsio suâ probabilitate non caret, nihilominùs, quia ex unâ parte potest utique Christus strictiùs, & indissolubiliùs se alligare speciebus, quàm alligaretur substantia panis, & ex aliâ parte magis favet prædictæ certitudini fidei, & veritati verborum, si de facto censeatur strictiùs indissolubilius, & etiam in ordine ad potentiam extraordinariam alligatus, censeo verisimiliùs rem itâ se habere, & in hypothesi præsentis institutionis negativam propositi dubii solutionem affirmativæ præfero.

At verisimiliùs est, quod non possit ipse retractare, nec se à speciebus adhùc durantibus subtrahere.

53

Dices secundò, nos in præsenti sine necessitate assumere laborem explicandi, & propugnandi moralem permanentiam verborum tamquàm aliquid suo modo intrinsecum Eucharistiæ, cum possit faciliùs sustineri verba, etiamsi nullatenùs in Eucharistiâ permaneant, esse intrinsecam ipsius formam, eo quod Eucharistia sit sacramentum partim perseverans, & permanens, partim successivum, & transiens; permanens ex parte corporis Sanguinis, & specierum, transiens ex parte formę verbalis; sufficere tamen hoc, ut sacramentum Eucharistiæ dicatur simpliciter, & absolutè verbis transactis permanere, vel quia ut innuit Suarez *præcit. sec.* 2. in fine denominatio sumitur a potiori, & ut aliquod totum denominatur simpliciter permanens, sufficit permanere, quod in eo præcipuum, ac principalius est, ut sunt in Eucharistiâ Christus, & species; vel quia, ut sentit Lugus *num.* 78. verba, quamvis sint forma, & pars intrinseca Eucharistiæ, importantur in obliquo, ut autem permaneat aliquod totum, seù aliquod concretum, sufficit permanere ipsius rectum. Sed contrà: Ponere Eucharistiæ sacramentum, partim permanens, partim successivum, est dicere Sacramentum Eucharistiæ sumptum, secundùm quod est permanens, non esse totum, & integrum sacramentum, sicque non totum, & integrum asservari in sacrario, adorari in altari, deferri ad infirmos: Nec Lugus, & Suarez benè sustinent esse, secundum quod est permanens, sacramentum simpliciter, quamvis non sit sacramentum totum, & integrum, enim verò, quod Lugus ait formam verbalem importari in obliquo, falsum est, & de subjecto non supponente; quod affert Suarez de denominatione sumendâ à potiori, non valet de toto respectu partium essentialium, alioqui diceretur esse simpliciter homo, vbi est anima etiam sine corpore: Sustinendum igitur est etiam formam verborum, quatenùs Eucharistiam constituit, esse modo suprà explicato permanentem, & per hoc, quod post consecrationem permaneat in speciebus, & vbicumque existunt species; existat significatio Corporis Christi, permanere, & ubicumque existunt species, existere moralitatem verborum, seù verba secundùm rationem formæ moralis, secundùm quam ingrediuntur intrinsecè Sacramenti Eucharistici constitutionem.

54

55

Dices tertiò; Verba consecratoria neque etiam partialiter significant, & causant gratiam sacramentalem in suscipiente Eucharistiam, ergo neque etiam partialiter sunt sacramentum, quod est idem, ac dicere, ergo non sunt pars, & forma intrinseca Sacramenti Eucharistiæ; consequentia patet quia de essentiâ sacramenti est simpliciter significare, & causare gratiam sacramentalem, pars igitur sacramenti debet talem gratiam significare, & causare partialiter: Probatur antecedens primò, quia verba consecratoria significant, & causant Corpus Christi, seù gratiam substantialem, quâ consecrant, & sanctificant materiam sacramenti, non suscipientem sacramentum: Secundò, quia sacramentum per nos causat gratiam physicè, verba autem neque partialiter possunt causare gratiam physicè, cum non ampliùs physicè existant, quando Eucharistia suscipitur, & sacramentalis gratia in suscipiente causatur. Sed contrà: nego antecedens, ad cujus primam probationem dico verba consecratoria significare, & causare gratiam substantialem, at per modum spiritualis alimenti, & in hoc modo involvitur significatio gratiæ accidentalis sanctificantis suscipientem; significant igitur verba consecratoria utramque gratiam, & ex eo, quod priorem gratiam significent, malè infertur non significare posteriorem. Nec refert, quod in alijs sacramentis verba, quæ consecrant, & sanctificant materiam, non causent deindè gratiam sanctificativam suscipientis, ut patet in verbis, quibus benedicitur, & suo modo consecratur chrisma pro Confirmatione, aut oleum pro Extremâ unctione: Non refert, inquam, quia in aliis sacramentis verba non consecrant materiam proximam, sed remotam, quæ sicuti post consecrationem, seù benedictionem verbalem adhùc non est pars constituens sacramentum, sed quid sacramentale, itâ nil mirum, si benedictio ipsa verbalis, nec sacramentum constituat, nec gratiam causet: Undè etiam præter huiusmodi benedictionem cadentem suprà materiam remotam puta chrisma, & oleum, datur pro Confirmatione, & Extremâ unctione alia forma verborum afficiens materiam proximam, & simul cum istâ constituens sacramentum, ac causans gratiam: Aliter omninò res se habet in Eucharistiâ, in hâc quippè verba conseratoria, de quibus agitur, afficiunt materiam proximam, nec præter ipsa datur alia forma verborum, quæ in usu aut aliàs applicetur, ideò &c. Ad secundam primi antecedentis probationem dico, sacramentum per nos causare gratiam physicè, quando est sufficienter applicatum ad physicè causandum, ut patet in sacramentis cum obice susceptis, quæ concessimus ablato obice causare gratiam solùm moraliter, quia, dum obex aufertur, non habent sufficientem applicationem, & existentiam ad physicè causandum; si igitur aliquod sacramentum secundùm aliquam sui partem numquàm sit sufficienter applicatum, ut

56

Verba consecratoria verè significant gratiam sacramentalem.

57

Verè item ipsam causant, solùm tamen moraliter.

nunquàm est sufficienter applicata Eucharistia secundùm verba, secundum talem partem causabit solùm moraliter; nec ex eo, quod nos diximus sacramentum Eucharistiæ causare gratiam physicè, consequens est ità causare secundùm omnes suas partes; sicuti nec ex eo, quod dicatur sacramentum debere esse signum per se immediatè sensibile, consequens est debere esse secundùm omnes suas partes tale.

§. IV.

Fertur de aliis nonnullis pro Eucharistia constitutione judicium; & tota Eucharistia essentia ipsius definitione concluditur.

58 — Intentio, Character, Institutio non ingrediuntur cõstitutionem Eucharistiæ.

ASSERT. I. Intentio consecrandi, Character, seù potestas Sacerdotalis, Institutio Dei, aut Christi Domini non ingrediuntur intrinsecè constitutionem Sacramenti Eucharistiæ absolutè, & simpliciter dicti. In hoc aserto conveniunt in primis, quicumque universim docent sacramenta ex genere suo constitui solis rebus, & verbis, non Ministri intentione, charactere, aut potestate, nec Christi institutione; & ex Auctoribus concedentibus ista, aut illorum aliquod ingredi intrinsecam constitutionem aliorum sacramentorum, Eucharistiam excipiunt, & negantem sententiam mox asertam tradit Lugus *præcit. sec. 5. num.* 89., *&* 92. Nonnihil etiam favet Arriaga *præcit. disp.* 4. *sec.* 4 quatenùs fatetur non esse tàm claram pro Eucharistiâ, quam pro reliquis sacramentis necessitatem concedendi, quod ex Ministri intentione, & potestate constituatur, quamvis in re posteà id concedat, & nostro præsenti aserto simpliciter adversetur.

59 — Vt est sacramentũ simpliciter & absolutè dictum.

Dixi *Sacramenti Eucharistiæ absolutè, & simpliciter dicti*, sumpti scilicet pro re significante, seù substrato significationis, quia Sacramentum Eucharistiæ, consequenter ad ea, quæ universim de omnibus Sacramentis dicebamus *tract. præced. lib.* 2. *cap.* 1. §. 4. potest etiam aliter sumi, nimirùm pro composito ex re significante, & significatione, seù pro sacramento, & sacramentalitate, item pro ut importat fieri, & factum esse; Verùm hæc acceptio sit licèt magis adæquata, non est adeò usitata, nec est illa, pro quâ supponit nomen Sacramenti simpliciter, & absolutè, ideò loquimur de Eucharistiâ solùm primo modo acceptâ, dum ab ejus constitutione excludimus Ministri intentionem, ac potestatem, nec non Christi institutionem, sicuti solum eodem primo modo accipiebamus sacramenta universim, dum pariter intentionem, potestatem, institutionem ab illorum universim constitutione excludebamus §. 3. *cap. præcitato*, quem recolere necesse est; interim suppositis supponendis

60

Probatur asertum: Intentio consecrandi, Character seù potestas Sacerdotalis, & institutio se tenent ex parte principii efficientis, & requiruntur ad Eucharistiam, ut est in fieri, & in via, non ut est in facto esse & in quiete; ergo non ingrediuntur constitutionem Eucharistiæ sumptæ pro sacramento absolutè, & simpliciter dicto, quâ ratione supponitur, pro sacramento, ut est in facto esse, & in quiete, signum sensibile, & res significans: Antecedens probatur, quia illa se tenent ex parte Ministri, & Institutoris, qui uterque est principium efficiens, & requiruntur præcipuè ad actionem transubstantiativam, per quam habetur via, & fieri Eucharistiæ. Confirmatur: Intentio, character, seù potestas sacerdotalis, & institutio, ut potè quæ sunt in se res insensibiles, & occultæ, non tribuunt Eucharistiæ formaliter rationem signi sensibilis, non item tribuunt causativitatem gratiæ, quia requiruntur solùm, ut ponatur Corpus Christi sub speciebus, at non ut sic positum spiritualiter nutriat, & gratiam, quæ est spiritualis nutritionis effectus, causet; ergo intentio, character &c. non constituunt Eucharistiam in ratione signi sensibilis causativi gratiæ, in quo consistit tota, & propria ratio Sacramenti absolutè, & simpliciter dicti.

Nec Eucharistiæ formaliter tribuunt aut partialem sensibilitatem, aut partialem gratiæ causativitatẽ.

61

Dices, intentionem Ministri reddi sensibilem per hoc, quod actio sacramentalis exteriùs fiat seriò, & modo humano, potestatem verò ejusdem similiter redditam fuisse sensibilem per hoc, quod fuerit ab Episcopo ordinante exteriùs, & modo sensibili collata; ergo nec intentioni Ministri, nec potestati Sacerdotali deest aliqua sensibilitas, quâ possint Eucharistiam in ratione signi sensibilis constituere; & cum ex aliâ parte verba non sufficienter significent, nec sufficienter perficiant significationem specierum, nisi quatenus supponuntur prolata ab habente potestatem sacerdotalem, & intentionem; undè præsentiam Christi Domini audientibus non significant, si proferantur à Laico, aut à Sacerdote, de quo aliundè constet non habere intentionem consecrandi, videntur potestas Sacerdotalis, & intentio pertinere ad significationem sensibilem, quam habent verba consecratoria, & à verbis consecratoriis species consecratæ. Sed contrà: Quod actio exterius fiat seriò, & modo humano, non manifestat aliam intentionem, quam seriò, & modo humano operandi, at hæc non sufficit ad sacramentorum valorem, intentio igitur sufficiens, & legitima remanet regulariter occulta: Verum, quidquid sit de hoc, illud, quod redditur sensibile per aliud, non potest esse constitutivum sacramenti, nisi illud aliud, per quod redditur sensibile, sit sacramenti pars: & præterea non potest esse constitutivum sacramenti tribuendo ei sensibilitatem, sed solum tribuendo gratiæ causativitatem, ut patet in dolore respectu sacramenti Pænitentiæ: Quod dicebatur verba non sufficienter significare, nisi quatenus supponuntur prolata ab habente potestatem,

62

tem, & intentionem; transeat: at dico insufficientiam, aut potius falsitatem significationis non tàm provenire ex defectu potestatis, & intentionis, quàm ex defectu causalitatis ipsorum verborum, quatenus sine potestate, aut sine intentione prolata non efficiunt sub speciebus corpus Christi, ex quo consequens est potestatem, & intentionem requiri, ut verba efficiant corpus Christi, quod significant, non ut præcisè ipsum significent, seù requiri ad verba, ut sunt actio transubstantiativa, & pertinent ad sacramentum in fieri, non ut sunt forma, & pertinent ad sacramentum in facto esse, quâ ratione significant præcisè corpus Christi, non efficiunt; nec vereor, quin verba consecratoria haberent eamdem, quam nunc, significationem, idemque sacramentum constituerent, si supponerentur Christi corpus efficere etiam prolata à non habente sacerdotalem potestatem, aut intentionem.

63

Probatur assertum aliter: Ubi aliquod constitutum præsertim permanens existit perfectum, & integrum, ibi existunt omnia constituentia, seù omnia ingredientia constitutionem ipsius: atqui ubi Eucharistia in ratione Sacramenti absolutè, & simpliciter dicti existit perfectè, & integrè, non existunt Intentio, character, potestas sacerdotalis, & Institutio, ergo ista non ingrediuntur constitutionem Eucharistiæ in ratione sacramenti absolutè, & simpliciter dicti. Major videtur ex terminis nota, & licet Arriaga *disp. 4. de Sacram. in gen. sec. 3. subsec. 1.* conetur afferre exempla plurium concretorum, seù constitutorum non habentium omnes suas partes, ubi ipsa existunt, & ad mentem Arriagæ facilius à nobis exemplificari id possit in relationibus, quæ per nos sunt quædam complexa, & quasi tota constituta ex fundamento, & termino, & tamen fundamentum, & terminus sæpè existunt in locis valdè dissitis, & distantibus. Nihilominùs hæc non sunt ad rem, quia hujusmodi complexa non dicuntur esse perfectè, & integrè in unico loco, sed partim in uno, partim in alio: & aliud est, quod aliquod totum etiam permanens possit constitui ex partibus, quarum una longè sit ab aliâ, nec sit ubi est aliâ, aliud, quod aliquod totum existat perfectè, & integrè alicubi, ubi non existant omnes ipsius partes. Primum suadent Arriagæ exempla, at secundum sufficit pro nostrâ majori propositione, quæ propterea, ut dixi, videtur ex terminis (benè intellectis) nota:

64 Nec existunt ubicumque Eucharistia perfectè, & integrè existit,

Probatur jam minor, quia ex communi Scholasticorum, & Fidelium sensu simpliciter, & absolutè censetur existere Sacramentum Eucharistiæ perfectum, & integrum, seù existit Eucharistia perfecta, & integra in ratione sacramenti absolutè, & simpliciter dicti, ubicumque existunt species consecratæ, sic istis de Sacerdotis manu sumptis, vel in Altari expositis, vel in pyxide asservatis censetur absolutè perfectum, & integrum Sacramentum sumi, exponi, asservari: at non ubicumque existunt species consecratæ, existunt intentio, character, potestas, institutio, nam institutio existit, vel extitit in Christo, qui Sacramentum instituit, reliqua in Sacerdote, qui species consecravit, nec quisquam putat intentionem, characterem &c. existere, vel in altari, vel in pyxide, vel in manu distribuentis, vel in ore sumentis species consecratas.

Dices, licet dici nequeat intentionem, characterem, potestatem Sacerdotalem existere physicè in speciebus consecratis, aut ubi istæ existunt, rectè dicetur in ipsis existere moraliter, & hæc moralis existentia sufficiet, ut Eucharistiæ constitutionem ingrediantur, sicuti ex dictis istam ingrediuntur verba consecratoria, quæ ipsa quoque in speciebus consecratis existunt solum moraliter, physicè verò, & quò ad sonum materialem existunt, aut extiterunt in ore Sacerdotis ea pronunciantis, & aere proximo. Sed contrà: Non est necessitas astruendi, nec datur modus explicandi in speciebus moralem existentiam, seù moralitatem intentionis, characteris, potestatis sacerdotalis, sicuti verborum: Non primum, quia necessitas astruendi in Eucharistiâ, & speciebus consecratis moralem permanentiam, seù existentiam verborum habetur, tùm ex eo, quia paritas aliorum sacramentorum, & auctoritas Concilij Florentini suadent formã verbalẽ esse intrinsecam, & constitutivã Eucharistiæ, ac per consequens aliquo modo in ipsâ permanentem, tùm etiam quia sine permanentiâ, & existentiâ morali verborum non salvaretur in speciebus, & corpore Christi sensibilitas, & significatio requisita ad Eucharistiæ sacramentum: at neutrum ex iis militat pro intentione, charactere &c. ut facile deducitur ex jam dictis præsertim *num.* 31. 41. & 60. Non secundum, quia non sicut penes verborum significationem invenimus, & explicamus in speciebus quamdam moralitatem, seù quoddam esse morale verborum, non sic invenimus in iisdem speciebus moralitatem aliquam intentionis, characteris &c.

65 Nequidem moraliter, quamvis sic moraliter existant verba consecratoria, &c?

Urgebis: Significatio verborum, quam ponimus in speciebus post verba physicè transacta permanere, non facit ad rem pro constitutione Eucharistiæ sumptæ, ut nunc sumitur pro sacramento non omninò adæquatè, sed absolutè, & simpliciter dicto: ergo vel aliquid aliud præter significationem assignandum est, ratione cujus verba Eucharistiam constituant, vel Eucharistiam constituunt absque eo, quod secundum aliquam sui moralitatem in ipsâ permaneant, & sic neque erit necessarium assignare in speciebus moralitatem ullam intentionis, characteris &c. ut ista quoque dicantur Eucharistiam constituere: Antecedens probatur, quia Sacramentum non omninò adæquatè, sed absolutè, & simpliciter dictum est res significans, seù substratum significationis, non compositum ex re significante, & significatione, atqui verborum significatio, si Eucharistiam constituit, utique constituit ipsam, ut est compositum ex re significante, & significatione; ergo. Sed contrà:

66

Nego antecedens, & dico verba consecratoria duplicem habere significationem, alteram, quâ Christi corpus, alteram, quâ gratiam sacramentalem significant, prima significatio benè potest esse substratum secundæ, & cum secundum utramque verba in Eucharistiâ permaneant, secundum priorem significationem constituunt ipsam, ut est sacramentum absolutè, & simpliciter dictum, supponens pro substrato significationis gratiæ, secundum posteriorem constituunt eamdem, ut est sacramentum magis adæquatè sumptum supponens pro substrato significationis gratiæ, & ipsâ significatione gratiæ: Significatio igitur verborum in ordine ad Christi Corpus optimè facit ad rem pro constitutione Eucharistiæ sumptæ, ut nunc sumitur pro Sacramento, non omninò adæquatè &c.

67 Assignatur in Eucharistiâ Sacramento triplex compositio.

Ex his habetur in Eucharistiâ, ut abstrahit à sacramento, vel simpliciter, vel omninò adæquatè dicto, & à componentibus, vel physicis, vel moralibus, triplicem compositionem distingui posse: Prima est ex speciebus, & corpore Christi, ac sanguine, in quâ compositione, loquendo physicè, species se habent ut forma, corpus ut materia; loquendo moraliter, quodlibet se habet ad alterum, tùm ut materia, tùm ut formâ sub diversâ ratione explicatâ superius *num.* 188. & 189. Secunda ex rebus, & verbis; in hâc compositione corpus Christi, & species sunt res, & se habent ut materia, verba, quatenus important permanentem significationem corporis Christi, se habent ut forma: Tertia ex re significante, & significatione; in hâc compositione res, & verba, idest corpus Christi, species, & corporis significatio ex verbis relicta se habent ut materia, significatio gratiæ ut forma: In primâ compositione compositio ipsa est moralis, utrumque componens est physicum, at non habetur adhuc Eucharistiæ sacramentum neque adæquatè, neque simpliciter dictum: In secundâ compositione componens ut materia est physicum, componens ut forma est morale, & habetur sacramentum simpliciter dictum, at non omninò adæquatè: In tertiâ compositione non solum est morale componens ut forma, sed est insuper partialiter morale componens ut materia, & habetur Sacramentum sumptum omninò adæquatè; in hâc compositione utrùm compositi, quod resultat, constitutionem ingrediantur intentio, character, & alia prœmemorata? Utrum item gratiæ significatio sit una simplex, an ex multis partialibus significationibus coalescens? relinquo repetendum ex *tract. de Sacram. in gen. lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. & 4.

68 Verba consecratoria importantur ab Eucharistia in recto.

Habetur insuper verba consecratoria eo modo, quo ingrediuntur constitutionem Sacramenti Eucharistiæ, ab isto importari in recto; ingrediuntur enim Sacramenti Eucharistiæ constitutionem, quatenus reddunt species formaliter consecratas, & sunt forma illius compositi moralis, seu sacramentalis, in quo Eucharistia consistit; Eucharistia autem importat in recto species consecratas, & composita sacramentalia important in recto suas formas, ut ostensum est *cap. præ ced.* §. 9. per totum, præcipuè verò *num.* 180. & 187.

Eucharistiæ ut est Sacramentum absolutè, & simpliciter dictum definitio, seu physica descriptio.

Assert. 2. Eucharistia, ut est Sacramentum absolutè, & simpliciter dictum, potest aptè definiri, vel potiùs physicè describi, dicendo, est sacramentale compositum ex Christi corpore, ac sanguine, & speciebus per certa verba formaliter consecratis constitutum. Hæc definitio, vel potius physica descriptio, ut potè continens omnia, & sola Eucharistiæ constitutiva in præcedentibus asserta, non est nisi præcedentium corollarium, nec indiget probatione, quatenus verò indigere potest aliquâ ulteriore explicatione, satisfiet sequentibus capitibus, quibus iterùm latius de singulis prædictis constitutivis agendum est.

Definitio, seu descriptio ejusdem ut est Sacramentum acceptum omninò adæquatè.

Dixi, *ut est Sacramentum absolutè, & simpliciter dictum*, nam ut Sacramentum acceptum omninò adæquatè postularet aliquid ulterius addi, & dici posset, Sacramentale compositum ex Christi corpore, ac sanguine, & speciebus per certa verba cum debitâ intentione prolata formaliter consecratis constitutum, gratiam ex divinâ institutione significans, & in sumptione causans.

69 Aliæ descriptio nes physicæ Eucharistiæ primo modo acceptæ.

Dixi, *potest aptè definiri*, quia definitionem, descriptionemvè assertam intendo esse bonam, & aptam, at non contendo esse unicam; nec improbo, quod Eucharistia dicatur, Corpus, & Sanguis Christi realiter contentum sub speciebus consecratis, vel Species consecratæ tealiter continentes Christi corpus, & sanguinem, vel Cibus sacramentalis constans Christi corpore, ac sanguine, & speciebus consecratis. Non improbo, inquam, quia his, & aliis similibus dicendi modis explicatur Sacramenti Eucharistici essentia per omnia sua physica constitutiva, nimirùm per materiam in eo, quod fiat expressio Corporis Sanguinis, & Specierum, per formam in eo, quod fiat implicita mentio consecrationis. Nec refert, quod non omnia hujusmodi constitutiva ponantur in recto, cum tamen omnia per nos in recto importentur à suo definito. Non refert, inquam, quia per definitionem explicatur definiti essentia, & dummodo voces aptè disponantur ad hanc clare, & breviter explicandam, non solet deinde scrupolosius attendi ad ponendas in casu nominativo voces significantes sui definiti rectum, in casu alio illas, quæ significant sui definiti obliquum; ad quod, si in proposito vellemus attendere, dicere possemus, Eucharistia est Christi corpus, ac sanguis, species panis, ac vini, & verba consecratoria.

70

Dixi *vel potius physicè describi*, quia definitio propria, & rigorosa debet esse metaphysica, & per genus, & differentiam, quæ metaphysicè, non per materiam, & formam, quæ physicè constituunt, tradi; sicuti tamen in præcedentibus physica constitutiva exposuimus, ita nunc opportunum fuit per eadem Eucharistiæ naturam concludere, &

physicè

Ejusdem definitio non metaphysica, & magis propria.

physicè, non metaphysicè explicare, describere potius quàm definire: Cæterum non est etiam difficile ex dictis eruere, & afferre ejus metaphysicam definitionem dicendo v. gr. Est sacrum symbolum significativum, & causativum gratiæ per modum refectionis, seù nutritionis spiritualis: Vel, est sacramentale alimentum, seu convivium sensibiliter gratiam significans, & spiritualiter per gratiam reficiens, ac nutriens.

CAPUT IV.

De reali existentiâ, & præsentiâ Christi Domini in Eucharistia Sacramento.

1 EX pluribus tùm permanentibus, tùm successivis, seù transeuntibus, de quibus dubitatum, & disputatum est, Utrùm Eucharistiæ sacramentum constituant? dumtaxat duo permanentia, & unum successivum affirmantem sententiam reportarunt; sicque essentialia Eucharistiæ constitutiva ternario numero concluduntur, eaque sunt Corpus, & Sanguis Christi Domini; Accidentia, seù species panis, & vini; Verba consecratoria, seù formæ consecrationis: Porrò, quia perfecta constituti notitia non habetur sine perfectâ notitiâ constituentium, necesse jam est ad perfectius penetrandam, & percipiendam Eucharistiæ essentiam tria prædicta constituentia, quatenùs ad ipsam pertinent, quo ad suas conditiones, affectiones, & modos expendere, & hæc erit sequentium in hoc libro Capitum materies, initio facto à Christi Domini corpore, & sanguine tamquam à constitutivo, quod duobus aliis, tùm dignitate, tùm difficultatum sub se contentarum solemnitate præcellit. Quia verò suum corpus, & sanguinem totus Christus comitatur, istud Caput IV. inscripsimus, de reali non solius corporis, & sanguinis, sed Christi Domini existentiâ, & præsentiâ, quam

2 quidem verè esse admittendam Scholastici aliqui omninò supponunt, & Controversistis contrà hæreticos id probandum relinquunt, aliqui alii probant in præsenti, tractantque latissimè, & huc revocant omnium retrò sæculorum certamina, quibus Ecclesia talem præsentiam, & existentiam tamquam catholicum dogma contrà oppositos errores identidem, aut insurgentes, aut resurgentes acerrimè semper propugnavit. Nos mediâ incedemus viâ, & nec ista prorsùs dissimulabimus, nec latè admodùm pertractabimus, sed quasi in compendium redigemus, quæ amplioribus scripsere paginis Estius *in 4. dist.* 10. Sylvius *hic quæst.* 75. *art.* 1. Valentia *disp. 6. quæst.* 3. Vasquez *disp.* 171. Gonetus *disp.* 1. Herinex *disp. 3. quæst.* 1., & nonnulli alii Scholastici, ut omittam Bellarminum *tom. 3. Controversi. lib.* 1. 2., & 3. *de Sacram. Euchar.* cæterosque Controversistas. Sit igitur

§. I.

Referuntur graviores in hâc materiâ errores, ipsorumque origo, & series excurritur.

3 ASSERT. Circà præsentiam, seù existentiam realem Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento duo sunt principaliores, gravioresque errores. Primus talem præsentiam omninò rejicit, & in Eucharistiâ agnoscit Christi Domini, seù Corporis, & Sanguinis ejus figuram, imaginem, signum; non ipsam physicam entitatem, realemque substantiam. Secundus Christi præsentiâ, seù existentiâ reali in Sacramento admissâ astruit simul existentiam, seù permanentiam substantiarum panis, & vini, quarum conjunctionem cum substantiis corporis, & Sanguinis Christi variè explicat. Auctores, & Sectatores primi erroris vocantur communi nomine Sacramentarij; Auctores, & Sectatores secundi Panistæ, Panitæ, Impanatores: Utcrque error à pluribus retrò sæculis cœpit; at primus antiquior est, & videtur ab ipso Apostolorum tempore originem aliquam duxisse.

4 Explicatur primus error, qui quidem dupliciter processit; vel enim negavit esse in Eucharistiâ verum Christi corpus, & Sanguinem, quia in ipso Christo Domino verum corpus, verumque sanguinem non agnovit; vel agnoscendo Christum esse verum hominem vero corpore, seù verâ carne constantem, & Sanguine, adhùc Christi corpus, & sanguinem, & Christum ipsum ab Eucharistiâ exclusit: Quatenùs priore modo processit, fuit error circà Mysterium Incarnationis magis, quàm circà Mysterium Eucharistiæ; & non tàm negavit veram Christi existentiam in Sacramento, quàm veram Christi existentiam in se; nec in rigore ad locum hunc pertinet: Quatenùs processit posteriori modo, est error hujus loci proprius, & directè contrà Eucharistiæ Sacramentum: Undè Bellarminus *præcit. lib.* 1. *cap.* 1. observat veteres Auctores, qui scripsere de hæresibus, non potuisse in catalogo Hæreticorum contrà veritatem Corporis Domini in Eucharistiâ errantium eos, qui priore modo errarunt; & licèt isti à Simone Mago inceperint Apostolorum tempore, non fecisse mentionem hæresum contra veritatem Corporis Domini obortarum, nisi post sex prima sæcula, quando cœperunt aliqui posteriori modo errare.

Error negans veritatem carnis, & Sanguinis Christi in Eucharistia dupliciter procedit.

5 Non defuerunt tamen posteà, qui utrumque modum confundendo, hæresum contrà prædictam veritatem obortarũ exordium ab Apostolorum temporibus recenserint, & Simonem Magum nostrorum Sacramentariorum Patriarcham (ut loquitur Gonetus *præcit. disp. proem. art.* 1. *num* 1) nuncupaverint, quinetiam aliqui eorumdem Antesignanum, & ducem fecerunt Iudam Iscariotem,

riotem, eo quòd juxtà Augustinum *tract.27. in Joannem*, & Chrysostomum *homil. 26.*, fuerit unus ex illis, qui, audiendo Christum *Jo. 6.* promittentem suam se carnem daturum ad manducandum, dixerunt *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* fortè tamen ità loquentes non absolutè negarunt Eucharistiæ mysterium, & veram Christi carnem in eo futuram, sed tantùm de eo dubitarunt; & præterea sacramentum tunc nondum erat institutum, & clarè propositum ad credendum: Sicque non apparet satis constans, utrùm de veritate carnis, & Sanguinis Christi in Eucharistiâ habuerint formalem, ac positivum errorem discipuli, illi quorum fit mentio *Jo.6.* Addo obiter neque satis constare, utrùm Corinthii quidam ab Apostolo *1. Cor. 11.* reprehensi verbis illis, *Convenientibus ergo vobis in unum jam non est dominicam cœnam manducare; unusquisque enim suam cœnam præsumit* &c. Utrùm, inquam, Corinthii sic reprehensi habuerint errorem doctrinæ, quatenùs cœnam dominicam tamquàm cœnam communem manducarent, nec crederent in eâ sumi Christi corpus, ut putat ipsos errasse Valentia *precis.quæst.3.punct.1.§.2.* An solùm vitium morum, quatenùs occasione conveniendi ad cœnam dominicam celebrarent lauta convivia, ad quæ soli divites accumberent cum pauperum contemptu, & istis esurientibus illi inebriarêtur; ut probabilius cum Cornelio à Lapide censet Herinex *præcis.quæst.1.num 2.* Verùm, quidquid de his sit, magis certam, & distinctam originem, ac seriem erroris, quem nunc explico, primùm quatenùs priore, posteà quatenùs posteriore modo procedentis, subjicio sic.

6 Quatenùs eamdem veritatem negat in ipso Christo à quibus incæperit, & in quibus extiterit?

Primus igitur error priore modo procedens, & negans veritatem carnis, & Sanguinis in sacramento, eò quod eam nusquàm in Christo admittat, habuit tamquàm Antesignanos, & primos Auctores Simonem Magum, & Menandrum ejus discipulum, qui hæresum semina Ecclesiæ primordiis injecerunt, & ipsi primo sæculo invexerunt Simonianorum, & Menandrianorum sectam: Paulò post, idest circà annum 119. errarunt eodem modo Gnostici duce Carpocrate: Posteà Manichæi, & alii qui repeti possunt ex tract.de Incarnat. *lib.1.cap.5.§.4.* Ad hunc erroris modum reducuntur, idest magis contrà Incarnationis, quàm contrà Eucharistiæ mysterium errant etiam illi, qui veram in Sacramento carnem, verumque sanguinem posuerunt, at dixerunt esse carnem, & sanguinem puri hominis, eo quod Christum purum hominem astruerent, sic Nestorius cum suis negavit in Eucharistiâ carnem Verbo divino unitam; Lanfrancus verò, & Uvaldensis referunt quosdam ponendo sub speciebus panis, & vini carnem, & sanguinem filii hominis, nomine filii hominis intellexisse quemlibet hominem justum, aut etiam quemlibet hominem de turbâ, sivè justum, sivè peccatorem; Vasquez tamen *hic disp. 179. cap.1. num.4.* existimat Lanfrancum, & Uvaldensem fuisse in hoc deceptos, & nullum hucusque docuisse errorem, quem ipsi referunt; Nestoriani quippè dici quidem possunt posuisse sub speciebus carnem, & sanguinem hominis communis, at qui sit in particulari Christus (existens juxtà ipsos homo communis, quatenùs est homo purus, nec simul substantialiter Deus) non qui sit quilibet justus, aut quilibet de turbâ.

7 Quatenùs veritatem carnis, & sanguinis negat in Sacramento, non in Christo ipso cæpit antè Berengarium.

Idem primus error posteriore modo procedens, & negans veritatem carnis, & Sanguinis Christi in Sacramento non in ipso Christo extrà sacramentum censetur ab aliquibus habuisse in Ecclesiâ græcâ initium post annum Domini 700., & fuisse primò traditus ab Iconomachis in quâdam pseudo-Synodo Constantinopolitanâ juxtà ipsos VII. In ecclesiam deindè latinam invectus fuit circà annum 800. à quodam Joanne Scoto alio à Subtili Doctore, & paulo post fuit etiam propugnatus à Bertramo libro ad id conscripto; Quia tamen de Inconomachis Auctores non conveniunt, & Baronius ad annum 787. ait, ipsos in re benè sensisse, & solùm quoàd modum loquendi malè, ac pugnantia dixisse; Scotus verò ille subtili antiquior, & Bertramus, aut non habuerunt in suo errore Sectatores, aut isti non diù viguerunt, & error aliquamdiù antè annum 1000. oppressus, repressusque remansit, factum est, solemnem, ut ità dicam erroris, de quo agitur, originem à pluribus computari post annum 1000., & haberi pro primo illius Auctore Berengarium, qui circà annum 1050. illum apertè evulgavit, & propagavit; at non primus invenit, ideò quamvis sic appelletur ab ipsomet S.Doctore *hic quæst.75.art.1.inc.* non est in rigore primus talis erroris Auctor, sed solum præcipuus instaurator, at insignis propagator, & quâ talis reliquit multorum animis altè impressam, insitamque hæresim veritati carnis, & sanguinis in Eucharistiâ contrariam, quæ posteà à Bellarmino, & Valentiâ censetur repullulasse circà annum 1140. in Henricianis, & Petrobrusianis sic dictis à quodam Henrico, & Petro Bruis; circà annum 1208. in Albigensibus, & circà annum 1350. in Auctore, & Sectâ flagellantium; at Vasquez *precis.cap.1.* de flagellantibus dubitat, utrùm veritatem carnis Christi in sacramento negaverint? de Albigensibus ait negasse, at eo modo, quo Manichæi, & Simoniani, non quo Berengarius; de Henricianis, & Petrobrusianis refert non admisisse concessam à Christo Sacerdotibus facultatem ullam conficiendi Eucharistiam, & celebrandi missam, quam si admisissent, ut admisit Berengarius, conjectat Vasquez, quod simul admisissent in Eucharistiâ veritatem corporis Christi, sicut admiserant Christum ipsum posuisse sub specie panis, & dedisse Apostolis suum verum corpus in ultimâ cœnâ: Verùm quidquid de his tribus sectis, eorumque Auctoribus in hoc puncto sit

Habuit tamen Berengariũ pro insigni propagatore.

8

9

Berengarii hæresis, quatenus profitendo in Sacerdotibus potestatem conficiendi sacramen-

sacramen-

Hæresis Uviclefum; cramentum in cœnâ institutum, negat in isto contineri veram, quam Christo in se concedit carnem, & vult Eucharistiam esse solum signum, figuram, imaginem carnis, & sanguinis; hujusmodi inquam hæresis procul dubio repullulavit, seu revixit circà annum 1370. in Joanne Uviclefo, circà annum 1525. in Carolstadio, paulo post in Zuinglio, & Ecolampadio, ac tandem in Calvino, qui ab anno 1536. ad annum 1549. plura scripsit, & edidit, quibus docuit Corpus Christi esse solum in Cælo, Eucharistiam esse ejus signum, & symbolum, quo sumpto illud quoque sumatur, at dumtaxat per fidem, & dumtaxat à justis, in quibus solis juxtà Calvinum est fides; quam doctrinam libenter ex suo Magistro hauserunt alii plures eorumdem temporum hæretici, & Calvinianæ sectæ professores, ut distinctius recenset Bellarminus *præcit. cap. 1.* ubi et iam accuratiùs profert ex propriis ipsius verbis Calvini doctrinam, variam alioqui, & implicitam, semper tamen in substantiâ conformem ei, quam Berengarius primum, & postmodum Uviclefus magnâ contentione protulerant, magnoque studio propagaverant: Ex quibus tandem perspicuum est, primum in præsenti materiâ errorem, ut ad locum hunc pertinet, habuisse tribus diversis sæculis tres diversos sibi addictissimos, & sui studiosissimos Patronos, nimirum Berengarium sæculo XI. Uviclefum sæculo XIV., & Calvinum sæculo XVI.

Postremò Calvinum.

10 Error adstruens in Eucharistia cum Christi carne, & sanguine substantias panis, & vini.

Explicatur secundus error, qui non tàm versatur circà præsentiam, seu existentiam realem carnis, & sanguinis secundum se, quàm circa modum, & quidem extrinsecum talis præsentiæ, ac existentiæ, tùm in fieri, tùm in facto esse, quatenus in fieri non salvat carnem, & sanguinem poni sub speciebus per transubstantiationem, in facto esse astruit sub speciebus substantias carnis, & sanguinis non solas, sed substantiis panis, & vini unione aliquâ, aut substantiali, aut accidentali conjunctos, unde ex hujus erroris Sectatoribus aliqui dicunt panem esse essentialiter, & substantialiter Corpus Christi, alii pani adesse, aut circumcircà panem esse, aut in, cum, sub pane esse corpus Christi, itidemque in, cum, sub vino sanguinem &c.

Cœpit sæculo XI. ac habuit inventorem Berengarium.

Secundus hic error tribus circiter sæculis post præcedentem exortus cæpit sæculo XI., & habuit primum Inventorem eum, quem error præcedens habuit semel, & iterùm, tùm instauratorem, tùm abjuratorem. Berengarius enim in primam hæresim lapsus, fuit damnatus absens sub Leone IX. in duobus Conciliis, altero Romano, altero Vercellensi, ac posteà præsens sub Victore II. in Concilio Turonensi, in quo, & suam hæresim primum abjuravit, at in eamdem relapsus abjuravit eam iterum in alio Concilio Romano sub Nicolao II. nec dum tamen perfectè resipiscens incidit in hæresim aliam, erroremque, quem nunc exponimus, & negando substantias panis, & vini converti in substantias corporis, & sanguinis, asseruit in sacramento utrasque substantias existere accidentaliter conjunctas, ut possunt duo supposita esse conjuncta localiter, & quamvis tandem hoc quoque errore abjurato sub Gregorio VII. in alio Concilio Romano Berengarius serio resipuerit, & in fide catholicâ in posterum vixerit, ac decesserit, nihilominùs, sicut error præcedens, cujus fuerat instaurator, ità hic alius, cujus fuerat inventor, ipsius nec abjuratione, nec morte fuit extinctus, sed uterque sopitus remansit, & posteà excitatus, sicut primus in Galliâ, ità secundus in Germaniâ præcipuè plures sibi Patronos comparavit. Et primò quidem Bellarminus *præcit. lib. 3. cap. 11.* putat sæculo XII. repullulasse in Ruperto Abbate Tuitiensi, & posteà in Joanne quodam Parisiensi, (tamquam docentibus panem in Sacramento hypostaticè à Christo assumi, & manere hypostaticè Christo unitum, vel immediatè, quatenus Verbum immediate panem assumat, sicut assumpsit carnem, & ita putatur sensisse Rupertus, vel mediatè, quatenus panem assumat mediante carne, & ità sensit Joannes Parisiensis: Nihilominùs quia ex unâ parte error à Berengario excogitatus juxtà magis receptam opinionem affirmavit accidentalem, ac ferè solum localem, non substantialem, & hypostaticam conjunctionem panis cum Christo, ejusvè carne, & ex aliâ parte Suarez *disp. 49. sec. 2. §. Ad fundamentum secundi*, aliique nonnulli conantur piissimum, ac disertissimum Abbatem Rupertum ab eo errore excusare, ac vindicare, & quatenus in eo fuisse admittatur, docuit in Sacramento non manere hypostaticè Verbo unitam carnem simul cum pane, sed Christum habere unitam solam carnem, & corpus carneum in Cælo, habere unitum solum panem, & corpus solum panaceum in Sacramento, quâ ratione ad primum Berengarii errorem jam expositum magis quam ad illum, qui nunc exponitur, accedit: Quia, inquam, hæc ità sunt, abstineo ab his Scriptoribus recensendis inter Berengariani, de quo nunc agitur, erroris sectatores, vel instauratores.

12

Secundum igitur errorem in eo sensu, in quo magis communiter censetur à Berengario inventus, per aliqua sæcula consepultum, ac semiextinctum primò excitarunt, ac denuò protulerunt Joannes Hus sæculo XV., & Lutherus sæculo XVI. docentes substantias panis, & vini, Corporis, & sanguinis esse cum propriis distinctis suppositis in sacramento; & pani corpus, vino sanguinem inesse singulari conjunctione, ac non minus intimè, quàm insit aqua spongiæ, aut ignis ferro candenti, idemque docuerunt ferè omnes Lutherani secuti suum Pseudo-Patriarcham, qui licet, ut observat Valentia *præcit. quæst. 3. punc. 2. §. 1.* aliquando videatur intransubstantiationem, ac per consequens in desitionem panis, & vini consensisse, Nihilominus *in lib. de captivit. Babylon. cap. de Euchar.* post admissam transubstantiationem ut possibilem, quinimo ut de facto pro-

13 Posteà instauratores Joannem Hus sæculo XV., & Lutherum sæculo XVI.

11

propugnabilem sine periculo hæresis, concludit videri sibi probabilius, & scripturis conformius, quod panis maneat, ut refert Bellarminus *pracit. cap. 11. §. Septima opinio*, ubi etiam obiter monet, deteriùs quam Lutherum de transubstantiatione sensisse Calvinum, utpotè qui eam damnat tamquam sceleratam hæresim, & rem impossibilem, Lutherus verò tamquam, nec possibilitati, nec fidei repugnantem agnoscit, hincque Lutherani reprehendunt in Catholicis, non tàm quod transubstantiationem astruant, quàm quod ipsam astruant, ut de fide.

14 Sic expeditis quo ad seriem suam, & originem duobus erroribus in asserto memoratis, probatæ remanent asserti particulæ penè ultimæ, quibus habetur utrumque errorem à pluribus retrò seculis cæpisse, at primum antiquiorem esse, cum enim ex *num.7., & 10.* primus saltem in VIIII. secundus in XI. sæculo cæperit, ille ab octo, iste à sex jam sæculis cæpit, quod est utrumque à pluribus retrò sæculis cæpisse, at primum duobus sæculis præcessisse, sicque antiquiorem esse, & anteriorem: Cum deindè idem primus error *ex num. 4., & 5.* fortè extiterit in aliquibus Christi discipulis antè Sacramenti institutionem, aut posteà in Corinthiis tempore Pauli Apostoli ex suâ epistolâ reprehendentis; & certè ex *nu. 6.* in aliquo sensu, quamvis non hujus loci magis proprio, habuerit auctorem Simonem Magum Petro Apostolo contemporaneum, remanent quoque probatæ aliæ asserti particulæ omninò postremæ, quibus dicitur videri ab ipso Apostolorum tempore originem aliquam duxisse primus ille error.

15 Viderentur jam in sequentibus singillatim impugnandi errores præmemorati, aut etiam, sicut retulimus seriem sæculorum, & Scriptorum, in quibus, & apud quos illi, potissimum viguerunt, ità videretur referenda proportionaliter series Conciliorum, Summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, & graviorum Doctorum, quorum auctoritate, & studio iisdem sæculis damnati illi fuerunt, ac confutati, ut quòad primum præsertim errorem eruditè præstat inter Scholasticos Valentia *pracit. punc. 1. §. 2.* Videretur tandem ex professo occurrendum tum Sacris auctoritatibus, quibus Sectarii ad suas falsitates fulciendas abutuntur, tùm captiosis argumentis, quibus catholicam veritatem impetunt: At præsens scribendi institutum non patitur hæc omnia pro materiæ dignitate prosequi, ideò pro istorum sufficienti discussione consulendos relinquo Auctores *num. 2.* prælaudatos, & sicut hucusque circà errores cursim, & compendiariè me gessi, ità non aliter me gerens circà opposítas veritates, has non tàm examinando, & comprobando, quàm recensendo, & insinuando, undè probari possint, excurram, ideò sit

§. II.

Asseruntur fidei veritates erroribus præmemoratis opposita, & potissimè ipsarum fundamenta insinuantur.

16 *In Eucharistia Corpus, & Sanguis non sunt phantastica, & existimata.*

ASSERT. I. Corpus, & Sanguis Christi in Eucharistiæ Sacramento non sunt phantastica solùm, & existimata, seù per phantasiam, & existimationem. Est veritas fidei contrà Simonianos, Menandrianos, Gnosticos, ac Manichæos de quibus *num.6.* & fortè etiam Albigenses, de quibus *num. 8.*

Probatur: Corpus, & Sanguis Christi in Eucharistiæ sacramento sunt quòad substantiam eadem, quæ habet Christus in se, seù in propriâ specie: atqui Christus non habet in se, & in propriâ specie corpus, & sanguinem phantastica solum, & existimata: ergo Corpus, & Sanguis Christi in Eucharistiæ sacramento non sunt &c. Major admittitur ab hæreticis, contrà quos modò assertum procedit, utpotè qui excludunt à Sacramento veritatem corporis, & sanguinis, eo quod eam nusquàm in Christo agnoscant: Minor est veritas fidei repetenda *ex tract. de Incarn. lib.1. cap.5. §.4.*

17 Assert. II. Corpus, & sanguis in Eucharistiæ Sacramento non sunt corpus, & sanguis alicujus puri, & communis hominis. Est veritas fidei contrà Nestorianos, & fortè iteris alios quosdam innominatos hæreticos, de quibus *num. 6.*

Non sunt corpus, & sanguis puri, ac communis hominis.

Probatur: Nomine puri, & communis hominis, vel intelligitur indifferenter aliquis de populo, ut fortè senserunt quidam innominati, vel intelligitur determinatè Christus Dominus, qui dicatur purus, & communis homo, quatenus simul Deus non sit, ut docuerunt Nestoriani; atqui neutro ex his modis sunt in Eucharistia corpus, & sanguis puri, & communis hominis: Non primo, quia ex unâ parte in verbis illis *Jo. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis* per *ly filii hominis* intelligere quemlibet de populo, est expressè contrà contextum totius capitis, & præterea alibi in Scripturâ frequens est, quod nomine filii hominis absolutè prolati veniat solus Christus; ex aliâ parte verba proferuntur nomine solius Christi, & ab intendente ponere sub speciebus ipsum solùm, nec sine risu, aut potiùs sine horrore audiri potest, quod in unâ hostiâ unus, in aliâ alius de populo existat: Non item secundo modo, quia quantumcumque purus homo supponatur insigniter sanctus, & singulari charitatis nexu Deo conjunctus, de fide est Christum non esse hominem purum, sed hominem Deum, ut suppono *ex tract. de Incarn. lib.1. cap.1. n.2., & cap. 4. n. 1., & sequent.*, & pro præsenti etiam materiâ definitum in Conciliis Alexandrino, & Ephesino apud Vasquium *disp.179. cap.1.*

18 Assert. III. Corpus, & Sanguis Christi non

Non sunt præcisè tamquàm figuratum, & significatum in figura, & signo.

non sunt in Sacramento solùm figuraliter, & significativè, seù tamquam figuratum, & significatum in figurà, & signo; Nec Eucharistia est Christi Domini, seù corporis, & sanguinis ejus signum præcisè, ac symbolum, figura, ac imago. Est veritas fidei contrà Berengarium, Uviclefum, Calvinum, & alios horum Sectatores in defendendo errore antiquiùs invento à quodam Joanne Scoto, & fortè etiam anteà ab Iconomachis, de quibus omnibus *num.* 7 8., & 9.

Hujus veritatis argumenta habentur.

Probatur, ex eo; quia vix est ullum catholicum dogma, quod ex tot principiis fidei, locisque theologicis eruatur, ex quot eruitur realis, substantialis, entitativa præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento; ergo Corpus, & Sanguis Christi non sunt in sacramento solùm figuraliter &c. Consequentia patet, quia præsentia figuralis solùm, & symbolica realem, substantialem, entitativam excludit, & verè ad banc excludendam, seù eludendam, illam excogitarunt hæretici, contrà quos assertum procedit: Antecedens probatur insinuando hujusmodi principia, & loca, quorum

19 Primò ex Scripturà Sacra:

Primum sit, Sacra Scriptura, seù verbum scriptum, quatenùs omnes quatuor Euangelistæ, nimirum Joannes *cap.* 6. Eucharistiæ promissionem, & Matthæus *cap.* 26. Marcus *cap.* 14. Lucas *cap.* 22. ejusdem institutionem à Christo factam describentes expresè, & determinatè testantur Christum fuisse locutum de proprio corpore, & sanguine, de isto dixisse, quod verus cibus, & potus sit, quòd manducari, & bibi debeat: Eadem ferè habet, quasi Evangelistam hîc in re agens, etiam Paulus 1. *Cor.* 10., & 11. Quomodò autem tàm perspicua loca possint impropriè intelligi de corpore, & sanguine, de cibo, & potu figurato, de manducatione per fidem? &c.

Secundò ex Traditione Ecclesiastica:

Secundum, Traditio, seù verbum non scriptum, quatenùs fides realis, & substantialis præsentiæ Christi in sacramento non post Ecclesiam jam adultam prodiit, sed primis ejus annis, & Apostolorum tempore cœpit, successione perpetuà viguit, & ad nos sine interruptione pervenit, ut habetur ex plurimis probatissimis testibus, quos per sexdecim retrò sæcula, & Ecclesiæ ætates discurrendo magno labore, ac studio collegit, & servato sæculorum ordine recensuit Bellarminus *præcit. lib.* 2. per totum.

20 Tertiò ex definitionibus Conciliorum, & Pontificū:

Tertium, definitiones Conciliorum, & Summorum Pontificum; quatenùs ubi primùm Iconomachi inciderunt in sententiam, aut in suspicionem sententiæ contrariæ reali, ac substantiali præsentiæ Christi in Sacramento, damnati fuerunt in Concilio Nicæno II. act. 6. Berengarius, Uviclefus, & Calvinus insigniores ejusdem doctrinæ instauratores damnati fuerunt, Primus sub Leone IX. in Conciliis Romano, & Vercellensi, sub Victore II. in Concilio Turonensi, & in alio Romano sub Nicolao II. Secundus in Constantiensi sub Martino V., & in Florentino sub Eugenio IV. Tertius in Tridentino sub Julio III. Nec desunt aliæ ex aliis Synodis, Conciliis, Pontificibus pro prædictæ realis, ac substantialis præsentiæ veritate definitiones.

Quartò ex sententiis Sanctorum Patrum.

Quartum, sententiæ Sanctorum Patrum, quatenùs istorum vix ullus est, sivè Græcus sivè latinus, ex quo non hauriatur sententia aliqua pro reali præsentiâ Christi in sacramento: Plurimus est in illis referendis Valentia *præcit. punct.* 1. §. 5. ubi etiam affert septemdecim argumenta ad probandum eos, eorumque verba malè à Sacramentariis detorqueri ad sensum improprium, figuralem, & spiritualem: Quià verò, ut ex Alano observat Suarez *hic disp.* 46 *sec.* 4. præter sententias continentes simplicem prædictæ veritatis assertionem, dantur in Sanctis Patribus testimonia quædam argumentosa, idest continentia pro prædictâ veritate argumentum, & excludentia adulterinam interpretationem, videri hæc possunt, vel latiùs exposita apud prælaudatum Alanum *lib.* 1. *de Euchar.*, vel breviùs indicata, & ad decem capita, seù classes redacta apud ipsum Suarium *ead. sect.* 4., vel majori compendio sub sex classibus collecta apud Bellarminum *præcit. lib.* 2. *cap. ult.*

21 Quintò ex divinis miraculis.

Quintum, divina miracula, quatenùs Deus optimus maximus ex fide realis præsentiæ Christi in sacramento, aut in talis præsentiæ confirmationem præstitit aliqua insignia, & omnes naturæ vires excedentia beneficia, puta liberationem alicujus energumeni à dæmone, revocationem alicujus mortui ad vitam, restitutionem facultatis videndi alicui cæco, & subitam alicujus gravis morbi curationem: Item prodigia alia, puta particulam consecratam lapidem factam in ore alicujus de reali præsentiâ increduli, relictas ex hostiâ consecratâ coloris sanguinei notas, emissas ex eadem sanguinis guttas, & apparitiones Christi Domini sub aliquâ specie visibili, præsertim humanâ, qualem valdè insignem non ità pridem in Galliis factam narrat Gonetus *præcit. disp.* 1. *art.* 11. Narrat scilicèt in quodam vico Diœcesis Andegavensis sabbato infrà octavam Corporis Christi anno 1668. populo ad sacramentum adorandum congregato, & Parocho altè intonante versum illum, *Verbum caro, panem verum*. in hostiâ, seù in loco hostiæ apparuisse integram hominis speciem, & circiter per horæ quadrantem visam fuisse, & posteà coram Episcopo attestatam à Parocho, & alijs pluribus.

Ubi obiter refertur recens miraculosa apparitio Christi in hostiâ.

Nonne autem, si Christus non est verè, & realiter in Eucharistiâ, hujusmodi apparitionibus Deus (quod cogitare nefas est) nos in idolatriam induceret, iisdemque sicut, & aliis veris miraculis, quæ apud Auctores gravissimos à Suario *præcit. disp.* 46. *sect.* 5. relatos recensentur, falsa doctrina confirmaretur? quod tamen nequidem per accidens, & per miraculorum abusum evenire posse probatum est in tract. de fide.

22

Sextum, Rationes quasi naturales, & congruentiæ ex aliis fidei veritatibus deductæ, quatenùs istæ licèt se solis debile suppedi-

tent

Sextò ex rationibus, & cōgruentia,

tent argumentum pro re tàm sublimi, & tam difficili, hanc tamen aliundè jam ex firmioribus principiis comprobatam valdè corroborant, confirmant, & elucidant. Prima igitur ratio, seù congruentia esse potest, quam etiam primo loco ponit D. Thomas *hic quæst. 75. art. 1.*, quod Sacrificia veteris legis continebant Christum, & passionem ejus in figurâ, oportuit ergo sacrificium perfectius legis novæ in Eucharistiâ institutum continere Christum, seù corpus ejus passum, & sanguinem fusum in rei veritate. Secunda, quæ ferè in idem recidit, quia Eucharistia debet sustineri sacramentum perfectius, quàm sacramenta legis antiquæ, per quæ figurabatur, ut manna, & agnus paschalis, at si ipsa non continet realiter corpus Christi, sed solum est signū, & figura, ut illa, non apparet, in quo sit perfectior. Tertia desumitur ex eodem D. Thomâ *4. cont. Gent. cap. 61.*, quia in Eucharistiâ communicatur nobis Christus per modum alimenti, sicuti igitur alimentum secundùm propriam substantiam conjungitur alito, itâ & Christus debet secundùm propriam substantiam nobis dari, & contineri in Eucharistiâ. Quarta sit, quia Eucharistia dicitur omnium sacramentorum consummatio, mirabilium à Deo factorum maximum, Mysterium augustissimum, venerandissimum, horrendum, verendum, & Deo plenum; at hæc & similia, quæ ut refert Estius *in 4. dist. 10. §. 4.* à Sanctis Patribus de Eucharistiâ dicuntur, ineptè admodùm, imò absurdè de eâ dicerentur, si tota ipsius excellentia consisteret in eo, quod esset Christi Domini signum, & figura, nec Christum substantialiter contineret. Huiusmodi rationes, & congruentias validiùs contrà hæreticos urget Gonetus *præcit. disp. 1. art. 6. 7.*, & 8. aliasque ad duodecim usque addit Suarez *præcit. disp. 46. sec. 7.*

23

24 Septimò

Septimum, Imbecillitas rationum, & illegitimitas auctoritatum, quibus usi sunt Sacramentarii ad suum dogma stabiliendum; & licèt utrumque caput negativè, non positivè nostræ faveat veritati; Nihilominùs contemnendum non est, quia nostrarum rationum, & auctoritatum firmitas ex comparatione ad infirmitatem oppositarum magis elucescit, & obiter etiam habebuntur quædam regulę generales pro solvendis difficultatibus, & argumentis contrà assertam realem præsentiam militantibus. Porrò

Ex imbecillitate, ac falsitate oppositarum rationum.

Rationes, quibus Sacramentarii nituntur, redigi possunt ad duo capita, collocando sub primo impossibilia, ut ipsi putant, quæ involvuntur in præsentiâ à Catholicis assertâ, & sunt, quod accidentia conserventur sine actuali inhærentiâ, quam dicunt esse accidenti essentialem, ut perseitatem substantiæ: Quod corpus quantum careat extreitate partium in ordine ad locum, seù extensione locali, quam dicunt esse effectum formalem quantitatis: Quod corpus Christi existens, & manens in Empyreo ad Patris dexteram ponatur idem numero totum per consecrationem in terrâ in sacramento, & in tot locis distantibus, in quot distantibus sacramentis, cum existiment corporum præsentias multiplicari nō posse sine ipsorum corporum, aut divisione, aut numericâ multiplicatione. Sub secundo absurda, quæ Christo protsùs indigna contendunt ex eâdem præsentia inferri, & sunt, quod Christus atteratur dentibus, & laceretur; in stomachum, in ventrem, in secessum descendat: Quod possit à brutis devorari, & corrodi à muribus, si devoretur, aut corrodatur sacramentum: Quod possit ejus sanguis in calice acescere, & ejus corpus in hostiâ comburi, aut putrefieri &c. At utrumque hoc caput falsa, & imbecillia continet, nam quæ in primo recensentur, ut impossibilia, apud cordatos Philosophos talia non sunt, & aptitudinalis non actualis inhærentia est accidenti essentialis; extreitas partium in ordine ad se non in ordine ad locum, vel exigentia extensionis localis, non ipsa localis extensio est effectus formalis primarius quantitatis; immultiplicato, ac indiviso corpore multiplicari præsentias repugnat ad summum in præsentiis circumscriptivis consequentibus quantitatem, imò neque in istis repugnat divinitus, & de potentiâ absolutâ. Quæ in secundo recensentur, ut absurda, malè inferuntur, quia propter spiritualem, impassibilem & incorruptibilem existendi modum, quem Christus habet in Sacramento, propositiones illæ propriè, & per se verificantur de Sacramento solùm ratione specierum, non ratione corporis, & sanguinis; præter quod quando de corpore, & sanguine verificarentur, non absurdè dicerentur de Christo ratione naturæ humanæ, sicuti nec de eodem absurdè dicitur, quod fuerit materno utero conclusus, in præsepe reclinatus, fœdatus sputis, cæsus flagellis, affixus cruci; Undè argumentum, quo Sacramentarii ex prioribus absurdis impugnant Eucharistiam, simile est ei, quo olim Judæi, & Ethnici ex absurdis posterioribus impugnabant Incarnationem, & sicut de istis Augustinus *epist. 49.* dixit, quod *in Christum non crederemus, si fides Christianorum metueret cachinum Paganorum*, itâ de illis dici posset, Non crederemus Eucharistiam, si fides nostra metueret cachinum Sacramentariorum.

25

26 Et ex illegitimitate, ac abusu auctoritatum, quæ in contrarium afferuntur.

Auctoritates, quibus iidem utuntur, vel meliùs abutuntur, sivè Sacræ Scripturæ, sivè Sanctorum Patrum sint, in triplici existunt classe: Inprimâ illæ, in quibus Eucharistia dicitur figura, imago, signum, antitypon corporis, & Sanguinis Christi, sic Augustinus *lib contra Adimantium cap. 12.* ait *Non dubitavit Dominus dicere hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*, & Clemens lib. 5. Constit. cap. 13. *Cum dedisset*, inquit, *antitypa mysteria pretiosi corporis, & sanguinis sui*. In secundâ illæ, quibus aliquid detrahitur de veritate, ac proprietate præsentiæ realis Christi in sacramento, quin etiam à manducatione corporali carnis, & sanguinis ejus avocamur, sic Christus Jo. 6. de sacramento

mento à se instituendo loquens ait, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, & Ambrosius *lib. 1. offic. cap. 38.* dicit *hic offerri Christum in imagine, in Cælo in veritate*. In tertiâ illæ, quibus positivè commendantur manducatio sacramenti spiritualis, & per fidem, quin & ipsum Christi corpus appellatur cibus spiritualis, non corporalis; quâ in classe celebris est sententia Augustini tract. 25 in Joan. *Ut quid paras dentem, & ventrem? crede, & manducasti*, & tract. 26. *Credere in eum, hoc est manducare carnem ejus*; & Theophylacti in cap. 6. Joan. *Animalis homo spiritualem cibum carnis Domini non intelligit*.

27 At triplex hæc auctoritatum classis malè à Sacramentariis usurpatur: Malè usurpatur prima, quia aliud est, quod Eucharistia sit Christi, & corporis ejus signum, aliud quod sit signum tantum, aut signum Christi à Sacramento absentis; illud, non istud in primâ auctoritatum classe continetur; Eucharistia igitur vel sumitur pro solis speciebus, & sic est signum Christi, at præsentis, & in sacramento ex stentis; vel sumitur pro toto constituto ex speciebus, & corpore, ac sanguine, & sic est signum Christi etiam absentis, nimirùm patientis, & morientis, pro ut fit in memoriam passionis, in empyreo gloriosi, pro ut est pignus gloriæ, at simul est partialiter ipsemet Christus, seù corpus, & sanguis ejus.

28 Malè usurpatur secunda, quia realis præsentia corporis Christi alia est in propriâ specie modo naturali, ordinario, & visibili; alia est in substantiâ quidem suâ, at modo spirituali extraordinario, & invisibili; de proprietate præsentiæ, & manducationis corporis secundùm priorem, non secundum posteriorem modum aliquid detrahunt auctoritates secundæ classis, & intendunt solùm avocare a carnali, & crassâ opinione, quâ Capharnaitæ à Christo *Jo. 6.* reprehensi intellexerunt ipsum præcisurum, ac daturum sui corporis frusta, & carnem in propriâ specie quasi dilaniandam; quâ etiam opinione Gentiles in Christianis execrabantur, quod ad occidendum infantem, & ejus carnes crudas manducandas congregarentur; meminit hujus calumniæ Tertullianus *in Apolog. cap. 7.* illis verbis, *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, & pabulo cruda*:

29 Malè usurpatur tertia, quiâ commendat manducationem sacramenti spiritualem, & per fidem, quia hæc est necessaria ad sacramenti effectum, appellat verò ipsum Christi corpus cibum spiritualem, non corporalem, quia spirituali non corporali modo existit, & spiritum, idest animam, non corpus nutrit, cæterùm non excludit, aut realem substantialemque corporis in Sacramento, aut ejus sumptionem ore corporis faciendam: & Augustinus locis præcitatis, quibus videtur solâ fide contentus, non loquitur de manducatione Christi in sacramento, sed de mandudatione aliâ omnino spirituali per fidem Incarnationis, & meditationem passionis, ut observat Bellarminus *præcit. lib. 1. cap. 7.*

30 Universim circà Sanctorum Patrum hâc in controversiâ auctoritates observandum est, Utrùm antiquiores sint, & antè exortum errorem reali Christi præsentiæ contrarium scripserint, an non ità antiqui, & post talem errorem, præsertim ut à Berengario propagatum? Quò ad posteriores Patres, invenies ipsos sæpiùs realem Christi præsentiam apertissimè docuisse, & ex eo, quod deinde fecerint alicubi mentionem signi, figuræ, & manducationis spiritualis, nullatenus est fundamentum suspicandi, quod negaverint præsentiam, quam alibi apertissimè docuerant, sed quia non omnia possũt uno tẽpore, & loco tradi ex pluribus, quæ Eucharistiæ conveniunt, aliquando unũ aliquãdo alterũ expresserũt. Quoad priores, si fortè non ità apertè, sed figuratè, spiritualiter, symbolicè de Christi in Sacramẽto præsentiâ locuti sunt, id præstiterunt, quia ex unâ parte talis locutio erat accommodatior ad celandam, ut celare consuevit primitiva Ecclesia, nostrorum mysteriorum, Eucharistiæ in primis, veritatem gentilibus ea calumniantibus, & contemnentibus; ex aliâ parte cum tunc nondum mota esset præsens controversia, nec orta hæresis Berengariana jure poterant simplicius, liberiusque loqui sine suspicione erroris, & confidendo se ab omnibus catholicè intelligi. Plura alia ad rem nostram pertinentia observat circà Sanctos Patres Valentia *præcit. punc. 1 §. 21.*

31 *Christus non est in Sacramento unitus hypostaticè substantiæ panis, & vini.*

Assert. 4. Christus existens realiter in Eucharistiæ Sacramento non unitur hypostaticè substantiis panis, & vini. Est veritas fidei contrà Rupertum Tuitiensem, & Joannem Parisiensem, de quibus suprà [illegible], & in quibus commentum assertæ veritati oppositum videtur illicò periisse, adeò ut non fuerit necessaria ulla Ecclesiæ definitio ad ipsum extinguendum, nec ab ullo, aut Concilio, aut Summo Pontifice inveniatur formaliter, ac in particulari damnatum; est quidem damnatum virtualiter, ac in communi, in eo quod definitum est non remanere in Sacramento panis, & vini substantias, nihilominus etiam abstrahendo pro nunc ab hoc universali principio, Assertum

Triplex talis unionis modus est excogitabilis.

Probatur 1. Tripliciter excogitabilis est in Sacramento unio hypostatica Christi ad panis substantiam, Vel ità ut Verbum ponatur in Sacramento immediate unitum carni, seù proprio corpori in Incarnatione assumpto, de novo verò uniatur immediatè pani, & pro hoc modo nullum invenio Auctorem referri: Vel ità ut Verbum manens in Cælis unitum carni, seù proprio corpori carneo fiat in Sacramento immediatè unitum soli pani, seù corpori panaceo, qui est modus Ruperti: Vel ità ut Verbum in Sacramento uniatur pani non immediatè, sed mediante carne, seù corpore in Incarnatione assumpto, qui est modus Joannis Parisiensis; atqui nullus ex his modis, aut sustineri potest, aut benè accommodatur Eucharistiæ mysterio:

32 Nullus sustineri potest, quia quilibet constituit, & dissolvit uniones

Et quil bet impugnatur.

hypostaticas penè innumeras, & facit à Verbo divino, vel immediatè, vel mediatè assumi; & dimitti plurimas quotidiè naturas, tot scilicet assumi, quot materiæ consecrantur, tot dimitti, quot materiæ consecratæ corrumpuntur. Deindè singillatim duo priores modi inducunt inauditum mysteriũ impanationis, mysterio incarnationis simillimum, & Verbum eâ planè ratione, quâ semel factum est caro, fieret sæpissimè panis; tertius, vel ponit unionem hypostaticam cum pane fieri mediante carne effectivè, terminativè verò immediatè in subsistentiâ Verbi, & sic ipse quoque facit Verbum impanatum æquè propriè, ac fuerit incarnatum; vel ponit fieri mediante carne terminativè, quatenus caro, seù corpus Christi per propriam subsistentiam creatam terminet naturam panis, & sic astruendo in Christo aliquam subsistentiam creatam ad Nestorianismum acceditur. Nullus ex iisdem tribus modis benè accommodatur mysterio Eucharistiæ, non solum quia nullus benè cohæret cum transubstantiatione omninò in tali mysterio admittendâ, sed insuper quia nullus salvat id, quod ipsorum Auctores licet malè salvare intendunt; nimirùm quod *Hic panis sit Corpus Christi*, quibus verbis volunt esse synonima verba consecratoria *Hoc est corpus meum*: Non salvat id modus Ruperti, quia ly *Corpus meum* supponit pro corpore carneo, ut evincitur ex verbis sequentibus; *Quod pro nobis tradetur* additis illis aliis Jo. 6. *Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vitâ*, at juxta modum Ruperti Hic panis est corpus Christi panaceum, non carneum: Non item id salvant alii duo modi, quia communicatio idiomatum non datur inter partes naturæ assumptæ, nec inter ipsas naturas assumptas, si sint plures, sed solum inter concreta totalia naturarum, & sicuti nunc in Christo per communicationem idiomatum non rectè dicitur, Anima est Corpus, itâ nec tunc rectè diceretur, Panis est caro, seù corpus carneum, & humanum.

33

34

Hujuscemodi argumentorum, aliorumque similium, quæ præcipuè apud Durandum *in 4. dist.* 10. *qu.* 1. videri possunt, moles, & robur ne levissimam quidem rationem dubitandi relinquit pro unione hypostaticâ in Eucharistiâ, seù Eucharisticâ impanatione; & mirum est, aliquos talis unionis opinionem suspicari in Dionysio, & Damasceno, eo quod ille, ut refert Durandus *præcit. quæst.* 1. *num.* 10. Eucharistiam vocet sacramentum assumptionis, Damascenus verò dixerit in Sacramento panem, & vinum à Christo assumi: Quasi verò omnis assumptio, & omne assumi fiat in unitatem suppositi; & debeat hypostaticè intelligi, quod redderet ridicula plurima Sanctorum Patrum, & Sacræ Scripturæ loca, in quibus certè aliter tales voces usurpantur; est igitur pariter ridiculum, velle eo modo voces illas intelligere in Dionysio, & Damasceno; & sensus Damasceni est, quod panis, & vinum à Christo assumantur, idest accipiantur; vel instituantur in materiam, & usum Sacramenti, & quia sicut sumere, seù assumere cibum dicimur, itâ Eucharistiæ, quæ per modum cibi est, usus rectè dicitur sumptio, seù assumptio, Dionysius Eucharistiam vocavit Sacramentum assumptionis; vel etiam sic vocavit relatè ad materiam remotam, cujus conversio, & transmutatio, seù ad conversionem, & transmutationem acceptio assumptio dici potest.

Cur in Eucharistis panis, & vinum dicantur assumi, & ipsa Eucharistia dicatur Sacramentũ assumptionis?

35

Christus non est in Sacramento unitus accidentaliter substantiis panis, & vini.

Assert. 5. Christus existens realiter in Eucharistiæ sacramento nõ habet substantias proprii corporis, & sanguinis ullâ conjunctione intimâ accidentali unitas substantiis panis, & vini. Est veritas fidei contrà Berengarium, Joannem Hus, Lutherum, & alios, de quibus suprà *num.* 13.

Probatur: Substantiæ corporis, & sanguinis Christi non sunt ullâ conjunctione intimâ accidentali unitæ substantiis panis, & vini in Eucharistiæ sacramento, si in isto panis, & vini substantiæ non remanent, imò totaliter desinant, nec ullibi conservantur secundum aliquid sui, atqui sic se res habet: ergo substantiæ corporis, & sanguinis Christi non sunt ullâ conjunctione intimâ &c. adeoque Christus existens realiter in Eucharistiæ sacramento non habet &c. Minor est de fide probanda infrà *cap.* 7. §. 1. Major patet ex terminis, nec assertum aliâ peculiari indiget probatione, quia si substantiæ panis, & vini in sacramento remanerent, verè non aliâ, quàm accidentali unione Christo Domino copularentur.

36

Ex quinque assertis præstitutis, quorum tria priora impugnant errorem relatum primo loco, & Sacramentariis adversantur; duo posteriora impugnant errorem secundo loco relatum, & adversantur Impanatoribus, ac Panistis: Ex quinque, inquam, assertis præstitutis habetur; quidquid potissimum de fide est circà Eucharistiæ Mysterium, & ex tribus prioribus habetur singillatim realem, substantialemque præsentiam veri corporis, & sanguinis Christi Domini, seù Incarnati Verbi sub speciebus consecratis partim in aliis fidei veritatibus, tàm expressè contineri, partim tot sacris testimoniis, fundamentis, & argumentis credibilitatis comprobari, ut vix ullum aliud Ecclesiæ catholicæ dogma, aut probatius, aut credibilius videatur: Sic supposità, & pro instituti nostri modulo comprobatâ veritate præsentiæ, & existentiæ Christi Domini in Sacramento quò ad *An sit*, ulterius est procedendum ad *Quid sit*, & statuendum, in quonam formaliter consistat talis præsentia, sivè consideretur relatè ad species, & quatenus reddit Christum speciebus præsentem, ac sub speciebus existentem; sivè relatè ad locum specierum, & quatenus reddit Christum præsentem spatio, ac existentem in spatio, cui sunt præsentes, & in quo existunt species: Sub priore consideratione sit

Præsentia Christi in Sacramento alia ad species, alia ad locum specierum.

§. III.

§. III.

In quo formaliter consistat, & quid suprà compenetrationem Christi, & specierum addat sacramentalis præsentia Christi ad species?

ASSERT. I. Sacramentalis præsentia Christi ad species non est existentia Christi in speciebus tamquam in loco, neque pura Christi, & specierum in eodem loco coexistentia, seù compenetratio: Est assertum quoad utramque partem receptissimum, & solitum à Scholasticis supponi magis, quàm probari. Nihilominùs

37 — Præsentia ad species non est existentia Christi in ipsis tamquam in loco.

Probatur quo ad primam partem: Christus existens sacramentaliter non existit in speciebus tamquam locatum in loco, ergo præsentia sacramentalis Christi ad species non est &c. probatur antecedens, locus alius negativus, & est capacitas apta repleri, seù spatium imaginarium: alius positivus, & est superficies corporis ambientis, Christus non est in speciebus tamquam in spatio imaginario, quia manifestum est species non esse quid negativum, & puram inanitatem ad modum spatii imaginarii: Non est in iisdem tamquam in superficie corporis ambientis; quia non ambitur speciebus exterius, sed cum ipsis intimè penetratur, ut penetratur substantia cum suis accidentibus, forma cum suis proprietatibus, in quibus propterea neutra est tamquam in loco: ergo.

38 — Non est itera pura cū iisdem in eodem loco compenetratio.

Probatur quo ad secundam partem: Pura Christi, & specierum in eodem loco coexistentia, seù compenetratio non salvat ea, quæ ratione præsentiæ sacramentalis ad species dicuntur de Christo, seù de corpore ejus, & sanguine: non salvat scilicet, quod Christus sit à speciebus inseparabilis, & ad quemcumque specierum motum moveatur: Non salvat item, quod demonstratis speciebus panis rectè dicatur *Hoc est Christi corpus*, & demonstratis speciebus vini *Hic est Christi sanguis*: ergo præsentia sacramentalis Christi ad species non est pura Christi, & specierum in eodem loco &c. Consequentia patet, antecedens probatur, quia si Angelus supponatur in eodem loco cum speciebus penetratus, non idcircò erit à speciebus inseparabilis, nec ad quemcumque specierum motum necessariò movebitur: non item demonstratis speciebus verificabitur *Hic est Angelus*, aut substantivè, *Hoc est Angelus*: ergo. Confirmatur, præsentia sacramentalis Christi ad species non est pura præsentia ejusdem ad locum specierum: atqui, si esset pura Christi, & specierum in eodem loco coexistentia, esset pura præsentia ejusdem ad locum specierum, nam præcisè per hoc, quod unum habeat præsentiam ad locum alterius, existit in loco alterius, seù in loco, in quo existit alterum, quod est formaliter unum, & alterum in eodem loco coexistere, seù compenetrari, ergo præsentia sacramentalis Christi ad species non est pura Christi, & specierum in eodem loco coexistentia: Major probatur, quoties species moventur, & alio transferuntur, mutatur præsentia Christi ad locum specierum, quia habetur præsentia ad locum diversum, & tamen non mutatur præsentia Christi ad species, quia secus mutaretur saltem inadæquatè sacramentum, ergo hæc posterior præsentia non est præcisè illa prior.

39 — Punctus jam difficultatis, & dissidii est in assignando illud, quod suprà localem coexistentiam, ac intimam penetrationem addit sacramentalis ad species præsentia, utrùm sit aliquid purè extrinsecum, putà denominatio relicta ex præterita actione transsubstantiativâ? Utrùm aliquid solum negativum, puta carentia substantiarum panis, & vini? An aliquid positivum, & Christo, aut speciebus intrinsecum? Neque hic ero solicitus, accuratiùs referendi varios dicendi, & opinandi modos, qui valdè pendent ex variis sententiis philosophicis circà ubicationem, unionem, actionem, ad unum enim ex his tribus reduci debet supperadditum, quod modò pro præsentiâ sacramentali in quæstione est.

Hinc Scotus cum suis, sicut universaliter docet præsentiam in loco, seù ubicationem esse relationem extrinsecùs advenientem, ità pariter in relatione extrinsecus adveniente collocat præsentiam Christi ad species, quàm ad prædicamentum Ubi reducit, & quia relatio spectans ad prædicamentum Ubi non solet inseparabiliter connectere unum cum altero, nec res locata movetur ad motum corporis ambientis, in quo est, tamquam in loco, pro inseparabilitate Christi à speciebus addit decretum Dei extrinsecum. Ità ex suo subtili Doctore *in 4. dist. 10. quæst. 6.*, & *dist. 11. quæst. 3.* deducunt Lauræa *hic disp. 21. art. 3.* Mastrius *disp. 3. quæst. 10. art. 1.* Herinex *disp. 3. quæst. 5.*, & plures alii Scotistæ.

40 — Reliqui magis communiter inseparabilitatem Christi à speciebus, & rationem, ob quam istis demonstratis rectè dicatur, Hoc est Christi corpus: Hic est Christi sanguis, refundunt in specialem unionem physicam inter Christum, & species, quam unionem aliqui ponunt formalem, aliqui effectivam: Stat pro unione formali, & pro eâ plures, tum Thomistas tùm Recentiores refert, Amicus *disp. 19 sec. 9.* Stant pro unione effectivâ Suarez *disp. 47. sec. 3. §. Dico secundò*, Lugus *disp. 6. sec. 2.*, aliique nonnulli, & signanter apud Suarium Claudius Sainctes, Palacios, & Gulielmus Parisiensis. Hujusmodi porrò unio, sivè formalis sivè effectiva asseratur, cēsenda est esse tertia entitas adæquatè distincta à Christo, & speciebus, vel solum Christi, & specierum complexum, pro ut generatim reliquæ, sivè actiones, sivè uniones in entitatibus, vel modalibus vel complexis collocantur, & tùm ex hoc capite, tùm ex eo, quod in proposito præsen-

tia

tia ad species sæpè confundatur cum præsentiâ ad locum, mihi videor invenire apud Auctores magnam in hoc puncto obscuritatem, non, tamen periculosam, cum non verfetur circà dogma, & circà veritatem realis, ac substantialis existentiæ Christi in Sacramento, sed circà aliquid tali existentiæ superadditum, cujus quidem superadditi minùs constans, & minùs clara explicatio nihil detrahit de priori veritate.

41 Addit eom penetratio ni, unionem intimè effectivam, seu intimam efficient à Christi in species.

Assert. II. Præsentia Sacramentalis Christi ad species suprà coexistentiam, seu compenetrationem localem addit unionem intimè effectivam, seu unionem per efficientiam intimam, quam habet Christus, seu Christi corpus, & sanguis in species, & dici potest complexum ex Christi, seu corpore, seu sanguine effectivè sustentante, & speciebus effectivè sustentatis. Hoc assertum partim traditur à Suario, Lugo, & aliis mox ex Suario relatis, partim consequitur ad doctrinam, quâ complexa, non modos, ubicumque occasio se obtulit, propugnavimus, & ex hâc parte favet nobis Madernus *hic quæst. 3. art. 4 num* 8. quatenùs præsentiam Christi ad species expressè collocat in complexo ipsius cum speciebus, adversatur verò ex aliâ parte, quatenùs non vult tale complexum esse per intimam efficientiam, nec explicat, quid addat suprà complexum puræ compenetrationis, imò tandem *num.* 55. id resolvit in modum ineffabilē, & licèt hæc resolutio videatur esse ex mente D. Thomę *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad* 1. dicentis, quod *speciebus corpus Christi divinitati unitum modo ineffabili conjungitur*: Nihilominùs S. Doctor censendus est vocare modum ineffabilem eâ ratione, quâ vocari solet ineffabilis Deus, ineffabilis Trinitas, ineffabilis unio hypostatica, eo quod non habeamus conceptus, aut voces, quibus possimus talia supernaturalia mysteria, ut sunt in se, clarè comprehendere, aut exprimere, non quod sint ineffabilia simpliciter, nec sit in ipsis pro tenuitate nostrâ fandis, & explicandis laborandum per fidei principia, ratiocinia & congruentias; Nec quidquam ampliùs circà sacramentalem Christi præsentiam contendimus in asserto: Pro quo

42 Adverto, quamlibet substantiam contineri sub propriis accidentibus, istis motis moveri, iisdemque designatis pronomine demonstrativo rectè designari, quià propria accidentia sustentat, & causat materialiter, sustentatio enim, & causalitas materialis ex genere suo postulat quamdam intimam conjunctionem, & indissolubilem nexum, eo quod sit causalitas causæ intrinsecæ, & quâ talis requirat, quod sustentans sustentato, & sustentatum sustentanti intrinsecum, ac intimum sit. Adverto insuper accidentia eucharistica, utpotè quæ proprio subjecto carent, & corpori Christi tamquàm subjecto non inhærent, indigere aliquo alio sustentante, & terminante ipsorum inhærentiam, quod ex regulâ generali non multiplicandi sine necessitate entitates nequit aliter benè præstari, quàm in genere efficientis, à Deo, vel immediatè, quod minus connaturale; vel, quod connaturalius, mediante aliquâ entitate creatâ, & hæc non potest alia meliùs assignari, quam ipsum Christi corpus, quod sicuti, ut ex vi transsubstantiationis positum succedit substantiæ panis, itâ congruentissimè ad talis substantiæ munera assumitur. Sentiendum igitur corpus Christi sub panis accidentibus, & sanguinem sub accidentibus vini esse Dei instrumentum effectivè supplens causalitatem materialem, & in genere efficientis sustentans, ac terminans inhærentiam accidentium propriis substantiis, propriisque subjectis carentium; quin etiam quò ad reliqua se habere idem corpus præcisis imperfectionibus, ut se habebat substantia panis, & quia hæc præter sustentationem, & consequenter ad ipsam habebat ad accidentia formalem unionem, & conjunctionem indissolubilem, sentiendum est corpus habere simul cum efficientiâ sustentativâ non quidem formalem ad accidentia unionem, benè verò indissolubilem conjunctionem, cum illa, non ista dicat imperfectionem reperibilem in solâ causâ materiali propriè tali. Posito hoc ratiocinio

43

44 Probatur, & explicatur assertum: Corpus Christi verè habet intimam efficientiam sustentativam accidentium panis (idem intelligito de sanguine respectu accidentium vini,) & ratione talis efficientiæ rectè de Christo dicuntur ea, quæ ad præsentiam sacramentalem pertinent, & non poterant de eodem ratione solius compenetrationis localis rectè dici; ergo præsentia sacramentalis Christi ad species præter compenetrationem localem addit intimam efficientiam, seu unionem intimè effectivam, quam habet Christus &c. Consequentia patet, antecedens quò ad primam partem deducitur ex ratiocinio jam posito, quòad secundam probatur, ea, quæ ad præsentiam sacramentalem pertinent, & non poterant ratione solius compenetrationis localis rectè de Christo dici, erant, quod Christi corpus moveatur motis accidentibus, hisque designatis rectè dicatur, *Hoc est Christi corpus*, atquì ista, & similia rectè dicuntur ratione intimæ efficientiæ sustentativæ, quod sic probo, ista & similia de substantiâ panis, quæ subesset propriis accidentibus, rectè dicerentur ratione sustentationis materialis propriorum accidentium, ut animadversum est, ergo ratione efficientiæ sustentativæ æquivalentis sustentationi materiali, & præstantis præcisis imperfectionibus id, quod ista præstaret, rectè dicentur de substantiâ corporis Christi, quæ sub iisdem accidentibus substantiæ panis successit. Quod deindè in asserto hujusmodi efficientiam sustentativam, seu unionem intimè effectivam appellaverimus complexum ex Christi corpore effectivè sustentante, & speciebus effectivè sustentatis, consequens est ad doctrinam alibi traditam, quâ actionē quamlibet nō in relatione, aut entitate modali, sed in complexo causæ, & effectus collocamus; cum enim

ad

ad actionem reducatur illud, quod locali compentrationi superaddit sacramentalis præsentia, debet ipsum quoque sicut actio qualibet suo modo collocari in complexo.

Dices: nulla causa efficiens ex vi suæ efficientiæ alligatur effectui, & ignis v. g. ex eo quod agat in lignum, nullam habet alligationem, ratione cujus á ligno trahatur, & ad motum ligni moveatur; ergo efficientia Christi in species nihil confert ad ejus inseparabilitatem à speciebus, & ad hoc, ut istis

45

motis moveatur. Sed contrà: ex vi suæ efficientiæ, ut sistentis præcisè in proprio genere concedo, ut supplentis, & quasi continentis causalitatem materialem nego, hâc enim ratione exigit imitari, quantum præcisis imperfectionibus potest, modum causæ materialis, & sicut ista ex vi materialis sustentationis alligatur ijs, quæ sustentat, itá & alligabitur causa efficiens ex vi efficientiæ sustentativæ, seù supplentis sustentationem materialem

Urgebis: Ex vi sustentationis materialis habetur alligatio, & indissolubilis conjunctio, quia materialis sustentatio habetur cum formali unione, ea autem, quæ sunt unita formaliter scilicet tamquàm subjectum, & forma, utique sunt sibi invicem alligata, & conjuncta insolubiliter; atqui in proposito efficientia sustentativa non habetur cum formali unione, ergo ex vi efficientię sustentativæ non habetur alligatio. Sed contra:

46

dico sustentationem materialem, etiam præcisâ unione formali, inducere alligationem, seù conjunctionem intimam ex eo, quod sit causalitas causæ intrinsecæ, quod est idem, ac dicere, causæ intimæ, ac conjunctæ, in proposito igitur sustentatio materialis, quamvis in effectivam quodammodo transeat sine formali unione, non propterea debet transire sine alligatione, & intimâ, ac indissolubili conjunctione, ideò &c.

Dices aliter: Efficientia sustentativa corporis in species, si datur, non pertinet ad constitutionem præsentiæ sacramentalis; ergo non est id, quod præsentia sacramentalis addit coexistentiæ, seù compenetrationi locali: Probatur antecedens primò, quia præsentia sacramentalis est de intrinsecâ ratione Sacramenti, at hujusmodi efficientia sustentativa non est de intrinsecâ ratione sacramenti, esset enim idem Sacramentum, si species sustentarentur, aut per modum substantialem superadditum, aut per efficientiam immediatam Dei: Secundò, quia præsentia sacramentalis causatur à verbis, nam ex vi verborum fit Christus sacramentaliter præsens ad species, at hujusmodi efficientia sustentativa non causatur à verbis, alioqui esset efficientia verborum, non efficientia corporis Christi, ergo. Sed contrà:

47

Nego antecedens, ad cujus primam probationem dico præsentiam sacramentalem sumptam formaliter, & secundum id, quod superaddit corpori, quod præsens denominatur, esse de intrinsecâ ratione sacramenti ut quo, non ut quod, ut vinculum, & nexum constitutivorum non ut constitutivū; si igitur species sustentarentur, aut per modum substantialem, aut per efficientiam immediatam Dei, esset idem sacramentum simpliciter, & quantum ad extrema constituentia, esset tamen diversum secundum quid, & quantum ad id quo, seù vinculum, & nexum talium extremorum; non est autem ullum inconveniens non fore idem secundum quid, & quantum ad id quo Sacramentum, si species sustentarentur aliter, quàm per efficientiam corporis. Ad secundam probationem dici potest, non esse necesse præsentiam sacramentalem causari à verbis secundum illud totum, quod importat, sed sufficere, quod causetur secundum realem existentiam Christi sub speciebus, nihilominùs datâ absolutè majore, & nego minorem, & dico efficientiam sustentativam esse sub diversâ ratione, tùm efficientiam corporis Christi, tùm efficientiam verborum; est efficientia corporis tamquam actio ipsius in species, & efficientia verborū tamquam ipsorum effectus, quatenus ex efficaci i verborum movetur Deus ad dandam corpori Christi talem efficientiam, seù ad elevandum ipsum, ut species effectivè sustentet.

Efficientia corporis in species est actio corporis, & effectus verborum.

48

Assert. 3. Præsentia sacramentalis Christi ad species consistit formaliter in duplici complexo, altero localis compenetrationis, altero effectivæ sustentationis: Hoc assertum adeò expressè consequitur ad duo præcedentia, ut majori non egeat, aut probatione, aut explicatione.

Ex his habetur præsentiam sacramentalem Christi ad species pertinere partim ad prædicamentum Ubi, partim ad prædicamentum actionis; pertinet ad prædicamentum Ubi, quatenus importat penetrationem localem cum speciebus, seù coexistentiam in eodem loco; pertinet ad prædicamentum actionis, quatenus importat efficientiam in species, quia tamen hujusmodi efficientia non habet communem aliarum modum, sed æquivalet causalitati, & sustentationi materiali, pertinet ad prædicamentum actionis reductivè dumtaxat, & indirectè, propatereaque melius dicitur unio, seù sustentatio effectiva, quàm simpliciter actio, & efficientia.

Præsentia Sacramentalis Christi ad species reducitur partim ad Ubi, partim ad actionem.

---

§. IV.

Utrùm Christus præter præsentiam ad species verè habeat præsentiam aliam ad locum specierum: Et quid ista sit?

49

Assert. I. Christus existens in Sacramento præter præsentiam ad species verè habet præsentiam aliam ad locum specierum, & est per se, ac propriè in loco, seù in spatio, in quo sunt species. Assertum hoc antiquiores Scholastici obscurius tractant, ex Recentioribus tradunt ipsum satis

Præter hanc præsentiam habet Christus præsentiam aliam ad locum specierum.

clarè Suarez *disp.47.sect.2.* Lugus *disp.5.sec.7.* & *disp.6.sec.3.* in fine, Mastrius *disp.2. quæst.10. art.1.* Lauræa *disp.21. art.14.*, & aliqui alii existimantes se sentire cum Scoto, Gabriele, Ochamo, & majori parte antiquorum Scholasticorum. Adversatur verò ex professo, & valdè expresse, ac prolixè Vasquez *disp.* 190. docens Christum sacramentaliter existentem non esse in loco ullo ratione sui, sed solum ratione specierum, seù esse in loco præcisè per præsentiam ad species, non per specialem præsentiam ad locum; doctrinamque hanc, & sententiam ibi *cap 3. nu.16.* tribuit D. Thomæ, Richardo, Capreolo, Paludano, aliisque ex Scholâ thomisticâ, & deducit ex universali principio, quo 1 *par. disp.* 195. *cap.3.* docuerat res spirituales, vel spirituali modo existentes non habere ex se ordinem ullum distantiæ à punctis fixis, nec esse in loco, nisi per conjunctionem cum corpore, ut meminimus, & retulimus in tractatu de Angelis *lib.2. cap.5. §.2. num 16.*

50 Probatur: Christus existens in Sacramento nō solum habet esse sub speciebus, verum etiam habet esse hic, vel illic, ubi sunt species, ergo præter præsentiam ad species verè habet præsentiam aliam ad locum specierum, & est per se, ac propriè in loco, seù in spatio, in quo sunt species; & si nomine loci intelligas locum positivum, continetur eâdem, quâ species, corporis ambientis superficie, si intelligas spatium imaginarium, coexistit eidem, cui species inanitati, ac capacitati, & sub utrâque ratione habet eamdem, quàm species, distantiæ, vel propinquitatis habitudinem ad puncta fixa mundi: Antecedens probatur primò, quia Christus sacramentaliter existens juxtà communem existimationem, & sensum censetur esse in altari, vel alibi, prout in altari, vel alibi sunt species: Secundò, quia Christus in Sacramento est intimè penetratus cum speciebus, ex duobus autem intimè penetratis, ubi est unum, illic est, & alterum: Tertiò, quia substantia panis est hic, vel illic, ubi sunt ipsius accidentia, atqui Christus in Sacramento succedit substantiæ panis, ergo est hic, vel illic, ubi esset panis substantia, & ubi sunt panis accidentia, seù species. Confirmatur ex eo, quod Tridentinum *sess. 13. cap. 1.* ait non pugnare, *ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in Cælis assideat juxtà modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit*; Quomodo autem est multis aliis in locis sacramentaliter præsens, si ut sacramentaliter existens in loco non est?

51 Dices primò Christum esse hic, vel illic, ubi sunt species, item esse in multis locis sacramentaliter, ratione specierum non ratione sui, & per præsentiam præcisè, quam habet ad species, non per præsentiam aliam, quam habeat ad locum, seù loca specierū, imò hanc præsentiam, quatenus existit sacramentaliter, nullatenùs habere posse, quia quatenus existit sacramentaliter, existet modo spirituali, & quamvis habeat quantitatem, non habet extensionem, nec subest externæ quantitatis mensuræ, à quâ sumi possit ratio distantiæ, & propinquitatis omninò requisita ad hoc, ut aliquid dicatur esse in loco ratione sui, & per præsentiam propriam. Confirmatur ex eo, quod D. Thomas *hic quæst. 76. art. 5. in c.* ait *Corpus Christi non est in hoc Sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ* (& posteà) *Sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ità nec substantia corporis Christi* (ac tandem) *Undè nullo modo corpus Christi est in hoc Sacramento localiter*: Quomodò autem habet Christus in Sacramento præsentiam propriam ad locum, si in loco, & localiter non est?

52 Sed contrà: Ponere Christum in loco solùm ratione specierum, & per præsentiam, quam habet ad species, est ipsum ponere in loco valdè impropriè, & per denominationem extrinsecam à speciebus, adeoque est ad sensum valdè improprium deducere, tùm communem existimationem, tùm auctoritatem ex Tridentino adductam: Deindè hâc ratione Christus sacramentaliter existens videretur poni in loco circumscriptivè, quia poneretur in loco per præsentiam specierum, quæ circumscriptiva est. Fundamentum, quo Christo sacramentaliter existenti negatur propria ad locum præsentia etiam tamquam impossibilis, falso nititur supposito, falsum scilicet est, rationem distantiæ, & propinquitatis haberi à solâ quantitate, nisi sermo sit de distantiâ, & propinquitate sensibili, falsum item est rem spiritualem, aut spirituali modo existentem non posse esse per se, & propriè in loco, ideò &c. Ad confirmationem dico, corpus Christi in sacramento comparari posse, vel ad species, vel ad locum specierum, ut est in sacramento comparatum ad species, seù ut est in speciebus, non est localiter, non est sicut in loco, secus ut est in sacramento comparatum ad locum specierum, seù ut est in loco, in quo sunt species: Porrò S. Doctor in verbis relatis loquitur de Christi corpore sub priore comparatione, ideò &c.

Urgebis: Idem S. Doctor *in 4. dist. 10. quæst.1. art.3. quæstiunc.1 ad 1.* ait, *quod corpus Christi in loco, quem species transmutant, non est per se, neque sicut in loco proprio, neque sicut in loco communi*: atqui locus, quem species trasmutant, est locus specierum, ergo ex mente S. Doctoris corpus Christi, neque comparativè ad locum specierum est in sacramento sicut in loco propriè, & per se. Imò *præcit. art. 5.* probatur corpus Christi non esse in sacramento, sicut in loco, quia non est secundum commensurationem suæ quantitatis dimensivæ ad quantitatem dimensivam loci, ergo etiam ex contextu ejusdem articuli quinti infertur S. Doctorem loqui de corpore comparativè etiam ad locum, non præcisè ad species; dum negat ipsum esse in sacramento, sicut in loco.

53 Sed contrà: Esse in loco secundum commensurationem quantitatis dimensivæ est esse in loco circumscriptivè, & modo corporibus

poribus

poribus connaturali, & hâc ratione, neque etiam comparative ad locum specierum corpus Christi est in Sacramento, sicut in loco; Quatenus igitur S. Doctor intendit corpus Christi sacramentaliter existens non esse sicut in loco per commensurationem quantitatis, verè intelligitur etiam comparativè ad locũ specierũ, at eo *art.5.* aliquid amplius intendit, intendit scilicet esse per modum substantiæ sub suis dimensionibus, nullatenus sicut in loco, & juxtà hoc intentum dixi ipsum debere intelligi de corpore in comparatione non ad locum specierum, sed ad species: Porrò verba alia anteecedenter adducta intelligito de esse in loco per præsentiam circumscriptivam, & modo corporibus connaturali.

54 Dices secundò: Christi corpus, neque definitivè, neque circumscriptivè est in loco specierum, ergo non est in loco specierum propriè, ac per se, & per præsentiam aliam ab eâ, quam habet ad species; consequentia patet, quia non est alius modus essendi in loco propriè, ac per se, nam si pro alio modo assignes modum essendi in loco sacramentaliter, iste modus erit inauditus Philosophis, & prætereà reducetur ad modum essendi in loco impropriè, & per aliud, quid enim aliud erit, quàm esse in loco ratione specierum sacramentalium, & per præsentiam ad ipsas? Antecedens probatur auctoritate, & ratione, seù explicatione D. Thomæ *præcit. art. 5. ad* 1. dicentis, Corpus Christi non est in hoc sacramento definitivè, quia sic non esset alibi, quàm in hoc altari, ubi conficitur hoc sacramentum: Similiter non est circumscriptivè, quia non est ibi secundùm commensurationem propriæ quantitatis.

55 Sed contrà: Corpus Christi sacramentaliter existens non esse in loco specierum circumscriptivè perspicuum est, & communi Scholasticorum consensu receptum: utrùm definitivè? non caret dissidio, quod tamen ferè totum est de modo loquendi, & explicandi, quid veniat nomine præsentiæ definitivæ? ut observant Suarez *disp.48. sec.3. §. Ultimò ex dictis.* Lugus *disp.5. sec.7. num.* 183. Arriaga *disp.33. sec.2. nu.* 24. Herinex *disp.3. sec.5. num.* 58., & Lauræa *disp.21. art.14. num.* 339. Cum enim ex vi nominis per præsentiam definitivam locatum definiatur, ac quasi finiatur à loco, adeò ut non excedat terminos illius loci, in quo definitivè, & quod definitivè est hic, non sit simul alibi; juxta nonnullos sufficit, hoc verificari per unam, eamdemque præsentiam, quâ ratione etiam corpus Christi est definitivè, quia per præsentiam, quâ est in hoc altari, vel in loco hujus hostiæ extrà, & alibi non est: Juxta alios debet id verificari absolutè, adeò ut quod est definitivè in aliquo loco, neque etiam per aliam præsentiam extrà terminos talis loci, aut alibi sit, & hâc ratione corpus Christi sacramentaliter existens non est in loco definitivè: Quidquid sit de hoc dissidio

Varius modus explicandi præsentiam definitivam.

56 Adverto rationem potissimam præsentiæ definitivæ, & maximè distinctivam ipsius à circumscriptivâ esse, quod illa constituat in loco indivisibiliter, & modo inextenso, circumscriptiva divisibiliter, & per extensionem, commensurationemque partium ad partes loci; & fortè per illam locatum dicitur esse hic, & non alibi, quia non est secundùm unam partem hic, secundùm aliam alibi, vel secundùm unam partem in unâ, secundùm aliam in aliâ parte loci, ut est per præsentiam circumscriptivam: Hinc ad instantiam dico, præsentiam Christi, seù corporis ejus comparatam ad locum specierum esse saltem reductivè definitivam, & à quæstione de nomine dependere, utrùm etiam directè, & in toto rigore reductiva dici possit, nec ne? Ratio est, quià illud, quod potissimum, ac primarium est in præsentiâ definitivâ, convenit omninò præsentiæ corporis Christi ad locum specierum; Utrùm verò huic conveniat etiam quidquid in præsentiâ definitivâ secundarium est, ac minùs præcipuum, & tamquam conditio, vel aliter ad ipsam requisitum? pendet à diverso modo explicandi omnem conditionem, omnemque rationem secundariam præsentiæ definitivæ nomine significatam, ut jam præmissum est. Cæterùm quod ad rem pertinet, est, Christi corpus in loco specierum existere propriè, & per se, indivisibiliter, & inextense, cum capacitate ad quemcumque locum majorem, & majorem, prout potest quæcumque major, & major quantitas consecrari, cum impossibilitate plurium, & plurium simul præsentiarum, pro ut possunt dari plura, & plura simul sacramenta; & dummodò in hoc circâ præsentiam corporis Christi conveniatur, parùm intererit, quod appelletur definitiva, vel simpliciter, vel reductivè, vel cum addito definitiva illimitata, definitiva altioris ordinis, vel proprio, & peculiari nomine sacramentalis.

Quænam sit potissima talis præsentiæ ratio?

Definitiva est saltem reductivè præsentia corporis Christi ad locum specierum.

57 Assert. II. Præsentia sacramentalis Christi ad locum specierum consistit formaliter in complexo ipsius Christi, & loci, in quo sunt species, illius tamquàm locati, istius tamquam locantis; intelligendo nomine loci locantis, vel corpus positivum species ambiens, vel capacitatem, seù inanitatem per species repletam, pro ut Christi præsentia comparatur ad locum specierum, vel positivum vel imaginarium. Itâ ferè in terminis Madernus *quæst. 2. art. 4. num.* 8. idemque sentire censendi sunt alii complexorum propugnatores, & licèt plures adversentur, non adversantur tamen ex aliquo principio theologico, aut hujus quæstionis proprio, sed ex eo, quod universim aliter, quàm per complexum explicent præsentiam localem, undè non est, cur eos in præsenti sigillatim referamus, aut refellamus:

Et consistit formaliter in complexo talis loci, ut locantis, & Christi, ut locati.

58 Et suppositâ universali doctrinâ, quâ præsentiam, seù formalem constitutionem rerum etiam spiritualium in loco explicandam censuimus, nec per relationem, nec per modum, nec per aliam simplicem entitatem superadditam, sed per complexum entitatis locatæ cum loco; suppositâ inquam hujusmodi

doctrinâ, & quod, ut præassertum est, Christus sit propriè, ac per se in loco specierum, habetur ex primo capite major, ex secundo minor propositio pro sylogismo propositionem mox assertam concludente sic: Omnis præsentia localis consistit formaliter in complexo rei locatæ, & loci, ad quem est præsentia; sed præsentia sacramentalis Christi ad locum, in quo sunt species est præsentia localis; ergo consistit formaliter in complexo ipsius Christi, & loci, in quo sunt species: Neque majori pro nunc indiges probatione, præsertim si recolas ea, quæ de constitutione Angelorum in loco dicebamus in proprio ipsorum tractatu *lib. 2. cap. 5. §. 4.*; est enim præsentia localis Christi in sacramento præsentiæ locali Angelicæ valdè similis, ut constat ex eo, quod mox ostensum est ad definitivam reduci, & constabit ampliùs ex sequentibus

---

§. V.

Utrùm Christus, tùm relatè ad species, tùm relatè ad locum specierum sit totus in toto, & totus in singulis partibus?

59

ASSERT. I. Divisâ post consecrationem aliquâ specie in plures partes Christus est totus in his singulis æquè, ac anteà esset totus in totâ specie indivisâ: Conveniunt in hoc asserto omnes Scholastici tamquàm in fidei veritate definitâ à Conciliis Florentino, & Tridentino.

Dixi, *Divisâ post consecrationem*, quia possunt etiam species dividi antè consecrationem, & partes actu divisæ, vel singulæ seorsim singulis formis, vel omnes simul unâ formâ consecrari, quo utroque modo poneretur, & esset sub singulis partibus totus Christus, & licèt hoc quoque certum, ac de fide sit, quia tamen non est sensus, in quo præmemorata Concilia rem definiunt, placuit assertum limitare ad partes divisas post consecrationem, cum etiam solum à partibus divisis post consecrationem habeatur efficax argumentum ad partes cujuslibet speciei continuas, & indivisas, de quibus potissimum procedit præfixus titulus.

Dixi *æquè, ac anteà esset totus in totâ specie*, ut abstraham pro nunc à definiendo, quid sit, Christum esse totum in sacramento? Utrùm in isto, seù in specie sacramentali habeat ea omnia, quæ habet in specie propriâ; & quomodò, ac quænam ex iis habeat, seù importet formaliter, quænam concomitanter? de quibus infrà *cap. 7. §. 11., & 12.*

60

In singulis partib⁹ alicujus speciei post consecrationem divisæ Christus est totus æquè, ac in tota specie.

Probatur assertum ex facto Christi Domini, qui *Luc. 22.* calicem consecratum dedit discipulis dicens, *Accipite, & dividite inter vos*; sumpserunt igitur discipuli calicem post consecrationem divisum, & tamen singuli sumpserunt Christi sanguinem, & totum Christum, æquè, ac si singuli totum calicem sumpsissent: De pane non est quidem certum, utrùm Christus diviserit ipsum ac fregerit post, an antè consecrationem? est tamen Ecclesiæ mos, quod Sacerdos hostiam consecratam frangat, antequam sumat; quin & ad communicandos fideles solet aliquando hostia frangi: Nec certè, qui aut hostiam fractam, aut hostiæ fragmentum sumit, censetur minùs sumere, quàm qui sumit hostiam integram: Hinc veritatem hanc expressè definiit, tùm Concilium Florentinum in Decreto Eugenii. §. *Tertium est*, tùm Tridentinum *sess. 13. can. 3.* anathematizans eum, qui negaverit *sub unâquoque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri*: Eamdemque omnes solemniter profitemur, dum in Missâ diei festi augustissimi sacramenti canimus *tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur*; & ejusdem tandem etiam in antiquâ lege typum præbuit symbolum Eucharistiæ, manna, de quo *Exod. 16.* dicitur: *Nec qui plus collegerat habuit ampliùs, nec qui minus paraverat, reperit minus*, quin, & de semine coriandri, cui manna assimilabatur Lugus *disp. 8. sec. 3. n. 40.* refert ex Philone, quòd quàmvis in minutas partes divisum seminetur, tantumdem excrescit de quâlibet particulâ, quantum de integro grano. Habemus igitur in rebus naturalibus vestigium, in antiquâ lege figuram, in novâ expressam fidem assertæ veritatis, cujus insuper si rationem aliquam desideres, hanc suppeditabit, quod mox *nu. 69.* dicetur pro sequenti asserto, pro quo interim.

61

Adverto Altissiodorensem *lib. 4. Summa tract. 5. cap. 4.* dixisse sub totâ quantitate panis, & vini esse Christum, ita ut sub nullâ parte per se sit, cum tamen dividitur quantitas, tunc esse totum, ac integrum Christū sub quâlibet parte per se, & Albertum *in 4. dist. 13. art. 11.* hoc idem planè supponere, & pro ratione afferre, quod ante divisionem Christus est sub totâ quantitate specierum per modum unius cibi, & ideò semel tantum, post divisionem significatur ut plures cibi, & ideò est sub illâ quantitate pluries, prout factæ sunt plures ex illius divisione partes: Isto loquendi modo isti duo Auctores suspicionem fecerunt se sensisse Christum esse totum in singulis cujuslibet speciei partibus solùm divisis, & separatis, non sic in iisdem continuis, & conjunctis, sed in istis esse per propriarum partium correspondentiam, ac quasi commensurationem, adeò ut corpus Christi sit secundum se totum in totâ hostiâ, secundum sui medietatem in illius medietate, secundum tertiam partem in tertiâ parte &c. undè illis absolutè hanc sententiam nonnulli tribuunt, nihilominus à tàm palmari falsitate eosdem absolvunt reliqui magis communiter, & præcipuè Vasquez *disp. 188. cap. 2.* & verè sententia, seù sensus Altissiodorensis, & Alberti videtur esse, non quod simpliciter Christus non sit totus in singulis partibus continuis, sed quod non sit in ipsis totus

eodem

eodem modo, quo eſt in iiſdem diviſis, non ſcilicet tamquam in diſtinctis numero ſacramentis, non per plures totales præſentias, non cum independentiâ exiſtentiæ in unâ parte ab exiſtentiâ in alterâ: Sed quidquid re ipſâ duo præmemorati Auctores, aut ſi qui alii pro eâ ſententiâ referuntur, ſenſerint, ſit

62 *Eſt in iiſdem ſingulis partibus totus manente ſpecie indiviſa.*

Aſſert. II. Manente indiviſâ aliquâ ſpecie conſecratâ Chriſtus exiſtit totus in illis ſingulis partibus conjunctis, & continuis, in quibus exiſteret totus, ſi, ſpecie poſt conſecrationem diviſâ, eſſent disjunctæ, & ſeparatæ. Hanc limitationem *in quibus* &c. appono, ut abſtraham pro nunc ab opinione docente partes quaſdam minimas, & modiciſſimas, quæ Chriſtum non continent, ſi ſint ſeparatæ, neque ipſum continere, quando ſunt conjunctæ; de quâ opinione ſeremus judicium *ſeq. num.* 72. Interim veritas hic aſſerta, ut jacet, eſt aut de fide, aut fidei proxima, & ſententia oppoſita ab aliquibus attributa Altiſiodorenſi, & Alberto, fortè nec iſtorum *ex num.* 61. nec ullius alterius Doctoris hucuſque fuit. Eſt, inquam, veritas, aut de fide, aut fidei proxima: nam eſſe de fide affirmant Palatios *in* 4. *diſt.* 10. *diſp.* 1. Ledeſma *hic quæſt.* 17. *art.* 3. *dub.* 4. Arriaga *diſp.* 33. *ſec.* 3. *num.* 19. Sotus, & aliqui alii: Negant verò Suarez *diſp.* 51. *ſec* 2. §. *Sed quæres*, Vaſquez *diſp.* 188. *cap.* 3. *num.* 17. Amicus *diſp.* 19. *ſec.* 7. *num* 130. Madernus *quæſt.* 4. *art.* 2. *num.* 4. Nugnez *quæſt.* 76. *art.* 3., & reliqui magis communiter: Utriuſque partis Auctores pro ſe afferunt Tridentinum, priores quidem *ſeſſ* 13. *cap.* 3. ubi Concilium docet Chriſtum exiſtere totum, & integrum ſub quâvis ſpeciei parte; poſteriores *ead. ſeſſ. can.* 3. ubi Tridentinum in formali, & expreſſâ fidei definitione apponit illam particulam, ſeparatione factâ, quod & Florentinum præſtitit: Priores deindè poſterioribus concedunt veritatem, de quâ agitur, non eſſe adeò expreſsè definitam, ut illam de partibus ſeparatis, & viciſſim concedunt poſteriores prioribus eamdem veritatem, quam ipſi putant non definitam tamquàm de fide, eſſe certiſſimam, ex fidei principiis optimè deduci, nec poſſe negari ſine errore, ſicque reliquum diſſidii, quod ſupereſt, modici momenti eſt, proptereà placuit illud ſub Judice relinquere, & veritatem nunc aſſertam indefinitè, ac disjunctivè appellare, aut de fide, aut fidei proximam.

63 *Triplex modus opinandi oppoſitum.*

Probatur jam, & explicatur aſſertum. Tripliciter fieri, aut excogitari poteſt corpus Chriſti non exiſtere totum in ſingulis partibus continuis hoſtiæ conſecratæ, in quibus alioqui totum exiſteret, ſi ſepararentur: Primò, quatenùs tale corpus ſit totum in totâ hoſtiâ, & pars in parte, adeò ut in unâ extremâ parte hoſtiæ ſit v.g. ſecundùm pedes, in aliâ ſecundùm caput: Secundò, quatenùs ſit totum in totâ hoſtiâ, & nullatenùs actu in aliquâ parte, ſed ſolùm potentiâ eo, quod poſſit totum in quâlibet parte eſſe, ſicut poteſt quælibet pars ab aliis ſeparari: Tertiò, quatenùs habeat in totâ hoſtia unicam præſentiam, per quam ſit in ipſâ totum ſemel, non pluries juxtà partium pluralitatem, etſi alioqui non exiſtat modo quantitativo, eo quod in ſingulis partibus, in quibus non habet totam præſentiam, habeat totam entitatem: Tertius hic modus eo ipſo, quod admittit in ſingulis partibus totam Chriſti, ſeù corporis ejus entitatem, admittit id, quod nunc maximè intendimus, & quantùm ad reliqua nonnihil dicetur infrà *num.* 79., & 80. Primus, & ſecundus modus nequeunt ſuſtineri, & aut hæreſim, aut errorem continent, ut ſtatim probabitur; nec eſt aſſignabilis alius modus, ut conſideranti patet; ergo à primo ad ultimum dici nequit Chriſtum, ſeù corpus ejus non exiſtere totum in ſingulis partibus continuis &c., ac per conſequens manente indiviſâ ſpecie conſecratâ Chriſtus exiſtit totus &c. In toto hoc ratiocinio nihil probandum ſupererit, poſtquàm impugnati fuerint duo priores opinionis oppoſitæ modi in ipſo aſſignati.

64 *Chriſti corpus non commenſuratur partibus materiæ conſecratæ.*

Impugnatur autem primus modus, quia vi ipſius corpus Chriſti eſſet in hoſtiâ modo quantitativo, & per commenſurationem ſuarum partium ad partes hoſtiæ, ut igitur eſſet totum in materiâ conſecratâ, deberet hæc ſemper conſecrari tantæ magnitudinis, & extenſionis, quantæ eſt corpus humanum; alioqui conſecrando materiam majorem, Chriſti corpus, vel non eſſet in ipſâ totâ, vel dilataretur, & creſceret ultrà propriam connaturalem menſuram; conſecrando materiam minorem, eſſet partim in ipſâ, partim extrà, & circà ipſam: Aut certè in primo caſu ſaltem quò ad aliquas partes replicaretur, in ſecundo quòad aliquas penetraretur; ſicque receditur à modo quantitativo, & ſi ponitur in ſacramento corpus replicatum, ac penetratum quoad aliquas partes, non eſt, cur non ponatur quòad omnes, quâ ratione ponitur totum in ſingulis partibus ſpecierum. Deindè de facto mos eſt conſecrandi tenuem panis buccellam figuræ circularis, eſt autem imperceptibile, quod corpus humanû exiſtens modo quantitativo, ſuamque figuram ſitualem retinens ad tantam tenuitatem redigatur, & figuram circularem repleat adamuſſim, adeò ut nullam ſpheræ partem vacuam relinquat, nullâ ſui parte ſpheram egrediatur. Tandem quando materia conſecrata divideretur, niſi fieret nova ſingularum partium conſecratio, quæ re ipſâ non fit, corpus Chriſti in ſingulis partibus ſeparatis, vel nullatenùs vel ſolùm ſecundùm partem exiſteret, non totum, contrà expreſſam definitionem Conciliorum Florentini, & Tridentini, de quibus ſuprà.

65 *Nec eſt aliter diviſionem in illis ſolùm potentia.*

Impugnatur ſecundus modus primò, quia in ſingulis partibus continuis hoſtiæ, vel corpus Chriſti nullatenùs eſt actu nequidem ſecundùm aliquam ſui partem; vel eſt in illis actu ſecundùm aliquam partem ſui, quamvis in iiſdem ſit tantum potentiâ, nullatenus actu totum: Si ſecundùm, recurrit præcedens impugnatio: Si primum, quinam

fieri, aut percipi potest, ut eâ ratione, quâ aliquid est totum in totâ aliquâ re, neque sit totum neque pars in ullâ parte talis rei: Existimabis fortè aliquid hic prodesse opinionem philosophicam de partibus existentibus potentiâ tantùm, non actu, in continuo quantitativo, cujusmodi est hostia: Sed falleris, non solum, quia ea mihi opinio in phylosophiâ non placuit, sed insuper quia eâ datâ aliud est in hostiâ continuâ non esse partes actu, aliud est Christum non esse actu in illis partibus, quæ juxtà dictam opinionem, licèt non sint actu quòad distinctionem, sunt actu quò ad entitatem: Deindè doctrina, quam nunc impugnamus, non astruit Christum non esse actu in partibus hostiæ continuis, eo quod istæ in hostiâ actu non sint, sed absolutè abstrahendo à modo, quo in hostiâ sunt: Et tandem juxtà illius opinionis Auctores, ut partes sint actu, vel actu distinguantur in continuo, sufficit designatio, non requiritur divisio, & separatio; concedatur igitur Christum nullâ factâ divisione, & separatione esse actu totum in singulis partibus hostiæ saltem designatis: Vide infrà *num.* 81.

66 Impugnatur idem secundus modus secundò: Divisio, & separatio unius partis hostiæ ab alterâ nihil operatur circà corpus Christi; ergo istud existit in quâlibet parte antè divisionem, & separationem eodem modo, quo post, si igitur antè erat totum in singulis partibus solùm potentiâ, esset pariter solùm potentiâ totum in singulis post, vel è converso si post est (ut de fide est esse) totum in singulis actu, erat pariter totum in singulis actu antè divisionem: Antecedens probatur, quia sola consecratio est, quæ operatur circà corpus Christi, & existentiam, seù præsentiam ejus sub speciebus; divisio autem, & separatio unius partis ab alterâ, nec est in se consecratio, nec aut fert secum novam consecrationem, aut mutat consecrationem præcedentem. Consequentia etiàm probatur, quia quod aliquid de existente in potentiâ fiat existens actu, & de novo aquirat aliquam actualem existentiam, seù præsentiam, nequit haberi sine aliquâ circà ipsum operatione.

Dices divisionem, & separationem, quamvis nihil operetur, esse tamen conditionem, sine quâ corpus Christi non existit actu in singulis partibus, & pluries in hostia; sicuti divisio, seù fractio speculi, quamvis nihil operetur circà imaginem Petri v.g., est tamen conditio, sine quâ talis imago non repræsentatur actu in singulis speculi partibus, & pluries; patet enim experientiâ, quod speculo manente integro imago repræsentatur dumtaxat in ipso toto, & semel. Sed

67 contrà: Conditio, sine quâ aliquid non ponitur, & cum quâ ponitur, non est quidem necesse, ut circà illud operetur, debet tamen applicare, aut aliundè secum habere principium operans; at in proposito divisio hostiæ neque operatur per se, neque applicat, aut aliundè secum habet principium operans aliquid circà existentiam corporis Christi, provenit enim ista à consecratione, quam nec applicat, nec secum fert hostiæ divisio: Exemplum speculi huic doctrinæ favet, illius enim fractio secum fert novum principium repræsentandi pluries Petri imaginem, novam scilicèt reflexionem, seù reverberationem specierum visualium; Species quippè intentionales visus talis naturæ sunt, ut in qualibet parte medii habeant vim repræsentandi totum objectum, & in pluribus partibus pluries, in actu tamen secundo quo usque sunt continuæ, & in pluribus partibus continuis receptæ, habent rationem unius, & dumtaxat semel totum suum objectum repræsentant, pluries verò, quando habent rationem plurium, eo quod discontinuentur; sic repræsentant semel receptæ in unâ potentiâ, bis vel ter receptæ in duabus, vel tribus; sic proportionaliter quia speculum integrum habet rationem unius, & fractum habet rationem plurium, ex speciebus in illo receptis, & ab illo reverberatis repræsentatur, & apparet imago semel, in isto pluries: At quid hinc ad Eucharistiæ mysterium, in quo non agitur de ræpresentatione, apparentiâ, & imagine, sed de reali entitate, & propriâ existentiâ corporis Christi?

Cur imago, quæ in speculo integro apparebat unica, appareat multiplex in speculo fracto

68 Ex quo in exemplum speculi & specierum intentionalium visus incidimus, placet duo obiter advertere: Primum est, species intentionales quoad esse repræsentativum, quamvis non quò ad esse entitativum habere modum existendi affinem modo existendi Christi in Sacramento; illæ scilicèt per medium diffusæ habent totum suum esse repræsentativum in toto, & totum in quâlibet parte medii, sicut Christi corpus in Sacramento existens habet totum suum esse entitativum in totâ, & totum in quâlibet parte hostiæ. Secundum est, rationem præællatam pro multiplicatione imaginum in speculo insinuari à D. Thomâ *hic quæst.* 176. *art.* 3. *in c.* & licet eam, ut à S. Doctore insinuatur, Arriaga *præcis. sect.* 3. *num.* 22. improbet, illud tamen, quod ipse subdit, eam benè intellectam confirmat meo videri, non confutat; cæterum universim mihi displicet facilitas deteriùs intelligendi, & impugnandi iu primæ notæ Doctoribus ea, quæ benè intellecta benè propugnantur, & ex hoc capite displicet studium, quod idem Auctor *eâd. sec.* 3. impendit contrà rationes quasi à priori suadentes assertam existentiam totius Corporis in singulis partibus hostiæ etiam continuis, putans non posse eam benè probari aliundè, quam ex voluntate Christi Domini, qui sic voluerit Eucharistiæ sacramentum instituere, sic se sub speciebus collocare: Displicet, inquam, quia licèt in rigore res ità sit, nec aut modi, quo Christus in Sacramento existit, aut aliorum Mysteriorum fidei quærenda sit ratio ulla absolutè efficax, & per se demonstrativa; Nihilominus sicut fides, cujus lumen est suprà non contrà lumen naturæ, & rationis, gaudet quodammodo sibi naturam ancillari, suisque veritatibus congruentias accom-

Modus existendi specierum intentionalium habet aliquam affinitatem cum modo existendi Christi in Sacramento.

mo-

modari, & rationes accedere: itâ Theologi studia melius favebunt, & inserviunt fidei, si contendant rationes, & congruentias roborare, & sustinere magis, quàm infirmare, & refellere. In proposito igitur censeo amplectendam esse tamquàm sufficientem, & congruentissimam pro assertâ veritate rationem, quæ affertur à D. Thomâ *præcit. art.3.*, & potest formari, ac confirmari sic

69 — *Ratio quasi à priori probans existentiã totius corporis Christi in singulis partibus hostiæ.*

Corpus Christi est sub speciebus per modum substantiæ, non per modum quantitatis, eo modo scilicèt quo substantia est sub suis dimensionibus, seù sub suâ quantitate dimensivâ, non quo quantitas dimensiva alicujus corporis est sub quantitate dimensivâ loci; atqui natura substantiæ est tota sub singulis suarum dimensionum, seù suæ quantitatis dimensivæ partibus etiam continuis; ergo corpus Christi est totum sub singulis specierum, seù hostiæ partibus etiam continuis: Major suadetur congruentissimè ex eo, quod corpus Christi est sub speciebus per transubstantiationem, & ex vi verborum, quatenus verò est per transubstantiationem succedit substantiæ, non quantitati panis, & illius non istius munus supplet; quatenus est ex vi verborum ponitur per se, & formaliter secundum propriam substantiam, solùm concomitanter, & quasi per accidens secundùm propriam quantitatem; sivè igitur consideretur substantia, & quantitas panis, sivè consideretur substantia, & quantitas ipsius corporis Christi, congruentissimum est istud esse sub speciebus per modum substantiæ, non per modum quantitatis. Minor apparet aliquantulo difficilior, quia substantia materialis, de quâ solâ nunc agitur, habet juxtà communiorem

70

sententiam suas partes entitativas, dum igitur substantia ex proprio modo existendi dicitur esse tota sub singulis partibus suarum dimensionum, nomine substantiæ, vel intelligitur materialis, ac individua ipsius entitas, vel intelligitur ejusdem essentia, ac natura specifica; Si primum, male dicitur substantiam esse totam sub singulis partibus suarum dimensionum, neque enim sub dimensione palmari v. gr. est tota entitas substantiæ aeris, cum habeat aer sub qualibet dimensione diversas partes entitativas suæ substantiæ: Si secundum, tantum in substantiis homogeneis verificatur, totam substantiam esse in singulis partibus, quælibet enim pars aeris est simpliciter aer v. gr., non quælibet pars animalis est simpliciter animal, sicque sub qualibet parte suarum dimensionum est tota natura specifica substantiæ homogeneæ, ut est aer, non etherogeneæ, ut est animal: Eâ porrò ratione, quâ in substantiis homogeneis sub singulis dimensionum partibus est tota substantia, quo ad essentiam, naturamque specificam, videtur etiam sub singulis dimensionibus loci esse quoad essentiam, naturamque specificam tota quantitas dimensiva corporis locati, cum etiam quælibet pars quantitatis sit simpliciter quantitas. Non obstante hoc ratiocinio, & admissis in substantiâ materiali partibus entitativis, minor propositio, quæ ex mente D. Thomæ procedit de substantiæ naturâ, non de entitate, cum expressè naturam nominet; item de substantiâ homogeneâ non de etherogeneâ, cum exemplum ponat in substantiis panis, & aeris, quæ homogeneæ sunt.

71

Minor, inquam, propositio probatur ex eo, quia natura substantiæ homogeneæ abstrahit ab omni extensione, seù dimensione, & æquè potest subesse extensioni majori minori, ac nulli; ergo non est sub unâ extensione magis, quàm sub aliâ, sed tota sub qualibet, imò & esset tota sub nullâ, & in puncto. Ratio fundamentalis est, quia natura substantiæ materialis, ut à spirituali distinguitur, importat quidem partium distinctionem, & quod una pars non sit alia, at non extensionem, & quod una pars sit extrà aliam, ut importat, aut saltem exigit natura quantitatis, contrà cujus naturalem exigentiam est, si quantitas palmaris v. gr. ponatur sub dimensione loci semipalmaris, ideò sub qualibet dimensione loci est tota quantitas locati quoad naturam suam specificam, at non existentem modo connaturali, & cum omni actu secundo sibi debito; sicque sub qualibet dimensione propria est tota natura substantiæ completa, & modo connaturali, non sub qualibet dimensione loci est eodem modo tota natura quantitatis locatæ: Confirmatur principale argumentum, & ex eo, quod corpus Christi succedat ex vi verborum substantiæ panis, infertur, congruentissimum esse, quod existat totum sub singulis partibus specierum:

72

Enim verò ly *Hoc* ex parte verborum non magis designat unam, quam alteram partem, aut Hostiæ, aut Corporis Christi, nec designat unam corporis partem in unâ, alteram in alterâ, caput v. gr. in superiore, pedes in inferiore parte hostiæ, ergo significationi verborum congruentissimum est, totum corpus poni in singulis hostiæ partibus; est hoc pariter congruentissimum substantiæ panis, quia, cum sit homogenea, petit æqualiter converti secundùm quamlibet partem, & sic secundum quamlibet in totum corpus; nec est major ratio, cur secundum unam, seù partem in unam, quam in aliam corporis partem convertatur.

73

Superest, ut judicium feramus de opinione, quam superiore asserto memoravimus, & omisimus, quamque sustinent Alensis *par.4. quæst.* 10. *memb.*7. *art.*3. §.5. Bonaventura *in 4. dist.* 10. *par.*1. *art. un. quæst.*5. Gabriel *lect.*86. *in Canonem Missæ*, & aliqui alii ex iis, qui in rebus etiam non viventibus, & signanter in substantiis panis, & vini astruunt minima naturalia, pro quibus recolenda sunt dicta superius *cap.* 2. §.7. *num.* 152., *& seqq.* habent enim ibi dicta magnam cum mox dicendis connexionem, & hæc ex illis inferuntur; sit igitur

Assert. 3. Manente indivisa aliquâ specie consecratâ Christus existit totus etiam sub illis partibus minimis, & modicissimis, sub quibus factâ separatione non existeret, seù

non

Manente specie indivisâ Christus est totus etiam sub partibus minoribus minimo natura li, si hoc detur in materia consecrationis.

non permaneret in sententiâ tribuente substantiis panis, & vini minima naturalia. Referuntur pro hoc asserto D. Thomas, Capreolus, Durandus, Marsilius, Ægidius, & plures alii antiquiores Scholastici, non quod omnes faciant expressam mentionem partium utcumque minimarum, sed quia omnes absolutè, & indistinctè docent Christum antè materiæ consecratæ divisionem esse totum sub singulis ejus partibus: Tradunt verò assertum expressè, & in terminis Suarez *disp.* 52. *sec.* 2. §. *dicendum verò* Vasquez *disp.* 188. *cap.* 3. Amicus *disp.* 19. *sect.* 7. *num.* 133. Lugus *disp.* 8. *sec.* 3. *num.* 45. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 11. *num.* 238. Laurea *d sp.* 21. *art.* 12. *num* 269. Gonetus *disp.* 5. *art.* 2. *num.* 26. Madernus *quæst.* 4. *art.* 2. *nu.* 3., & reliqui communissimè, contrà Alensem, Bonaventuram, & Gabrielem præcitatos, contrà quos veritas hic asserta censetur habere ferè eumdem certitudinis gradum cum eâ, quam asseruimus *præced. num.* 62.

74 Probatur: In sententiâ tribuente substantiis panis, & vini minima naturalia adhuc sentiendum est, partem quamcumque modicissimam, & minorem minimo naturali existentem continuam, & conjunctam reliquis continere substantiam panis, & esse ipsam etiam solam, nisi sensibilitate careat, validè consecrabilem, quamvis factâ ipsius separatione à reliquis, nec substantiam panis retineat, nec possit validè consecrari; atqui manente indivisâ aliquâ specie consecratâ partes minimæ, ac modicissimæ sunt conjunctæ reliquis, & ex aliâ parte species retinent corpus Christi, quamdiù retinerent substantiam panis, & in eo statu, in quo sunt validè consecrabiles, possunt à fortiori manere consecratæ cum *ex præcit.* §. 7. *nu.* 153. præsentia sensibilis requisita, ut consecrentur, non requiratur, ut maneant consecratæ; ergo in sententiâ tribuente &c. sentiendum est, manente indivisâ aliquâ specie partes minimas, & modicissimas retinere corpus Christi, & manere consecratas, quamvis secùs esset, factâ separatione, ac per consequens Christum existere totum etiam sub illis partibus minimis, & modicissimis, sub quibus &c. Major, in quâ solâ potest esse aliqua difficultas, supponitur *ex præcit. num.* 153., & 154. Confirmatur: Si

75 manente indivisâ hostiâ consecratâ corpus Christi non existit totum in partibus modicissimis, & minoribus minimo naturali puta in medietatibus minimi, percurro quodammodo totam hostiam, assignando semper medietates minimi unam post aliam, & quæro utrùm in his singulis sit saltem aliqua pars, seu aliquid corporis Christi, an nihil? Si primum dicatur, sequitur corpus Christi esse in hostiâ modo quantitativo, & per partium commensurationem; Si secundum, sequitur etiam nihil corporis Christi esse in totâ hostiâ, valet enim illatio ab omnibus partibus ad totum, & imperceptibile ne dum impossibile est aliquid esse in toto, & nullatenus esse in partibus, ex quibus adæquatè componitur, ut argumentabamur etiam suprà *num.* 65.

Et hæc quidem dicta sint doctrinæ gratiâ in sententiâ tribuente substantiis panis, & vini minima naturalia, cæterùm juxta nostra principia, quibus negamus talia minima, & insuper *præcit.* §. 7. *num.* 156. probabilius censuimus corpus Christi totum remanere in partibus quibuscumq; minutissimis etiam post consecrationem separatis, illatione omninò necessariâ, & perspicuâ sequitur, existere totum in iisdem continuis, & conjunctis

76 Dices: Si corpus Christi existit totum sub partibus quibuscumque modicissimis continuis, & conjunctis, existit sub qualibet hostiâ totum infinities, & per præsentias infinitas; atqui hoc non est dicendum, ne de facto admittatur imò familiare reddatur infinitum actu, quod fortè vix potest sustineri aliquando dabile de potentiâ absolutâ; ergo pariter non est dicendum Christum existere totum sub partibus &c. Probatur sequela majoris, in qualibet hostiâ sunt tot partes modicissimæ continuæ, & conjunctæ, quot sunt in quolibet continuo partes proportionales, atqui istæ sunt infinitæ, ergo etiam illæ; ergo si corpus Christi existit totum sub illis singulis, existit in qualibet hostiâ totum infinities: Si respondeas continuum permanens non ex partibus proportionalibus divisibilibus in infinitum, sed ex punctis indivisibilibus componi; declinas, non explicas difficultatem, hancque (quod Theologo minùs dignum est) fateris insolubilem, aut saltem relinquis insolutam in sententiâ philosophicâ alioqui celebri, & valdè receptâ: Deindè Auctores componentes continuum ex indivisibilibus majori ex parte hæc astruunt in continuo quolibet infinita; ac per consequens recurrit in indivisibilibus argumentum, quod in partibus proportionalibus urgebatur. Sed contrà:

77 Christus est totus in singulis partibus proportionalibus hostiæ.

Admitto libenter, quam ex professo in physicis tradidi, divisibilitatem continui in infinitum, & partes proportionales non tot quin plures adeoque infinitas; at sicuti ex hoc non sequitur ullum infinitum cathegorematicum, & actu, aut in continuo aut in partibus proportionalibus, nec in proposito datur cathegorematica infinitas, aut in quantitate hostiæ, aut in partibus proportionalibus, quibus constat; ità ex eo, quod Christus sit totus sub singulis partibus proportionalibus hostiæ, non sequitur, quod sit sub qualibet hostiâ totus infinities cathegorematicè, & per præsentias cathegorematicè infinitas; ratio est, quia sicut partes proportionales ità, & præsentiæ illis partibus respondentes non constituunt numerum simpliciter dictum; iste enim, ut ait D. Thomas hic quæst. 76. art. 3. ad. 1. *sequitur divisionem, & ideò quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, & per consequens neque infinities, sed toties in quot partes dividitur.*

Nec propterea est in hostia infinities, aut per præsentias infinitas,

78 Urgebis: Præsentiæ corporis Christi in partibus proportionalibus hostiæ non componunt

ponunt unam totalem præsentiam, nec sunt inter se continuæ, & indivisæ, sicuti componunt unam totalem quantitatem, & sunt inter se continuæ, ac indivisæ partes proportionales quantitatis hostię; ergo ex eo, quod istæ partes, etsi alloqui infinitæ, non constituant numerum simpliciter dictum, & infinitum cathegorematicum, non benè arguitur ad præsentias corporis Christi in ipsis; imò deberet argui oppositum sic, partes proportionales non constituunt numerum, & infinitum cathegorematicum, quia continuæ sunt, ac indivisæ; ergo præsentiæ Christi sub hujusmodi partibus constituunt numerum, & infinitum cathegorematicum, quia nec continuæ sunt, nec indivisæ, sed divisæ, & contiguæ: Probatur antecedens; præsentiæ corporis Christi in partibus proportionalibus non sunt præsentiæ partiales, alioqui per ipsas non esset in singulis partibus Christus totus; ergo non componunt unam præsentiam totalem, ac per consequens etiam non sunt inter se continuæ, continuantur enim, quæ se habent ut partes integrantes aliquod totum, non quæ se habent, ut plura tota.

79

Sed contrà nego antecedens, cum enim per nos præsentia sacramentalis Christi ad species non sit nisi quoddam complexum Christi, & specierum, eo ipso quod extrema talis complexi, nimirum Christi corpus, & species, sunt in se quid continuum, ut est continuum corpus, & supponuntur pariter esse continuæ species, consequens est complexum ex ipsis per modum unius continui coalescere. Ad antecedentis probationem dico, præsentiam partialem aliam esse talem, tùm ex parte sui tùm ex parte rei, quam præsentem constituit, quatenus & ipsa in se est unita cum aliis præsentiis, & res quam præsentem constituit, est unita cum aliis rebus eidem præsentiæ non substratis: aliam esse talem solùm ex parte sui: hoc posteriore modo sunt partiales præsentiæ corporis Christi in partibus proportionalibus, hocque sufficit, ut componant unam præsentiam totalem, & non impedit, quin Christus sit sub singulis partibus proportionalibus totus, subintellige totalitate corporis, seù sui, non totalitate præsentiæ; quâ ratione anima, vel Angelus occupans totam aliquam aulam, est in hâc totâ totalitate, tùm præsentiæ tùm sui; in singulis partibus totalitate sui solum non præsentiæ: & hic obiter adverte, posse in Angelo sicuti, & in animâ rationali infringi totam præcedentem instantiam, quæ si concluderet Christum esse totum infinities, aut per præsentias infinitas in quâlibet hostiâ, posset similiter concludere esse infinities, aut per præsentias infinitas Angelum in quolibet loco, animam in quolibet corpore.

Nec item per plures præsentias simpliciter totales, sed aliquomodo partiales.

80

Hinc habetur dum Christus dicitur esse totus in totâ hostiâ, & totus in singulis partibus, id non ità esse intelligendum, ut Christus sit semel totus in totâ hostiâ, ut deindè iterùm totus in singulis partibus: in illa per unam præsentiam, in istis per præsentias alias à priore adæquatè distinctas: Non id, inquam, ità est intelligendum, ut observat Arriaga *disp. 33. sect. 3.* in fine; sed est Christus totus in totâ hostiâ, & totus in singulis partibus semel, & per unam eamdemque præsentiam, quæ quatenùs est præsentia totalis constituit Christum totum in tota hostiâ, quatenus continet plures, imò non tot quin plures præsentias modo jam explicato partiales, constituit eumdem totum in singulis partibus: Unde in rigore Christus non est in hostia, & hostiæ partibus nisi semel, sicuti non est nisi semel Angelus, vel Anima in loco, & in partibus loci, quamvis loquendo minùs rigorosè possint etiam dici esse Christus in hostiâ, Angelus vel anima in loco semel totaliter, pluries partialiter, sumitur autem ly *pluries* minùs rigorosè, pro ut latè & minùs rigorosè, quæ sunt continua, & indivisa, dici possunt constituere numerum, & pluralitatem.

81

Neque dicas, factâ divisione hostiæ in plures partes Christus est sub istis pluries, & sub singulis totaliter in toto rigore: ergo etiam antè divisionem: alioqui esset magis totus in singulis partibus hostiæ post divisionem, quàm antè, & sic antè divisionem, vel non erat simpliciter totus sub singulis, vel erat totus solùm potentiâ non actu, cujus oppositum tradebamus *praced. num. 65.* Contrà enim: Sicut post non antè divisionem partes hostiæ sunt in toto rigore plures, & singulæ quoddam totum, ità nil mirum, si post non antè divisionem Christus in rigore sit sub ipsis pluries, & sub singulis totaliter; concedo igitur antecedens nego consequentiam, & dico Christum totalitate corporis, seù entitatis non esse magis totum in singulis partibus post divisionem, quàm antè, secùs totalitate præsentiæ, & secundum hanc Christum antè divisionem non esse in singulis partibus totum simpliciter, aut etiam esse in singulis totum solùm potentiâ non actu; quod nihil aliud est quàm esse antè divisionem in singulis per præsentiam non habentem rationem totius, & divisibilem, seù in potentia ad divisionem non actu divisam à præsentia in aliis.

82

Assert. IV. Relatè ad locum specierum Christus existit totus in singulis illius partibus, sivè dissitis, & divisis sivè continuis, etiam minimis, & modicissimis, eo proportionaliter modo, quo dictum est relatè ad species. Hoc assertum præcedentia consequitur: Ideò facilè

Probatur, quia ex unâ parte Christus per nos verè existit in loco specierum spiritualiter, & indivisibiliter sicut sub speciebus, imò præsentia Christi ad species involvit præsentiam ejusdem in loco specierum per compenetrationem, & replicationem, quod est idem ac dicere, per modum spiritualem, & indivisibilem, ut suppono ex præcedentibus §. §. 3., & 4. Ex aliâ parte contra existentiam totius Christi in singulis etiam modicissimis partibus loci specierum nequit occurrere ulla alicujus momenti difficultas, quæ non æquè militet contrà existentiam ejusdem sub singulis etiam modicissimis partibus ipsarum specierum, quæque per consequens non

Christus sicut est totus sub singulis partibus specierum est pariter totus in singulis partibus loci in quo sunt species.

non ſit ex jam dictis ſufficienter ſoluta; ergo relatè ad locum ſpecierum Chriſtus exiſtit totus in ſingulis illius partibus &c.

---

§. VI.

Utrum Chriſtus, tùm relatè ad ſpecies, tùm relatè ad locum ſpecierum ſit totus etiam in ſingulis punctis, & indiviſibilibus.

83

ASSERT. I. Si dentur puncta, & indiviſibilia, adeò ut continuum ex ipſis ſolis conſtet, & in ipſa tamquàm in prima componentia reſolvatur, Chriſtus, loquendo cohærenter ad ſupradicta, ponendus eſt exiſtere totus in ſingulis punctis, & indiviſibilibus, tùm ſpecierum, tùm loci, in quo ſunt ſpecies. Hoc aſſertum, ut jacet, non videtur habere poſſe Adverſarios, & ſolâ indiget explicatione, quam ſtatim ſubijcio.

Comparatio Chriſti ad ſpecierum, aut loci indiviſibilia non habet locū in noſtris principiis.

Dixi, *ſi dentur puncta, & indiviſibilia*, nam juxtà noſtra principia philoſophica continuum, ſivè permanens, ſivè ſucceſſivum conſtat partibus proportionalibus diviſibilibus in infinitum, iiſque ſolis, nec ulla prorſus admittit indiviſibilia, undè apud nos talibus principijs hærentes titulus eſt de ſubjecto non ſupponente, & impertinenter, ac perperàm quæritur, utrùm in indiviſibilibus Chriſtus exiſtat, ſi indiviſibilia nulla ſunt: Nihilominus, quia opinio affirmans in continuo indiviſibilia, nec probabilitate, nec celebritate caret: videremur muneri noſtro deeſſe, doctrinæque parcere, niſi etiam in tali opinione præſentiàm Chriſti explicaremus, ideò id nunc præſtare intendentes pro præfixi tituli diſcuſſione indiviſibilia damus, ſeù permittimus.

84

Dixi *adeò, ut continuum ex ipſis ſolis conſtet, & in ipſa tamquàm in ultima componentia reſolvatur*, quia indiviſibilium Auctores in duplici opinione, ſeù claſſe ſunt; aliqui puncta, & indiviſibilia affirmant, non negando diviſibilitatem partium in infinitum, illaque ponunt ſolum ad iſtas, aut continuandas, aut terminandas, undè etiam ea vocant puncta continuativa, & terminativa, & in quâlibet continui diviſione ponunt aliqua puncta continuativa deſinere, aliqua terminativa de novo reſultare, & è converſo in qualibet novà continui compoſitione deſinere aliqua terminativa, reſultare aliqua continuativa. Alii affirmando in continuo puncta, & indiviſibilia, negant partes proportionales in infinitum diviſibiles, nec illa ponunt ad iſtas continuandas, aut terminandas, ſed ad per ſe componendum continuum, adeò ut dum iſtud componitur, aut dividitur, nullum punctum deſinat, nullum de novo reſultet, ſed ſolum ponatur, aut auferatur unio inter puncta, inter quæ poſſit omnis unio auferri, ſicque remanere continuum reſolutum in prima componentia, quæ nec ſint in ſe ex aliis compoſita, nec poſſint ulteriùs dividi, quod tandem eſt continuum ex ſolis indiviſibilibus primò conſtare, in ſola indiviſibilia ultimò reſolvi. Juxtà hanc de indiviſibilibus opinionem procedit præfixum aſſertum, quod (loquendo cohærenter ad ſupradicta, & ſupponendo ſubſtantias panis, & vini non habere minima naturalia) affirmat Chriſtum eſſe totum in ſingulis punctis, & indiviſibilibus, tùm ſpecierum tùm loci, in quo ſunt ſpecies; & ratio eſt facilis, quia Chriſtus exiſtit totus, ubicumque exiſteret ſubſtantia panis; atqui in opinione, & ſuppoſitione, de quâ agitur, ſubſtantia panis exiſtit in ſingulis indiviſibilibus propriæ quantitatis, & loci correſpondentis, ergo in iiſdem ſingulis exiſtit Chriſtus ſubſtantiam panis ſupplens. Confirmatur ex eo, quod ſubſtantia panis, & poſt conſecrationem ſubſtantia tota corporis Chriſti, vel in aliquo vel in nullo indiviſibili quantitatis, & loci exiſtit; ſi in aliquo, non eſt major ratio de uno, quàm de alio; ſi in nullo, ergo neque exiſtit in totâ quantitate, utpotè quæ in principiis, in quibus verſamur, ex ſolis indiviſibilibus componitur, quod autem in nullo componente eſt, nequit eſſe in compoſito. Recurrit hic etiam paritas Angeli, qui datâ compoſitione loci ex ſolis indiviſibilibus, totus in ſinguli ſui loci indiviſibilibus eſt: Neque in re, ſuppoſitis ſupponendis, facillimâ longiorem debemus moram ducere.

85

Juxtà ſententiam ponentem continuum conſtare ſolis indiviſibilibus exiſtit omninò in iſtis ſingulis totus Chriſtus.

86

Juxtà ſententiam ponentem indiviſibilia ſolum copulativa, & terminativa partium, res eſt magis controverſa.

Procedendo verò ad aliam præmemoratam de indiviſibilibus opinionem, & ratio dubitandi, & diſſenſio major eſt; Negant enim abſolutè Chriſtum exiſtere ſub indiviſibilibus ſpecierum, ſivè cōtinuativis, ſivè terminativis Richardus *in 4 diſt.*10.*art* 6 *quæ*.2. Ægidius *theorem*..*& de Euchar*. Vaſquez *diſp*. 189.*cap*.4., & aliqui alii. Affirmant verò abſolutè Suarez *diſp*.51.*ſec*.3. Arriaga *diſp*.36.*ſec*.2. Nugnus *quæſt*.76. *art*.3. Gonetus *diſp*.5. *art*.2. *num*. 28. Maſtrius *diſp*. 3. *quæſt*. 11. *num*. 240. Herinex *diſp*.3.*quæſt*.4. *n*.52 Madernus *quæſt*.4. *art*.2 *num*.9., & major cæterorum Scholaſticorum pars: Partim affirmat, partim negat Amicus *diſp*. 19. *ſec*.7.*num*.142. docens eſſe Chriſtum ſub indiviſibilibus in hoſtiâ repertis tempore conſecrationis, non in reſultantibus poſt conſecrationem ex hoſtiæ fractione, ſeù diviſione, & pro hoc dicendi modo quoſdam etiam Thomiſtas ſuppreſſo nomine memorat Gonetus *præcit. art*.2.*nu*. 44. Videtur inſuper, ſed aliâ viâ, partim affirmare, partim negare cum aliquibus aliis Scotiſtis Lauræa *diſp*. 21. *art*. 12. quatenus *num*.269. ponit Chriſti corpus, & ſanguinem tàm in partibus diviſibilibus, quàm in indiviſibilibus, & *num*. 273. ait Chriſtum non replicari præſentialiter in omnibus punctis; ſeù indiviſibilibus accidentiū, quod utrumq; poſteà concilians *num*. 278., & *ſeqq*. docet Chriſtum eſſe in punctis, & indiviſibilibus, at non præſentiâ adæquatâ, & diſtinctâ ab eâ, quam habet in partibus: Hujus modi dicendi videtur occaſionem tribuiſſe ſubtilis Doctor *in* 4. *diſt*.10. quatenùs *quæſt*.1. *in reſp*. *ad* 3. in fine videtur ponere Chriſtum præſentem etiam ad indiviſibile, & poſteà *quæſt*.9. §. *Hic*

87

Et in ea nō videtur ſatis cōſtare Scoti mens.

dicitur

dicitur. Versic. Item corpus, eumdem non ponit, nisi in minimo sensibili, quia, inquit, nulli indivisibili est præsens: Verum ex hoc posteriori loco vix potest quidquam inferri de Scoti mente, cum loquatur non definiendo in sententiâ propriâ, sed arguendo ad hominem in sententiâ aliorum, ut observant Gavatius *disp.5.qu.6.*, & Mastrius *praecit. num.*240. Undè propter hunc locum immeritò à multis refertur pro opinione absolutè negante existentiam Christi in indivisibilibus, & vel propter priorem locum afferendus est pro opinione absolutè affirmante, vel censendus aliquo medio modo sensisse, nec satis expressisse quid senserit.

88

Amplectenda tamen est pars affirmativa, & ponendus totus Christus in singulis hujusmodi indivisibilibus.

Assert. 2. Si dentur in continuo simul cum partibus proportionalibus in infinitū divisibilibus puncta, & indivisibilia partium terminativa, earumdemque copulativa, seù continuativa, Christus existit totus etiam in singulis hujusmodi punctis cujuslibet speciei consecratæ. Huic asserto, si Richardum, Ægidium, Vasquium, aliosque paucos excipias, absolutè subscribunt, aut plurimum favent omnes Auctores relati *praeced. num.*86., aliique plurimi, adeò ut Sotus *in 4. dist.49. quaest.4. art.6.* dicat non licere Theologo id negare, & mirum mihi est, quod Lugus *disp.8. sec 3. num.*51. narrat id ipsum cum aliquando Salmanticæ defenderetur, offensionem peperisse apud Doctores; fortè tamen offensionem pepererunt indivisibilia copulativa, & terminativa, quam datâ talium indivisibilium hypothesi existentia Christi in illis, undè ipsemet Lugus non audet quodammodo hoc secundum negare, sed *num.*57. mavult in datâ hypothesi nihil definire, & contentus est hypothesim ipsam absolutè inficiari.

89

Probatur assertum; Nulla est repugnantia, & maxima est convenientia existentiæ totius Christi in singulis punctis terminativis, & copulativis cujuslibet speciei consecratæ ex suppositione; quod talia puncta dentur; ergo si dentur in continuo simul cum partibus proportionalibus &c. Christus existit totus etiam in singulis &c. Probatur antecedens quoad primam partem, quia nulla est repugnantia in eo, quod Angelus existat totus in puncto terminativo, vel copulativo loci, existentia autem Christi in Sacramento est similis existentiæ Angeli in loco, & quamvis Christus non sit in se indivisibilis, sicut est indivisibilis Angelus, habet tamen modum existendi indivisibilem, & existit indivisibiliter in Sacramento, sicut Angelus in loco. Accedit, quod nulla afferri potest in hypothesi præsentis asserti repugnantia contrà existentiam totius Christi in singulis punctis terminativis, & copulativis, quæ non militet in hypothesi præcedentis asserti contrà existentiam ejusdem in singulis punctis componentibus, & constituentibus totum continuum: in istis autem certum est non repugnare Christi existentiam, alioqui repugnaret ejusdem Christi existentia in toto continuo, ut arguebamus suprà *num.* 85. Probatur idem antecedens

90

quoad secundam partem, quia perfectissimæ transubstantiationi congruentissimum est, Christum, seù Christi corpus ex vi consecrationis existere totum, ubicumque antè consecrationem existit secundum aliquid sui, sivè divisibile, sivè indivisibile substantia panis; hæc autem existit sub singulis indivisibilibus propriæ quantitatis, alioqui hujusmodi indivisibilia substantiali subiecto carerent, & substantia ipsa haberet sub quantitate existentiam quasi discontinuam, & interminatam, nisi per sua indivisibilia substantialia continuativa, & terminativa subesset indivisibilibus continuativis, & terminativis quantitatis; ergo in his iisdem indivisibilibus congruentissimum est ex vi consecrationis, & post consecrationem existere totum Christum.

Dices primò impugnando primam partem antecedentis: Christus in Sacramento non existit indivisibiliter utcumque, & modo omninò simili existentiæ rerum spiritualium, sed indivisibiliter sacramentaliter, seù modo sacramentali non omninò simili existentiæ spirituali, licet autem, quod existit indivisibiliter primo modo, possit existere in indivisibili, non sic quod existit indivisibiliter secundo modo, quia existere indivisibiliter modo sacramentali est existere indivisibiliter modo sensibili; at repugnat in indivisibili existentia modo sensibili, cum indivisibile ipsum sensibile non sit. Sed contrà: In primis hæc instantia valdè multum probat, probat scilicet Christum, neque etiam posse sacramentaliter existere in indivisibilibus per se constitutivis continui, si dentur, & Auctoribus ista indivisibilia astruentibus intercludit omnem viam sustinendi realem existentiam Christi sub speciebus sacramentalibus: Deindè ad instantiam directè, peto Utrùm ly modo sensibili appellet solam sensibilitatem proximam, an etiam remotam, & purè intrinsecam? Si primum, dico modum existendi sacramentalem latiùs patere, quam modum existendi sensibilem, quia sensibilitas proxima requiritur ad Eucharistiam in fieri, non in facto; ut Christus sacramentaliter præsens fiat, non ut sacramentaliter præsens permaneat *ex praeced. cap.2. §.7. num.* 156., & 157. Si secundum, dico etiam in indivisibili quantitativo haberi existentiam modo sensibili, quia indivisibile quantitativum ut potè materiale est remotè, & intrinsecè sensibile, quamvis non proximè defectu extensionis: Eâ igitur ratione, quâ modus sensibilis est de conceptu modi sacramentalis, potest ille haberi etiam in indivisibili, ac per consequens Christus potest totus in indivisibili existere non solum indivisibiliter utcumque, sed etiam indivisibiliter sacramentaliter, seù modo sacramentali.

91

Quanam ratione modus existendi sacramentalis sit modus existendi sensibilis?

92

Dices secundò impugnando secundam partem ejusdem antecedentis: Substantia panis non existit sub indivisibilibus continuativis, & terminativis propriæ quantitatis; ergo neque sub iisdem existit Christus substantiæ panis succedens: Antecedens probatur,

batur, quia sub indivisibili quantitatis existit ad summum indivisibile substantiæ, indivisibile autem substantiæ non est substantia, & indivisibile substantiæ panis non est substantia panis, primò, quia indivisibile quantitatis non est quantitas, ergo neque indivisibile substantiæ est substantia: Secundò, quia indivisibile substantiæ ut potè omnino carens partibus potest ad summum esse substantia simplex; at substantia panis est essentialiter composita ex partibus utpotè essentialiter constans materiâ, & formâ: Tertiò, quia si indivisibile substantiæ panis esset substantia panis, in qualibet panis divisione resultantibus novis indivisibilibus terminativis resultaret nova substantia, & in pane diviso esset de novo aliquid substantiæ panis, quod non erat in integro, & quod nullam haberet novam sui causam: eâdem ratione in qualibet divisione hostiæ consecratæ Christus inciperet de novo esse sub novis punctis terminativis in quantitate resultantibus absque eo, quod haberetur ulla nova consecratio. Sed contrà: Nego antecedens, ad cujus probationem libenter fateor sub indivisibilibus quantitatis existere solùm indivisibilia substantiæ, at dico indivisibile substantiæ esse suo modo substantiam, est enim substantiale, est aliquid substantiæ, adeòque est substantia in obliquo, si minùs in recto; Corpus autem Christi succedit, ubicumque erat substantia panis non solùm simpliciter, & in recto dicta, sed etiam dicta in obliquo, prout importat aliquid substantiale ipsius, cum sub speciebus post consecrationem non solùm non remaneat substantia, sed nec remaneat aliquid substantiale, seu aliquid substantiæ panis.

93

94 Ad primam impugnationem dico indivisibile quantitatis, etsi propriè non sit quantitas in recto, esse quantitatem in obliquo, esse indivisibile quantitativum, esse aliquid quantitatis; ut dictum est de indivisibili substantiæ.

Ad secundam dico, indivisibile substantiæ esse omninò carens partibus entitativis; & integralibus, at benè admittere partes essentiales, & indivisibile substantiæ panis, v. gr. benè admittere indivisibile materiæ, & indivisibile formæ panis; sicque indivisibile substantiæ bene posse esse in se essentialiter compositum, & suo modo substantiam compositam.

Varii modi sentiendi circa existentiam Christi in punctis terminativis hostiæ post consecrationem divisæ.

Ad tertiam invenio afferri tres diversas responsiones. Prima negat in divisione continui resultare nova indivisibilia terminativa, sed vult resultare solùm novam denominationem, eademque indivisibilia, quæ ante divisionem denominabantur copulativa, denominari post divisionem terminativa: Juxtà hanc responsionem substantia panis non habet aliquid ampliùs, nec plura indivisibilia substantialia post divisionem, quam antea, & Christus fractâ hostiâ existit in punctis ipsius terminativis non per hoc, quod ponatur in punctis novis, sed per hoc, quod maneat in iisdem habentibus novam denominationem. Secunda admittit verè resultare nova puncta substantialia panis in divisione, eaque produci per naturalem resultantiam idest immediatè à Deo ad naturalem exigentiam panis præexistentis. Christum item fractâ hostiâ incipere esse sub novis punctis per quamdam quasi naturalem resultantiam suppositâ præsenti institutione, quatenus eo ipso, quod voluit sine novâ consecratione existere sub speciebus post consecrationem divisis, debuit velle se accommodare naturali modo, quo divisæ existunt, & sine novâ consecratione se ponere sub novis punctis terminativis naturaliter consequentibus specierum divisionem. Tertia admittit similiter in divisione substantiæ panis resultantiam novorum punctorum substantialium, at vult hæc resultare etiam in fractione hostiæ consecratæ, adeo ut, dum ista dividitur sub novis punctis terminantibus quantitatem divisam, non fiat sacramentaliter existens Christus, sed resultent nova puncta substantialia panis, quæ se habeant, sicut si hostiæ consecratæ aliundè adderentur puncta hostiæ non consecratæ.

95 Ex tribus his responsionibus prima, theologicè loquendo, facilior, & expeditior est, loquendo philosophicè debet unusquisque propriis philosophandi principiis inhærere, & illi quidem, qui puncta, sivè copulativa, sivè terminativa ponunt intrà partes, & in eodem loco, in quo sunt partes, benè videntur posse cohærenter amplecti primam responsionem; illi verò, qui ea puncta ponunt extrà partes, & in punctis loci diversis à loco partium, non item, quia juxtà hunc dicendi modum punctum copulativum mediat inter partes, & quodlibet duas partes copulat; ex quo fit, ut in divisione cuilibet puncto copulativo succedant duo terminativa, sicque puncta post divisionem partes terminantia sint à punctis antè divisionem partes copulantibus diversa in se ipsis, & entitativè, non denominativè tantùm: Ideò qui in quæstione philosophicâ puncta copulativa, & terminativa extrà partes constituunt, cohærentiùs in præsenti sentiunt, si ex tribus prælaudatis responsionibus, aut secundam cum Suario *præcit. sec. 3.* in fine, & Mastrio *præcit. quæst. 11. num. 241.*, aut tertiam cum Amico *præcit. num. 142.*, & Maderno *præcit. art. 2. num. 14.* amplectantur.

96 Dices tertiò impugnando a tertium directè, Si Christus existeret totus in singulis punctis terminativis, & copulativis, haberet in istis singulis sacramentalem præsentiam; ergo Sacerdos, qui intenderet consecrare unicum hostiæ punctum, & designaret v. g. illud, in quo hostia perfectè sphærica plano superimposita planum tangit, validè consecraret; sicut & à fortiori validè consecraret solam ultimam hostiæ superficiem, quam sub oculis habet, si hanc solam consecrare, & per pronomen, *Hoc*, designare intenderet: & tamen neutrum est concedendum, nam licet Suarez *præcit. sec. 3. in resp. ad 3.* insinuet, nihil contradictionis involvi in eo, quod utrumque concedatur; nihilominùs negant

negant id tùm ipsemet Suarez *ibid.* tùm Gonetus *pracit.art.2.num.*40. Madernus *num.*12. Mastrius *pracit.num.*242. Aversa *quæst.*4. *sec.*3. aliique communiter. Sed contrà libenter his Auctoribus subscribo, admittendo, nec solum punctum, nec solam superficiem posse validè consecrari, & nego instantiæ sequelam, neque enim potest Christi corpus per novam consecrationem poni, ubicumq; potest per consecrationem antecedentem existere, seù permanere, quamvis igitur existat, ac permaneat in punctis per consecrationem, quâ fuerunt simul consecratæ partes, non idcircò potest poni in punctis per consecrationem, quâ non consecrentur partes;& quidem quo ad punctum unicum, ratio est ex dictis obvia, quia ut aliquid se solo consecretur, debet esse se solo proximè, & per se sensibile, & sensibiliter designabile, cujusmodi non est punctum unicum, & designatio puncti, quo hostia perfectè sphærica planum tangit, intellectualis est, non sensibilis, per intellectum, non per sensum. Quò ad ultimam superficiem, cum hæc videatur sub sensum præsertim sub oculos cadere, non videtur militare eadem ratio, quæ de puncto, nihilominus reverà illud, quod sub sensum cadit, non est sola ultima superficies solis lineis, & punctis constans, sed illa simul, & partes, quod maximè verum est in opinione ponente puncta, lineas, & superficies ità terminare partes, ut sint intrà non extrà ipsas; militat igitur pro re præsenti eadem in superficie, quæ in puncto ratio, idemque defectus sensibilitatis propriè, ac per se talis. Aliundè etiam probatur non posse validè consecrari unicum punctum, aut solam ultimam superficiem, nimirum ex eo, quod materia, quæ sit per se, & se solâ consecrabilis debet esse substantia panis in recto, illud autem, quod intercedit sub unico puncto, aut ultimâ superficie, est aliquid substantiæ, est substantiale punctum, aut substantialis superficies panis; non simpliciter, & in recto substantia ipsius.

97

Nequit validè consecrari unicum punctum.

Aut ultima superficies panis.

98

Si quæras hic, Utrùm unicum punctum, quàmvis non possit se solo validè consecrari, possit tamen se solo, si à totâ hostiâ post consecrationem separetur, manere consecratum, & retinere consecrationem? Potest quæsitum procedere, vel in sententiâ componente continuum ex punctis, & partibus, vel in sententiâ componente ex solis punctis; si in priore sententiâ procedat, puncta sunt quasi modi partium apud suos Auctores, & quia modi non possunt existere separati à rebus, quarum sunt modi, fit, quod neque puncta possint existere separata à partibus, adeoque quod quæsitù sit de subjecto non supponente: Si procedat in posteriore sententiâ, & ex aliâ parte non admittatur, ut nos non admittimus, substantiam panis habere minimum naturale determinatæ extensionis, non videtur negandum, quin punctum post consecrationem separatum à totâ hostiâ consecrationem retineat & corpus Christi, cum ex unâ parte sæpius dictû sit ad consecrationem retinendam sufficere remotam, & intrinsecam sensibilitatem cuilibet rei materiali insitam, & ex aliâ parte tale punctum, si fuisset separatum ab hostiâ antè consecrationem, retinuisset substantiam panis, cujus indivisibile, in sententiâ constituente continuum ex solis indivisibilibus, videtur dicendum substantia panis in recto, cum in tali sententiâ indivisibile quantitatis, indivisibile substantiæ substantiam per se componat, & integret, non verò solùm sit modus ejustamquàm unio, vel terminus, ut in sententiâ constituente ex indivisibilibus, & partibus simul. Et hæc in alienâ, ac nobis exoticâ indivisibilium sententiâ satis, superque sit attigisse, & dubitando magis, quàm definiendo insinuasse circà existentiam Christi in punctis, & indivisibilibus, sivè specierum, sivè loci, in quo sunt species.

99

Quid de permanentia Christi in puncto separato ab hostia post consecrationé?

---

§. VII.

An, & quomodo Christi præsentia sacramentalis supponat naturalem, & à naturali pendeat?

ASSERT. I. Juxtà præsentem institutionem præsentia Christi sacramentalis saltem de lege ordinariâ supponit naturalem, & à naturali aliqualiter pendet. Hoc assertum deducitur ex D. Thomâ *quæst.* 81. *art.*3. & 4. & non solum ipsum à fortiori tradunt Auctores astruentes connexionem omninò essentialem præsentiæ sacramentalis cum naturali, & absolutam illius sine istâ repugnantiam, sed insuper ex negantibus talem connexionem in ipsum consentiunt Suarez *disp.*48. *sec.*2. §. *Dico secundò*, Arriaga *disp.* 33. *sec.*2. *num.*15. Mastrius *quæst.*9. *art.* 3. *num.*263. Herinex *disp.*3. *quæst.*5. *num.* 60. Madernus *quæst.*3. *art.* 5. *num.*6. cæterique communiter.

100

Probatur. Juxtà præsentem institutionem præsentia sacramentalis de lege ordinariâ conformatur naturali, & ponitur à Sacerdote tamquàm à Ministro Christi in præsentiâ naturali existentis; ergo supponit præsentiam naturalem, & aliqualiter ab ipsâ pendet eo ferè modo, quo res exemplata supponit suum typum, & exemplar, & quidquid à Ministro, ut tali fit, aliqualiter pendet ab eo, cujus virtute, & nomine minister operatur: Probatur antecedens quò ad primam partem, quæ procedit de præsentiâ non ratione sui præcisè, sed ratione Christi, quem præsentem constituit; probatur, inquam, antecedens quò ad primam partem, quia Christus habet in præsentia sacramentali ea, quæ in naturali, ut supponit Tridentinum, dum *sess.*13. *cap.*3. definit Christi corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque existere, quia hæc omnia inter se copulantur in Christo secundùm præsentiam naturalem, quam habet in Cælis non amplius moriturus: Idè supponit D. Thomas *pracit. art.*3. & 4. indè-

101

Christus in præsentia sacramentali habet ea, quæ in naturali.

que infert Christum Dominum in ultimâ cænâ, sicut corpus passibile in se habebat, ita illud passibile potuisse, & discipulis dedisse in sacramento: Item in triduo mortis, sicut corpus, & sanguis erant ab invicem, & ab animâ secundùm suam præsentiam naturalem separata, ità si fuisset tunc consecrata Eucharistia fuisse habitura eamdem separationem secundùm præsentiam sacramentalem, extiturum scilicet sub speciebus panis corpus mortuum, & exangue, seù separatum ab animâ, & sanguine, sub speciebus vini sanguinem exanimem, & effusum, seù separatum ab animâ, & corpore: Idem tandem supponitur communiter, dum fortunatus Krelius Calvinista arbitratus corpus Christi sub speciebus mortuum, non vivum sumi, ut refert Valentia *disp.6. quæst.9. punc. 3.* omnium votis damnatur, & certo certius habetur illud nunc vivum, gloriosum, immortale, impassibile existere in Eucharistiâ, sicut tale est in Cælo. Probatur idem

102

primum antecedens quò ad secundam partem, quia Sacerdos operatur, ut Minister Christi existentis in eâ præsentia, quæ convenit Christo per se, convenit autem Christo per se præsentia naturalis, quam habet semper, & necessariò, non sacramentalis, quam habet contingenter, & dependenter ab humanâ voluntate, aliisque causis secundis, & extrinsecis conditionibus; Hincque Sacerdos ad Christum in Cælo, nòn in aliâ hostiâ existentem solet attendere, dum ejus nomine loquendo consecrat. Confirmatur: Inter congruentias præsentis institutionis Eucharistiæ adductas à D. Thomâ *quæst. 73. art. 5.* prima desumitur ex eo, quod Christus erat discessurus in propriâ specie, instituit igitur Christus Dominus suam præsentiam sacramentalem quasi in supplementum præsentiæ naturalis, & in solatium absentiæ, ac distantiæ, quam à nobis secundùm præsentiam naturalem habet, atque adeò juxtà præsentem institutionem præsentia Christi sacramentalis supponit naturalem, secundùm quam à nobis absens, & distans existit in Cælo, & illa ab istâ aliqualiter pendet.

Et de lege ordinaria juxtà præsentem institutionē supponit seipsum in præsentia naturali.

103

De potentia absoluta, & juxtà aliam institutionem possibilé, non item.

Assert. II. Non repugnat alia Eucharistiæ institutio, secundùm quam præsentia Christi sacramentalis nullatenùs supponat naturalem, & à naturali nullatenùs pendeat. Ità Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 4. §. Hic duo. versic. Ad rationem*. Major *eâd. dist. quæst. 7.* Gabriel *lect. 47. in Canon. Missæ*, Vasquez *disp. 192. cap. 1. num. 8.* Amicus *disp. 14. num. 31.* Lugus *disp. 5. sec. 8.* Laurea *disp. 21. art. 6. num. 119.*, & tùm Auctores relati *præced. nu. 100.* tùm alii plurimi contrà, ut multis videtur, Cajetanum *hic quæst. 76. art. 2.* Gonetum *disp. 5. art. 2. num. 63.* Altissiodorensem *lib. 4. sum. tract. 5. cap. 5. quæst. 6.* Paludanum *in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 3. conc. 2.* aliosque nonnullos. Dixi, *ut multis videtur*, quia dissidium horum Auctorum à cæteris fortè totum consistit in æquivocatione, & in diversâ acceptione horum vocabulorum. *Præsentia naturalis, modus existendi naturalis*, quatenùs Scotus, & reliqui communiter per præsentiam Christi naturalem, & naturalem modum existendi intelligunt præsentiam circumscriptivam, & modum existendi quantitativum, seù dimensivum naturaliter debitum cuilibet rei quantæ; Cajetanus verò, & alii post ipsum relati intelligunt existentiam entitativam, & esse Christi Domini in se ipso extrà causas; & certè Cajetanus, nisi ità rem intellexisset, & in sensu non proprio sententiam Scoti percepisset, ne apparenti quidem fundamento hanc potuisset appellare, ut appellavit, chymericam: Si verò res ità est, non habemus in præsenti adversarios Cajetanū, & alios post ipsum relatos, nam nec à nobis nec à nostri asserti Auctoribus negatur præsentiam sacramentalem essentialiter supponere saltem in priori naturæ actualem entitatem, & existentiam Christi extrà causas in se ipso, cum certo certius sit, repugnare in terminis, quod res non existens extrà causas existat hic, aut non sit prius naturâ existens in se, quàm existens in alio puta, vel in loco, vel in Sacramento. His pro germana terminorum, & Auctorum intelligentia positis, assertum

104

Probatur: Non repugnat alia Eucharistiæ institutio, secundùm quam Christus habeat præsentiam sacramentalem absque eo, quod habeat, aut habuerit umquam præsentiam naturalem: existat scilicet modo indivisibili, & inextenso, absque eo, quod existat alibi, aut extiterit umquam modo divisibili, & extenso, seù quantitativo; & dimensivo; ergo non repugnat alia Eucharistiæ institutio, secundùm quam &c. Probatur antecedens; alia Eucharistiæ institutio, secundùm quàm Christus habeat præsentiam sacramentalem &c. non repugnat ex parte sui, quia quantum est de se, potest fieri à solo Deo absque eo, quod ullatenus supponat tamquam principium, & institutorem Christum Dominum: Non repugnat item ex parte ipsius præsentiæ sacramentalis, indivisibilis, & inextensæ, quia hæc non habet ullam essentialem, intrinsecam, & ex naturâ rei connexionem cum præsentiâ naturali quantitativâ, & dimensivâ, quod, quia est cardo præsentis difficultatis, probo multipliciter: Primò scilicet,

105

Præsentia sacramentalis non habet ex natura rei connexionem ullam necessariā cum naturali.

quia præsentia naturalis, neque est de essentiâ præsentiæ sacramentalis, alioqui ista illam in se includeret, & ubicumque ista esset, illam secum haberet, quod apparet evidenter falsum; neque est causa necessaria ipsius, quia licet de facto Christus in præsentiâ naturali existens Eucharistiam instituerit, & primam sui præsentiam in Sacramento causaverit, aut fortè etiam causet quotidiè simul cum Ministro, de potentiâ tamen absolutâ potuit, & Eucharistia institui, & quælibet sacramentalis præsentia causari à solo Deo: Secundò, major est proportio inter duas præsentias naturales, aut duas sacramentales, quàm inter sacramentalem, & naturales, nam duæ naturales inter se, sicut & duæ sacramentales sunt ejusdem rationis, præsentia sacramentalis, & præsentia naturalis sunt rationis diversæ, imò op-

positæ,

positæ, præsentia enim sacramentalis, quà talis à se rejicit, & excludit naturalem, sicut inextensum excludit extensum; atqui non datur essentialis, & intrinseca connexio, aut inter duas præsentias sacramentales, aut inter duas naturales; ergo neque inter sacramentalem, & naturalem. Tertiò, potissima ratio præsentiæ sacramentalis consistit in eo, quod corpus existat cum penetratione, & replicatione omnium partium suarum in qualibet parte specierum, ac loci, sicut ratio præsentiæ naturalis in eo, quod corpus existat cum extensione, circumscriptione, & commensuratione suarum partium ad partes loci, atqui illa ratio nullam habet intrinsecam cum istâ connexionem, nec istam ex naturâ rei supponit, cum ab istâ non juvetur, & corpus possit cum illâ æquè, ac cum istâ primò produci, tùm quia est secundum se ad utramlibet indifferens, tùm quia sicut potest corpus quodlibet primo produci, aut totum replicatum in duobus locis, aut totum penetratum cum alio corpore, ità quoque totum replicatum in qualibet parte ejusdem loci, & totum penetratum cum qualibet parte sui ipsius.

106

107 Dices: Ex his sequitur Sacramentum Eucharistiæ potuisse à Deo institui, & perfici, priusquàm Verbum incarnaretur, & corpus Christi in utero Virginis formaretur, fieretque Christus existens in propriâ specie, ac in se ipso; hoc autem est ex multiplici capite falsum, & repugnans, primò scilicet, quia esse sub specie sacramentali est esse secundum quid, tali modo, & in alio; esse autem secundum quid, & tali modo supponit esse simpliciter, esse in alio supponit esse in se, quod esse naturale, & in propriâ specie: Secundò, quia esse sacramentale, seù præsentia sacramentalis habetur per adductionem corporis Christi, & conversionem substantiæ panis in ipsum; tàm autem adductio, quàm conversio supponit præexistentem terminum, qui adducitur, & in quem aliud convertitur, nam nec fit alicujus non existentis adductio, nec in aliquid non existens conversio: Tertiò, quia Christus, ejusvè corpus existens sacramentaliter priusquam naturaliter, vel potuisset posteà fieri naturaliter existens, & formari, ac concipi in utero Virginis, vel non: Si non, hoc ipsum est per se absurdum; inducitur enim præsentia sacramentalis repugnans cum naturali: Si sic, posset incipere esse illud, quod jam est: Nec dici potest, quod inciperet esse solum secundum quid, & tali modo: Dici, inquam, non potest, quia esse naturale malè dicitur esse secundum quid: & prætereà esse secundum quid est esse accidentale, quod non sufficeret, ut Beata Virgo diceretur Christum concepisse, & generasse ut vera ipsius Mater. Quartò tandem, Eucharistiæ sacramentum, quod antè Incarnationem institueretur, non posset non esse essentialiter diversum ab eo, quod nunc est, non enim constaret verbis Christi nomine prolatis; ly *meum*, & *meus* in formis verborum, vel non causarent ut vera, vel haberent alium sensum ab eo, quem nunc habent, & tandem, vel species panis continerent præcisè corpus, & species vini præcisè sanguinem; vel verba formaliter, & vi suâ causarent tunc sub speciebus plùs, quàm significarent, & plùs quàm causent nunc; ergo saltem salvâ unitate essentiali sacramenti repugnat alia Eucharistiæ institutio, secundum quam præsentia sacramentalis nullatenus supponat naturalem; aut certè hoc neque repugnat secundum præsentem institutionem, atque adeo duo præcedentia afferta videntur sibi contradicere.

108 *Christus potuit habere præsentiam sacramentalem antè naturalem; & Eucharistia potuit institui ante Incarnationem.*

Sed contrà: Tota, aut ferè tota instantia laborat eâ æquivocatione, quam præmonui esse summam difficultatis in hâc materiâ, sumit scilicèt præsentiam naturalem pro naturali esse, & substantiali existentiâ; non pro præsentia accidentali naturaliter corporibus debitâ sitâ in modo existendi quantitativo, & extenso; concedo igitur, & admitto sequelam legitimè intellectam.

Ad primam impugnationem dico, quod esse naturale, & in propriâ specie sumptum pro esse entitativo, & substantiali est esse simpliciter, non sic sumptum pro præsentiâ accidentali naturaliter debitâ corpori; concedo igitur, quod esse sacramentale sit esse secundum quid, item quod esse secundum quid supponat esse simpliciter; at esse simpliciter non est esse naturale sumptum pro præsentiâ naturali accidentali, & quantitativâ, de qua nunc agitur, sed sumptum pro existentiâ entitativâ, & substantiali, quæ quidem ad esse sacramentale supponeretur etiam in datâ hypothesi, quia etiam in Eucharistiâ institutâ, & perfectâ antè Incarnationem existentia substantialis Christi Domini in se ipso naturâ præcederet præsentiam sacramentalem accidentalem sub speciebus.

109 *Est posteà controversum, an tunc potuerit habere præsentiam naturalem viâ verè generativa*

Ad secundam quò ad adductionem suppono ex dicendis *cap.7. §.3.* ne quidem de facto dari, & Christum sub speciebus reproduci, non adduci, sivè autem de facto adducatur, sivè reproducatur, dico de possibili posse tùm sine adductione, tùm sine reproductione fieri sacramentaliter præsentem speciebus per hoc, quod in priori naturæ ad præsentiam sacramentalem simpliciter, & primò producatur: Quò ad conversionem dico, hanc supponere terminum in quem fit præexistentem naturâ, non tempore; & secundùm existentiam entitativam substantialem, non secundum præsentiam quantitativam accidentalem.

Ad tertiam Mastrius *præcis-quæst.9 nu.268. & 269.* & alii Scotistæ magis communiter ratam habent responsionem instanti interpositam, admittendo Christum in datâ hypothesi posse incipere esse solum secundùm quid, & modo novo accidentali insufficienti ad hoc, ut propriè terminet conceptionem, generationem, & Maternitatem Virginis; neque hoc putant ullâ ratione absurdum. Nihilominus cum per nos res quælibet possit substantialiter reproduci, imò nova præsentia, quoties non habetur per motum localem,

sem, requirat novam productionem, seù reproductionem substantialem rei, fit, quod corpus Christi existens in Eucharistiâ ante Incarnationem, & viâ transubstantiativâ non generativâ productum, benè posteà possit in Virginis utero reproduci secundum suum esse substantiale, & sic Christus verè concipi, ac generari à Virgine tamquam à Matre propriè tali: Juxtà hanc doctrinam ad illud, quod in instantiâ objiciebatur, dicito, illud, quod jam est, posse incipere esse secundò, quamvis non primò, posse de novo generari secundâ quamvis non primâ productione: Contendet fortè quis ad propriam generationem non sufficere, quod esse substantiale rei viâ generativâ producatur, sed requiri, quod producatur primò: Verum gratis hoc dicetur, & erit contentio purè de nomine.

110
Eucharistia ante Incarnationem instituta fuisset in multis diversa.

Ad quartam fateor Eucharistiæ sacramentum, quod supponeretur institutum ante Incarnationem à Deo, fore in multis diversum ab eo, quod fuit institutum de facto post incarnationem à Christo: Fateor quod non proferrentur tunc verba nomine Christi, nec fuissent primò prolata ab ipsomet Christo: causarent ut vera, idest ut verè instituta ad causandum, at non ut vera eâ veritate, quam habent nunc: Dum ponerentur ex vi verborum corpus, & sanguis, reliqua idest unio hypostatica, anima, divinitas ponerentur per concomitantiam, at ex decreto extrinseco Dei non ex antecedente unione. & connexione cum corpore, & sanguine alibi existentibus; quia tunc corpus, & sanguis alibi non existerent, sicuti alibi existunt nunc. Nihilominus hæc, & alia discrimina facilè cuique obvia diversificant Eucharistiam materialiter solum, & accidentaliter, non in formali, & essentiali, seù specificâ ratione sacramenti sitâ in eo, quod constet talibus rebus, talibusque verbis, & sit significativa, ac causativa gratiæ per modum spiritualis refectionis, seù cibi, & potus; quæ tota ratio fuisset optimè reperta in Eucharistiâ ante Incarnationem instituta, ut patere potest consideranti, ac consulenti ex præcitatis Auctoribus Amicū, & Mastrium.

At non essentialiter, & specificè ab instituta de facto,

111

Quod quidem sit obiter dictum; de cætero, quantùm attinet ad duo præcedentia asserta, parum refert, quod Eucharistia antè Incarnationem instituibilis, & Eucharistia instituta nunc post Incarnationem censeantur diversæ speciei, vel ejusdem: Parùm refert, quod censeantur diversæ speciei, quia asserendo possibilem aliam Eucharistię institutionem, secundùm quam præsentia Christi sacramentalis nullatenùs pendeat à naturali, nullam mentionem fecimus unitatis specificæ inter Eucharistiam, quæ institueretur tunc, & eam, quæ instituta est nunc: Parùm item refert, quod censeantur speciei ejusdem, quia nec ex hoc illicò infertur par in utrâque Eucharistiâ independentia præsentiæ sacramentalis à naturali, nec nos posuimus in Eucharistiâ de facto institutâ dependentiam præsentię sacramentalis à naturali tamquam de essentiâ, & ratione specificâ ipsius; Imò hoc nunc superest inquirendum, & post assertam in Eucharistiâ nunc institutâ aliquam de lege ordinariâ dependentiam, in Eucharistiâ aliâ instituibili omnimodam independentiam talium præsentiarum, reliquum est statuere, Utrùm dependentia quam Eucharistiæ nunc institutæ tribuimus de lege ordinariâ, extendenda sit ad legem extraordinariam, & potentiam absolutam, quod esset hujusmodi dependentiam spectare ad essentiam rationemque specificam ipsius, pro qua sit

112

Assert. III. de lege extraordinariâ, & potentiâ absolutâ potest etiam secundùm præsentem institutionem poni, aut conservari præsentia sacramentalis independentèr à naturali, & non supponendo istam actu dari. In hoc asserto videntur convenire omnes, aut ferè omnes Auctores relati pro asserto præcedenti, quàmvis non omnes æqualiter mentem suam pro utroque asserto expresserint.

Stante præsenti institutione præsentia sacramentalis essentialiter supponit datam aliquã do fuisse naturalem.

Dixi, *& non supponendo istam actu dari*, nam istam idest præsentiam naturalem datam fuisse, seù extitisse utique non potest præsens institutio non supponere, cum de fide sit Christum sub præsentiâ naturali extitisse in ultimâ cœnâ, quando primò perfecit, & instituit Eucharistiam, hancque insuper certum sit instituisse, & perfecisse per verba à se ipso prolata, verba autem proferre potuit solum sub modo præsentiæ naturalis, cum sub modo præsentiæ sacramentalis penetratio organorum impediat allisionem linguæ ad dentes, gutturis commotionem, aeris attractionem, aliaque omninò requisita ad formanda, & articulanda verba. Tandem nisi Christus aliquando extitisset sub præsentiâ naturali, prima ejus præsentia fuisset sacramentalis, adeòque prima Eucharistiæ institutio fuisset à solo Deo, non fuit autem à solo Deo institutio præsens: est igitur omninò certum, quod nec fuisset, nec dari potuisset institutio præsens, nisi Christus aliquando extitisset sub præsentiâ naturali, ac per consequens repugnat in terminis, & in adjecto, quod secundum præsentem institutionem conficiatur Eucharistiæ sacramentum, & ponatur aut conservetur pręsentia sacramentalis, supponendo tùm non dari de facto, tùm non fuisse aliquandò datam naturalem, Assertum sic explicatum

113
Non sic essentialiter supponit naturalem actu dari, & potest illa ab hac de lege extraordinaria independere.

Probatur. Dependentia, quam secundùm præsentem institutionem habet præsentia sacramentalis à naturali, & ratione cujus istam actu dari supponit, potest aliter suppleri, præsertim per dependentiam ab aliâ præsentiâ sacramentali, loquendo de lege extraordinariâ, & potentiâ absolutâ; ergo de lege extraordinariâ, & potentiâ absolutâ potest etiam secundùm præsentem institutionem poni &c. Probatur antecedens; Dependentia, quam secundùm præsentem institutionem habet præsentia sacramentalis à naturali, provenit potissimum ex triplici capite; primò scilicèt ex eo, quòd præsentia sacramentalis producatur physicè concur-

rente

rente humanitate, seù corpore Christi tamquàm instrumento divinitati in Cælis conjuncto; Secundò ex eo, quòd ponatur à Sacerdote tamquàm à Christi Ministro, & Christi nomine operante, Tertiò ex eo, quod conformetur naturali, & Christus in sacramentali habeat ea, quæ habere supponitur in naturali: Atqui, ut omittam primũ ex his capitibus supponere aliquid valdè incertum, & à nobis in præced. tract. de Sacram. in gen *lib 2. cap. 4. n. 47.* quasi sub problemate relictum, undè etiam mox in primi asserti probatione ab eo consultò abstinui, ut inquam hoc ommittam, potest idem

114 primum caput sicut, & secundum de lege extraordinariâ salvari per aliam præsentiam sacramentalem, nam humanitas seù corpus Christi etiam, ut existens sacramentaliter in unâ hostiâ poterit tamquam instrumentum à divinitate sibi conjunctâ elevari ad physicè causandam novam sui præsentiam in aliâ hostiâ, si ad similem causalitatem de facto elevatur, ut existens in Cælo: Sacerdos item potest operari, ut Christi Minister, & Christi nomine attendendo ad Christum, non ut in Cælo sub præsentiâ naturali, sed ut in alio sacramento sub aliâ præsentiâ sacramentali existentem: Deindè illa causalitas physica humanitatis, etiamsi fortè detur, non pertinet ad essentiam presentis institutionis; potest igitur stante præsenti institutione poni, & conservari præsentia sacramentalis independenter ab illâ physicâ causalitate, & quantum est ex hoc capite, posset de lege extraordinariâ confici secundum præsentem institutionem Eucharistiæ sacramentum etiamsi Christus, nec in Cælo, nec in alio sacramento actu præexisteret. Tertium non procedit simpliciter, sed solum ex suppositione, quod Christus existat, & præexistat actu sub præsentiâ naturali, sicuti autem hæc suppositio non est ità necessaria, quin possit deficere de potentiâ absolutâ, ità quoque potest de eâdem potentiâ deficere conformitas præsentiæ sacramentalis cum naturali.

115 Dices primò: Sacerdos non potest operari ut Minister Christi præexistentis solum sacramentaliter in aliâ hostiâ non sub præsentiâ naturali, atqui secundum præsentem institutionem non potest, ut nos ipsi fatemur, conficere Eucharistiam nisi ut Minister Christi; ergo non potest conficere Eucharistiam, nisi Christo existente sub præsentiâ naturali, ergo præsentia sacramentalis secundum præsentem institutionem etiam de potentiâ absolutâ supponit naturalem: Major probatur: Sacerdos non potest operari ut Minister Christi nisi eâ ratione, quâ Christus potest per Ministrum operari, atqui Christus ut existens solum sacramentaliter non potest per Ministrum operari, & Eucharistiam conficere, non potest enim operari, & conficere per Ministrum id, quod non potest per se ipsum, ut autem existens solum sacramentaliter non potest conficere Eucharistiam per se ipsum, cum propter organorum penetrationem non possit, ut attigimus *præced num. 112.* per se ipsum verba proferre; ergo. Confirmatur, quod Sacerdos consecret ut Minister Christi, requiritur secundum præsentem institutionem per se ad valorem consecrationis, quod Christus sacramentaliter præexistat in aliâ hostiâ est per accidens, ergo quod Sacerdos consecret ut Minister Christi non potest secundum præsentem institutionem verificari per ordinem ad Christum solum sacramentaliter præexistentem in aliâ hostiâ. Sed contrà: Nego majorem,

116 ad cujus probationem datâ majore nego minorem, quando enim impotentia operandi aliquid per se ipsum provenit ex impedimento extrinseco, non ex defectu intrinsecæ virtutis, bene quis potest per Ministrum aliquid, quod non potest per se; in proposito quod Christus existens solùm sacramentaliter non possit verba proferre, & per se ipsum Eucharistiam conficere, provenit ex modo extrinseco existendi, ideò &c. Cæterùm si instantia aliquid probat, nimis probat, probat scilicet, quod Sacerdos non posset Eucharistiam conficere, ut Christi Minister, si Christus in præsentiâ naturali, & propriâ specie, sed mutus, existeret. Ad confirmationem dico, secundùm legem ordinariam, secundum quam Christus semper existit in præsentiâ naturali, ad valorem novæ consecrationis per accidens se habere existentiam sacramentalem ejusdem in aliâ hostiâ, at se haberet per se in hypothesi extraordinariâ, quâ Christus in præsentiâ naturali non existeret.

117 Dices secundò: Stante præsenti institutione si Christus desineret esse in Cælo, desineret esse in sacramento; ergo stante præsenti institutione existentia in sacramẽto, seù præsentia sacramentalis necessario supponit existentiam in Cælo, seù præsentiam naturalem, & illa ab istâ dependet: Probatur antecedens: Stante præsenti institutione Christus mutatur in Sacramento eo modo, quo in propriâ specie, seù in Cælo: si igitur in Cælo mutaretur ab esse ad non esse, quod esset desinere esse, mutaretur pariter ab esse ad non esse, & desineret esse in Sacramento. Sed contrà: Desinere esse in Cælo, vel sumitur pro desinere esse simpliciter, & quo ad substantiam, seù existentiam substantialem, vel sumitur pro desinere esse secundum quid, & solum quo ad modum accidentalem præsentiæ quantitativæ: In primo sensu concedo antecedens nego consequentiam, quia in tali hypothesi, quod Christus desineret esse in sacramento, non provenitet ex desitione præsentiæ naturalis, sed ex desitione existentiæ substantialis, quæ supponeretur simul cum præsentiâ naturali deficere, & eâdem ratione probaretur præsentiam naturalem pendere à sacramentali, aut unam naturalem ab aliâ, unam sacramentalem ab aliâ, quia quomodocumque Christus sub multiplici præsentiâ existat, si supponatur simpliciter, quo ad substantiam, & per anihilationem sub unâ desinere, necesse est, quod simul desinat sub quâcumque

aliâ

Quidquid per anihilationem desinit, si sub multiplici præsentia existat, desinit sub qualibet.

aliâ, at non propter dependentiam præsentiarum, sed propter repugnantiam, quam habet res quælibet, ut simul simpliciter sit, & simpliciter non sit in rerum naturâ, ortam ex illis principiis universalissimis. *Quodlibet est, vel non est. Idem secundum idem non potest simul esse, & non esse.* In secundo

118

sensu nego antecedens, & adverto in corporibus, sicut & in rebus aliis dari aliqua independentia à loco, & ut loquitur Scotus priora loco, aliqua dependentia, & posteriora, convenientia scilicet corpori non secundum se, sed ut in tali loco; prædicata primi generis sunt v. gr. esse corpus vivens, animatum, quantum, album &c. secundi generis esse propinquum, distans, extensum, inextensum &c. priora prædicata secundum communiorem Philosophorum sententiam comitantur rem etiam in multiplici loco, & sicut corpore replicato replicantur, ità eo ipso, quod mutantur in corpore existente sub unâ præsentiâ, mutantur in eodem existente sub aliâ; posteriora non item. Hinc ad probationem antecedentis intellecti de desinere esse quo ad præsentiam accidentalem præcisè, dico Christum mutari in Sacramento eo modo, quo in Cælo quo ad prædicata independentia, non quo ad dependentia à loco, & quia præsentia sive naturalis, & extensa, sive inextensa, & sacramentalis est prædicatum à loco dependens, ex eo, quod mutetur, & desinat esse secundùm præsentiam naturalem, non benè infertur, quod debeat mutari, & desinere esse secundùm præsentiam sacramentalem: undè non posset Christi corpus desinere esse animatum, gloriosum, quantum in Cælo, quin desineret esse tale in sacramento, benè verò potest desinere esse præsens in Cælo, quin desinat esse præsens in Sacramento.

119

Ex dictis habetur palmariter decipi illos, qui ex assertâ à nobis independentiâ præsentiæ sacramentalis à naturali, & non repugnantiâ existendi illam sine istâ inferunt, posse per nos conservari præsentiam sine re præsente, præsentiam Christi non existente Christo: Oritur autem istorum deceptio ex eo, quod confundant præsentiam naturalem cum esse simpliciter, modum existendi naturalem accidentalem cum existentia substantiali; quæ nos, ut distinguendam esse perspicuum est, distinguimus, & docemus poni posse, aut conservari præsentiam sacramentalem sine Christi præsentiâ naturali, seu modo naturali accidentali existendi, at non sine esse simpliciter, & existentiâ substantiali ipsius; quod posterius si affirmaretur, utique poneretur præsentia sine re præsente, & aliquid apertissimè repugnans in nostris principiis, quibus præsentiam in complexo collocamus, & ex ipsâ re præsente partialiter constituimus: Quando deindè præsentia ex genere suo esset modus, aliavè simplex entitas adæquatè distincta à re præsente, & posset sine istâ conservari, ut modos ipsos aliqui Modalistæ putant conservari posse sine re, cujus sunt modi: Quando inquam id ità esset, nil conferret ad nostrum intentum, intendimus enim independenter à præsentia naturali Christi Domini, & hàc non existente confici posse, & permanere Eucharistiæ Sacramentum, ad quod utique non sufficit præsentia sacramentalis sine ipso Christo existente realiter, & entitativè sub speciebus.

---

§. VIII.

Reliqua ad præsentiam sacramentalem pertinentia, & in primis aliqua ejus discrimina à naturali.

120

Assignantur potissima discrimina præsentiæ sacramentalis à naturali.

ASSERT. I. Potissima discrimina præsentiæ sacramentalis à naturali consistunt in eo, quod præsentia naturalis sit modo quantitativo, & extenso, sacramentalis modo spirituali, & inextenso: Illa circumscriptiva est, ista accedit ad definitivam, & est saltem reductivè definitiva: Rursus præsentia naturalis unica est, & constituit Christum dumtaxat præsentem loco; præsentia sacramentalis est quasi duplex, & altera constituit Christum præsentem speciebus, altera constituit eumdem præsentem loco specierum. Deducuntur hæc omnia, & constant ex jam dictis partim §. immediatè præcedente, partim suprà §. 3. 4. & 5.

Assert. 2. Aliud discrimen præsentiæ sacramentalis à naturali esse potest, quod Christus in præsentiâ sacramentali habet humani corporis figuram dumtaxat organicam, & intrinsecam, in præsentiâ naturali etiam situalem, & extrinsecam. Est discrimen communiter receptum, & ad præcedentia consequens, adhuc tamen indigens aliquâ explicatione: Ideò

121

Corporum figura intrinseca, & organica quid?

Probatur, & explicatur: Figura intrinseca, & organica est dispositio partium in ordine ad totum, & ad se invicem; consistit in eo, quod aliquæ partes immediatè, aliquæ mediatè uniantur, & inter aliquas mediatè unitas major, inter alias minor quantitas, seu entitas mediet; puta figura intrinseca humani corporis consistit in eo, quod caput uniatur pectori mediante collo, pectus pedibus mediante reliquo corpore; quod inter caput, & collum nihil mediet, inter caput, & pectus mediet collum, inter pectus & pedes mediet reliquum corpus: Figura extrinseca, & situalis est dispositio partium in ordine ad locum correspondens dispositioni seu positioni partium in ordine ad totum, & ad se invicem, adeò ut partes secundùm figuram intrinsecam immediatè unitæ sint secundùm figuram extrinsecam localiter indistantes, unitæ verò mediatè sint localiter distantes magis, vel minus, prout major, vel minor inter ipsas quantitas mediat; puta figura extrinseca humani corporis consistit in eo, quod caput sit localiter indistans à collo, distans verò à pectore, magis à ventre, magis adhùc à pedibus;

Quid item figura extrinseca, & situalis?

spe-

ſpectat etiam ad figuram extrinſecam, ſedere, & ſtare, item quod caput ſit ſurſum, pedes deorſum, brachia & manus ad latera: figura intrinſeca eſt ſub prædicamento quantitatis, extrinſeca ſub prædicamento ſitus.

122 Illam, non iſtam, habet Christus in præſentia ſacramentali, utramque verò in naturali.

Porrò illam, non iſtam figuram habet Christus in præſentiâ ſacramentali, utramque verò in præſentiâ naturali, primò, quia *ex præced. num.* 118., quæ ſunt independentia à loco, & conveniunt Christo in præſentiâ naturali, conveniunt eidem in ſacramentali, ſecùs quæ dependentia; figura autem intrinſeca eſt à loco independens, figura extrinſeca eſt dependens, undè & localis dicitur, ideò &c. Secundò, quia figura intrinſeca ſpectat ad veritatem humani corporis, & eſt effectus primarius quantitatis ab ipſa omninò inſeparabilis; ſpectat ad veritatem humani corporis, nec enim eſſet verum corpus humanum illud, in quo omnes partes eſſent ſibi æquè immediatæ, nec inter caput, & pedes v.g. membra alia mediarent; eſt effectus primarius quantitatis, quia figura intrinſeca coincidit cum impenetratione partium in ordine ad ſe, & exigentia ſimilis impenetrationis in ordine ad locum, quam priorem impenetrationem, & exigentiam poſterioris ſuppono ex phyſicis eſſe maximè eſſentialem quantitati: atqui Christus in præſentiâ ſacramentali habet, tùm verum corpus humanum, tùm quantitatem, ac per conſequens quidquid eſt eſſentiale quantitati; ergo habet in præſentiâ ſacramentali figuram intrinſecam, & organicam: Quia verò non habet in ſacramento quantitatem cum ſuo effectu ſecundario idest modo dimenſivo, cum commenſuratione partium ad locum, & cum diſtantiâ, vel indiſtantia locali ipſarum ab invicem, quæ omnia importantur à figurâ extrinſecâ, conſequens eſt, quod hanc in præſentiâ ſacramentali non habeat, ſed in naturali tantùm, in quâ non ſolum cum quantitate, ſed etiam cum modo quantitativo, & effectu ſecundariò ipſius exiſtit.

123 Nec refert, quod Christus de facto in præſentiâ naturali habeat corpus glorioſum, & dotem ſubtilitatis, quæ eſt quædam participatio ſpiritualitatis, adeò ut ratione ipſius corpus glorioſum vocetur ſpirituale ab Apoſtolo 1. *Cor.* 15. Non refert inquam, neque ex hoc ſequitur Christum in Cælo exiſtere eo modo ſpirituali, quo in Sacramento: enim verò dos ſubtilitatis reddit corpus ſpirituale in modo operandi potius, quàm in modo exiſtendi, & inſervit ad penetrationem corporis glorioſi cum non glorioſo, at non cum alio glorioſo, aut cum ſeipſo, ſeù quo ad proprias partes inter ſe, ut ex profeſſo explicabamus in Tract. de Beatitud. *lib.* 3. *cap.* 4. §. 3.

124 Ratio dubitandi pro figura ſituali Christi in ſacramento.

Dices impugnando primam rationem deſumptam ex regulâ generali prædicatorum dependentium, vel independentium à loco: Corpora mutant locum ſervatâ eâdem figurâ ſituali, & extrinſecâ, qui enim curru vehitur, aut navi ducitur, continuò locum mutat, & tamen poteſt ſervare eundem ſuarum partium ſitum, eamdemque extrinſecam poſitionem, puta eamdem ſeſſionem, vel ſtationem; ergo figura ſitualis eſt prædicatum à loco independens, & juxtà prædictam regulam generalem deberet in præſentiâ Christi ſacramentali eſſe eadem, quæ in naturali. Confirmatur probando directè in ſacramentali præſentiâ figuram ſitualem: Corpus Christi in ſacramento, neque confuſum eſt neque monſtroſum, ejus igitur partes habent diverſam, & ſingulæ propriam poſitionem; caput v. g. eſt collo propinquum, à pedibus diſtans; oculi pupilla eſt circularis habens omnes partes extremas æquè diſtantes à centro, digiti manuum ſunt oblongi, pectus latum &c. Atqui hæc important figuram ſitualem, ſeù localem, nam propinquitas, & diſtantia ſunt differentiæ loci, longitudo & latitudo ſunt differentiæ menſurarum, & ſupponunt modum exiſtendi dimenſivum: ergo corpus Christi in Sacramento habet figuram ſitualem, & favere videtur Bonaventura *in 4. diſt.* 10. docens Christum in Euchariſtia piè poſſe à fidelibus cogitari ſub figurâ Crucifixi, aut aliâ ſimili.

125 Sed contrà, dico locum mutari poſſe vel acquirendo alium æqualem, vel acquirendo alium quemcumque ſivè majorem, ſivè minorem, etiam indiviſibilem; primo modo tranſeat poſſe corpora mutare locum ſervatâ eâdem figurâ ſituali, & extrinſecâ, ſecùs ſecundo modo; poteſt ſcilicet ſervari eadem ſeſſio eademvè ſtatio in diverſis locis æqualibus, ſeù per commenſurationem ad diverſa loca æqualia, at non in diverſis locis quibuſcumque, ſivè majoribus, ſivè minoribus, etiam indiviſibilibus; ſi quæ igitur eſt in figurâ ſituali independentia à loco, ſeù indifferentia ad locum, eſt ſolum in ordine ad loca æqualia, non in ordine ad loca quæcumque, ut tamen deberet eſſe pro inſtantiæ intento, & ad inferendum Christum in præſentiâ ſacramentali ſervare poſſe figuram ſitualem, quam habet in præſentiâ naturali.

126 Ad confirmationem adverto, quod licèt diſtantia, propinquitas, longitudo, latitudo ſecundum uſitatiorem acceptionem ſint differentiæ loci, & menſuræ extenſionis localis; nihilominus poſſunt etiam ipſæ latius accipi, & dividi, ſicut dividitur figura in intrinſecas, & extrinſecas, entitativas, & locales, adeò ut partes taliter unitæ inter ſe, ut exigant diſtantiam localem, & extrinſecam, dicantur habere diſtantiam entitativam, & intrinſecam, itidemque longitudinem entitativam, & intrinſecam illæ, quæ taliter inter ſe uniuntur, ut petant habere locum in longitudinem protenſum, quod quidem in prioribus provenit ex eo, quod duæ partes non uniantur inter ſe immediatè, ſed admittant alias intermedias, in poſterioribus ex eo, quod plures partes uniantur verſus unicum terminum, ſeù unicam extremitatem: Hinc ad argumentum dico, caput corporis Christi in ſacramento exiſtentis, ſeù in ſacramentali præſentia eſſe collo propinquum, & à pedibus diſtans pro-

Inter partes corporis Christi in sacramento datur propinquitas, & distantia intrinseca, non extrinseca; entitativa, non localis.

pinquitate, & distantiâ intrinsecâ, & entitativâ non extrinseĉâ, & locali; pupillam oculi esse intrinsecè non extrinsecè circularem, & habere omnes partes æquè distantes intrinsecè, non extrinsecè à centro, & sic de cæteris: Porrò ex eo, quod corpus Christi in sacramento taliter se habeat entitativè, & intrinsecè, sequitur, quod neque confusum neque monstrosum, ex eo, quod non eodem modo se habeat localiter, & extrinsecè sequitur, quod careat figurâ situali.

127 Quomodò possit in Eucharistia excogitari figura Crucifixi, aut alia similis.

Ad D. Bonaventuram dico ex eo, quod quælibet pars corporis Christi sit in qualibet parte hostiæ, ipsum deducere, quod possimus cogitare in parte superiore hostiæ caput non cogitando de aliis ibidem existentibus, & similiter in inferiori pedes, in lateralibus manus, in medio reliquum corpus; sicque designare quodammodo, & excogitare in Eucharistiâ Christi Corpus sub figurâ Crucifixi per simplicem appræhensionem, hancque præcisivam, non per affirmationem; quod est piè, & ad fidelium devotionem excitandam accommodatè magis, quàm scholasticè dictum; nec propterea D. Bonaventura ullatenus docuit corpus Christi in sacramento habere extrinsecam, & localem figuram Crucifixi, aut aliam similem.

128 Ex his habetur primò esse totum, aut ferè totum de nomine dissidium inter Sotum, Ledesmam, aliosque nonnullos ex unâ parte, & Nominales ex aliâ, dum isti, ut refert Suarez *disp.* 48. *sec.*1.§. *Ad quartum* absolutè negant, illi vehementer affirmant in Corpore Christi sacramentaliter existente pedes à capite magis, quam collum distare; possunt autem utrique conciliari, si priores, qui affirmant, intelligantur de distantiâ intrinsecâ, & entitativâ, posteriores, qui negant, de extrinsecâ & locali. Eodem conciliationis modo vitabitur contradictionis nota in uno eodemque Auctore, qui aliquando inveniatur dixisse partes corporis Christi in sacramento esse unam extra aliâ, non subintrare, seù non penetrari invicem, distare &c. aliquando è contrà esse omnes unam intrà aliam, indistantes, subintrantes, compenetratas. Satius tamen, & optimum consilium erit, cautè loqui, & prædictis terminis apponere semper aliquid insinuans, utrùm de partibus intrinsecè, an extrinsecè; in ordine ad se, an in ordine ad locum consideratis procedant: Videtur autem præcipuè observanda hæc cautela, quando de partibus corporis Christi affirmabitur distantia, propinquitas, longitudo &c. cum enim isti termini, ut præmisimus, juxtà usitatiorem acceptionem ad locum extensionemque localem referantur, de hâc intelligi debere præsumentur, quoties ex contextu, vel ex additamento aliquo non constabit procedere secundùm acceptionem minùs usitatam, & relatè ad modum existendi entitativum, ac intrinsecum: Ob hanc cautelam non servatam Mastrius *disp.*3.*quæst.* 11.*art* 2. *num.*247. notat, ut cautè legendum in hâc materiâ, Lauræam *disp.*21.*art.*12.*num.* 166.

Habetur secundò Christum in sacramento, nec stare, nec sedere, nec jacere, nec plicatas, nec extensas habere manus, nec erectum, nec inclinatum caput; hujuscemodi enim positiones spectant ad figuram situalem, & extrinsecam, accidentalem & variabilem in humano corpore; non ad intrinsecam organicam, & substantialem, quæ nisi corpus mutiletur, aut corrumpatur, invariata remanet, eademque est in corpore, sivè stante, sivè jacente, in manu sivè extensâ, sivè plicata: Undè etiam quomodocumque Christus in Cælo figuram situalem mutet, retinet immutatam eam, quam habet in sacramento, ut potè à situali diversam, & dumtaxat organicam.

129 Christus in sacramento nec stat, nec sedet, nec jacet; nec plicatas, nec extensas habet manus &c.

Habetur tertiò, quidquid de figurâ corporis Christi in sacramento mox tradidimus, posse breviter confirmari, & concludi verbis illis, quibus D. Thomas *in* 4. *dist* 10. concludit articulum secundum dicens: *Quamvis corpus Christi, prout est sub sacramento, habeat partes distinctas, & situatas situ naturali, non est tamen assinare in partibus dimensionum panis, ubi singulæ partes corporis Christi jaceant; nec tamen sequitur, quod dicamus corpus Christi confusum, quia ordinem habens partes inter se, sed secundum ordinem illum non comparantur ad dimensiones exteriores.*

130 Assert. III. Præsentia sacramentalis est supernaturalis in modo tantùm, non in substantiâ. Ità Soto *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 4. Arriaga *disp.*31.*sec.*1.*subsec.*3. Lauræa *disp.*21. *art.*vlt. Madernus *quæst.*3.*art.*7. *nu.*6., & aliqui alii contrà Suarium *disp.* 48. *sec.*1. §. *Nihilominus.* Lugum *disp.*5.*sec.*7. Mastrium *disp.*3. *quæst.*11.*art.*2.*num.*249. Gonetum *disp.*5.*art.*3. *num.*50., & plures alios tùm Thomistas, tùm Recentiores: Qui, sicut & Auctores pro asserto adducti, diversas ineunt ad intentum suum probandum vias, prout diversimodè sentiunt de ratione formali præsentiæ sacramentalis, hancque collocant vel in entitate modali, vel in relatione, vel in complexo: Nobis conformiter ad supradicta §. 3. & 4. per complexorum viam procedendum est; & hâc via assertum.

Præsentia sacramentalis est naturalis in substantia.

Probatur, & explicatur: Præsentia sacramentalis considerari potest, vel in ordine ad locum, in quo sunt species, vel in ordine ad ipsas species; Sub primâ consideratione est complexum omnium, & singularum partium corporis Christi cum omnibus, & singulis partibus loci; sub secundâ est complexum tùm omnium, & singularum partium corporis Christi cum omnibus, & singulis partibus specierum, tùm effectivæ sustentationis, & intimæ efficientiæ illius in istas; sicque præsentia sacramentalis, quomodocumque consideretur, non dicit ullam simplicem, & absolutam entitatem præter corpus Christi, locum, & species; atqui corpus Christi, locus, & species sunt entitates intrinsecè, & in substantiâ naturales; ergo præsentia sacramentalis non dicit ullam simplicem, absolutamque entitatem intrinsecè, & in substantiâ supernaturalem, ac per consequens, nec ipsa præsentia talis est:

entitas

entitas enim complexa sequitur conditionem entitatum simplicium, ex quibus constat; nec potest esse supernaturale complexum, in quo nullum sit extremum simplex supernaturale: Tota igitur supernaturalitas præsentiæ sacramentalis in ordine ad locum consistit in penetratione, & replicatione singulatum partium corporis Christi, ad quam utramque sufficit concursus extrinsecus potentior, & indebitus, quo quælibet pars reproducatur in singulis partibus loci, & in hisce singulis ponatur, ac conservetur sine effectu secundario quantitatis: Totaque supernaturalitas ejusdem præsentiæ in ordine ad species concursui supradicto (quo quælibet corporis Christi pars cum quantitate specierum penetratur, & sub singulis specierum partibus replicatur, ponitur scilicet sine effectu secundario propriæ quantitatis sub quantitate specierum, & sub singulis specierum partibus reproducitur) addit alium concursum extrinsecum pariter potentiorem, & indebitum, quo Christi corpus elevatur ad efficientiam sustentativam, seù sustentationem effectivam specierum.

131 *Et supernaturalis solum in modo.*

132 Dices: Simul cum Christi corpore fit sacramentaliter præsens sub speciebus, & in loco specierum Unio hypostatica, Verbum, Divinitas, quæ utique sunt entitates in substantiâ supernaturales; ergo in toto complexo præsentiæ sacramentalis importantur entitates in substantiâ supernaturales. Deindè in corpore glorioso, ut penetretur cum aliis corporibus, datur ex dictis in tract. de Beatitud. *lib.3.cap.4.* § 3. peculiaris qualitas supernaturalis, quæ dos subtilitatis nuncupatur; ergo in corpore Christi videtur ponenda aliqua similis qualitas, ut ipsius partes penetrentur inter se, ac per consequens præsentia sacramentalis, quatenus penetrationem involuit, importat aliquam entitatem simplicem supernaturalem, idest qualitatem doti subtilitatis similem. Tandem elevatio corporis Christi ad effectivam sustentationem specierum videtur tribuenda virtuti supernaturali intrinsecus corpori superadditæ, potiùs quam concursui Dei merè extrinseco; ergo etiam complexum efficientiæ sustentativæ specierum importat aliquâ entitatem simplicem supernaturalem; ergo à primo ad ultimum, etiam procedendo in complexorum, & complexistarum viâ, præsentia sacramentalis aliquid in substantiâ supernaturale involuit, & in substantiâ supernaturalis est saltem partialiter.

133 Sed contrà: Infrà *cap.7.* §. 12. explicabitur unionem hypostaticam, Verbum, Divinitatem poni sub speciebus solum concomitanter, & quasi per accidens, non formaliter, & per se; hâc distinctione ad antecedens, & ad consequentiam adhibitâ dico, nostrum assertum procedere formaliter, & per se, nec ei obesse, quod præsentia sacramentalis importet concomitanter, & per accidens aliquid in substantiâ supernaturale. Ad illud quod additur, dico penetrationem partium corporis Christi inter se in unico actu consistere; ideò pro ipsa non esse ponendam in Christi corpore ullam qualitatem permanentem similem doti subtilitatis existenti in corporibus gloriosis, quibus convenire possunt novi successivè penetrationis actus cum diversis aliis corporibus: Deindè in corpore Christi penetratio est simul cum replicatione, non habemus autem vestigium ullius qualitatis, quæ detur ad causandam simul penetrationem, & replicationem. Ad postremum dico non esse inducendam illam intrinsecam virtutem sine necessitate, & cum nos *in tract. de Sacram lib.2.cap.4.*§.3. docuerimus sacramenta per concursum solum extrinsecum elevari ad causandam effectivè gratiam, jure nunc ponimus per similem solum concursum elevari corpus Christi ad sustentandas effectivè species.

134 Cæterùm quando admitteretur in Christi corpore qualitas quoad substantiam supernaturalis pro causandâ penetratione partium inter se; item qualitas alia, seù virtus similiter supernaturalis pro elevatione ad sustentandas species; utraque ad præsentiam sacramentalem se haberet præsuppositivè, & tamquam actus primus ad secundum, neutra ingrederetur formaliter constitutionem complexi, in quo præsentia sacramentalis consistit, ideò neutra concluderet in tali complexo, seù in præsentiâ sacramentali ullam supernaturalem entitatem à concursu effectivo Dei destinctam.

135 Dubitatur hic, Utrùm præsentia animæ Christi in Eucharistiâ ponenda sit quoad modum, ne dum quoad substantiam naturalis etiam ab illis, qui astruunt simpliciter, & in substantiâ supernaturalem præsentiam corporis? Affirmant aliqui, inter quos Lugus *præcit. sect. 7. num.* 173. Negant aliqui alii, inter quos Mastrius *præcit. art. a num* 250. Adverto præsentiam animæ in Eucharistiâ considerari posse, vel in ordine ad species, & locum specierum, vel in ordine ad proprium corpus, cujus est forma: Sub primâ consideratione existimo præsentiam animæ in Eucharistiæ ponendam esse ab omnibus prorsus naturalem, non enim ipsa sustentat effectivè species, sicut sustentat corpus, habet igitur præcisè, quod existat tota sub totis, & tota sub quâlibet parte specierum, tota item in toto, & tota in qualibet parte loci, in quo sunt species; at hic modus existendi est animæ sicut & cuilibet alii substantiæ spirituali debitus, & connaturalis, ergo. Sub secundâ consideratione existimo non posse carere aliquâ modi supernaturalitate, anima enim, ut est forma corporis, exigit determinatam sui corporis extensionem, nec potest naturaliter actuare, & informare corpus, aut cujuscumque magnitudinis, aut cujuscumque parvitatis, cum igitur corpus Christi in Eucharistiâ sit inextensum, & totum sub quâlibet parvitate, requiritur concursus Dei potentior, extrà ordinarius, & indebitus ad hoc, ut anima sit præsens corpori sic existenti tamquam forma ipsum informans.

Præsentia animæ in Eucharistia respectu specierum, & loci est omninò naturalis.

Respectu proprii corporis est aliqualiter supernaturalis.

136 Excogitant aliqui apud Arriagam *præcit. subsec.3.num.21.* etiam alium quemdam super-

naturalitatis modum in præsentiâ animæ respectu proprii corporis sacramentaliter existentis; putant scilicet animam in Sacramento habere ad quamlibet sui corporis partem plures præsentias, & esse in qualibet parte pluries, prout in qualibet sunt plures imò omnes partes ejusdem corporis. Verùm hujusmodi cogitatio est purè imaginaria, & in re falsa; habet enim anima ad plures corporis partes plures præsentias (subintellige partiales) quando illæ partes sunt in diversis partibus loci, at quando sunt in eâdem parte per eamdem præsentiam, per quam est præsens uni parti, est præsens pluribus, & omnibus, sicque est tùm in qualibet parte, tùm in omnibus, quatenus cum illâ penetratis semel non pluries, pro quo etiam recole supra dicta *num.* 80. ubi aliquid simile attigimus.

137 Ex his habetur præsentiam animæ Christi in Sacramento non esse sacramentalem, aut certè non esse talem, nisi materialiter, & concomitanter, ratione unionis, quam habet anima ad corpus sacramentaliter existens; Cæterum cum anima ratione sui, nec sustentet effectivè species, nec ponatur sub istis vi verborum, nec existendo spiritualiter existat modo indebito, & cum aliquâ partium penetratione, ac replicatione, desideratur in ipsâ etiam quatenus existente in sacramento, quidquid maximè pertinet ad propriam rationem præsentiæ sacramentalis formaliter, & per se talis; hancque habet quidem Christus in Eucharistiâ, at ratione corporis, non ratione animæ.

Non est vero sacramentalis, nisi materialiter, & concomitanter.

CAPUT V.

An, & quomodò Christus in Eucharistia Sacramento existens possit moveri, agere, & pati?

1 Stabilitis veritate, quiditate, & modo realis existentiæ, seu præsentiæ Christi in sacramento, consideramus nunc ipsum met Christum realiter in sacramento existentem, ac sacramentaliter præsentem comparativè ad ea, quæ ipsi sic præsenti, & existenti possunt de novo advenire, ac convenire, sive ad moveri, sive ad agere, & pati pertineant: Complectimur autem sub moveri omnem localem motum, organicum, inorganicum; ab intrinseco, ab extrinseco; per se, per accidens: Sub agere, & pati omnes actiones, & passiones; corporeas, spirituales; physicas, intentionales; immanentes, transeuntes; & ut quoad passiones ampliorem materiam titulo relinquamus, à statu, quem nunc Christus habet, abstrahimus, ejusque corpus sumimus, non solum ut de facto in Sacramento existit, quale est in Cælo, impassibile, & gloriosum; sed etiam ut poni potest, & re ipsâ poneretur, passibile, ac mortale, si tale esset in propriâ specie: Porrò initium facimus à motu locali, tùm organico, tùm inorganico, qui potest convenire Christo ab intrinseco idest dependenter à propriâ potentiâ locomotivâ, tùm organicâ, tùm inorganicâ terminorumque notione aliunde, & signanter ex tract. de Beatitud. *lib.* 3. *cap.* 4. §. 4. suppositâ, sit

§. I.

An, & quomodo possit Christus in Sacramento localiter movere se, seu moveri à se?

2 Assero I. Christus in Sacramento, seu sacramentaliter existens nequidem de potentiâ absolutâ potest localiter se movere motu organico. Est veri as receptissima ab omnibus, & facile remanebit probatissima.

Probatur igitur, & explicatur: Motus localis organicus ex parte potentiæ locomotivæ requirit organa soluta, & expedita; ex parte corporis, quod movetur requirit localem partium extensionem, & quod una pars sit extrà aliam, consistit enim in eo, quod corpus non moveatur totum simul, sed aut solum secundum aliquam partem, si sit motus organicus non progressivus, aut secundum unam partem post alteram, adeò ut alternatim, dum una movetur, altera quiescat, si sit motus organicus progressivus; Atqui Christus in Sacramento, seu sacramentaliter existens, nec habet soluta, & expedita organa potentiæ locomotivæ, præpediuntur enim hæc, occupantur, & quasi ligantur ab aliis totius corporis partibus simul compenetratis; Nec habet localem extensionem membrorum, partemque unam extrà aliam, existit enim inordine ad locum modo indivisibili, & inextenso; ergo Christus sacramentaliter existens nequit se movere localiter motu organico, hocque ei repugnat, & ex parte potentiæ organicè moventis, & ex parte corporis organicè movendi: Repugnat, inquam, etiam de potentiâ absolutâ, quia essentiale est, & de potentiâ etiam absolutâ necessarium, tùm motui organico supponere in mobili unam partem extrà aliam, & unam post aliam movere, tùm præsentiæ sacramentali importare modum indivisibilem, & inextensum; Repugnat igitur etiam de potentiâ absolutâ motus organicus cum præsentiâ sacramentali.

Christus in Sacramento non potest se movere motu organico;

Nequidem de potentia absoluta.

3 Hinc habetur Christum sacramentaliter existentem, & servatâ sacramentali existentiâ, etiamsi esset sub speciebus majoris extensionis, & magnitudinis, quàm esset extensio, & magnitudo humani corporis, non posse moveri motu progressivo, mutando per unam post alteram totum locum sui corporis; Non posse item motu organico simplici mutare locum partialiter, & movere dumtaxat aliquam sui corporis partem, puta manum attollere, os aperire, pulmones dilatare, aut restringere: Et quia respiratio, locutio, comestio, nutritio, & similes actio-

Respiratio, locutio, comestio, omnino impotant motu inorganicum & repugnaot Christo in Sacramento.

actiones nequeunt sine aliquo ex prædictis motibus fieri, consequens est Christum sacramentaliter existentem, & secundum sacramentalem præsentiam non posse hujusmodi rationes exercere, ut discurrit Amicus *disp. 20. num 5.*, & facillimè fiet cuicumque consideranti manifestum.

4

Major est quæstio de motu inorganico, & simpliciter delativo, quo mobile totum simul ab uno loco ad alium defertur virtute inorganicâ idest à corporeis organis independente, & pure spirituali: Enim ex unâ parte iste motus ut potè substantiis ipsis pure spiritualibus, Angelis scilicet, & animabus separatis conveniens nullam habet ex se repugnantiam cum modo existendi spirituali, & inextenso: Ex aliâ parte, quod Christus sacramentaliter existens possit se de facto eo motu movere, non pendet præcisè à non repugnantiâ illius cum modo existendi spirituali, & inextenso, sed à variis aliis conditionibus animæ, corporis, & ejusdem modi indivisibilis, seù præsentiæ sacramentalis, puta ab eo, quod animæ in statu unionis conveniat, nec ne potentia locomotiva inorganica? ab eo, quod corpus in sacramento existens sit, nec ne gloriosum; habeat nec ne dotem agilitatis? ab eo, quod præsentia sacramentalis sit, nec ne supernaturalis? sit nec ne Christo prorsus libera, adeò ut Christus pro libito possit illam amittere, & species deserere, se extrà species alibi constituendo, vel non? Quæ aliaque hujusmodi valdè incerta sunt, & partim in hoc tractatu, partim in philosophiâ disputantur in utramque partem; quia deindè debet unusquisque loqui servatâ doctrinæ cohærentiâ ex diversitate sententiarum circà præcedentia, magna quoque oritur diversitas, & varietas sentiendi circâ Christi potentiam, & virtutem ad movendum se inorganicè in sacramento. Hac animadversione interpositâ, sit

5

Assert. 1. De potentiâ absolutâ non repugnat Christum sacramentaliter existentem movere se, seù corpus suum motu inorganico: Et probabile est, neque etiam id repugnare de potentiâ ordinariâ, præsertim si supponatur corpus in Sacramento existens esse, ut de facto est, gloriosum, & ad ipsius motum simul moveri species, sub quibus continetur. Prima pars videtur communiter supponi; Secundam partem tradunt Amicus *disp 20. num 6.* Lauræa *disp. 22. art. 3. num. 45.* Herinex *disp. 3. quæst. 6. num. 68.* Madernus *quæst. 4. art. 6. conc. 2.*, & aliqui alii contrà Suarium *disp. 51. sec. 1. §. dico tertiò.* Arriagam *disp. 37. sec. 1. num. 2.* Mastrium *disp. 3. quæst. 14. num. 348.* Gonetum *disp. 5. art. 3. num. 67.*, & alios fortè magis communiter. Utrique Auctores referunt pro suâ sententiâ Scotum *in 4 dist. 10. quæst. 7.* Sed verè stat pro Adversariis, enim verò Subtilis Doctor, postquam circà medium quæstionis concessit animæ Christi in sacramento potentiam motivam inorganicam, in quæstionis fine statuit talem potentiam posse movere aliud corpus approximatum, non corpus suum. Potius inter antiquiores nobis favet Aureolus *ead. dist. 10. quæst. 3. art. 3.* concludens Christum in Sacramento posse virtute non organicâ movere species, & se per accidens ad motum specierum: Adhuc tamen nos aliquid ampliùs intendimus, nimirùm Christum motu inorganico posse movere per se proprium corpus æquè, ac species.

6

De potentia absoluta non repugnat Christum in sacramento se moveri motu inorganico:

Probatur prima asserti pars. Motus inorganicus potest convenire corpori habenti modum existendi spiritualem, ac indivisibilem, & sivè possit causari à virtute naturali intrinseca animæ in statu unionis, sivè non, quod pro nunc omitto, certè potest causari à Deo immediatè; atqui in effectibus ad extrà Deus est simpliciter liber ad operandum, vel immediatè se solo, vel mediatè, seù mediante creaturâ, ergo motus inorganicus in corpore habente modum existendi indivisibilem causari potest á Deo etiam mediatè, ergo in corpore Christi habente in sacramento modum existendi indivisibilem causari potest à Deo mediante ipsâ Christi animâ, aut per novam aliquam virtutem superadditam, aut per fortiorem concursum extrinsecum roboratâ, & quasi per modum instrumenti assumptâ ad movendum inorganicè, tùm se ipsam, tùm corpus sibi unitum; Atqui hoc esset Christum sacramentaliter existentem movere se, seù corpus suum motu inorganico, ergo hoc de potentiâ absolutâ non repugnat, ut magis & à fortiori constabit ostendendo id, nec de potentiâ ordinariâ, & per virtutem naturalem animæ repugnare: Ideò

7

Imò neque id repugnat de potentia ordinaria.

Probatur secunda asserti pars: Anima saltem separata habet sibi intrinsecam virtutem motivam inorganicam, quâ potest, tùm se, tùm alia à se motu inorganico naturalitèr movere sicut potest Angelus; atqui anima Christi etiam in statu unionis ad corpus habet perfectionem animæ separatæ, & sicuti, ut suppono *ex tract. de Incarnatione lib. 2. cap. 4. §. 1.* potest ad modum animæ separatæ exercere virtutem intellectivam, ità non est, cur nequeat ad eumdem proportionaliter modum exercere virtutem locomotivam; ergo Anima Christi etiam in statu unionis potest per virtutem sibi intrinsecam motu inorganico naturaliter movere se, & alia à se, & inter alia corpus suum; ergo hoc poterit etiam in sacramento, cum corpus sacramentaliter existens motui inorganico non repugnet, imò non possit aliter, quàm inorganicè moveri, sicut non possunt aliter, quàm inorganicè moveri res spirituales, quibus quoad modum existendi in loco assimilatur corpus existens sacramentaliter; ergo à primo ad ultimum probabile est, neque etiam de potentiâ ordinatiâ repugnare, quod Christus sacramentaliter existens moveat se, seù corpus suum motu inorganico: Addidi autem *præsertim si corpus supponatur gloriosum*, quia corpus gloriosum propter agilitatis dotem est magis aptum, & melius dispositum ad suscipiendum quemcumque motum inorganicum ab ani-

mâ

mâ causandum, & propter statum beatifici eminentiam congruentius admittit in animâ sibi unitâ perfectionem separatæ, ut explicabamus *in tract. de Beatitudine lib. 3. cap. 4. §. 4.* Addidi insuper, *& ad ipsius motum supponantur simul moveri species sub quibus continetur*, Nam utrùm Christus possit se, suumque corpus sub speciebus contentum movere immotis speciebus, ab ipsis scilicet in priore loco relictis ad locum alium transire, est diversa difficultas, in quâ, ut benè docet Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 6. §. Ad intellectum Versic.*, *& si quæres*, saltem de potentiâ ordinariâ negativè sentiendum est, propter certitudinem, quâ credimus species consecratas, quamdiù manent, Christum continere: At hoc parùm refert ad rem nostram, ut enim absolutè loquendo Christus sacramentaliter existens possit se corpusque suum inorganicè movere, satis est, quod id possit movendo simul species, & servando ad ipsas præsentiam, unionemque effectivam, de quâ *cap. præced. §. 3.*

8 **Dummodò simul movetur species sacramentales, sub quibus Christus existit.**

Dices: Dato quod anima Christi etiam corpus, cui unita est, possit virtute naturali inorganicè movere, quando extrà sacramentum existit modo quantitativo, & fortè, ut observat Scotus *præcit. dist. 10. quæst. 7. §. Respondeo*, circà finem Christus de facto rali virtute usus sit quando *Luc. 2.* evadens de Parentum manibus remansit in Jerusalem absque eo, quod illi cognoverint, Item quando *Luc. 4.* elapsus est de manibus Judeorum, qui ipsum, ut præcipitarent, in supercilium montis duxerant: Hoc inquam dato, non potest eâdem virtute naturali moveri inorganicè corpus existens intrà sacramentum modo inextenso, primò, quia universim non valet illatio à motu extrà ad motum intrà Sacramentum, alioqui posset Christi anima movere suum corpus organicè intrà sacramentum, sicut movet extrà: Secundò, quia corpus extrà Sacramentum existens modo quantitativo, dum movetur, acquirit novam præsentiam naturalem; si verò existens sacramentaliter modo inextenso moveatur, acquirit novam præsentiam modo inextenso, adeòque supernaturalem, virtus autem motiva naturalis potest ad novam naturalem non ad novam supernaturalem præsentiam movere, illamque non istam inducere.

9

Sed contrà: Ad primum fateor non valere universim illationem à motu extrà ad motum intrà sacramentum, non est tamen contemnenda, ubi agitur de motu susceptibili in corpore habente inextensum, & indivisibilem æquè, ac extensum, & quantitativum existendi modum, qualis est motus inorganicus, non motus organicus.

10

Ad secundum adverto, & ex sæpiùs dictis recolo præsentiam sacramentalem aliam esse ad species, aliam ad locum, & istam dumtaxat non illam mutari, dum corpus Christi movetur, sivè per se, sivè per accidens, & ad specierum motum moveatur. Adverto insuper, & ex *cap. præced. §. ult.* suppono præsentiam sacramentalem, sivè ad species, sivè ad locum esse supernaturalem solùm in modo, & modum istum in ordine ad species maximè consistere in concursu extrinseco elevante corpus ad sustentativam ipsarum efficientiam, in ordine verò ad locum in penetratione, & replicatione omnium partium corporis in quâlibet parte loci, in quo sunt species. Hinc ad instantiam dico, si corpus sacramentaliter existens moveatur, verè acquirere in ordine ad locum novam præsentiam supernaturalem, at solum in modo, naturalem verò in substantiâ. Neque illico urgeas, virtutem naturalem, nec etiam effectum supernaturalem solùm in modo posse attingere, alioqui sistendo in subjectâ materiâ, posset naturalis virtus causare quamcumque corporum penetrationem, & replicationem,

11

Contrà enim, Non potest virtus naturalis attingere effectum in modo supernaturalem, si debeat simul attingere, & ex se ponere modum ipsum; secùs verò, si dumtaxat effectum, modus verò aliundè supponatur ex vi alicujus præcedentis miraculi, sicut in proposito modus supernaturalis in penetratione, & replicatione consistens in corpore sacramentaliter existente supponitur ex continuatione prioris miraculi, nec per hoc quod species, & corpus locum mutent, mutatur miraculum, & fit miraculum recens, sed perseverat præcedens, quousque permanent species, & Christus sub ipsis: Concludo igitur, & ad postrema instantiæ verba dico, virtutem naturalem posse movere ad præsentiam supernaturalem in modo, & hanc inducere, quando jam supponitur, non de novo ponitur modus supernaturalitatis, ut in casu nostro.

Quandonam virtus naturalis possit attingere effectum supernaturalem in modo?

12

Accedit, quod argumentum videtur nimis probare, æquè enim militat contrà quamcumque corporis replicati præsentiam etiam extensam, & circumscriptivam, nam secunda præsentia etiam extensa, & circumscriptiva est quoad modum supernaturalis, sicque corpus in duobus locis circumscriptivè positum non posset in utroque naturaliter moveri, imò si esset æquè primò positum in utroque, naturaliter moveri posset in neutro, quia nulla esset ratio, cur naturaliter moveri posset in uno potius quam in alio. Scio Arriagam *præcit. sec. 1. num 4.* velle corpus in duobus locis circumscriptivè positum posse naturaliter moveri solum in eo, in quo prius, & per præsentiam omni modo naturalem extitit, vel sisit positum in utroque æquè primò, solum in eo, quem præ alio Deus determinaverit. Verùm hoc duriusculum est, & meo videri nequit negari, quod oppositum sit saltem probabile; est igitur etiam saltem probabile, quod possit naturaliter moveri corpus replicatum secundum præsentiam sacramentalem, indivisibilem, & inextensam; Nec aliquid amplius asserro nostro intenditur.

13

Si quæras: Utrùm Christus sacramentaliter existens exierit de facto in aliquem actum motus inorganici, quo propria virtute naturali se ipsum, & species localiter move-

Christus in hostia consecrata aliquando se ipsum, & hostiam movit motu inorganico.

moverit? Crediderim cum Lauraea *pracit. num.* 45., & Maderno *pracit. conc.* 2. posse verisimiliter affirmari, & id forte factum fuisse in variis casibus apud Sozomenum *lib.* 6. *Histor. cap.* 29. relatis, & aliis similibus, in quibus hostia consecrata nullo deferente, aut impellente mota fuit, & vel ad spirituale solatium alicujus justi, & sancti in ipsius os se transtulit, vel ad evitandam impiorum injuriam, aut confundendam infidelium pertinaciam ab ipsis declinavit, alibi longiùs se constituens: Ratio est, quia in his casibus, licet potuerit hostia moveri à Deo, vel immediatè, vel mediante Angelorum ministerio, nihilominus minus congruè recurritur ad motorem extrinsecum pro motu, pro quo nihil impedit, quin recurratur ad virtutem intrinsecam ipsius animæ Christi, qui sicuti ex tali virtute aliquando se inorganicè movit sub præsentiâ quantitativâ, & extensa, ut observavimus *praced. num.* 9. ità verisimile est ex eâdem virtute aliquando se inorganicè movisse sub præsentia sacramentali, & inextensâ; quod cum jam ostensum sit posse de lege ordinariâ evenire, facile concedi debet de facto evenisse in illis casibus, in quibus probari nequit oppositum, quales sunt casus prmemorati.

---

§. II.

An, & quomodo Christus in Sacramento possit localiter movere alia, vel moveri ab aliis?

14

ASSERT. I. Christus ut in Sacramento, seù sacramentaliter existens nequidem de potentiâ absolutâ potest alia movere motu locali organico, benè verò etiam de potentiâ ordinariâ motu locali inorganico: Prima pars est receptissima, & solâ indiget explicatione. Secunda pars est à fortiori Auctorum, quos pro secundâ præcedentis asserti parte *num.* 5. retulimus, & insuper Scoti *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 7. §. *Respondeo versic. Secundum.* Mastrii *pracit. num.* 348. Aureoli *pracit. art.* 3. *conc.* 3., & aliorum plurium præsertim ex Scotistarum, & Nominalium scholis contrà plures, tùm Thomistas, tùm Recentiores non agnoscentes in animâ Christi corpori unitâ ullam virtutem motivam inorganicam.

Christus in sacramento, nec de potentia absoluta movere potest alia à se motu locali organico.

Probatur, & explicatur prima pars: Motus localis organicus requirit localem extensionem non solum ex parte ejus, quod movetur, sed multo magis ex parte principii, seù potentiæ moventis; atqui Christus ut in sacramento, seù sacramentaliter existens nequidem de potentiâ absolutâ potest aliquid movere cum extensione locali ex parte principii, seù potentiæ localiter moventis, in Christo enim ut sacramentaliter existente nihil est, quod retineat, aut retinere possit localem extensionem; ergo Christus ut in sacramento, seù sacramentaliter existens nequidem de potentiâ absolutâ potest &c. Major probatur, quia non quidquid movetur per unam partem post aliam, movetur motu organico, alioqui etiam Angelus posset causare motum organicum, quia etiam ipse potest corpus extensum in aliquo plano per unam partem post aliam trahere, vel impellere, omninò igitur requiritur, quod etiam potentia movens extensa localiter sit, & per unam partem post aliam moveat, quatenùs organum, non totum simul exeat in actum virtutis motivæ, sed prout ad unam partem priùs quam ad alteram perveniunt spiritus motui inservientes, ità una prius quàm altera organi pars ab animâ in actu secundo vivificetur ad movendum, & impellendum, vel proprium, vel extraneum corpus; ergo motus localis organicus requirit localem extensionem &c. Hocque recidit in id, quod suprà *num.* 2. breviùs dicebatur, motum organicum ex parte potentiæ locomotivæ requirere organa soluta, & expedita.

15

Hinc habetur repugnantiam, ob quam Christus nequit organicè movere, aut se, aut alia à se spiritualia oriri, tùm ex parte rei movendæ, tùm ex parte principii moventis; eam verò, ob quam nequit organicè movere alia à se corporalia, & modo quantitativo sibi connaturali existentia oriri solum ex parte principii moventis; sicque priorem repugnantiam esse majorem, aut potius esse majorem illius causam.

16

Potest verò etiam de potentia ordinaria ea movere motu locali inorganico.

Probatur secunda asserti pars, imò à fortiori remanet probata *ex praced. num.* 7. Si enim anima Christi verè habet virtutem motivam inorganicam, quâ potest naturaliter movere proprium corpus sacramentaliter, & per præsentiam in modo supernaturalem existens, multo magis poterit movere naturaliter eâdem virtute res alias, sivè corporeas, sivè spirituales habentes, ut supponitur, præsentiam omni modo naturalem: Atqui hoc est Christum ut in sacramento, seù sacramentaliter existentem posse etiam de potentiâ ordinariâ movere alia motu locali inorganico; ergo benè Christus id potest.

Dices: Anima Christi, ut in Sacramento, nec per impulsum, nec per imperium, nec per motum sui ipsius, aut sui corporis potest movere res alias à se omninò disparatas, & separatas: Non per impulsum, quia ad istum imprimendum requiritur physicus contactus, & ad physicum contactum localis extensio eorum, quæ se contingunt: Non per imperium, quia anima solùm corpori proprio dominatur non rebus aliis quibuscumque: Non per motum sui ipsius, aut sui corporis, quia ut unum moveatur per motum, seù ad motum alterius, requiritur aliqua utriusque unio, quam habet anima solum ad proprium corpus, & medio corpore ad species, ergo Christus in sacramento, esto possit per virturem inorganicam animæ intrinsecam naturaliter movere proprium corpus, & species, sub quibus corpus existit, non sic poterit movere res alias disparatas,

17

Imprimendo impulsum, spiritualem in rebus spiritualibus, materialē in materialibus.

paratas, & separatas. Sed contrà: eodem modo probaretur Angelum, & animam separatam non posse localiter movere rem ullam extrinsecam, seù aliam à se; ad instantiam directè dico animam Christi, seù Christum, ut in sacramento posse movere res alias per impulsum ipsis impressum, seù in ipsis productum, & ad huno imprimendum dico non esse necessarium contactum quantitativum, & commensurationis, sed sufficere entitativum, & approximationis, qui rei etiam spirituali, aut spiritualiter existenti optimè convenit, & verus, ac realis est: utrùm verò etiam dicendus sit physicus? spectat ad modum loquendi, & quæstionem de nomine. Porrò prædictus impulsus erit spiritualis, vel materialis qualitas, pro ut rebus spiritualibus, vel materialibus imprimetur, sicuti eâdem ratione spiritualis, vel materialis est impulsus, qui potest ab Angelo, vel ab animâ separatâ rebus aliis imprimi.

18

Explicato quomodò Christus existens in sacramento mouere possit localiter alia? explicemus jam, quomodò moveri possit localiter ipse ab aliis? idest vel à Deo, qui est motor increatus, vel ab Angelo, qui est motor creatus spiritualis; vel à Sacerdote, aliove homine, qui est motor creatus corporeus: Cum verò *præced. num.*2. ostensum sit præsentiam sacramentalem omninò repugnare cum motu organico, ly *quomodò* non debet ampliùs ad motum organicum referri, sed ad solum inorganicum, & de hoc quærendum, an Christus ut habens, & retinens præsentiam sacramentalem possit à Deo, Angelo, vel homine localiter moveri, tùm per accidens, tùm per se, an solùm per accidens? Item utrum possit localiter moveri relictis speciebus immotis, sicque per motum localem separari à speciebus, & quasi avelli? Ut verò, quod faciliùs, certiusque est, præmittam.

19

Ex eo, quod Christus sit localiter, ubi sunt species, consequens est moveri localiter quoties movētur localiter species

Adverto non posse negari, quin Christus de facto moveatur localiter, quoties moventur localiter species consecratæ; cum enim *ex cap. præced.* § 4. verè, & propriè existat in loco, in quo sunt species, consequens omninò est, quod successivè coexistat loco, cui successivè coexistunt species, & moveatur in loco, in quo species moventur, & quoties moventur: Deindè quoties species locum mutant, mutat quoque locum Christus, & sicuti existit sub speciebus in novo loco existentibus, ità & ipse in novo loco existit; at non aliter, quàm per motum localem; si enim aliter maximè eo modo, quo Christus primò ponitur sub speciebus, & primò fit sacramentaliter existens, idest per adductionem, aut reproductionem; at hoc non quia sic Christus non existeret sub speciebus, quando species sunt in via, & in motu: Deindè quia Christus primò ponitur sub speciebus, & in loco specierum ex vi actionis transubstantiativæ; non fit autem nova transubstantiatio, nulla materia de novo consecratur, nulla forma de novo profertur, dum speciebus ad novum locū motis fit in tali novo existens Christus. Tandem dum Christus primò ponitur sub speciebus, & in loco specierum, non amittit ullam præsentiam in loco, in quo anteà erat, sicuti tamen dum motis speciebus fit præsens in loco, in quo species existunt de novo, amittit præsentiam in loco, in quo species existebant anteà.

20

A quibus, & ex quo fundamento negetur omnis motus localis Christo sub speciebus existenti?

Hinc impugnata manet doctrina, tùm Durandi *in 4. dist. 10. quæst. 3.* tùm Vasquii *hic disp. 190. cap. 4. n. 46.* Gonēti *disp. 5. art. 3. nu. 69.* & aliorum præsertim ex Scholâ thomisticâ, qui sicuti existimant Christum Sacramentaliter existentem non esse ratione sui, & per præsentiam à præsentiâ specierum distinctam in loco, ità existimant ipsum in loco non moveri, & propiereà Durandus absolutè ait Christum existentem in hostiâ, nec moveri per se, nec per accidens ad motum hostiæ; Vasquez, Gonetus, & alii admittunt moveri per accidens ratione specierum præcisè, & per denominationem extrinsecam à motu in solis speciebus recepto, nullatenùs ratione sui, & per motum receptum in se, quod est motum localem in Christo sacramentaliter existente admittere voce dumtaxat, non re. Verùm corruit hęc doctrina ex falsitate sui fundamenti, & impugnata manet ex eo, quod *præcis.* § 4. ostensum est, Christum, sub speciebus positum esse propriè, & ratione sui in loco, in quo sunt species, ac consequenter moveri propriè, & ratione sui in loco, in quo moventur species.

21

Remanet nunc dubium, à quonam Christus, dum species moventur, seù ad specierum motum moveatur? Utrùm à movente species, qui est, ut plurimùm Sacerdos Eucharistiæ minister, an à se ipso, an ab alio motore extrinseco puta Deo, vel Angelo? reducitur autem controversia pręcipuè ad moventem species, & ad Deum: Docent moveri à movente species multi, tùm Thomistæ, tùm Recentiores, quorum meminimus *cap. præced. num* 40., agnoscentes inter Christum, & species consecratas aliquam unionem, aut qualitatem, quâ inseparabiliter invicem alligentur, reddanturque intrinsecè inseparabiles: Docent moveri immediatè à solo Deo, Scotus, & Scotistæ magis communiter, qui nullâ admissâ inter Christum, & species unione, aut alligatione per aliquid intrinsecum factâ, totam Christi à speciebus, specierumque à Christo inseparabilitatem refundunt in decretum extrinsecum Dei, qui propterea ex vi talis decreti teneatur, quoties moventur localiter species, movere localiter Christum ad species comitandas, ne ab ipsis separetur.

22

Christus verè, & ratione sui movetur ad motum specierum.

Assert. II. Christus, ut in sacramento, seù sacramentaliter existens verè, & in se movetur per accidens ad motum specierum, & iste motus de facto provenit à Sacerdote, aut alio quocumque movente species, non immediatè à solo Deo. Prima pars est valdè communis contrà Durandum, Vasquium, & Gonetum locis relatis *præced. num.* 20. Secunda pars est Suarii *disp. 51. sec. 1.* §. *dico ultimò.*

ultimò. Amici *disp.20.num.13.* Maderni *quæst.4. art.6.num.7.*, & aliorum plurium contrà Scotum *in 4.dist.10.quæst.6.§. Ad intellectum. Versic. Quarta est.* Mastrium *disp.3. quæst.14. art.1.num.349.* Lauræam *disp.22. art.4. nu.61.* Herinex *disp.3.quæst.6. num.68.*, & alios Scotistas, ad quos ex Recentioribus accedit Arriaga *disp.37. sec.2. num.9.*

Probatur prima asserti pars, imò supponitur ex jam dictis partim *cap. præced.* §. 4. partim mox suprà *num.19.*, *&* 20. Nec operæ pretium est majorem probationem inquirere.

23 Movetur autem à Sacerdote movente species, nō immediatè à solo Deo

Probatur secunda pars: Si motus, quo Christus movetur ad motum specierum, potest provenire mediatè, & comitanter à Sacerdote movente species, de facto provenit ab ipso potiùs, quàm immediatè à solo Deo, atqui verè potest sic à Sacerdote provenire, eademque est ratio de alio quocumque movente species; ergo de facto sic provenit à Sacerdote, aut alio quocumque movente species, non immediatè à solo Deo. Major probatur tùm ex regulâ generali non recurrendi ad causam primam pro effectu, pro quo potest sufficienter assignari causa secunda, tùm ex aliâ regulâ generali non intelligendi impropriè locutiones à Conciliis traditas, aut ex communi fidelium sensu receptas, si possint propriè intelligi; est autem partim traditum à Tridentino *sess. 13. cap. 5.*, *& 6.* partim receptum communi sensu fidelium, quod Christus, ejusvè corpus dicatur à Sacerdote elevari in altari, deferri ad infirmos, gestari in processionibus admoveri communicantibus; & hęc quidem propriè intelliguntur, si motus, quo Christus ad motum specierum movetur, proveniat à Sacerdote, valdè verò impropriè si à solo Deo, sicut si in cistâ v. gr. esset vas argenteum, quod à solo Deo, vel Angelo ad cistæ motum moveretur, valdè impropriè tale vas diceretur elevari, deferri, gestari ab alio quocumque, qui elevaret deferret, gestaret cistam. Et hic obiter adverto necessitatem, seù congruentiam intelligendi propriè prædictas locutiones suadere, quod neque à se ipso Christus moveatur, dum movetur ad motum specierum, seù motis à Sacerdote speciebus.

Nec à se ipso.

24 Probatur jam minor primi argumenti, Species consecratæ habent cum Christo unionem connexionemque sufficientem ad hoc, ut ipsum secum trahant, nam licèt cum ipso non uniantur tamquàm actus cum potentia, & forma cum subjecto, sed solum per quandam sustentationem activam ex parte Christi, passivam ex parte specierum, hujusmodi tamen unio habetur per efficientiam intimam, & quò ad inseparabilitatem extremorum æquivalet unioni, quæ est inter subjectum, & formam, sicuti igitur propter naturalem inseparabilitatem intrinsecam inter subjectum, & formam, qui movet per se, ac immediatè subjectum, movet per accidens, concomitanter, ac mediatè formam, & è converso; ità Sacerdos, vel alius quicumque movens immediatè, ac per se species potest simul mediatè, ac per accidens movere Christum sub speciebus positum, ipsisque per efficientiam intimam quasi alligatum, ut explicabamus *cap. præced.* §.3.

Dices: Id quod non potest ab aliquâ virtute motivâ immediatè, & per se moveri, neque potest ab eâdem virtute moveri mediatè, & per accidens ad motum alterius, cui uniatur, aut in quo contineatur; atqui Christus sacramentaliter existens non potest à virtute motivâ corporeâ, sivè Sacerdotis, sivè alterius immediatè, & per se moveri; ergo nec mediatè, & per accidens ad motum specierum: Major probatur inductione; Qui non potest per se immediatè movere aliquam partem, nec potest movere totum, ad cujus motum per accidens moveatur talis pars, & qui non potest per se immediatè movere aliquod pondus, non potest movere vas v.gr., in quo contineatur, & ad cujus motum moveatur per accidens tale pondus, & sic de aliis, ergo id quod non potest ab aliquâ virtute motivâ &c. Sed contrà: Inductio manca est, & diminuta, deficit enim in animâ, quæ nequit à virtute motivâ corporeâ per se immediatè moveri, benè verò mediatè, & per accidens ad motum corporis, cui est unita: Dico igitur ex duplici capite provenire posse, quod aliquid nequeat ab aliquâ virtute motivâ immediatè, & per se moveri, nimirum vel ex eo, quod ista nequeat superare illius resistentiam, vel ex eo, quod nequeat illi applicari; Major propositio, & inductio in ipsius probationem adducta bene procedit in iis, quæ nequeunt ab aliqua virtute motivâ per se moveri ex primo capite, secùs in iis, quæ ex secundo; corpus autem sacramentaliter existens, si non potest (quod definietur infrà §.5. *num.* 94.) per se immediatè moveri à virtute motivâ corporeâ non est, quia per gravitatem, vel aliter motui resistat, sed quia propter modum existendi spiritualem nequit habere virtutem corpoream sibi immediatè applicatam, si igitur habeat talem virtutem applicatam, ut verè habere potest, speciebus, sub quibus existit, nihil oberit quin ab ipsâ moveatur mediatè, & per accidens ad motum specierum, sicut à virtute corporeâ applicatâ corpori movetur mediatè, & per accidens anima ad motum corporis: Dixi corpus Christi sacramentaliter existens, nec per gravitatem, nec aliter motui resistere; qui enim species consecratas movet, experitur se non percipere corporis Christi gravitatem, nec aliquam aliam ipsius resistentiam, & ratio à priori est, quia vel à Deo ad occultandum mysterium, vel ratione dotis gloriosæ impeditur in corpore Christi sacramentaliter existente gravitatio: Undè falluntur, qui ex experientiâ non perceptæ gravitatis sumunt contrà nos argumentum dicentes à movente species non percipi gravitatem corporis Christi, quia non ab ipso, sed à Deo corpus Christi movetur ad motum specierum, sicuti à movente vas, non perciperetur gravitas rei in vase contentæ, si hæc ab Angelo ad motum vasis moveretur.

25

26 Christus in sacramento potest per se, & immediatè moveri à virtute motiva creata;

Assert. 3. Christus in sacramento, seù sacramentaliter existens potest à virtute motivâ creatâ saltem spirituali naturaliter moveri etiam immediatè, & per se, adeò ut species consecratæ ad motum ipsius moveantur, non ipse ad motum specierum. Hoc assertum habet, ni fallor, eosdem tùm Patronos, tùm Adversarios, quos assertum positum suprà *num.* 5. imò videtur habere aliquam minorem difficultatem, quia utrumque assertum procedit de virtute motivâ inorganicâ, de quâ est aliqua difficultas, utrùm reperiatur in animâ Christi unitâ corpori? Non sic utrùm reperiatur in Angelo, aut animâ separatâ?

Saltem spirituali;

Dixi *virtute motivâ creatâ saltem spirituali*, nam utrum possit per se moveri etiam virtute corporeâ, pendet ab universaliori quæstione, nimirùm ab eo, quod Christus sacramentaliter existens possit, nec ne à virtute naturali agentis corporei aliquid pati? de quo infrà §. 5. *num.* 94., & quod ibi universim statuetur, erit hic singillatim transferendum.

27 Et simul motis speciebus.

Dixi, *adeò ut species consecratæ ad motum ipsius moveantur* &c. neque enim intendo posse virtute motivâ creatâ per se moveri Christum, adeò ut species deserat, & relinquat immotas, & licet secundum aliam institutionem posset taliter quoque ab Angelo moveri, quemadmodum tradunt in terminis Lauræa *disp.* 22. *art.* 4. *num.* 59., & Madernus *quæst.* 4. *art.* 6. *num.* 7. Nihilominùs secundùm præsentem institutionem id impedit inseparabilis inter Christum, & species colligatio, ratione cujus certi sumus, quamdiù existunt species consecratæ, existere sub ipsis Christum: Si igitur virtute angelicâ naturaliter moveatur immediatè, & per se Christus sacramentaliter existens, movebuntur simul species saltem ad motum Christi eo modo, quo dum moventur immediatè, & per se species, movetur simul Christus ad motum specierum.

Probatur assertum: Anima, sivè separata, sivè corpori unita potest naturaliter ab Angelo, seù à virtute motivâ angelicâ per se immediatè moveri, ergo potest sic moveri etiam anima Christi existentis sacramentaliter; atqui si anima Christi existentis sacramentaliter sic moveatur, movetur pariter ipse Christus sacramentaliter existens; ergo Christus in sacramento, seù sacramentaliter existens potest à virtute motivâ creatâ &c.

28

Prima consequentia probatur, quia anima Christi quo ad esse naturale, & physicum est ejusdem rationis cum animabus cæterorum hominum, nec per hoc, quod sit forma corporis sacramentaliter existentis, habet ullam peculiarem resistentiam, aut repugnantiam ad suscipiendum ab Angelo motum, seù impulsum motus causativum, cum talem resistentiam, aut repugnantiam, neque habeat ratione sui, neque ratione corporis, cui ut forma unitur; non ratione sui, quia ipsa in sacramento habet relatè ad locum præsentiam omninò naturalem *ex cap. præced. nu.* 235. Non ratione corporis, quia sicuti istud ex eo, quod sacramentaliter existat, non impedit ne virtus motiva corporea naturaliter moveat species, ad motum quarum ipsum quoque movetur, ità multo minus impediet, ne virtus spiritualis angelica naturaliter moveat animam, ad cujus motum moveatur, & ipsum propter majorem sui unionem cum animâ, quam cum speciebus. Probatur etiam primæ consequentiæ subsumptũ, quia suppositâ inter corpus, & animam unione sivè moveatur per se immediatè corpus, sivè moveatur per se immediatè anima, denominatur per se immediatè moveri homo ex tali corpore, & animâ compositus.

29

Dices: Dato, quod Angelus possit per se immediatè movere animam Christi sacramentaliter existentis, hincque denominetur per se immediatè movere Christum, tamen movendo animam non dicetur per se immediatè movere corpus, sed tantum per accidens, & mediante animâ: Vel igitur assertum procedit de Christo solum ratione animæ, & hoc videtur parùm ad rem, cum Christus sit in sacramento formaliter ratione corporis, non ratione animæ, cum hæc ponatur dumtaxat concomitanter; Vel procedit assertum de Christo etiam ratione corporis, & remanet adhuc probandum, quod corpus sacramentaliter existens possit ab Angelo per se, & per impulsum in se receptum, ac sibi impressum moveri, quod habet specialem difficultatem, nam hujusmodi impulsus ut potè impressus corpori deberet esse qualitas materialis, & corporea, ut potè impressus corpori indivisibiliter existenti deberet indivisibililer existere, & tota in toto tota in quâlibet parte corporis recipi; qualitas autem materialis, & corporea existens spiritualiter, ac indivisibiliter est supernaturalis saltem quo ad modum, ac per consequens superans omnem virtutem, & activitatem naturalem Angeli; Ergo.

30

Sed contrà: Corpus Christi comparari potest, vel ad animam, vel ad species, & dum movetur ab Angelo mediante animâ, & per impulsum soli animæ impressum, quamvis comparativè ad animam moveatur solum mediatè & per accidens, comparativè ad species dici potest moveri immediatè, & per se, quatenus non movetur ipsum ad motum specierum, sed moventur species ad motum ipsius: Quod videtur utcumque sufficere ad intentum asserti, quamvis in re non sufficiat ad probandum, quod corpus Christi in sacramento possit ab Angelo per se moveri omninò absolutè, & recipiendo in se impulsum, adeò ut posset ab Angelo sic moveri, etiamsi in Sacramento existeret examine, seù ab animâ separatum, quemadmodum extitisset in triduo mortis Christi. Utrùm verò etiam hoc affirmandum sit, & sustinendum, posse ab Angelo naturaliter produci qualitatem materialem impulsivam, quæ indivisibiliter in corpore Christi recipiatur, dico affirmandum esse à fortiori ex suppositione, quod agens corporeum possit corpus Christi per qualitates à se productas,

Utrùm corpus Christi in Sacramẽto possit naturaliter moveri ab Angelo non solum mediante anima, sed omninò immediatè?

ductas, & in illo receptas naturaliter alterare, de quo infrà §. 5. in suppositione verò oppositâ vix erit locus id affirmandi, & obiter moneo in tali oppositâ suppositione, quod §. 1. dictum est, animam Christi posse proprium corpus sacramentaliter existens suâ naturali virtute movere, non debere intelligi de motu, quo corpus moveatur immediatè, & directè per impulsum sibi ab animâ impressum, sed de motu, quo anima movendo immediatè, & directè se ipsam, moveat indirectè, & mediatè corpus sibi unitum: Nec censeo coherenter loqui Amicum *disp.* 20. dum *num.* 12. concedit animam Christi in Sacramento proprium corpus movere posse etiam per impulsum ei impressum, & posteà *num.* 20. statuit tale corpus non posse quidquam pati actione corporali, quod est ipsum non posse naturaliter recipere qualitatem corporalem, cujusmodi tamen deberet esse ille impulsus, nam accidens spirituale, vel corporale est, non pro ut à principio spirituali, vel corporali procedit, sed pro ut spirituale est, vel corporale subjectum, de cujus potentiâ educitur, & in quo recipitur.

31

§. III.

An, & quomodo Christus sacramentaliter existens possit elicere actus intellectus, & voluntatis, sensuum, & appetitus?

ASSERT. I. Christus, seù Christi anima sacramentaliter existens potest naturaliter elicere, & primò habere, tùm intellectiones à phantasiâ independentes, tùm volitiones hisce intellectionibus respondentes. Ità Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 5. §. Respondeo Versic. Tertia conclusio.* Mastrius *disp. 3. quæst. 14. art. 2. num. 354.* Laurea *disp. 22. art. 1. num. 9.* Suarez *disp. 53. sec. 3. §. Ultimò constat.* Vasquez *disp. 191. cap. 3. nu. 27.* Amicus *disp. 20. num. 46* Arriaga *disp. 37. sec. 5. nu. 17.* Madernus *quæst. 4. art. 7. num. 1.*, & communiter quicumque punctum hoc tractant, adeo ut in ipso neminem pro sententiâ negante referri, imò nullam negantis sententiæ mentionem fieri viderim. Asserta igitur veritas censeri potest extrà controversiam, & vix indigens probatione, indiget tamen aliquâ explicatione, pro quâ, & pro reliquis sub præfixo titulo asserendis.

32 Actiones animæ Christi sunt in multiplici differentia.

Adverto primò actiones animæ Christi sicut & cujuslibet alterius animæ rationalis aliquas esse purè spirituales, & sunt actiones intellectus, & voluntatis, aliquas esse materiales, aut saltem in se materialitatem involventes, & sunt actiones sensuum externorum, phantasiæ, & appetitus sensitivi: Rursùs actiones purè spirituales aliquæ sunt tales, tùm in se, tùm etiam præsuppositivè, quatenùs nec involvunt in propriâ entitate materialitatem, nec supponunt præviam actionem materialem, à quâ dependeant, hujusmodi sunt actus intelligendi, & volendi, quos exercet anima separata, aut unita operans ad modum separatæ: Aliquæ aliæ sunt purè spirituales solum in se, quatenus habent entitatem ab omni materialitate depuratam, quia tamen supponunt materialia phantasmata, aut materiales actus sensuum, & ab istis necessariò in suo fieri dependent, nequeunt dici purè spirituales præsuppositivè, hujusmodi sunt actus intelligendi, & volendi, qui ab animâ corpori unitâ ut unitâ eliciuntur.

33 Et possunt illi in sacramento inesse, vel formaliter, & primò; vel concomitanter, & secundò seù secundariò.

Adverto secundò animam Christi in Sacramento habere posse actionem aliquam, vel concomitanter, & specificativè, vel formaliter, & reduplicativè: Habet concomitanter, & specificativè illas actiones, quas elicit extrà sacramentum, & ut existens in præsentiâ naturali, quia tamen sunt à loco independentes, & loco priores, comitantur animam ubicumque existat, & per hoc, quod eliciantur ab animâ in uno loco, replicantur, ubicumque anima est replicata juxtà regulam generalem insinuatam *cap. praced. §. 7. num. 118.* formaliter verò, & reduplicativè habet actiones, quas elicit in sacramento, & ut existens in præsentiâ sacramentali, adeò ut illas haberet, etiamsi extrà sacramentum nô existeret, & nullam aliam præsentiam haberet præter sacramentalem: Actiones hujus secundi generis dicuntur animæ in sacramento existenti primò inesse, aut etiam elicitivè; actiones primi generis dicuntur secundò, seù secundariò inesse, & solum subjectivè. His animadversis

34 Christus in sacramento potest elicere, & primò habere actus intelligendi, & volendi independentes à sensibus, & phantasmatibus.

Probatur, & explicatur assertum, Intellectiones independentes à phantasiâ, & consequenter etiam à sensibus externis, sicut & volitiones correspondentes sunt actiones purè spirituales, quæ à loco abstrahunt, & nec in se habent, nec in subjecto, aut principio suo requirunt ullam localem extensionem; ergo ex eo, quod anima Christi in sacramento unita sit corpori indivisibiliter existenti nullamque habenti extensionem localem, nullatenùs impeditur, ne naturaliter eliciat, & primò habeat hujusmodi intellectiones, & volitiones, si potest ut verè potest, ipsas habere, dum est extrà sacramentum unita corpori extenso, & divisibiliter existenti, ut inquam verè potest, & ratio est, quia ut sæpius dictum est, anima Christi extrà sacramentum corpori unita potest operari ad modum animæ separatæ, potest igitur elicere illas intellectiones, & volitiones, quas anima separata; certum est autem animam separatam posse naturaliter elicere actiones purè spirituales, intellectionesque, & consequenter volitiones à phantasiâ, & sensibus independentes, cujusmodi in primis sunt respectu Christi actus scientiæ infusæ, & volitiones correspondentes, quænam deindè objecta his actibus Christus attingat? quinam item sint alii actus, quos sine dependentiâ à sensibus, & ut dici solet, sine conversione ad phantasmata potest naturaliter Christus elicere,

Quinam in particulari sint hujusmodi actus

singillatim verò utrùm possit sic elicere actus scientiæ aquisitæ? recolito *ex tract. de Incarnat. lib. 2. cap. 4.*, & pro hac loco sufficiat tibi universim scire, quod in ordine ad tales actus Christus, ut existens in sacramento potest, quidquid potest extrà sacramentum.

35

Dices: Anima Christi, sivè in sacramento, sivè extrà sacramentum nequit naturaliter elicere aliquem actum existentem modo supernaturali, atqui actus etiam purè spirituales, & ab omni actione materiali independentes, qui elicerentur ab animâ, ut existente in sacramento, haberent modum existendi supernaturalem, seù existerent modo supernaturali, nam reciperentur in eàdem animâ, adeòque ex regulâ generali, quâ quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, haberent modum existendi similem modo existendi animæ, anima autem ut existens in sacramento habet modum existendi supernaturalem, quo non solum est tota in singulis partibus, sivè corporis, sivè loci, sed est in singulis partibus pluries, prout in singulis partibus sunt plures partes corporis, ergo etiam actus in animâ, ut existente in sacramento recepti habent modum existendi supernaturalem, quo in animâ pluries recipiuntur, & sub quâlibet parte, sivè corporis, sivè specierum, sivè loci pluries existunt, prout sub qualibet hujusmodi parte pluries existit anima; ergo.

36

Sed contrà: Videbitur alicui neganda major propositio propter doctrinam, quâ suprà *num.* 11. dicebamus, posse virtute naturali attingi aliquos effectus habentes modum supernaturalem: Verùm ibi sermo erat de modo, qui non fit de novo ab illâ virtute, quæ effectum attingit, sicuti tamen in casu instantiæ fieret de novo à virtute animæ eliciente actus, modus supernaturalis ipsorum actuum, si daretur, non enim præcessit circà tales actus ullum miraculum, cui posset tribui illud, quod haberent, si quid haberent, supernaturale in suo modo existendi: Censeo igitur illam doctrinam non esse hic opportunam, & datâ instantiæ majori nego minorem, ad cujus probationem dico falsum esse, quod assumitur de præsentiâ, seù modo existendi animæ, hæc enim, ut suppono *ex cap. praced. num.* 235., & 236. non habet modum existendi supernaturalem, nec sub speciebus, nec in loco specierum, nec existit pluries in eadem parte, aut proprii corporis, aut specierum, aut loci, ex eo igitur quod aliquis actus ab animâ existente in sacramento elicitus in eàdem recipiatur, & ad modum ejusdem existat, non infertur, quod existat modo supernaturali, & pluries in quâlibet parte corporis, specierum, aut loci. Nec refert, quod *ead. num.* 235. animæ in sacramento concesserimus aliquam supernaturalitatem modi existendi in ordine ad proprium corpus: Non refert inquam, quia id concessimus animæ, ut formæ unitæ, & informanti corpus, actus autem, de quibus agitur, elicit & recipit anima non, ut unita, sed ut habens perfectionem, quamvis non statum, animæ separatæ.

37

Hinc habetur Christum, ut in sacramento existentem posse naturaliter in ordine ad Angelos, aut animas separatas exercere locutionem, sicut & illuminationem; quæ species locutionis est, ut enim ostendimus in proprio tractatu *lib.* 2. *cap.* 4. *à* §. 5. ad 8. locutio, quæ Angelis, aut ab Angelis, item animabus, aut ab animabus separatis fit, est actio purè spiritualis, & in solis actibus purè spiritualibus intellectus, & voluntatis consistit, si igitur Christus, seù Christi anima ut in sacramento existens potest hos actus in se elicere, non est, cur non possit eosdem ad Angelos ordinare, & ipsis loqui? Imò addo obiter, quod etiamsi, ut vult Scotus, Angelorum locutio fieret per impressionem speciei, aut conceptus in intellectu audientis, adhùc posset anima Christi in sacramento æquè, ac extrà sacramentum speciem, aut conceptum intellectui Angelico imprimere, & Angelo loqui; hujusmodi enim impressio non acquirit ex parte imprimentis ullam actionem materialem, extensionem vè localem Christo, ut in sacramento existenti repugnantem. Præter quod cum *ex praeced.* §. 2. anima Christi in sacramento possit imprimere Angelo impulsum, quo moveatur localiter, cur similiter non poterit (ex suppositione, quod possit extrà sacramentum) imprimere speciem, aut conceptum, quo Angelus moveatur quodammodò intellectualiter, & reddatur intelligens, ac audiens?

Christus, ut in sacramento potest naturaliter alloqui, & illuminare Angelos, aut animas separatas.

38

Asser. II. Christus, seù Christi anima sacramentaliter existens non potest naturaliter elicere, ac primò habere intellectiones, & volitiones à sensibus, & phantasmatibus dependentes. Hoc assertum eosdem, quos sequens, habet tùm Patronos, tùm Adversarios, & ex sequentis asserti suppositione facillimè ...

Non potest naturaliter elicere, & primò habere intellectiones, & volitiones à sensibus, & phantasmatibus dependentes.

Probatur: Christus, seù Christi anima sacramentaliter existens non potest, ut suppono ex sequenti asserto, naturaliter elicere, & primò habere actus sensuum, & phantasiæ, ergo nec operationes alias, ad quas isti actus necessariò requiruntur, at necessariò requiruntur ad intellectiones, & volitiones à sensibus, & phantasmatibus dependentes; ergo Christus, seù Christi anima sacramentaliter existens non potest naturaliter elicere, ac primò habere intellectiones &c.

39

Dices, ut Christi anima existens in sacramento eliciat intellectiones, & volitiones dependentes ab actibus phantasiæ, & sensuum, satis est, quod actus phantasiæ, & sensuum eliciat, & primò habeat in Cœlo: atqui in Cœlo verè potest illos naturaliter elicere, & primò habere, ergo & in sacramento verè potest naturaliter elicere, & primò habere intellectiones, ac volitiones ab illis dependentes: Major probatur, quia anima eliciens, & primò habens actus sensuum in Cœlo, illicò eosdem habet concomitanter in Sacramento, ergo illicò potest dependenter ab ipsis in sacramento operari: Et prætereà quando, nec concomitanter

habere

haberentur in sacramento, sufficeret haberi præcisè in Cælo, nam Angelus v. gr. existens Romæ, & Parisiis potest amare Romæ id, quod cognoscit Parisiis, seù dependenter à cognitione, quam habet Parisiis; vel existens in totâ aliquâ aulâ potest in uno aulæ angulo amare dependenter à cognitione, quam habet, & elicit in alio angulo; Anima item corpori unita appetit in unâ parte corporis dependenter ab actu phantasiæ existente in aliâ; ergò Christi anima existens in sacramento potest velle dependenter ab intellectione, intelligere dependenter à phantasmate, ac sensatione existente in Cælo, & per consequens, ut in sacramento eliciat intellectiones, & volitiones dependentes ab actibus phantasiæ, & sensuum, satis est quod actus phantasiæ, & sensuum eliciat, ac primò habeat in Cælo. Sed contrà: Assertum procedit loquendo per se, & pro ut Christus consideratur præcisè in sacramento abstrahendo ab eo, quod simul existat alibi in præsentiâ naturali, quæ *ex cap. praced.* §. 7. non supponitur, nec requiritur ex naturâ rei ad præsentiam sacramentalem, aut ad operationem in præsentiâ sacramentali habendam: Instantia è converso procedit de Christo solùm ex suppositione, quod simul cum præsentia sacramentali habeat alibi præsentiam naturalem, existatque in sacramento simul, & in Cælo; ideò in rigore non facit ad rem, nec quidquam contrà assertum probat; ut tamen doctrinæ gratiâ addam, quid in ipsius instantiæ hypothesi sentiendum sit? & utrùm possit Christus in sacramento elicere unum actum cum dependentiâ ab alio, licèt iste alius supponatur Christo inesse dumtaxat in Cælo, nullatenùs verò nequidem comitanter in sacramento?

40 Præsentim abstrahendo ab eo, quod simul eum præsentia sacramentali habeat alibi præsentiam naturalem.

41 Adverto actum voluntatis ex communi philosophorum sententiâ non dependere effectivè ab actu intellectus, sed illuminativè, seù excitativè, & tamquàm à conditione, non tamquàm à causâ: Idem aliqui sentiunt de dependentiâ actus intellectus ab actu phantasiæ, seù phantasmate; at hoc non est itâ communiter receptum; Nec desunt, qui tribuant actui phantasiæ, seù phantasmati veram efficientiam, & causalitatem effectivam in actum intellectus; & quidquid sit, utrùm circà objecta jam aliàs cognita, & quorum species jam intellectus agens à phantasiâ hausit, quidquid inquam sit, utrùm circà talia objecta possit anima elicere novam intellectionem dependenter à phantasmate solùm excitante, & illuminante non coefficiente, saltem ad cognitionem objectorum, quæ primâ vice dependenter à phantasmate intelliguntur, receptior opinio est, phantasma debere concurrere effectivè, vel immediatè, efficiendo simul cum intellectu possibili intellectionem; vel mediatè, efficiendo simul cum intellectu agente speciem productivam intellectionis. Hinc dico in actibus, quorum unus dependet ab alio solum excitativè, & illuminativè, posse Christum elicere in sacramento unú actum cum dependentiâ ab alio, qui supponatur ipsi inesse dumtaxat in Cælo, puta posse amare dependenter ab intellectione, appetitu sensitivo appetere dependentèr à sensitivâ cognitione, quàm habeat solùm in Cælo; secùs in actibus, quorum unus dependet ab alio effectivè, sic non posse Christum in sacramento saltem primâ vice intelligere objectum cum dependentiâ à phantasmatà, quod solùm in Cælo ipsi insit: Ratio est, quia ab aliquo distante benè potest salvari dependentia tamquàm à conditione, item tamquàm ab aliquo excitativè, & illuminativè se habente, at non tamquàm à causâ, & principio coefficiente; repugnat enim saltem naturaliter efficientia, seù causalitas effectiva, quæ exerceatur in distans. Conveniunt magis, vel minùs expressè in ferè totâ hâc doctrinâ Suarez *pracit.* §. *Ultimò constat*, Vasquez *pracit. cap. 3. num. 28.* Amicus *pracit. disp. 20. nu. 45.* Arriaga *pracit sec. 5. n. 19.*, & Madernus *pracit. art. 7. nu. 2.*, & alii quamvis omnes celeri calamo rem percurrant, ut potè, quæ nec theologica admodum est, nec propria præsentiæ sacramentalis, sed potius philosophica, & communis cuilibet hypothesi, qua aliquis homo supponatur habere duplicem præsentiam, etiam utramque extensam, & circumscriptivam.

42 Benè verò potest aliquos hujusmodi actus in sacramento elicere ex suppositione, quod habeat alibi præsentiam naturalem.

43 Assert. 3. Christus, seù Christi anima sacramentaliter existens nequit naturaliter elicere, & primò habere ullam operationem sensitivam, sivè sit sensuum externorum, sivè internorum, sivè appetitus sensitivi. Itá Thomistæ cum D. Thomâ *hic quæst. 76. art. 7.* Scotistæ cum Scoto *in 4. dist. 10. qu. 7. §. Respondeo.* Ægidius *theorem. 16.* Henricus *quodlib. 5. quæst. 6.* & ferè omnes reliqui Scholastici, tùm Antiqui, tùm Recentiores contrà Ochamum *in 4. quæst. 4., & 5.* Aliacensem *quæst. 5. art. 2.* Majorem *dist. 10. quæst. 5.* Gabrielem *lect. 45. in Canon. Missæ*, & aliquos alios ex Scholâ Nominalium, quibus nonnihil favet Arriaga *disp. 37. sec. 5.* quatenus dicit rem esse valdè dubiam, & re verá nullam adduci omninò convincentem rationem contrà Nominales.

Dixi *elicere, & primò habere*, quia juxtà animadversionem positam *praced. num. 33.* si ex prædicatis, & accidentibus loco prioribus habet Christus comitanter, & quasi secundò in Sacramento, quidquid habet formaliter, & primò in Cælo, cohærenter dicitur, quod taliter in Sacramento habeat operationes sensitivas, quas in Cælo elicit, nam etiam istæ sunt à loco independentes, seù loco priores: Et licèt videatur esse aliqua peculiaris difficultas propter præsentiam objecti, quam operationes sensuum externorum requirunt, & in Cælo non in Sacramento haberent; Nihilominus dici potest præsentiam illam requiri, ubi operationes eliciuntur, & habentur formaliter, ac primò, non ubi replicantur, & habentur comitanter, ac secundò; quâ de re plura Lauræa *disp. 22. art. 1. num. 7. 16., & seqq.*

44 Petes tamen: Vel intendimus operationes sensitivas, quas Christus in Cælo elicit, comitari ipsum in Sacramento virtute propriâ, & na-

turali ipsius Christi, vel divinâ, & supernaturali. Non videtur dicendum primum, ne concedatur Christum posse naturaliter tribuere operationi materiali modum existendi spiritualem, ex quo illicò inferretur posse naturaliter illam in sacramento elicere: Si dicatur secundum, ergo loquendo naturaliter, Christus neque etiam comitanter, & secundò potest habere in sacramento operationes sensitivas, adeòque assertum, quod procedit naturaliter, perperam, & impertinenter limitatur per ly *elicere*, *& primò habere*. Respondeo, & satisfacio petitioni dicendo, posse aliquid esse Christo naturale dupliciter, vel quatenus procedat ex propriâ ipsius virtute, vel quatenus sit ipsi debitum, quamvis procedens ex virtute divinâ: Christo sacramentaliter existenti neutro modo naturale est elicere, & primò habere operationes sensitivas, est verò naturale secundo quamvis non primò naturalitatis modo illas habere concomitanter, ideò assertum, quod procedit naturaliter utroque naturalitatis modo, benè ac pertinenter limitatum est per ly *elicere*, & primò haberet.

45 Christus habet quodammodo naturaliter in sacramento operationes sensitivas, quas elicit in Cælo.

Est, inquam, naturale secundo modo illas habere concomitanter, quia ex supposito ne miraculi replicationis, & identitate subjecti replicati debentur Christo in sacramento quæcumque à loco independentia habet in Cælo, & tenetur Deus in sacramento replicare cum modo existendi spirituali operationes sensitivas, quas Christus in Cælo cum modo existendi materiali primò elicit: Non sic debetur Christo in sacramento prima operationum sensitivarum elicientia, ideò &c. Scio aliquos velle, quod etiam primo naturalitatis modo naturale sit Christo ponere concomitanter in sacramento operationes etiam sensitivas, quas elicit in Cælo, & hoc putant de mente Scoti *in 4. dist. 10. quæst. 6. §. Ad intellectum Versic. Quinta est.* Verùm apparet mihi nimis difficile, quod agens creatum propriâ virtute naturali tribuat operationi materiali modum existendi spiritualem, & Scotum ipsum conformiter ad responsionem à nobis præallatam intelligit cum aliquibus aliis Scotistis Mastrius *disp. 3. quæst. 14. art. 1. num. 351.*

46 At non potest ipsis naturaliter in Sacramento elicere, & primò habere.

Probatur jam assertum ex duplici capite: Primum caput desumitur ex parte potentiæ sensitivæ, quæ sivè externa, sivè interna sit, sivè cognoscitiva, sivè appetitiva, est organica, & quà talis ad naturaliter operandum requirit organa expedita, nulla autem sensitiva potentia habet organa expedita in Christo sacramentaliter existente, est quippè in eo cujuslibet potentiæ organum penetratum, tùm cum toto Christi corpore, tùm cum quantitate, & accidentibus panis, sicuti oculus aliquo colore infectus, aut palatum aliquo sapore imbutum impeditur à propriis sensationibus eliciendis, ità à fortiori in Christo, ubi tùm visivæ, & gustativæ, tùm aliarum sensitivarum potentiarum organa sunt cum tot diversis rebus penetrata, & confusa quodammodò, ac perturbata. Secundum probationis caput desumitur ex parte modi, existendi, quem deberent habere operationes sensitivæ à Christo sacramentaliter existente elicitæ, istæ quippe ut potè immanentes in eodem Christo sacramentaliter existente reciperentur, ac per consequens ad modum recipientis sacramentaliter, ac spiritualiter existerent; atqui Christus nequit naturaliter tribuere operationi sensitivæ, quæ materialis est, modum existendi spiritualem, ac sacramentalem, cum nulla naturalis virtus agentis creati possit penetrationem, & replicationem inducere, aut ulli rei tribuere modum ei supernaturalem. Tertium aliqui addunt probationis caput desumptum ex eo, quod sensitivæ Christi potentiæ in sacramento nequeant recipere species, aut immediatè immutari ab objecto extrinseco: Verùm negant hoc absolutè Nominales, contrà quos modò agitur; & prætereà non militat in sensu interno, in quo multæ species asservantur, nec semper requiritur nova acquisitio speciei, aut nova motio objecti, ut operetur: Non militat item in appetitu sensitivo, cujus actus à solâ animâ fiunt, objectis, nec per se, nec per sui speciem concurrentibus concursu effectivo.

47

Dices: Si Christus in sacramento non exerceret, nec exercere posset naturaliter ullam operationem sensitivam, frustrà retineret sensitivas potentias, non viveret vitâ sensitivâ, & mortuo quodam, ac insensibili modo quasi lapis, aut lignum sub speciebus existeret, nullam cum hominibus societatem haberet, non videret adstantes, nec eos loquentes audiret, nec benè ipsi sub speciebus posito accommodaretur illud, quod accommodati solet ex Cant. 4. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Non videret item species sacramentales, sub quibus existit, imò nec se corpusve suum, cujus oppositum videtur tradi in terminis à D. Thomâ *præcit. art. 7. ad 2.* dicente *quod oculus corporalis Christi videt se ipsum sub Sacramento existentem*; ergo ad vitanda hæc inconvenientia, & absurda concedi debet, Christum in sacramento posse naturaliter exercere operationes sensitivas. Sed contra: Ad hæc puerilia terriculamenta, non theologica absurda dico, cessare omnem rudiorum admirationem, vel scrupulosarum aurium offensionem, si ex præcedentibus fiat levis utcumque comparatio inter existentiæ sacramentalis, & operationum sensitivarum conditiones, cumque sciamus ex fide Christum in sacramento carere extensione locali, & extrinsecâ organizatione oculorum, aurium, narium v. gr. tam non debemus mirari ipsum in sacramento naturaliter non videre, non audire, non olfacere, quàm non miremur carere videndi, & audiendi exercitio eum, quem cernimus extrinsecâ oculorum, & aurium organizatione, & structurâ omnino destitutum. Cessabit adhuc magis admiratio, advertendo primò Christum in sacramento habere concomitanter, & specificativè quamvis non reduplicativè, & formaliter

48 Quæ à quibusdam objiciuntur tamquam absurda sunt puerilia terriculamenta.

ter operationes ſenſuum, quas in Cælo elicit, quod ſufficit ad hoc, ut in ſacramento, non fruſtrà potentias ſenſitivas habeat, nec quo ad vitæ ſenſitivæ operationes abſolutè exiſtat mortuo modò: Advertendò ſecundò ipſum ut in Sacramento exiſtentem adſtantes, & loquentes videre, & audire intellectualiter ideſt per intellectiones, quas elicit ejus anima ad modum ſeparatæ, & independenter à ſenſibus, quod optimè ſufficit ad fovendam in adſtantibus externam circà ſacramentum reverentiam, & internam pietatem: Videt etiam intellectualiter ſe, corpus ſuum, ſpecies &c., undè parùm referret, quod hæc nullo ſenſu perciperet: Advertendo tertiò ex Goneto *diſp.5.art.3.nu.75.* probabile eſſe, quod ſicut Stephanus è terrâ vidit Chriſtum ſtantem in Cælo, ità Chriſtus è Cælo videat glorioſo oculo corporis, quæ fiunt in terrâ, ex quo ſequitur ipſum etiam oculo corporis videre in ſacramento concomitanter tamen, & ſpecificativè adſtantes, & ea, quæ ab adſtantibus fiunt: Advertendo quartò ex Herinex *diſp. 3. quæſt. 6. num* 65. probabile quoque eſſe, & piè credibile, quod Chriſtus habeat de facto in ſacramento formaliter, ac reduplicativè aliquas operationes ſenſuum, & ſignanter viſionem corpoream ſui ex ſpeciali concurſu ſupernaturali, & extraordinario Dei; & hâc ratione facilè intelligitur auctoritas ex D. Thoma adducta, quæ alioqui difficilis eſt, ut fatetur cum aliis Thomiſtis Gonetus mox *cit. diſp.5.art.4.§.1.*

49

50

Aſſert. 4. Chriſtus ſacramentaliter exiſtens poteſt ſupernaturaliter, & de potentiâ abſolutâ elicere, ac primò habere operationes, tùm ſenſitivas, tùm intellectuales, & volitivas à ſenſitivis dependentes. Hoc aſſertum, quantum conjicere potui, ab omnibus ſupponitur, &

Chriſtus ut in Sacramento poteſt elicere ſupernaturaliter operationes, tùm ſenſitivas, tùm à ſenſitivis dependentes.

Probatur: Nec ex parte ſenſitivæ potentiæ, nec ex parte ſenſitivæ operationis repugnat, quod Chriſtus ut exiſtens in Sacramento hanc eliciat ſupernaturaliter, & de potentiâ abſolutâ; Non ex parte ſenſitivæ potentiæ, quia iſta ad operandum requirit localem extenſionem, expeditamque organorum diſpoſitionem ut conditionem, non ut rationem formalem operandi, adeòque de potentiâ ordinariâ, non de abſolutâ, & cum operari ſequatur ad eſſe, ſicut potentiæ ſenſitivæ non repugnat ſupernaturaliter ſine tali conditione exiſtere, ità nec ſine tali conditione operari. Non item repugnat ex parte ſenſitivæ operationis, quia hæc ſicuti eſt de potentiâ abſolutâ capax modi exiſtendi ſpiritualis, ac ſacramentalis, ità de eâdem potentiâ poteſt in Chriſto ſpiritualiter, ac ſacramentaliter exiſtente recipi, & cum de facto *ex præced. num.* 45. plures operationes ſenſitivæ in Chriſto ſacramentaliter exiſtente recipiantur ſpecificativè, & concomitanter, & quidem quaſi connaturali modo ſuppoſito miraculo ſacramentalis replicationis, poterunt utique modo ſimpliciter ſupernaturali, & ex vi ſpecialis miraculi in eodem recipi etiam reduplicativè formaliter, & primò; ergo nec ex parte potentiarum, nec ex parte operationum repugnat Chriſtum ſacramentaliter exiſtentem ſupernaturaliter, & de potentiâ abſolutâ elicere operationes ſenſitivas, & à fortiori deindè intellectuales, & volitivas à ſenſitivis dependentes, quarum eliciendarum difficultas tota eſt ex parte ſenſitivarum, quas ſupponunt, & à quibus dependent; ergo à primo ad ultimum Chriſtus ſacramentaliter exiſtens poteſt ſupernaturaliter &c.

51

Cur poſſit ſupernaturaliter uti potentiis organicis ſenſitivis, non poteſt organica locomotiva?

Dices: Chriſtus ut in ſacramento, nec ſupernaturaliter uti poteſt potentiâ locomotivâ organicâ, ergo etiam nec ſupernaturaliter uti poteſt ullâ potentiâ ſenſitivâ: antecedens habetur ex dictis *num.* 2. & 15. conſequentia procedit à pari, quia etiam quælibet potentia ſenſitiva eſt organica. Sed contrà: Concedo antecedens, nego conſequentiam; quod enim in ſacramento potentia locomotiva organica, nec ſupernaturaliter poſſit operari, non eſt ex præcisâ, & genericâ ratione potentiæ organicæ, ſed ex eo, quod ſit organica talis ex ſuâ ſpeciali ratione requirens unam partem organi moveri localiter prius quàm alteram, quod repugnat fieri ſine locali partium extreitate, ſeù extenſione, quodque non requirunt eſſentialiter potentiæ organicæ ſenſitivæ, ut conſtat ex eo, quod operatio ſenſitiva fieri poteſt tota ſimul, & in inſtanti, motus organicus localis non item: Subjectum item recipiens motum localem organicum debet neceſſariò eſſe localiter extenſum, non ſic ſubjectum recipiens operationem ſenſitivam, quia illud debet per unam partem poſt aliam moveri, non ſic iſtud quodammodò per unam partem poſt aliam ſentiret hincque dicebamus Chriſtum, dum organicè movetur in propriâ ſpecie nequidem concomitanter recipere poſſe talem motum in ſacramento, ſicuti tamen de facto in ſacramento recipit, quam in propriâ ſpecie elicit ſenſationem.

52

Ex his habetur Chriſtum ut in ſacramento poſſe ſupernaturaliter, & de potentiâ abſolutâ quamvis non naturaliter, & de potentiâ ordiariâ acquirere mediis ſenſibus externis novas ſpecies ſenſibiles in phantaſiâ, & ex iſtis novas ſpecies intelligibiles eruere, quod vocant, phantaſmata depurare: Poſſe item ſupernaturaliter Chriſti animam in ſacramento intelligere, ut intelligit noſtra anima corpori unitâ, dependenter à motione, & excitatione phantaſmatum, quod vocant, ad phantaſmata converti, ſeù phantaſmata ſpeculari. Et hæc ſatis ſint de modo, quo poteſt Chriſtus in ſacramento intentionaliter agere, & per proprium intellectum, & ſenſum ſe, vel alia cognoſcere; procedamus jam ad modum, quo poteſt intentionaliter pati, & ab aliis per intellectum, vel ſenſum cognoſci, & quo ad intellectum quidem conſideratur præcipuè intellectus ſeparatus, quo ad ſenſum oculus corporis ſicque quæſtio de paſſione intentionali, ſeù paſſivâ cognoſcibilitate Chriſti ſacramentaliter exiſtentis ſolet tota reduci ad modum,

dum, quo potest sic existens videri ab Angelis oculo mentis, ab hominibus oculo corporis, ideò sit

§. IV.

An, & quomodo Christus sacramentaliter existens possit ab aliis cognosci, & mentis, vel corporis oculo videri?

53 In quo sensu, & à quibus Christus sacramentaliter existens possit naturaliter videri oculo mentis.

ASSERT. I. Christus sacramentaliter existens potest quoad substantiam suam, & existentiam in rerum naturâ oculo mentis naturaliter videri; potest scilicet ab Angelo, & animâ separatâ per naturalia principia ad actus intelligendi communiter requisita immediatè, & directè cognosci, saltem cognitione abstrahente à modo præsentiæ, quam habet ad locum specierum, & ad species. Assertum sub hâc abstractione, & modificatione traditur in terminis à Cajetano *quæst. 76. art. 7.* Suario *disp. 53. sec. 5.* in fine Arriagâ *disp. 37. sec. 6. subsec. 2. num. 25.*, & non solum à fortiori docetur ab existimantibus modum ipsum sacramentalis præsentiæ sub naturalem intellectus separati notitiam cadere, verum etiam censetur admitti, aut permitti communiter à cæteris, si excipias Amicum *hic disp. 21. num. 36.*, & paucos alios arbitratos Christum in Sacramento existentem non posse videri, abstrahendo à sacramentalis præsentiæ modo.

54 Probatur, & explicatur: Habent Angeli, ut suppono ex proprio ipsorum tractatu, infusas à Deo, ut Auctore naturæ naturales species omnium objectorum naturalium pro aliquâ differentiâ temporis existentiû, & inter alia humanitatis Christi, quæ præcisè, & secundùm se sumpta objectum naturalissimum est, ut porè constans corpore, & animâ ejusdem ordinis, & rationis cum illis cæterorum hominum: Hujusmodi humanitas ex eo, quod fiat sacramentaliter existens, non amittit suum esse naturale, imò hoc essentialiter habet in ipsomet sacramento, præsentia quippè sacramentalis à sui consortio excludit naturalem præsentiam, at non naturale esse *ex præced.* §. 7. Supponatur igitur clarioris doctrinæ gratiâ, Christi humanitatem, & singillatim Christi corpus, in quod reducitur summa difficultatis habere (ut per nos ex §. mox citato potest) suum esse naturale solum in Eucharistiâ sub præsentiâ sacramentali, non in propriâ specie sub præsentiâ naturali, non ne poterit Angelus per naturale lumen, & naturalem speciem corporis Christi, quam habet infusam, naturaliter cognoscere, seù videre naturale esse ejusdem corporis? & cum tale esse non sit alibi, quàm in sacramento, non ne cognoscet ipsum in sacramento, seù sacramentaliter existens, saltem specificativè, & non cognoscendo præsentiam, quam in sacramento habet, seù abstrahendo ab ipsâ? quod optimè fieri potest, cum cognitio ex genere suo à loco abstrahat, & consequenter etiam possit abstrahere à præsentiâ, ac modo præsentiæ in loco; potest igitur Angelus cognoscere corpus Christi esse à parte rei, & non cognoscere ubi sit, sed abstrahere ab eo, quod hoc vel illo modo, in hoc vel illo loco sit; ergo à primo ad ultimum Christus sacramentaliter existens potest quò ad substantiam suam &c.

55 Dices: Non potest naturaliter, imò nec supernaturaliter, videri effectus formalis abstrahendo à formâ, seù non visâ formâ, à quâ talis effectus habetur; atqui Christum esse sacramentaliter existentem est effectus formalis præsentiæ sacramentalis ipsius ad species, & ad locum specierum; ergò Christus sacramentaliter existens non potest uideri cognitione abstrahente à modo præsentiæ &c. ergò abstractio, & modificatio in asserto posita, & supposita repugnans est, & assertum destruit. Confirmatur: Existat Christus priùs in Cælo modo naturali, posteà fiat simul existens sacramentaliter in altari, Angelus qui per speciem naturalem cognoscebat Christum existentem in Cælo, vel potest per eamdem speciem cognoscere naturaliter de Christo aliquid ampliùs, vel non; Si potest cognoscere aliquid ampliùs, ergò potest cognoscere præsentiam sacramentalem, hæc enim sola est illud ampliùs, quod Christus existens in Cælo simul, & in sacramento addit sibi ipsi existenti solùm in Cælo: Si non potest cognoscere aliquid ampliùs, ergo nihil potest naturaliter cognoscere de Christo existente in sacramento, & quomodocumque ipsum sic existentem cognoscat, non potest à modo præsentiæ sacramentalis abstrahere.

56 Sed contrà: *Ex præced.* §. 7. recolo Christum in sacramento duplicem habere existentiam, aliam substantialem indistinctam ab ipsius esse entitativo, & naturali, aliam accidentalem sitam in modo præsentiæ sacramentalis; hinc ad instantiam concedo majorem, distinguo minorem, atqui Christum esse sacramentaliter existentem existentiâ accidentali est effectus formalis præsentiæ sacramentalis concedo, esse sacramentaliter existentem existentiâ substantiali est effectus formalis &c. nego minorem, eàdemque ratione nego consequentiam; & potest res declarari exemplo humanitatis Verbo unitæ, in quâ licet esse unitum sit effectus formalis unionis, potest tamen ipsa existens unita quò ad suum esse entitativum, & naturale ab intellectu creato naturaliter videri non visâ unione, seù abstrahendo ab unione. Nec refert, quod humanitas, quæ videtur abstrahendo ab unione, non videatur ut unita. Non refert, inquam, quia neque nos diximus Christum sacramentaliter existentem, dum videtur abstrahendo à præsentiâ sacramentali, videri ut præsentem sacramentaliter; satis pro nunc nobis est, quod videatur naturaliter, tùm humanitas existens dumxtaxat unita Verbo, tùm similiter Christus existens dum-

raxat

taxat in sacramento, etiamsi aliundè supponatur, nec unionis hypostaticæ, nec præsentiæ sacramentalis modum videri.

57

Ad instantiæ confirmationem dico, nos datâ operâ in asserti probatione supposuisse Christum existentem dumtaxat in sacramento, non simul in Cælo, aut alibi modo naturali, & sufficit nobis, quod in eâ suppositione subsistat præcedens assertum, ad quod propterea impertinens est hypothesis, quæ objicitur, ideò do pro nunc cum Suario *præcit. sec.* 5. Angelum per speciem naturalem, per quam videt Christum in Cælo, nihil ampliùs posteà videre, dum Christus fit simul existens in Sacramento. Si inferas, ergo de facto Angelus numquàm potest naturaliter discernere, ac percipere Christum existentem in Sacramento, cum de facto Christus semper simul existat in Cælo: Concedo illationem, supposito quòd nequeat præsentiâ ipsam sacramentalem naturaliter cognoscere, imò hoc supposito Angelus neque potest discernere Christum in sacramento existentem, si in solo sacramento existat; & aliud est Christum in solo sacramento existentem cognosci naturaliter ab Angelo esse in rerum natura, aliud cognosci, seù discerni esse in sacramento; illud, non istud nos pro nunc affirmamus, & in hypothesi asserti volumus Angelum posse naturaliter cognoscere Christum actu existere; at non ubi existat, & quomodò: sivè deindè talis cognitio dicenda sit intuitiva, & visio simpliciter, quia per speciem propriam fertur in rem actu existentem, sivè tantùm secundùm quid, quia abstrahit ab aliquâ conditione, & modo existentiæ, quod ut potè in quæstionem de nomine desinens parvi momenti est; ego tamen non dubitavero illam appellare intuitivam simpliciter, nam attingere extrinsecas existentiæ conditiones, & singillatim præsentiam localem, ad visionem, seù intuitionem corpoream pertinet magis, quàm ad intellectualem.

58

His positis de naturali cognoscibilitate Christi sacramentaliter existentis specificativè, & abstrahendo à modo existentiæ, seù præsentiæ sacramentalis, expendenda est eadem cognoscibilitas respectu Christi sacramentaliter existentis reduplicativè, & includendo, ac cognoscendo simul præsentiam ipsam sacramentalem; quâ ratione possitne Angelus oculo mentis naturaliter Christum videre? pendet ex duplici capite, primò ex eo, quod præsentia ipsa sacramentalis naturalis in se, vel supernaturalis sit; secundò ex eo, quod intellectus angelicus possit, nec ne naturaliter videre res in se intrinsecè supernaturales? & quidem Scotistæ hoc secundum affirmantes licèt sint inter se divisi circà naturalitatem, vel supernaturalitatem sacramentalis præsentiæ, conveniunt tamen in eo, quod Angelus possit naturaliter eam videre, & quidem cohærenter ad sua principia; at nos, qui talibus principiis non adhæsimus, & Angelis in proprio ipsorum tractatu *lib. 2. cap. 2. §. 13., & 14.* negavimus naturalem virtutem cognoscendi intuitivè, & in se res supernaturales, non possumus in præsenti cum Scotistis sentire, & ex secundo capite tribuere Angelis cognitionem intuitivam naturalem sacramentalis præsentiæ: Quò ad primum verò caput recolendum est *ex præced.* §. 8. *num.* 126. præsentiam sacramentalem non esse supernaturalem, quatenùs sit modus, aut alia simplex entitas in substantiâ suâ, seù in se totâ supernaturalis; nihilominus neque etiam esse omninò naturalem, sed aliquid supernaturale importare, formaliter quidem, & intrinsecè, quatenus est præsentia ad species: præsuppositivè, & extrinsecè, quatenus est præsentia ad locum. Conformiter ad hanc doctrinam sit

Origo controversiæ circà naturalem cognoscibilitatem præsentiæ sacramentalis ab Angelo:

59

Talis controversia est negativè definienda.

Assert. II. Christus sacramentaliter existens non potest quò ad præsentiam ipsam sacramentalem oculo mentis naturaliter videri: non potest scilicèt ab Angelo (idem à fortiori sentiendum de animâ separatâ) per naturalia principia immediatè, & directè cognosci cognitione simul attingente immediatè, & directè modum præsentiæ, quam habet præsertim ad species. Ità D. Thomas *hic quæst.* 76. *art.* 7. *in c.* Sylvius, & Cajetanus *eod. art.* Gonetus *disp.* 5 *art.* 4 *num.* 80. D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 10. *art. ult. quæst.* 1. Durandus *ead. dist. quæst.* 4. *nu.* 6. Suarez *disp.* 53. *sec.* 5. §. *Nihilominùs*, Amicus *disp.* 21 *nu* 30. cæterique Recentiores, & Thomistæ ferè omnes contrà Scotum *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 8 §. *Secunda conclusio*, Mastrium *disp.* 3. *quæst.* 11. *art.* 2. *num.* 251. Lauræam *disp* 22. *art.* 6. *nu.* 112. Majorem *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 5. Gabrielem *dist.* 45., & alios Scotistas communiter sicut, & Nominales, quibus inter Recentiores aliqualiter favet Arriaga *præcit. subsec.* 2., & magis Madernus *qu.* 4. *art.* 7. *num.* 2.

60

Præsertim circà præsentiam sacramentalem in ordine ad species.

Probatur, & explicatur. Præsentia sacramentalis Christi ad species licèt per nos nō sit in se simplex entitas supernaturalis ordinis (quâ certè ratione facilius probaretur non posse naturaliter cadere sub intuitivâ cognitione intellectus angelici) sed sit complexum corporis Christi effective sustentantis species, hoc tamen complexum includit concursum supernaturalem Dei elevantis corpus Christi ad effectivam sustentationem, & nisi iste supernaturalis concursus Dei elevantis videatur, videntur corpus Christi, & species secundùm esse simplex, at non secundùm esse complexum effectivæ illius in istas sustentationis, quæ est *ex præced. cap.* §. 3. formalis, & potissima ratio præsentiæ sacramentalis ad species; atqui concursus Dei elevantis, ut potè qui supernaturalis est, nequit ab Angelo naturaliter videri ergo. Neque dicas, nos *cap. præced.* §. 7. videmur docuisse hujusmodi concursum esse præsentiæ sacramentali extrinsecum, potest igitur illo non viso ista videri: Contrà enim concursum illum appellavimus extrinsecum, quatenùs est in genere causæ extrinsecæ, & nec corpus Christi, nec species intrinsecè afficit, non quatenùs ingrediatur intrinsecè constitutionem præsentiæ

sacramentalis: Si urgeas, ergo præsentia sacramentalis involuit aliquid in substantiâ supernaturale, nec asserenda est supernaturalis solùm in modo, ut à nobis ibi asserebatur. Respondebitur, nos ibi asseruisse præsentiam sacramentalem supernaturalem solùm in modo, ad rejiciendum præsentiam sitam in solâ simplici entitate quò ad substantiam supernaturali, non ad excludendam omnem substantialem supernaturalitatem ab ipsâ præsentiâ sacramentali adequatè sumpta, seù à præsentiæ sacramentalis complexo.

61

Considerando deinde eamdem præsentiam sacramentalem in ordine ad locum: Hæc per nos *ex praecd.* §.7. consistit in complexo omnium, & singularum partium corporis Christi cum omnibus, & singulis partibus loci, in quo sunt species, & quatenus est complexum omnium partium corporis Christi cum singulis partibus loci, illarum omnium inter se penetrationem, quatenus est complexum singularum cum omnibus partibus loci, earumdem in multiplici loco replicationem importat, vel supponit: eo igitur modo, quo præsentia corporis, tùm cum alio in eodem loco penetrati, tùm in multiplici loco secundum eamdem numero entitatem collocati videri ab Angelo potest, videri quoque poterit præsentia sacramentalis Christi ad locum, seù præsentia localis Christi in Sacramento: Porrò illud, quod supernaturale est in corporum penetratione, & replicatione, non ingreditur formalem rationem localis præsentiæ, sed præsuppositivè se habet; nam quod supernaturale est in penetratione, consistit in impediendo effectu formali secundario quantitatis exigentis unam partem esse extrà aliam, & resistentis ne una pars ponatur in eodem loco, in quo est alia; hoc effectu impedito sicuti duo corpora possunt per proprium ubi naturale (sivè hoc sit modus, sivè complexum) esse in eodem loco pro diverso tempore, ità & pro eodem, quod est, ipsa penetrari: Quod suparnaturale est in replicatione, consistit per nos in actione, quâ res in uno loco existens in alio reproducitur, sicuti autem prima productio non constituit rem in primo loco, ità nec reproductio in secundo, & utraque præsuppositivè ad præsentiam localem se habet; Corpora igitur penetrata, & replicata quamvis dicant supernaturalitatem, & nequeant immediatè, & directè videri ab Angelo quo ad penetrationem, & replicationem, habent tamen naturalem, & naturaliter ab Angelo visibilem localem præsentiam formaliter sumptam: Neque videtur in hoc major difficultas, quàm in eo, quod videatur naturaliter ab Angelo localis præsentia corporis in accensâ fornace conservati impeditâ activitate ignis, aut effectus diverso tempore reproducti puta Lazari resuscitati. Ex his infero præsentiam Christi in Sacramento, prout est præcise localis, seù ad locum comparata, posse secundum se formaliter cadere sub cognitione intuitivâ naturali intellectus Angelici, quamvis non secundum id totum, quod dicit etiam præsuppositivè, & activè. Nec propterea hinc habetur aliquid malè cohærens præfixo asserto negativo, cum expressè additum sit ipsum procedere de præsentiâ sacramentali, quam habet Christus ad species potius quàm de eâ, quam habet ad locum.

62

Circà præsentiam sacramentalem in ordine ad locum assertum negativum verificatur solùm præsuppositivè non formaliter.

Dices: Qui cognoscit naturaliter rei præsentiam, dum est præsens, cognoscit pariter ejusdem rei absentiam, dum est absens, atque adeò Angelus habet cognitionem naturalem certam, & evidentem de carentiâ substantiæ panis, seù absentiâ ipsius à speciebus, si igitur habeat quoque naturalem intuitivam notitiam de præsentiâ locali corporis Christi sub speciebus, seù in loco specierum, nihil ei deerit ad hoc ut possit certò inferre substantiam corporis Christi successisse substantiæ panis, & in ordine ad species supplere id, quod à panis substantiâ præstabatur; Atqui hoc est cognoscere præsentiam sacramentalem Christi in ordine ad species, ergo vel Angelus potest naturaliter istam cognoscere, vel neque potest naturaliter cognoscere præsentiam sacramentalem in ordine ad locum. Sed contra: Absentia, & separatio substantiæ à propriis accidentibus, substantiæ panis à panis speciebus, utpotè quæ non nisi supernaturaliter induci potest, est negatio quo ad modum supernaturalis; Angelus autem, ut suppono ex proprio tractatu *lib. 2. cap. 2.* §. 13. *num.* 143., & 144. de negationibus quo ad modum supernaturalibus nequit habere cognitionem naturalem, neque intuitivam, neque abstractivam certam, & evidentem; ex eo quod non videat sub speciebus substantiam panis, nequit cum certitudine determinatè inferre ipsam abesse, sed vel abesse, vel sibi occultari; & quando certò sciret ipsam abesse, videndo in ipsius absentiâ præsentiam localem corporis Christi nil aliud inferret, quàm substantiam corporis substantiæ panis successisse localiter; cæterum de sustentatione effectivâ corporis in species, ac per consequens de præsentia sacramentali in ordine ad ipsas, eruere fortè posset suspicionem, & conjecturam, at non certitudinem; solum certò deduceret materialem specierum sustentationem, quæ à panis substantiâ præstabatur suppleri divinitùs, Utrùm verò per efficientiam Dei immediatam, an per efficientiam corporis Christi, an per modum substantialem speciebus à Deo communicatum? an aliter? hæret anceps, nec posset naturaliter quidquam certi statuere.

63

Angelus nequit habere naturaliter certitudinem de absentia substantiæ panis à speciebus consecratis.

64

Assert. 3. Christus sacramentaliter existens potest quo ad omnem sacramentalis præsentiæ rationem perfectionem, & modum cognosci ab oculo mentis, sivè angelicæ, sivè humanæ supernaturaliter; & quidem clarè, & intuitivè per scientiam beatam, vel infusam; obscurè, & abstractivè certitudinaliter tamen per divinam fidem, & revelationem, quam de facto habemus in viâ; & hâc suppositâ potest etjam cognosci

Præsentia sacramentalis potest ab intellectu creato cognosci supernaturaliter per scientiam beatam, vel infusam, vel fidem,

sci naturaliter per fidem naturalem humanam cognitione non solùm abstractivâ, & obscurâ, sed & incertâ: Primam sacramentalis præsentiæ cognitionem habent Beati in patriâ; Secundam fideles in viâ; Tertiam habent, vel habere possunt non solùm omnes infideles in viâ, sed & omnes damnati, sivè homines, sivè Angeli; & jure Durandus *in 4. dist. 10. quæst. 4. num. 6.* in hanc naturalem ex fide humanâ cognitionem refundit, quod refertur, aliquos malos Angelos aliquando exhibuisse Eucharistiæ sacramento reverentiam; Jure inquam, quia licet cohærentes ad secundam præcedentis asserti partem Angelus etiam malus, ut potè habens integra naturalia, possit suâ virtute intellectivâ naturali cognoscere immediatè, & directè Christi præsentiam in loco, in quo sunt species, & hâc immediatâ, ac directâ cognitione duci ad exhibendam reverentiam sacramento; nihilominùs supponitur non permitti à Deo malis Angelis exercitium talis intellectivæ virtutis, & occultatur illis in se immediatè localis Christi præsentia in Sacramento alioqui naturaliter cognoscibilis, ut tùm de tali præsentiâ non solùm locali, sed & simpliciter sacramentali, tùm de cogitationibus cordium, aliisque hujusmodi objectis docere solent Scotistæ cum suo Subtili Doctore *in 4. dist. 10. quæst. 8. §. Ad argumenta versic. Ad tertium.*

Item naturaliter per fidem humanam.

Ex qua cognitione aliqui mali Angeli exhibuerint aliquando Eucharistiæ reverentiam?

65 Oculo mentis succedat oculus corporis, qui licet magis propriè sibi vindicet oculi nomen, inferior tamen, ac imperfectior, & ad videndum objectum, de quo agitur, ineptior est, adeò ut aliqui senserint ipsum, nec supernaturaliter, & divinitùs posse videre Christum existentem in hostiâ, sivè reduplicativè, & simul viso, sivè solùm specificativè, & non viso sacramentalis præsentiæ modo; Ità Richardus *in 4. dist. 10. art. 5. qu. 2.* Durandus *ead. dist. quæst. 4.* Paludanus *ead. quæst. art. 1.* Argentinas *quæst. 1. art. 4.* Suarez *disp. 53. sec. 4.* Aversa *quæst. 4. sec. 7.*, & aliqui alii præsertim ex Antiquis, quibus tamen ex diametro opponuntur Major *in 4. dist. 10. qu. 5.* Ocham. pariter *in 4. quæst. 4. art. 3.* Gabriel *lect. 45. in canon. Missæ*, & Serbellonus in quæstionibus de animâ *disp. 2. quæst. 2. art. 6.* docentes Christi corpus in hostiâ, quantum est de se, posse ab oculo corporeo naturaliter videri, quamvis Deus de facto visionem impediat ratione mysterii, & propter fidei meritum. Inter has sententias extremè oppositas medio modo se habent, & supernaturaliter, ac de potentiâ absolutâ affirmant, naturaliter, ac de potentiâ ordinariâ negant

Variæ sententiæ circà Christi in sacramento existentis visionem ab oculo corporeo.

66 D. Thomas *in 4. dist. 10. qu. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 1.* & hic *quæst. 76. art. 7. ad 2.* Alensis *4. par. quæst. 10. memb. 7. art. 3.* Sotus *in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 7.* Sylvius *hic quæst. 76. art. 7.* Nugnez *ead. art.* Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 9.* Mastrius *disp. 3. quæst. 9. art. 2. num. 256.* Laurea *disp. 22. art. ult.* Vasquez *disp. 191. cap. 2.* Amicus *disp. 21. num. 8.* Lugus *disp. 9. sec. 2.* Arriaga *disp. 37. sec. 6. subsec. 1.* Madernus *quæst. 4. art. 8. num. 4.*, & major pars reliquorum, tùm Thomistarum, tùm Scotistarum, tùm Recentiorum; & Recentiores quidem putant posse videri in Sacramento Christi corpus etiam visione terminatâ ad præsentiam sacramentalem, & modum indivisibiliter existendi; reliqui præsertim Scotistæ volunt modum hunc non posse videri, sed solum Christi corpus specificativè, & abstrahendo à præsentiæ modo.

Assert. 4. Christus, seù Christi corpus in Sacramento potest supernaturaliter, & de potentiâ absolutâ oculo corporeo videri non solum specificativè, & abstrahendo à modo spiritualiter, ac indivisibiliter existendi, sed etiam reduplicativè, ut in Sacramento existit, & simul viso modo, quo spiritualiter, ac indivisibiliter existit. Hujus asserti, tùm Patronos, tùm Adversarios mox retulimus *num. 65. & 66.* Pro ipsius verò probatione

67 Suppono tripliciter aliquid videri posse oculo corporeo, nimirùm per se primò; per se secundò; & omninò per accidens: Videtur, seù est visibile per se primò illud, quod est proprium sensibile potentiæ visivæ corporeæ, & objectum specificativum ipsius, hujusmodi sunt solum color, & lux. Videtur, seù est visibile per se secundò sensibile commune, quatenùs modificat sensibile proprium potentiæ visivæ, hâc ratione videntur motus, quies, præsentia, figura objecti lucidi, & colorati, quæ licet non sint in se color, & lux, nec possint ratione sui præcisè videri, possunt tamen esse coloris, & lucis modificationes, & quâ tales simul cum colore, & luce visu percipiuntur, sicut & percipiuntur tactu, aut alio sensu, quatenùs sunt modificationes qualitatum tangibilium, aut sensibilis proprii alterius sensus. Videtur, seù est visibile omninò per accidens illud, quod respectu potentiæ visivæ, nec est sensibile commune, nec proprium, est tamen ipsius sensibili proprio unitum, sic videtur substantia materialis viso colore, cujus illa est subjectum, videtur in lacte dulcedo visâ albedine, cui illa est conjuncta: Porrò dum asserimus in Sacramento posse oculo corporeo videri Christum, & simul modum quo spiritualiter, ac indivisibiliter existit, non intendimus utrumque videri eâdem prorsus ratione, sed Christum quo ad sui corporis substantiam omninò per accidens, quo ad ejusdem corporis colores per se primò, quo ad modum existendi per se secundò.

Triplex diversus modus, quo res aliqua potest oculo corporeo videri

68 Probatur. Christi corpus per hoc, quod ponatur in sacramento, & fiat spiritualiter, ac indivisibiliter existens, non extrahitur à ratione formali objecti ab oculo corporeo visibilis, & intrà eamdem rationem formalem est modus spiritualiter, ac indivisibiliter existendi; ergo saltem supernaturaliter, & de potentiâ absolutâ potest ab oculo corporeo videri, tùm corpus in sacramento existens, tùm modus, quo spiritualiter, ac indivisibiliter existit, quod est posse videri corpus in sacramento non solum specificativè, sed & reduplicativè, & simul viso modo, quem in sacramento habet; consequen-

Christus ut existens in sacramento est oculo corporeo visibilis saltem de potentia absoluta.

tia patet ex regula generali, quâ quælibet potentia vocalis potest elevari ad attingendum, quidquid est intrà rationem formalem proprii objecti: Probatur antecedens quo ad primam partem, quia Christi corpus per hoc, quod ponatur &c. non extrahitur à ratione colorati, & lucidi, coloremque non amittit sicut nec lucem, si quam habet in propriâ specie: cum color, & lux sint prædicata absoluta, & independentia à loco, quæ si conveniunt Christo in propriâ specie, conveniunt eidem in Sacramento: atqui ratio colorati, & lucidi est ratio formalis objecti ab oculo corporeo visibilis: ergo: Probatur idem antecedens quo ad secundam partem, quia modus spiritualiter, ac indivisibiliter existendi non est aliquid in se spirituale, & quatenus est modificatio corporis colorati, adeoque rei visibilis per se primò participat eamdem rationem formalem, & evadit visibilis per se secundò ut ex doctrinâ *præced. num.* positâ deducitur; ergo.

69 Dices rationem formalem objecti ab oculo corporeo visibilis non esse præcisè coloratum, & lucidum, sed coloratum, & lucidum extensum: nam sensibile propriū supponit sensibile commune, sicuti autem esse coloratum, & lucidum est sensibile proprium oculi corporei, seù potentiæ sensitivæ visivæ, ità esse extensum est sensibile commune potentiæ sensitivæ cujuscumque; atqui corpus Christi per hoc, quod ponatur in sacramento, extrahitur ab esse extenso, & modus existendi spiritualiter, ac indivisibiliter est modus existendi inextensè; ergo tùm ipsum, tùm modus ipsius est extrà rationem formalem objecti ab oculo corporeo visibilis. Sed contrà: In sententiâ resolvente ultimò continuum in sola indivisibilia, sicut in indivisibili salvatur communis ratio materialitatis, ac quantitatis ità & sensibilitatis, ideò nego absolutè, quod esse extensum spectet ad rationem formalem sensibilis communis, & dico materiale à spirituali, sensibile ab insensibili distingui per ordinem ad quantitatem, & exigentiam impenetrationis, non per extensionem: In sententiâ componente continuum ex partibus in infinitum divisibilibus fateor non posse salvari in indivisibili rationem communem materialitatis, & sensibilitatis, at non propterea hæc requirit essentialiter extensionem localem, sed contenta est extensione in ordine ad se, idest pluralitate partium extensionem localem exigentium.

70 Loquendo igitur juxtà hanc posteriorem sententiam, quæ nobis in philosophiâ magis placuit, dico esse extensum in ordine ad se, non esse extensum in ordine ad locum ingredi rationem formalem communis sensibilis; Christus autem in sacramento ab esse extenso in ordine ad locum, non ab esse extenso in ordine ad se extrahitur, & modus existendi sacramentaliter est modus existendi inextensè in loco, non inextensè in se, ideò &c.

Urgebis: Modus existendi in sacramento spiritualiter, ac indivisibiliter, neque est color, neque lux; ergo est extrà rationem formalem oculi corporei, & nec de potentiâ absolutâ potest ab isto videri, adeoque nec potest ab isto videri Christus in sacramento existens saltem reduplicativè, & simul viso existendi modo: Atqui ex aliâ parte, neque potest videri non viso existendi modo, quia oculus corporeus non potest videre objectum non visâ ipsius præsentiâ, fertur enim in objectum experimentaliter, adeoque ut præsens; ergo nec viso, nec non viso existendi modo; nec reduplicativè, nec specificativè Christus in sacramento existens potest oculo corporeo videri. Sed contrà: Sicut *num. 67.* præmissum est modus, quo Christi corpus existit in Sacramento, quamvis nec sit color, nec lux, est tamen coloris, & lucis, seù objecti lucidi, & colorati modificatio, & intrà rationem formalem objecti visibilis per se secundò, & ut sensibile commune, quamvis non per se primò, & ut sensibile proprium: Præter quod dici potest color, & lux in obliquo, etsi non in recto. Ad illud, quod subsumitur, dico saltem divinitùs, & Deo impediente, aut non concurrente ad visionem præsentiæ, posse hâc non visâ videri ab oculo corporeo objectum, & ex eo, quod attingatur experimentaliter, & intuitivè, debet quidem attingi quo ad existentiam, at non quo ad omnem existentiæ modum, undè cum videmus aliquid à longè, sæpè non videmus ejus figuram, nec utrùm moveatur an quiescat? Cæterùm parum hoc interest ad præfixum assertum, quo non intendimus Christum posse videri non viso præsentiæ modo absolutè, sed posse videri etiam ex suppositione, quod non videatur præsentiæ modus, sivè deindè talis suppositio possibilis, sivè impossibilis sit.

71 *Est inquam visibilis etiam quo ad modum ipsum existendi.*

72 Stabilito, quod supernaturaliter, & ex divinâ elevatione possit oculus corporeus videre Christum in sacramento; dubitatur utrùm hanc elevationem habeat de facto quilibet oculus gloriosus hominis beati ex eo præcisè, quod gloriosus, seù glorificatus sit: Respondetur negativè; ratio est, quia oculus gloriosus ex naturâ gloriæ nihil aliud habet, nisi quod sit supernaturali luce, corporeâ tamen, perfusus, adeoque elevatus ad videndam tùm eamdem supernaturalem lucem, tùm supernaturales colores, si dantur, aut dari possunt; at improportio ad videndum Christum in sacramento cum non proveniat ex aliquâ coloris, aut lucis supernaturalitate, sed ex inextensione, & spiritualitate modi existendi: oculus gloriosus ex naturâ gloriæ non habet elevationem in ordine ad videndum Christum in sacramento; nec quo ad hoc melioris est conditionis, quam non gloriosus, cum nihil magis quam iste habeat de inextensione, & spiritualitate modi existendi. Confirmatur ex D. Thoma locis præcitatis, ubi oculo glorioso corporis Christi existenti in sacramento concedit videre se ipsum, at non ulli alii oculo glorioso, imò nec oculo glorioso ipsius Christi, si supponatur extrà sacra-

Oculus gloriosus ex naturâ gloriæ præcisè non habet proportionem ad videndum Christum in Sacramento.

men-

De facto tamen se ipsum videt oculus gloriosus Christi.

mentum existere: Profero ipsius met S. Doctoris verba *in 4.* scilicet *præcit. resp. ad 1.* ait, *Si oculus Christi esset extrà species Sacramenti non videret substantiam suam intrà species contentam ex naturâ gloriæ, nisi miraculosè, & ideò non oportet, quod oculus glorificatus videat, nisi fortè per miraculum:* Rursus *hic præcit. resp. ad 2.* ferè idem repetit dicendo, *quod oculus corporalis Christi videt se ipsum sub Sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum: Nec tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei alius oculus gloriosus.*

73

Expenditur mens D. Thomæ circà visionem Christi in Sacramento ab oculo corporeo.

Ex quo obiter verba hæc in medium protulimus, aliqualiter expendenda sunt, nam licet satis exprimant Sancti Doctoris mentem pro nobis stare quo ad hoc, quod est oculum gloriosum posse videre corpus Christi in sacramento, at non ex naturâ gloriæ, & sine miraculo; aliundè videntur obscuriora, aut etiam nobis contraria; primò in eo, quod oculo glorioso ipsius Christi in Sacramento concedunt de facto se ipsum videre: Secundò in eo, quod eidem negant posse videre modum essendi, quo est in sacramento, & ponunt hujusmodi visionem pertinere ad solum intellectum: Nihilominùs ad primum dico, aliud esse, quod oculus gloriosus Christi in sacramento de facto se ipsum videat, aliud quod se videat ex naturâ gloriæ, & sine miraculo; hoc posterius esset quidem nobis contrarium, at non continetur in verbis D. Thomæ, sed tantùm illud prius: Cur deindè miraculum videndi se in sacramento fiat de facto respectu oculi gloriosi existentis pariter in Sacramento, non respectu ejusdemmet, aut alterius, qui extrà Sacramentum sit? nec aliam video, nec aliam S. Doctor assignat congruentiæ rationem nisi, quod oculus existens in sacramento, cum in se ipso existentiam sacramentalem habeat, habet cum hâc connexionem in essendo, ratione cujus videtur habere aliqualem exigentiam, & peculiare jus se videndi sub tali existentiâ: aliam rationem affert Sotus apud Gonetum *hic disp. 5. art. 4. num. 86.*, sed minus placet, quia falsò supponit Christum in sacramento existentem non posse intentionales, sui species extrà sacramentum diffundere.

74

75

Ad secundum ex sæpius dictis recolo, modum essendi in sacramento alium esse in ordine ad locum, alium in ordine ad species; de priore nos hucusque asseruimus posse oculo corporeo videri, de posteriore loquitur D. Thomas in verbis præallatis, & iste neque per nos ab aliâ potentiâ, quàm intellectivâ percipi potest, consistit enim in effectivâ sustentatione specierum, quæ substantiæ corporis Christi convenit non accidentibus; Substantiæ, non accidentium modificatio est; sicut autem substantiam, ità & modificationem ejus per se attingere, ac immediatè percipere ad solum intellectum pertinet, non ad sensum; ut benè etiam observat Amicus *hic disp. 21. num. 12.*

Corpus Christi in Sacramento potest per se videri ab oculo etiam naturaliter; at ità confusè, ut dignosci nequeat esse corpus humanum.

Assert. 5. Juxta principia quorumdam Philosophorum probabile est, Christum, seù Christi corpus posse, quantum est de se, ac per se loquendo videri etiam naturaliter ab oculo corporeo, ita tamen confusè, ut non dignoscatur esse homo, seù corpus humanum. Hoc assertum videtur supponi ab Arriagâ *præcit. subsec. 1. num. 24.* ipsumque tradunt imò, & aliquid amplius Nominales, Serbellonus, & aliqui alii, de quibus suprà *num. 65.* Dixi *quantum est de se, ac per se loquendo*, nam quod de facto nullatenus videatur, non est per se, & ex defectu visibilitatis, sed ex extrinseco decreto Dei actualem visionem impedientis ad Mysterii occultationem, & fidei meritum: Fortè etiam naturalem corporeæ visionis actum impedit lux supernaturalis, & gloriosa, quam de facto habet in sacramento corpus Christi, ut potè gloriosum.

76

Probatur, & explicatur assertum duo præmittendo: Primum est, oculum corporeum in re opacâ nô posse naturaliter aciem suam figere ultrà extimam superficiem, solùm colorem, figuramque in ista existentem intuetur; colorem verò in rei profunditate positum, figuramque interiorum non penetrat, nisi divinitus elevetur, & roboretur ad operandum suprà modum sibi connaturalem: Secundum est, extimam hostiæ consecratæ superficiem in qualibet minimâ sui parte, aut etiam, si vis, in quolibet puncto, continere totum Christi corpus, ac per consequens in qualibet minimâ parte, aut quolibet puncto habere cum propriâ albedine omnes colores omnium, & singularum partium corporis Christi, colorem scilicet carneum, colorem sanguineum &c. Ex omnibus his coloribus in qualibet parte hostiæ compenetratis resultat color quasi medius, aut potius quædam colorum mixtura; & hanc colorum mixturam ex colore hostiæ, & coloribus corporis Christi resultantem dico, posse per se loquendo ab oculo corporeo naturaliter videri, quia tamen oculus, qui talem mixturam naturaliter videret, non discerneret distinctionem, secundùm quam diversi colores sunt in diversis partibus corporis, nec item cerneret ullam externam, & situalem figuram membrorum, cum hanc Christus in sacramento non habeat, corpus Christi, ut objectum coloratum attingeret adeò confusè, & imperfectè, ut non dignosceret esse corpus humanum, sed ei appareret sub externâ hostiæ figurâ objectum quoddam coloris quasi medii inter album, carneum, & sanguineum: In his præmissis assertum totum continentibus videtur dumtaxat probandum, colores corporis Christi omnes simul in hostiâ penetratos, ac replicatos posse per se loquendo ab oculo corporeo naturaliter videri in hostiæ superficie sub prædictâ quasi confusione, mixtione, & indistinctione.

Explicatur in quo cōsistat ly *ità confusè*.

77

Probatur autem sic. Colores corporis Christi in hostiæ consecratæ superficie existentes, neque conteguntur quodammodò

à spe-

à speciebus; neque ex penetratione, & replicatione habent modum existendi supernaturalem; neque carent intentionali activitate ad transmittendas in oculum species; neque quidquam aliud impedit, quin per se possint, naturaliter ab oculo corporeo videri; ergo verè videri naturaliter possunt: Probatur antecedens quò ad primam partem, quia ut benè monet Durandus *in 4. dist. 10. quæst. 4. num. 5.* puerilis imaginatio est, quod Christi corpus speciebus obtegatur, quasi intrà species sit, & istæ ipsum circumstent, cum re verâ sit præsens speciebus secundum quamlibet partem, & secundum extimam superficiem ipsarum æquè, ac secundùm profunditatem: Probatur idem antecedens quò ad secundam partem, quia *ex præced. num. 61.* illud, quòd supernaturale est in penetratione, & replicatione, præsuppositivè se habet, & pertinet ad fieri, non ingreditur intrinsecè, ac permanenter modum existendi, & præsentiam localem eorum, quæ penetrantur, & replicantur; ergo colores corporis Christi ex eo, quod penetrentur, & replicentur in omnibus, & singulis partibus hostiæ, non habent modum existendi supernaturalem, ratione cuius nequeant naturaliter videri: Confirmatur ex eo, quod penetratio juvat potius quàm impediat visionem, nam color intensior melius videtur, & tamen color intensior non est nisi color habens plures gradus in eâdem parte subjecti compenetratos; Replicatio per nos non est nisi reproductio, reproductio autem sicut nec alia quæcumque miraculosa productio objecti colorati non officit ejus naturali visioni, alioqui nec Lazarus resuscitatus, nec vinum ex aquâ factum in nuptiis potuisset ab oculo corporeo naturaliter videri: Probatur idem primum antecedens quò ad tertiam partem, quia Christus ut partim constat *ex præced. §. 2. num. 17.* partim constabit uberiùs *§. seq.* potest in subjectum extrinsecum physicè agere imprimendo ei localem impulsum, aut producendo in eo aliquam physicam qualitatem; ergo multo magis agere intentionaliter transmittendo ad potentiam visivam species. Probatur tandem idem primum antecedens quò ad quartam partem, quia videtur facta sufficiens inductio, nec est assignabile aliud alicujus momenti impedimentum, ut ex instantiis, quas subjiciO magis innotescet.

78

Dices: Occulus, qui videret naturaliter colores corporis Christi in sacramento, vel videret ipsos, ut in sacramento existentes, vel ut sunt præcisè in rerum naturâ, abstrahendo à modo existendi in sacramento: Non potest dici primum, quia si videret ipsos, ut in sacramento existentes, videret ipsos ut extensione locali carentes, item videret ipsorum penetrationem, & replicationem, quod est falsum: Neque potest dici secundum, quià potentia visiva corporea non est abstractiva, seù præcisiva rei à modo, præsertim præsentiæ, & existentiæ localis; item quia si videret colores corporis Christi, ut sunt præcisè in rerum naturâ, non videret illos in hostiâ; ergo oculus corporeus nullo modo potest videre naturaliter colores corporis Christi in sacramento. Sed contrà: Colores penetrati, & replicati considerari possunt, vel secundum intrinsecam correspondentiam ad locum, vel secundum extrinsecam apparentiam in loco; secundum priorem considerationem valdè differunt à coloribus habentibus in ordine ad locum suam extensionem quantitativam; secundum posteriorem considerationem non item: Albedo v. gr. palmaris decies replicata, quamvis intrinsecè, & ratione suæ entitatis non habeat eamdem diversarum sui partium ad diversas partes loci correspondentiam, quam albedo decempalmaris, habet tamen eamdem in loco apparentiam, apparet scilicet oculo decempalmaris, æquè ac si verè decempalmaris esset: Et ex adverso albedo in se verè decempalmaris ad unum palmum per penetrationem redacta, quamvis non habeat eamdem suarum partium ad partes loci correspondentiam, quam albedo palmaris, habet tamen eamdem sensibilem apparentiam, nec oculus quidquam discerneret, inter duas albedines in loco palmari existentes, quarum altera esset verè palmaris, & posita in loco palmari cum extensione sibi debitâ, altera esset decempalmaris posita in loco palmari per penetrationem: Hinc ad instantiam, & ejus hypothesim dico, quod oculus corporeus videret naturaliter colores corporis Christi ut in sacramento existentes, ly *ut* reduplicante modum existendi extrinsecum, & quo ad apparentiam, non modum existendi intrinsecum, & quo ad entitativam partium ad locum correspondentiam: Porrò carentia extensionis localis, & penetratio, ac replicatio ad modum intrinsecum pertinent, ideò non est necesse, quod videantur, videndo colores, ut in sacramento secundum modum extrinsecum existunt.

79

Albedo decempalmaris, & albedo palmaris decies replicata habent respectu oculi eamdem apparentiam, & extensionem

80.

Dices aliter: Quidquid ab oculo corporeo videtur, videtur sub pyramide, seù figurâ pyramidali, cujus basis in re visâ, conus in oculo vidente existat; atqui corpus Christi in sacramento non potest sub pyramide videri, nec potest in ipso fundari basis pyramidis, primò, quia aliquid extensum, ut essentialiter est basis pyramidis, nequit fundari in inextenso, ut est corpus Christi in sacramento: Secundò, quia basis pyramidis corporis Christi esset eadem cum basi pyramidis hostiæ, seù esset omnino simul, sicut habet omnimodam simultatem corpus Christi cum hostiâ, quæ autem sub æquali basi pyramidis, & æquali angulo videntur, videntur omninò æqualia, videretur igitur corpus Christi æquale hostiæ, & sub hostiæ figurâ non sub propriâ: quod esset oculum falli, & videre Christi corpus aliter ac est. Hoc argumentum ex perspectivæ regulis deducit Scotus *in 4. dist. 10. quæst. 9. §. Contra*, & ab aliquibus censetur validum ad impugnandam visionem corpoream Christi in sacramento etiam superna-

natura-

81 Quid sit visionem corporeā fieri ad modum pyramidis, & quomodò possit aliter fieri de potentia absoluta?

naturaliter, & de potentiâ absolutâ: Sed contrà: Objectum videri sub pyramide, seù sub figurâ pyramidali nihil aliud est, quàm species ab objecto ad potentiam visivam per modum pyramidis transmitti, quod verificatur ad summum de lege ordinariâ, quę sola conformatur perspectivæ regulis, cæterùm de lege absolutâ potest fieri visio sine pyramide per species, vel productas immediatè à Deo, vel ab objecto aliter, quam ad pyramidis modum transmissas: Ideò argumentum in ordine ad legem absolutam est omninò infirmum, ac invalidum; quatenùs verò procedit de lege ordinariâ dico, basim pyramidis bene posse fundari in Christi corpore, secundum quod habet in sacramento extensionem æquivalentem per sui replicationem in hostiâ extensâ; fateor deindè, quod basis pyramidis corporis esset æqualis basi pyramidis hostiæ: Fateor deindè, quod Christus, aut potius massa colorum ex penetratione omnium partium ejus consurgens videretur quo ad extensionem localem æquivalentem, & apparentiam extrinsecam æqualis hostiæ, & sub hostiæ figurâ, nec propterea videretur aliter, ac est, sed verè ità est, seù ità repræsentatur quo ad extensionem æquivalentem, & apparentiam extrinsecam, ad quam solam terminatur visio confusa, & imperfecta, de quâ nunc agitur:

82 Christus in Sacramēto quo ad aliquē modum de nulla potentia; quo ad aliquē solum de absoluta, quo ad aliquem etiā de ordinaria videri potest.

Ex dictis potest respectu Christi in sacramento distingui triplex existendi modus: Primus, quem habet in ordine ad species: Secundus, quem habet in ordine ad locum, sed in se intrinsecè, Tertius, quem habet in ordine pariter ad locum, sed apparenter, & extrinsecè. Ut existit primo modo, nec de potentiâ absolutâ potest videri ab oculo corporeo *ex praecd. num.* 75. Ut existit secundo modo, potest videri de potentiâ absolutâ non de ordinariâ Ut existit tertio modo, etiam de potentiâ ordinariâ modo prædicto. Porrò ut existens secundo modo videtur ab oculo elevato secundum figuram intrinsecam, & organicam, de quâ *cap. praecd. num.* 121., sicque videtur distinctè ut homo, seù ut corpus humanum; Et in hoc visio corporea, quæ de Christo in sacramento haberi potest supernaturaliter, maximè præcellit visioni corporeæ naturali, maximèque ab istâ diversificatur.

83

Addunt hic Arriaga *praecit. subsec.* 1. *nu.* 23. Madernus *praecit. art.* 8. *num.* 6., & aliqui alij modum, quo Christus in sacramento visione corporeâ videatur, nec cum solâ figurâ internâ, & extensione in ordine ad se, nec cum solâ extensione apparente, ac æquivalente, & sub externâ hostiæ non humani corporis figurâ, sed sub figurâ propriâ, & extensione quasi formali, adeò ut si consecretur panis tantæ magnitudinis, quantæ est Christus in propriâ specie, possit in tali pane videri Christus sub sua totali extensione, & integrâ figurâ situali; Si Deus in vnâ talis panis extremitate occultet omnes partes corporis Christi præter caput; in secundâ parte immediatè sequente omnes præter collum, in tertiâ omnes præter pectus, & sic de aliis: Verùm hic modus rejicitur à Suario *praecit. sec.* 4. §. *dico secundò*, in fine, & mihi quidem, cum nulla Christi pars in sacramento habeat extensionem, difficile est, quod una pars ex occultatione aliarum maneat sub propriâ extensione visibilis, numquid enim ex aliarum occultatione extensionem localem, & externam configurationem, quam non habebat acquirit? Ni fallor, talis modus benè potest mente, aut etiam immaginatione concipi, at non in re poni, nec sustineri, nisi sit ferè ille idem, cujus *praecd. cap. num.* 127. ex D. Bonaventurâ meminimus.

Fertur judicium de opinione asserente Christum in sacramento visibilem etiā sub sua integra figura externa.

84 Fertur judicium de aliis à visu sensibus in ordine ad percipiendum Christum in Sacramento

Ex eo, quod oculus corporis possit præsertim supernaturaliter attingere Christum in sacramento existentem, videtur illicò consequens, quod possit eumdem suo modo percipere quilibet sensus, sivè externus sivè internus; propterea major Scholasticorum pars in præsenti, aut nihil prorsus de aliis sensibus profert, aut solùm universim intuit æqualem, esse eamdemque de ipsis, quæ de sensu visus, seù de oculo corporis, rationem: Nihilominùs re benè perspectâ esset quidem eadem ratio, si reliqui sensus æquè, ac visus contactu intentionali, & mediis speciebus objecta sua perciperent, at hoc in sensibus tactus præsertim, & gustus falsum est, & fortassè nec verificatur in sensu olfactus; isti igitur tres sensus percipiunt sua objecta per contactum physicum, qui respectu corporis sacramentaliter existentis dari non potest; auditus verò etsi contactu intentionali contentus sit, & mediâ specie fiat, nihilominùs habet pro objecto formali sonum, qui cum essentialiter requirat motum successivum, & localem extensionem, nequit in corpore sacramentaliter existente formari, ideò cum Amico *disp.* 21. *num.* 20. Mastrio *praecit. art.* 2. *num.* 261., & aliquibus aliis censeo non esse in hoc puncto eamdem de reliquis sensibus externis, ac de visu rationem: Benè verò est eadem ratio de sensu interno, qui certè medijs speciebus operatur, & per species ex visione corporea transmissas potest objectum, quod ista percipit percipere, & sicut ista in Christum sacramentaliter existentem tendere: Porrò cum sensus internus transmittat ad intellectum species ab oculo, aliovè sensu externo acceptas, eo modo quo corpus Christi in sacramento potest ab oculo percipi, potest pariter ab Intellectu conjuncto, & operante dependenter à sensibus cognosci: Hincque tandem habes intellectum etiam corpori conjunctum posse per se loquendo sibi comparare aliquam Christi in sacramento existentis notitiam præter eam fidei divinæ, vel humanæ, de quâ suprà *num.* 64.

§. V.

§. V.

An, & quomodò Christus sacramentaliter existens possit in alia physicè agere, aut ab aliis physicè pati?

85 Christus ut in Sacramento existens potest supernaturaliter agere physicè in alia & pati ab aliis,

ASSERT. I. Christus, ut in sacramento existens potest supernaturaliter, & de potentiâ absolutâ physicè agere in alia, aut physicè pati ab aliis, quidquid in alia, aut ab aliis potest physicè agere, aut pati ut existens in propriâ specie. Est veritas, in quâ omnes consentiunt, & facilè

Probatur. Christus in sacramentó habet eamdem potentiam obedientialem, quam in propria specie, ergo cæteris paribus potest secundùm potentiam obedientialem activam elevari ad agere, secundùm potentiam obedientialem passivam elevari ad pati in sacramento, æquè ac in propriâ specie, ac per consequens, ut in sacramento existens potest supernaturaliter, & de potentiâ absolutâ physicè agere &c. Dixi *cæteris paribus* idest servatâ proportione diversi modi existendi, neque enim contendo Christum, ut existentem in sacramento posse recipere, & pati qualitates modo extenso, sicut ipsas recipit, & patitur in propriâ specie; sufficit mihi, quod quidquid in propriâ specie recipere potest modo extenso, possit modo in extenso recipere in sacramento; Neque hoc impedit, ne ab agente extrinseco qualitates materiales in sacramento recipiat: Non impedit inquam, quia materiale agens de potentiâ absolutâ sicut potest producere qualitates spirituales, itá à fortiori materiales eum spirituali, & inextenso existendi modo.

86 Potest item in alia physicè agere naturaliter,

Assert. II. Christus, ut in sacramento existens potest etiam naturaliter physicè agere in alia per se loquendo, potest scilicet, nisi ad nostræ fidei exercitium, & meritum impediretur, per proprias qualitates activas physicè alterare, puta per proprium calorem calefacere coepora sibi approximata. Itá præter Nominales sæpiùs in hujus capitis progressu memoratos Amicus *disp.* 20. *nu.* 34. Coninchus *disp.* 76. *quæst.* 6 *dub.* 2. Arriaga *disp.* 37 *sec.* 4. *num.* 14., & aliqui alii contrà Scotum *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 7. §. *Respondeo*. Mastrium *disp.* 3. *quæst.* 14 *art.* 1. Herinex *disp.* 3. *quæst.* 6. *num.* 69. Richardum *in* 4. *dist.* 10. *art.* 5. *quæst.* 2. Capreolum *ead. dist. quæst.* 4. Suarium *hic disp.* 53. *sec.* 2. §. *Dico secundò*. Vasquium *disp.* 191. *cap.* 3. Lugum *disp.* 9. *sec.* 1. Madernum *quæst.* 4. *art.* 6: Gonetum *disp.* 5. *art.* 3. & reliquos tùm Thomistas, tùm Scotistas, tùm Recentiores magis communiter, ex quibus tamen aliqui, & signanter inter Auctores mox relatos Suarez, Herinex, & Lugus dubitanter loquuntur, & suam sententiæ à nobis assertæ probabilitatem relinquunt.

87 Probatur: Qualitates activæ corporis Christi retinent in sacramento naturalem, tùm virtutem, tùm applicabilitatem ad operandum physicè in corpora extrinseca; ergo Christus ut existens in Sacramento potest etiam naturaliter &c. consequentia patet, quia ad agendum non requiritur, nisi virtus activa applicata passo; antecedens probatur quo ad primam partem, quia qualitates activæ habent virtutem ad operandum per se ipsas formaliter non per extensionem, ergo talem virtutē retinent etiamsi sine extensione sint ut in sacramento: Deindè in sacramento extensione carent, quia penetratæ, & replicatæ existunt, atqui per penetrationem intenditur, per replicationem quodammodo extenditur, per illam magis in se unitur, per istam pluribus partibus applicatur virtus activa; ergo per utramque perficitur, non impeditur, aut destruitur. Idem antecedens probatur quo ad secundam partem, quia applicatio ad naturaliter operandum requisita non est necesse, quod sit per quantitativam partium commensurationem, sed sufficit per præsentiam, & indistantiam localem, hæc quippè sufficit, ut actio non fiat indistans, sufficit item ut Angelus, vel in alios Angelos, vel in corpora operetur; atqui qualitates in sacramento existentes possunt extrinsecis corporibus per præsentiam, & indistantiam localem applicari naturaliter, ergo retinent naturalem applicabilitatem ad operandum physice in ipsa; ut partim attigimus suprà *num.* 17. partim notius fiet solvendo instantias, quas subiicio, ideò

88 Dices primò ex Scoto *præcit.* §. *Respondeo versic. Hoc probatur*. Corpus Christi (eadem est ratio de qualibet ipsius potentiâ, aut qualitate) in sacramento non existit localiter, non enim in sacramento est tamquam in loco, ergo ut in sacramento existens nequit esse localiter applicatum, & approximatum ulli corpori extrinseco, atqui ad actionem naturalem physicam omninò requiritur agens localiter applicatum, & aporoximatum passo; ergo. Sed contrà:

89 Cohærenter ad doctrinam ex professo positam *cap. præced.* §. 4. dico corpus Christi in Sacramento comparari posse, vel ad species, vel ad locum, seù spatium, in quo sunt species; si comparetur ad species, verè non existit localiter, & tamquam in loco, secus si comparetur ad locum, seù spatium, in quo sunt species; ratione igitur spatii, quamvis non ratione specierum optimè potest corpus Christi esse localiter applicatum, & approximatum passo, nec quidquam amplius ex parte applicationis, & approximationis requiritur ad agendum physicè in corpora extrinseca; Alioqui eâdem arguendi formâ dici posset, substantia materialis puta forma ignis non existit localiter, & tamquàm in loco sub propriis accidentibus, ergo ut sub propriis accidentibus existens nequit esse localiter applicata, & approximata ulli passo ad naturaliter, & physicè agendum in ipsum.

Urgebis: Dato, quod Christus existat localiter in spatio, in quo existunt species, hujusmodi tamen existentia, seù præsentia

non

non sufficit, ut possit applicari ad agendum naturaliter in alia corpora, primò, quia non est proportionata existentiæ, seù præsentiæ aliorum corporum, cum hæc sit per extensionem, & extreitatem partium in ordine ad locum, illa non item: Secundò, quia non est naturalis, sicuti autem ad agendum in genere requiritur approximatio agentis per præsentiam, & indistantiam localem in genere, ita ad agendum naturaliter requiritur approximatio per præsentiam naturalem; ergo. Sed contrà: Ad primum dico,

90

præsentiam, & approximationem inter agens, & passum esse puram ad agendum conditionem, ideò non requirere ullam proportionem determinatam; requiritur quidem proportio inter potentiam activam agentis, & passivam passi, at non inter præsentiam unius, & præsentiam alterius; certè non requiri, quod una præsentia sit commensurata alteri per partium commensurationem, evincitur ex eo, quod secùs nulla res spiritualis posset esse sufficienter præsens, & approximata ad agendum in rem materialem. Ad secundam dato (quamvis sit per nos falsum) quod præsentia localis Christi non sit naturalis, dico ex ratione mox ad primum adductâ colligi, quod ad naturaliter agendum non requiratur præsentia naturalis determinatè, sed quæcumq; sufficiat. Neque ulteriùs urgeas; Saltem in agente materiali requiritur præsentia modo extenso, nam materiale agens sicuti extensum præsentiæ modum requirit, ut naturaliter existat, ità & ut naturaliter agat, propter regulam generalem, quâ modus agendi, seù operandi dicitur consequi modum essendi, atqui præsentia localis Christi non est modo extenso, ergo. Contrà enim,

91

nego antecedens, & dico modum agendi consequi modum essendi, quatenùs modum essendi supponit, non quatenùs modo essendi assimiletur, seù conformetur: Retorquetur instantia in accidentibus panis, & vini, quæ in Eucharistiâ ut potè destituta omni substantiali subjecto non habent naturalem modum existendi, & tamen habent naturalem modum operandi, & possunt naturaliter operari.

Dices secundò ex Lugo *præcit. sec.* 1. Nullum agens materiale, naturaliter loquendo, per suas partes continuas, quibus constat, exercet æqualem in passum activitatem, seù actionem, sed quodlibet uniformiter difformiter procedendo operatur intensiùs, & intensiùs per partes passo viciniores, & viciniores, remissiùs, & remissiùs per partes remotiores, & remotiores, sicque nulla naturalis actio agentis materialis æquè proficiscitur ab omnibus, aut à pluribus talis agentis partibus; atqui actio, quæ proficisceretur à corpore Christi ut existente in sacramento, æquè proficisceretur ab omnibus talis corporis partibus, quia omnes essent æquè vicinæ, & æquè applicatæ passo ut potè omnes existentes in qualibet parte imò in quolibet puncto loci passo immediati, ergo non esset actio naturalis; ac per consequens corpus Christi sacramentaliter existens non potest naturaliter actione materiali agere in alia, & alterare physicè corpora sibi approximata. Sed contrà. Arriaga

92

præcit. sec. 4. *nu.* 13. conatur (nec inani ut mihi videtur conatu) ostendere, quod possint etiam naturaliter agens, & passum ità disponi, ut plures illius partes sint æquè vicinæ, & æquè applicatæ uni, eidemque parti passi, & in hoc casu difficultas, quam nobis Lugus obiicit, contrà ipsum retorquetur, dicemusque nos de corpore Christi in Sacramento illud, quod ipse de tali agente in dato casu dixerit: Quidquid tamen de hoc sit, censeo expeditiùs responderi, esse per accidens, & defectu æqualis applicationis, non per se, & defectu activæ virtutis, quod naturalis actio agentis materialis numquam æquè proficiscatur ab omnibus, aut pluribus illius partibus, ut constat ex eo, quod si omnes partes æquè applicentur (ut applicari naturaliter possunt) successivè, omnes æqualiter agent, & si ex omnibus ipsarum actionibus coalescat quodammodò actio totalis, erit hæc ab illis omnibus æquè procedens: Cum igitur in Christi corpore sacramentaliter existente inveniatur facta ad passum extrinsecum æqualis applicatio omnium partium simul, non est contrà rationem actionis naturalis, quod ab omnibus partibus simul æquè proficiscatur, & si quid supernaturale intervenit, se tenet ex parte applicationis non ex parte actionis applicatione supposità.

Cur agens materiale numquam operetur æqualiter secundum omnes suas partes?

Dices tertiò, frustrà, & perperam nos laborare pro sustinendâ naturali activitate corporis Christi in Sacramento, cum ex unâ parte nullum experiamur talis activitatis exercitium, & ex aliâ non debeamus facilè inducere perpetuum miraculum, quo talis activitas semper divinitus impediatur, ne in actum ullum exeat, adeòque habeamus nobis oppositam, tùm experientiam, tùm regulam generalem non multiplicandi sine necessitate miracula. Sed contrà: Fateor

93

nos non experiri, nec in re dari ullum assertæ activitatis exercitium; at jam dixi hoc fieri ad occultandum mysterium, & augendam fidem, peculiari quidem, perpetuoque miraculo, at non sine necessitate inducto, habetur enim sufficiens talis miraculi necessitas ex ratione positâ *præced. num.* 87. cum præcipuè non sit adeò studiosè vitandum miraculū hujusmodi in Sacramento, quod aliundè constat esse miraculis plenum, & miraculorum maximum.

Assert. 3. Probabilius est Christum ut in Sacramento existentem non posse naturaliter ab ullo agente creato physicè pati, seù recipere ullam formam physicam materialem. Ità D. Thomas infrà *quæst.* 81. *art.* 4. *ad* 5. Scotus *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 6. §. *Ad intellectum Versic. Prima est*, & non solum à fortiori omnes Auctores, quos suprà *num.* 86., retulimus, tamquam negantes Christum in sacramento posse naturaliter in alia agere, sed insuper ex iis, qui id affirmant, Amicus, & Cuninchus, adeò ut vix habeamus alios in

Christus ut in sacramento existens non potest naturaliter ab agente creato physicè pati.

in præsenti asserto Adversarios præter Nominales, & ex Recentioribus Arriagam *disp.37.sec.3.* Undè ex tanto Auctorum consensu non parùm moveor ad tribuendam majorem assertæ negativæ sententiæ probabilitatem, cæterùm sistendo in purâ ratione, non inficior sententiam affirmantem esse aliqualiter probabilem, & propugnabilem, præsertim postquam ipsam in corpore Christi tradidimus, quo ad posse naturaliter agere: Nihilominus hoc non obstante assertum præsens

94 Probatur: Actio fluens à corpore Christi sacramentaliter existente, & qualitas, quæ tali actione producitur, non est necesse, quod habeat modum existendi spiritualem, & indivisibilem, qualem habet corpus Christi, benè verò est necesse, quod talem modum existendi habeat passio, seù qualitas in corpore Christi recepta: Si igitur agens creatum nequeat naturaliter producere qualitatem materialem habentem modum existendi spiritualem, & indivisibilem, erit respectu corporis Christi in sacramento diversa ratio de agere, & pati, & non poterit naturaliter ab aliis physicè pati, quamvis possit naturaliter in alia physicè agere; atqui agens creatum verè nequit naturaliter producere qualitatem, seù formam materialem habentem modum existendi spiritualem, & indivisibilem; ergo verè corpus Christi ut in sacramento existens non potest naturaliter ab agere creato physicè pati, non obstante, quod affirmatum fuerit ipsum posse in alia physicè agere: Minor subsumpta, quæ sola probationem requirit (reliqua enim constant partim ex dictis, partim ex regulâ universali, secundum quam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, ad modum recipientis existit, non ad modum efficientis.) Minor inquam subsumpta probatur, quia in qualitate, seù formâ materiali modus existendi spiritualis, & indivisibilis est supernaturalis saltem in fieri; non potest scilicet poni, & fieri, nisi à supernaturali virtute, ergo non potest agens creatum naturaliter producere ullam qualitatem, seù formam materialem habentem talem modum, esset enim simul producere ipsum modum, alioqui posset pariter hunc modum cuilibet corpori tribuere, & facere quodlibet corpus existens cum penetratione, & replicatione, neque enim naturaliter modus extensus magis exigitur, aut modus inextensus magis respuitur à materiali corpore, quàm ab ejus materialibus qualitatibus.

95 *Nô potest ab agente creato produci aliquid materiale spiritualiter, seù indivisibiliter existens.*

96 Dices primò: Potest in Christi corpore sacramentaliter existente recipi materialis qualitas absque eo, quod existat modo indivisibili, seù inextenso, & dato, quod sic existat, non est necesse, quod modus sic existendi producatur, ac fiat ab agente creato, à quo producitur materialis qualitas, ergo nostra probatio, tùm in antecedente, tùm in consequente claudicat, & tota corruit: Probatur antecedens quo ad primam partem, de facto species sacramentales retento suo modo existendi extenso, & absque eo, quod existant modo indivisibili, uniuntur corpori Christi, ut sustentanti effectivè; ergo etiam quælibet alia qualitas materialis absque eo, quod existat modo indivisibili, poterit eidem corpori uniri, ut sustentanti materialiter, quod erit in ipso recipi: Probatur idem antecedens quo ad secundam partem, quia modus existendi, sivè divisibiliter, sivè indivisibiliter in loco est posterior ipsâ re, seù materiali qualitate, ergo non est necesse, quod producatur, ac fiat ab eodem agente, à quo producitur materialis qualitas, nec ignis v. gr. desinet naturaliter calefacere, per hoc, quod Deus dicat, si ignis calorem producat, volo posteriùs naturâ tali calori tribuere modum existendi spiritualem, & indivisibilem. Sed contrà nego utramque antecedentis partem, ad probationem primæ dico, species sacramentales per unionem effectivam non fieri proprias corporis Christi, non ei tribuere suos effectus formales, non esse ei intrinsecas, nec de ipso educi, ideò nil mirum, si non induant ejus modum existendi inextensum, sed proprium extensum retineant: Diversa prorsùs est ratio de qualitatibus materialibus, de quibus nunc agitur, quæ fierent corpori Christi intrinsecæ, & propriæ, ei tribuerent suos effectus formales, ac de ipso educerentur. Ad probationem secundæ partis dico in primis, quidquid sit de modo existendi in loco, saltem modum existendi in subjecto, de quo hic agitur, debere esse ab agente, à quo forma, seù qualitas materialis producitur, & de subjecto educitur, & quamvis produci simpliciter sit prius naturâ, quàm esse in subjecto, produci tamen taliter, idest per eductionem, ut necessariò producitur forma materialis ab agente naturali, est formaliter produci cum dependentiâ à subjecto, & inhæsione ad ipsum, adeoque cum modo existendi in ipso. Deindè loquendo etiam de modo existendi in loco dico, existentiam in loco, seù præsentiam, quam res habet in instanti productionis, non posse saltem naturaliter esse, nisi ab agente, à quo res producitur, alioqui talis res ab agente naturali, seù quantum est ex vi agentis naturalis produceretur nullibi, quod naturaliter saltem repugnat. 97

Dices secundò: Quamvis agens creatum per se primò nequeat naturaliter producere qualitatem materialem habentem modum existendi indivisibilem, potest hoc tamen quasi per accidens, & ex suppositione miraculi, quo subjectum materiale indivisibiliter existat. Sicuti quamvis nequeat per se primò operari, aut localiter moveri in duplici loco, potest hoc tamen quasi per accidens, & ex suppositione miraculi, quo bilocatũ, seù in duplici loco collocatum sit. Sed contrà: Disparitas est, quia quod agens creatum nequeat naturaliter producere qualitatem materialem habentem &c. provenit ex defectu virtutis, quod nequeat naturaliter operari, aut moveri in duplici loco, provenit ex defectu conditionis idest 98

appro-

approximationis ad duplex passum, aut spatium, non verò ex defectu virtutis, alioqui nequidem successivè posset naturaliter operari circà duplex passum, aut moveri in duplici loco; ideò potest naturaliter hoc secundum ex suppositione præcedentis miraculi, quia ex præcedenti miraculo habetur approximatio, & conditio, quæ anteà deficiebat, non sic potest ex suppositione præcedentis miraculi primum, quia ex præcedenti miraculo non est aucta in agente virtus, quæ erat anteà insufficiens, & deficiens.

Dices tertiò: Si corpus Christi in sacramento nequit naturaliter recipere ullam qualitatem materialem ab agente creato, sequitur quod non possit ab animâ sibi unitâ recipere impulsum pro motu locali, quod videtur discordans ab eo, quod suprà *num.* 7. dictum est, posse à virtute naturali animæ sibi unitæ localiter moveri: Sequitur insuper, quod non possit naturaliter illuminari, seù recipere lucem materialem à sole, aliovè corpore luminoso, ac per consequens, quod nullatenùs possit naturaliter videri ab oculo corporeo, cujus oppositum asseruimus *praced. num.* 75. ergo saltem propter doctrinæ cohærentiam concedendum est corpus Christi in sacramento posse naturaliter recipere qualitates materiales ab agente creato. Sed contrà: Ad primam sequelam dico, animam Christi in sacramento posse suâ virtute naturali movere localiter proprium corpus non imprimendo impulsum, sed movendo se ipsam, & propter unionem, ac inseparabilitatem corpus. Ad secundam dico pro eo, quod asseruimus *num.* 75. sufficere, quod corpus Christi possit ab oculo corporeo naturaliter videri, supposito quod illuminatum sit, etiamsi deindè ad hoc ut illuminetur, lucemque recipiat, requiratur virtus superior quacumque virtute naturali agentis creati. Fortè etiam pro visione corporeâ sufficit, quod sit illuminatum medium objecto visibili proximum, & immediatum, nec requiritur, quod objectum illuminetur in se, & per lucem sibi inhærentem. Benè igitur stat, quod corpus Christi in Sacramento possit naturaliter, tùm ab animâ sibi unitâ moveri, tùm ab oculo corporeo extrinseco videri, etsi nequeat naturaliter ab agente creato recipere, aut impulsum, aut lucem.

99

Dices quartò: Non excedit vires naturales agentis creati tribuere rei materiali præsentiam indivisibilem, & modum existendi inextensum, ergo nec easdem vires excedit producere qualitatem materialem cum tali præsentiâ, & modo, quod est agens creatum posse naturaliter producere materialem qualitatem in Christi corpore sacramentaliter existente; probatur antecedens, movere localiter corpus Christi in Sacramento est ei tribuere præsentiam indivisibilem, & modum existendi inextensum, quem in motu de novo acquirit, atqui non excedit vires naturales agentis creati movere localiter corpus Christi in Sacramento ergo. Sed contrà: Distinguo antecedens, non excedit vires naturales agentis creati tribuere rei materiali præsentiam indivisibilem, & modum inextensum, quando talis res habet jam antecedenter præsentiam, & modum omninò similem, & æquivalentem concedo, simpliciter, & absolutè nego antecedens, & consequentiam, nam producere rem materialem cum tali præsentiâ est ei præsentiam ipsam tribuere simpliciter, & absolutè, nec supponendo aliam præsentiam similem, ut supponitur in exemplo, quod ad probationem antecedentis affertur: Cur autem possit naturalis virtus tribuere præsentiam indivisibilem primo, non secundo modo? est quia tribuendo secundo modo deberet attingere ipsam supernaturalitatem, quam per se non attingit, dum tribuit primo modo, pro quo recole, quæ suprà dicebamus §. 1. *num.* 11.

100

Ex his instantiis licet solutis constat illud, quod in asserto ipso fassi sumus, nimirùm sententiam oppositam esse ipsam quoque probabilem, & propugnabilem, præsertim postquam docuimus posse corpus Christi in sacramento naturaliter agere physicè in corpora extrinseca; Nihilominùs placuit non eodem modo sentire de pati, ac de agere, tùm quia, ut jam tradidi, non tot Auctores negant Christo in Sacramento physicum agere, quot negant physicum pati, tùm insuper quia agere ad perfectionem pertinet, pati potiùs ad imperfectionem; cæteris igitur paribus est aliqua ratio congruentiæ ad concedendum corpori Christi in sacramento physicum agere, & ad negandum eidem physicum pati.

101

CAPUT VI.

De Accidentibus panis, & vini, seù speciebus consecratis.

1

DUO ex dictis sunt constitutiva permanentia sacramenti Eucharistiæ, corpus scilicet, & sanguis Christi, nec non accidentia panis, & vini; quæ spectant ad corpus, & sanguinem mox absolvimus, recto jam ordine occurrunt panis, & vini accidentia, quæ quatenùs post consecrationem in Eucharistiâ permanent, sunt alterum ipsius constitutivum, & species consecratæ, vel sacramentales, vel Eucharisticæ nuncupantur: De istis valdè multa proferri possent, sed nonnulla merè philosophica sunt, nonnulla aut jam fuerunt in examen vocata, aut clariora, certioraque sunt, quàm ut examine indigeant; ideò ne aut extrà chorum saltem, aut actum agam, aut ubi operæ pretium non est, immorer.

Quantitas distinguitur realiter à materia.

Suppono primò quantitatem distingui realiter à materia, & quamvis materiæ coæva sit, esse accidens ab ipsa divinitùs separabile; ità tenet major Philosophorum pars contrà

R 2 Nomi-

Nominales, & nonnullos Recentiores, quibus etiam in præsenti favet Arriaga *disp.* 38. *sec.* 2. Utrùm verò suppositâ reali quantitatis à materiâ distinctione, in illâ immediatè, in materiâ, aut in formâ substantiali, aut in toto solum mediatè cætera accidentia materia in subjectentur, major est inter Philosophos opinandi varietas, & relictâ suâ cuilibet opinioni probabilitate.

2
Illa est immediatum, ista mediatum subjectum aliorum accidentium materialiũ. Inhærentia actualis est accidentibus connaturalis, non essentialis.

Suppono secundò quantitatem in materiâ, reliqua accidentia materialia in quantitate immediatè subjectari, adeò ut respectu ipsorum rectè distinguatur duplex subjectũ, alterum accidentale, immediatum, proximum, & hoc sit quantitas; alterum substantiale, mediatum, ultimatum, & hoc sit materia prima.

Suppono tertiò actualem in subjecto, sivè accidentali, sivè substantiali inhærentiam esse accidentibus connaturalem, nõ essentialem, & posse tùm quantitatem, tùm alia accidentia separari, & conservari separata ab omni substantiâ: Hocque certum est, & extrà quæstionem apud Philosophos Catholicos contrà Calvinistas, apud quos unum ex fundamentis, quibus Eucharisticam transubstantiationem, & realem Christi in sacramento præsentiam impugnare conantur est, quod ex suâ adulteratâ philosophiâ supponant involvere contradictionem, quod accidens subjecto, & actuali inhærentiâ careat, undè etiam Joannes Hus jure damnatus in Concilio Constantiensi *sess.* 8. ausus fuerat dicere, *quod fingere accidens sine subjecto erat blasphemare in Deum, scandalizare Sanctos, & illudere Ecclesiæ per verba accidentis*.

3
Quænam accidentia panis, & vini post consecrationem remaneant?

Suppono quartò *ex præced. cap.* 2. §. 1. definientibus ex vi consecrationis substantiis panis, & vini, remanere omnia ipsarum accidentia realia, & absoluta, quamvis res certior, & expressè de fide sit solum quò ad ea, quæ sunt per se immediatè sensibilia, seù sensibus perceptibilia: Remanet verò inter alia quantitas, ut potè quæ, ut jam supposui est ipsa quoque accidens distinctũ, & separabile realiter à substantiâ: Sub his accidentibus succedit corpus Christi, at non tamquàm subiectum, cui inhæreant, ut ex jam dictis passim, iterumque in progressu dicendis innotescet: & cum nec ulla alia substantia tamquam subjectum inhæsionis ipsorum assignari possit, (quod enim aliqui memorati, & impugnati à D. Thomâ *hic quæst.* 77. *art.* 1. dixerunt inhærere aeri circumstanti, ipsâ sensuum experientiâ nedum multiplici ratione refellitur) consequens est omnia remanere non solùm sine subjecto substantiali proprio, idest sine propriis substantiis panis, & vini, quod omnes fatentur esse de fide, verum etiam sine subjecto substantiali quocumque, quod licèt secundùm aliquos de fide non sit, est tamen valdè certum, & saltem fidei proximum, quinimò à Soto *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 2. *art.* 1. Valentiâ *hic disp.* 6. *quæst.* 5. *puncto* 1., & aliis magis communiter de fide esse non dubitatur, eo quod inter plures articulos Vviclephi, quos Concilium Constantiense *sess.* 8. damnavit tamquàm notoriè hæreticos, recenseatur articulus ordine secundus absolutè negans, accidentia panis in Eucharistiâ manere sine subjecto.

Illa remanere sine substantiis propriis est omnino de fide; remanere absolutè sine omni subjecto substantiali est saltem fidei proximum.

4
Reliqua omnia à quantitate remanent in ista tamquam in subjecto accidentali.

Suppono quintò cohærenter ad id, quod secundo loco supposui, & relinquendo quò ad hoc suam aliter sentientibus probabilitatem, suppono inquam quàmvis in Eucharistiâ omnia panis, & vini accidentia careant quocumque subjecto inhæsionis substantiali, & ultimato, non omnia pariter carere subjecto inhæsionis accidentali, & proximo, sed hoc carere solam quantitatem, quæ nullum unquàm habet accidens, cui inhæreat, cætera verò remanere inhærentia quantitati ex panis, ac vini substantiis relictæ, idemque habere subjectum inhæsionis accidentale, & proximum post consecrationem, quod antè; Panis igitur, & vini quantitas in Eucharistiâ remanet sine omni actuali inhærentiâ, reliqua accidentia solùm sine actuali inhærentiâ mediatâ, & ultimatâ, ex quo consequens est in illâ, non in istis, aut certè majorem in illâ, quam in istis mutationem fieri per hoc, quod à propriis substantiis separentur, & extrà omne substantiale subjectum conserventur in sacramento: Hinc occurrit primo loco examinanda mutatio, quæ fit in quantitate, dum sic separatur, & conservatur; pro quo

5

Suppono sextò mutationem aliam esse deperditivam, aliam acquisitivam, & utramque vel intrinsecam, vel extrinsecam, prout intrinsecum, vel extrinsecum est illud, quod deperditur, vel acquiritur: Quò ad mutationem deperditivam, seù privativam, cum in meis principiis actualis inhærentia non sit modus, aut aliud quid simplex quantitatem (eadem quò ad hoc est ratio de aliis accidentibus) intrinsecè afficiens, sed sit ipsa quantitatis entitas, ut faciens complexum cum subjecto, facilè infertur quantitatem per hoc, quod separetur à propriâ substantiâ, & conservetur sine substantiali subjecto, mutari quidem mutatione deperditivâ, at extrinsecâ tantùm, non intrinsecâ, deperdere scilicèt esse complexum cum subjecto, inadequatè tamen, & secundum id, quod tale complexum importat ex parte subjecti: Utrùm deindè eadem quantitas simul mutetur mutatione acquisitivâ? & utrùm per hanc illi adveniat aliquid intrinsecum idest novus modus positivus; an aliquid extrinsecum idest nova actio, seù novus influxus effectivus? Auctores in tres potissimùm sententias dividuntur.

6

Prima est quantitatem mutari dumtaxat mutatione privativâ, seù deperditivâ, & per se extrà subjectum existere ex solâ negatione, seù non conservatione subjecti absque eo, quod quantitas ipsa, aut positivo modo per se existendi afficiatur, aut potentiore actione conservetur. Ità sentiunt Scotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. §. *Ad argumenta. Versic. ad secundum*, & *quæst.* 6. §. *Ad argumenta: Versic. Ad primum*. Richardus *ead. dist. art.* 1. *quæst.* 2. Paludanus *quæst.* 1., & 3. Mastrius *hic*

disp.

disp.3. quæst.15. num.361. Laurea *disp.23. art.1. num.9.*, & 38. Valentia *disp.6. quæst.5. punc.2.* Lessius *lib.3. de summo bono lib.4. num.49.*, & tùm Scotistæ communiter, tùm aliqui alii Recentiores, inter quos noster Maderuus *quæst.5. art.1.*

7 Secunda est quantitatem mutari mutatione positivâ, seù acquisitivâ intrinsecâ, intrinsecè scilicet affici novo modo positivo quasi opposito actuali inhærentiæ, quam in modo pariter positivo hæc sententia collocat. Ita sentiunt Cajetanus *hic quæst.77 art.1.* Gonetus *disp.6. art.3. §.1.* Ferrariensis *4. contrà Gent. cap.66.* Suarez *disp.57. sec.2.* Vasquez *disp.194. cap.2.* Coninchus *quæst.77. art.1. dub.3.* Lugus *disp.10. sec.1.*, & plures alii, tùm Thomistæ, tùm Recentiores, licèt cum aliquo dissidio circà talis modi substantialitatem, vel accidentalitatem, ejusdemque à quantitate distinctionem, nam licèt ejus propugnatores magis communiter censeant ipsum esse substantialem entitatem distinctam à quantitate tanquàm rem à re; quo ad substantialitatem tamen, & accidentalitatem problematicus est Gonetus *nu.24.* & Suarez *præcit. sec.2.* cum aliquibus aliis absolutè vult prædictum modum esse in se accidens, seù entitatem accidentalem, & à quantitate distingui solum ex naturâ rei, & tamquàm modum rigorosè acceptum.

8 Tertia est quantitatem mutari mutatione positivâ, & suo modo acquisitivâ extrinsecâ, acquirere scilicet aut potiùs terminare concursum effectivum fortiorem, & potentiorem. Ità sentiunt Mayron *in 4. dist 12. qu.4.* Sylvius *hic quæst.77. art.1.* Herinex *disp.4. q.2. num.6.* Amicus *disp.22. num.27.*, & 29. Palatius *disp.1.* in fine. Arriaga (de aliis tamen accidentibus non de quantitate, quam ipse à substantiâ non distinguit, loquens) *disp.28. sec.3.* in fine. Bellarminus in controversiis *lib.3. de Euchar. cap.24. in resp. ad.3.*, & 4. multique alii, præsertim Recentiores, inter se dissidentes in definiendo, utrùm concursus ille potentior exerceatur immediatè à Deo, an à Christi corpore divinitùs elevato? item utrùm consistat in eo, quod concursui eductivo successerit creativus, an in eo quod concursui conservativo quantitatis in subjecto accesserit concursus alius effectivè supplens materialem sustentationem subjecti? Auctoribus hujus tertiæ sententiæ favent ex parte Auctores secundæ, ut potè qui ferè omnes simul cum modo positivo quantitati intrinseco ad hanc extrà subjectum conservandam requirunt potentiorem concursum extrinsecum. His suppositis sit

§. I.

Quânam sui mutatione quantitas panis, & vini remaneat in sacramento sine propriâ substantiâ, & extrà omne subjectum?

9 Assert. I. Ut quantitas panis, & vini in sacramento remaneat sine propriâ substantiâ, & extrà omne subjectum, neè sufficit mutatio merè negativa per negationem, seù non conservationem substantiæ, & subjecti, nec requiritur mutatio positiva per modum illi intrinsecè superadditum. In primâ hujus asserti parte conveniunt Auctores secundæ, & tertiæ sententiæ contrà illos primæ: In secundâ verò Auctores primæ, & tertiæ contrà illos secundæ, ut habetur ex præmissis *num.6.7.*, & 8.

Quantitas panis, & vini in sacramento non mutatur merè negativè, per solam subjecti negationem.

Probatur prima pars: Effectus, qui in conservari per se pendet à duabus causis, non potest conservari dependenter ab unicâ per hoc præcisè, quod subtrahatur, aut destruatur altera; atqui quantitas panis, & vini est effectus, qui in conservari per se pendet à Deo, & à proprio subjecto substantiali tamquàm à duabus causis, unâ efficiente, alterâ materiali, ergo non potest conservari dependenter ab unicâ idest à Deo per hoc præcisè, quod destruatur altera, idest proprium subjectum substantiale; ac per consequens, ut talis quantitas remaneat in sacramento &c. non sufficit mutatio merè negativa &c. Minor non videtur posse negari, quia ad existentiam accidentis est per se necessarium subjectum, alioqui accidenti non conveniret per se inhærentia actualis, & causa, ac causalitas materialis ad nullum effectum per se requireretur, ad nullum enim potest magis requiri, quàm ad accidentalis formæ sustentationem. Major pro-

10 batur, primò, quia quod constituitur ex duobus constitutivis intrinsecis non potest constitui ex uno per hoc præcisè, quod subtrahatur alterum, & homo v. gr. sublatâ animâ destruitur, non solo corpore constituitur, ergo quod per se pendet à duabus causis extrinsecis, quales sunt Deus, & proprium subjectum substantiale respectu quantitatis non potest &c. Secundò, effectus, qui in produci per se pendet à duabus causis, non potest produci ab unicâ per hoc præcisè, quod desit, aut non applicetur altera, alioqui quodlibet agens naturale posset producere accidens extrà subjectum per hoc præcisè, quod à subjecto abesset, & quælibet causa efficiens partialis in absentiâ alterius concausæ posset operari id totum, quod cum concausâ operaretur, ergo idem proportionaliter sentiendum de effectu, qui per se pendet à duabus causis in conservari.

Dices primò: Causa materialis nullum esse, influit in formam, quam sustentat, habet enim hæc totum suum esse ex vi actionis, quâ ab efficiente producitur, & conservatur: ergo effectus seù forma à causâ materiali dependens, causâ materiali subtractâ, & manente eâdem ex parte efficientis actione, habebit totum suum esse, & conservabitur sicut anteà, ac per consequens ut sine subjecto conservetur, non requiritur nisi mutatio negativa, quæ habetur per negationem, subtractionemvè subjecti: Nec est eadem ratio de effectu dependente à duplici causâ efficiente partiali, quia istorum quælibet influit in effectum partiale esse ideò &c. Sed contrà: distinguo antecedens: Causa mate-

11

Causa materialis quo modò in effectum influat?

materialis nullum esse influit in genere causæ efficientis concedo, in genere causæ materialis nego; eâdemque ratione habet forma in genere causæ efficientis, non in genere causæ materialis totum suum esse ex vi actionis quâ ab efficiente &c. distincto sic antecedente nego consequentiam, & dico quantitatem, seù formam accidentalem, ut extrà subjectum, à quo dependebat, conservetur sicut anteà, debere habere totum suum esse in genere causæ, tùm efficientis, tùm materialis, non habet autem suum esse in genere causæ materialis, dum à causâ materiali, vel ab aliquo supplente ipsam non dependet: Quod dicebatur de duplici causâ efficiente partiali nobis favet, quia alterutra causa partialis influit in effectum solùm partiale esse, causa autem materialis influit in suo genere esse totum, seù totale.

Dices secundò. Ut quantitas panis, & vini remaneat sine propriâ substantiâ, & extrà subjectum, sufficit quod remaneat actio Dei conservativa respectu quantitatis, non respectu substantiæ, seù subjecti, ergo sufficit quod quantitas mutetur negativè per substantiæ, seù subjecti negationem, & non conservationem; antecedens probatur, quia ex hoc præcisè, quod intelligatur remanere divina actio conservativa unius, & non actio conservativa alterius, intelligitur remanere unum sine altero, & extrà alterum, ergo ut quantitas panis, & vini remaneat &c. Sed contrà: distinguo antecedens, sufficit quod remaneat actio Dei conservativa quantitatis, non substantiæ, & hæc actio respectu quantitatis debet esse fortior quàm esset anteà concedo, & hæc actio potest esse eadem prorsùs, quæ erat anteà nego antecedens, & consequentiam, & distinctionis ratio tradetur in sequenti asserto. Neque dicas, quin potius debet esse, aut certè sufficit actio minor, & debilior, ut potè quæ anteà conservabat quantitatem, & inhærentiam ejus, destructo autem subjecto conservat præcisè quantitatem in se. Contrà enim, inhærentia per nos non est modus, aut forma quantitati superaddita, & indigens conservatione distinctâ ab eâ, quâ conservatur ipsa quantitas, & subjectum in esse complexo, & quando ex hoc capite posset esse minor, deberet adhùc esse major, & diversa aliundè, nimirùm ex eo, quod quantitas carens actuali inhærentiâ caret simul materiali causalitate subjecti, sine quâ, aut formaliter, & per se ipsam, aut æquivalenter, & per aliquid ipsam supplens, nec quantitas, nec aliud accidens potest ullo modo conservari. Neque dicas insuper, actio, quâ Deus conservat quantitatem, aliudvè accidens in subjecto, est illimitata, ergo absque eo, quod fiat major, potest conservare quantitatem extrà subjectum, etiam supplendo subjecti causalitatem. Contrà enim; est illimitata in actu primo, & ex parte principii, non in actu secundo, & ex parte termini, ideò ex hâc parte potest, & debet in proposito fieri major; quâ de re iterùm infrà *num.* 23.

12

Est ad proprium effectum omninò necessaria, aut in se ipsa, aut in aliquo ipsam supplente.

Probatur secunda Asserti pars: Quantitati panis, & vini in Sacramento neque ut secundum propriam entitatem existat, neque ut accidentia alia sustineat, necessarius est modus positivus superadditus; ergo ut quantitas panis, & vini in sacramento remaneat, non requiritur mutatio positiva per modum &c. consequentia patet, quia nequit assignari pro tali modo positivo alius verisimilior necessitatis titulus: Probatur antecedens quò ad primam partem, quia quantitati panis, & vini, ut secundum propriam entitatem existat, quemadmodùm in sacramento existit, extrà omne subjectum, sufficit, & magis congruit, quod ipsius entitas per influxum, & actionem Dei peculiarem absque positivo modo conservetur, primò, quia sufficit ut existat per se negativè, hocque ei magis congruit, cum sic melius distinguatur à modo existendi per se, quem habet substantia; ad existendum autem per se negativè nil confert modus positivus; ergo; Secundò, quia dum quantitas existit cum actuali inhærentiâ, non superadditur ejus entitati modus positivus, & actualis inhærentia nihil aliud est, nisi ipsa quantitatis entitas ut faciens complexum cum subjecto sustentante, ergo neque superadditur positivus modus, dum existit sine actuali inhærentiâ, sed sic existit per solam propriam entitatem ut facientem complexum cum Deo (vel per se immediatè, vel medio Christi corpore) effectivè supplente subjecti sustentationem: Tertiò, quia ferè omnes Auctores modi positivi simul admittunt, respectu quantitatis extrà subjectum conservatæ intervenire concursum Dei peculiarem, & potentiorem actionem, non præstat igitur hujusmodi modus, id quod præstabat proprium subjectum; ergo sine necessitate inducitur, & voluntariè laboratur in solvendis difficultatibus ferè evincentibus ejus impossibilitatem, ne dum non existentiam, de quibus aliquid infrà *num.* 20. Probatur idem primum antecedens quò ad secundam partem, quia alia accidentia recipiuntur in entitate quantitatis, eidemque quantitati inhærent, non quantitatis subjectio, aut modo positivo, si quis supponatur, quantitati extrà subjectum conservatæ superaddito, ergo quantitas sustentat alia accidentia ratione propriæ entitatis, seù per propriam entitatem præcisè, & quomodocumque ista existat, sufficit, nec præter ipsam necessarius est ullus modus positivus, ut quantitas alia accidentia sustineat, seù sustentet.

13

Quantitas in sacramento non mutatur positivè per aliquem modum sibi intrinsecè superadditum.

14

Dices primò: Etiamsi daretur posse quantitatem extrà subjectum conservari sine positivo modo intrinsecè superaddito, perfectius tamen, & connaturalius est, quod tali modo superaddito, quàm solo potentiore Dei concursu conservetur, ergo de facto sic in sacramento conservatur; probatur antecedens, quia quidquid convenit per aliquid intrinsecum, perfectiùs, & connaturaliùs convenit, quàm quod per puram efficientiam, seù assistentiam extrinsecam: Deindè talis modus positivus est aliqua perfectio,

ergo

ergo perfectiùs se habet quantitas cum ipso, quam sine ipso: Rursus talis modus reddit quantitatem incapacem inhærentiæ, sicque facit ipsam connaturaliter sine actuali inhærentiâ existere; ergo, Sed contrà: Nego antecedens, ad cujus probationem distinguo, quidquid convenit per aliquid intrinsecum perfectius, & connaturalius, &c. si tale intrinsecum non superfluat, & se ipso præstet, quod præstaretur per efficientiam extrinsecam, concedo: aliter, nego: in proposito autem aliter se res habet, modus scilicèt ille intrinsecus superfluit, ut probatum est, & quando supponatur dari, cum ab omnibus, aut ferè omnibus ipsius Auctoribus simul requiratur efficientia extrinseca potentior, consequens est illum se ipso non præstare, quod per istam præstaretur. Ad illud, quod additur, dico talem modum esse perfectionem in nostrâ hypothesi superfluam, & incongruam quantitati, ideò non debere de facto in quantitate astrui: Est etiam quantitati incongrua, aut fortè etiam repugnans intrinseca inhærentiæ incapacitas ideò &c.

15

Dices secundò impugnando superfluitatem, & probando absolutè necessitatem prædicti modi positivi: Ad per se existendum necessarius omninò est modus per se existendi, cum ad effectum formalem sit omninò necessaria forma, seù causa formalis, atqui quantitas in sacramento per se existit, cum non inhæreat, nec alius sit modus existendi, quàm aut per se, aut inhærendo, ergo quantitati in sacramento necessarius omninò est modus per se existendi, seù forma tribuens per se existere: Si quis respondeat quantitatem in sacramento per se existere negativè, & requirere modum per se existendi dumtaxat negativum idest negationem actualis inhærentiæ; Impugnabitur, quia per negationem actualis inhærentiæ tantum abest, quod quantitas fiat per se existens, quin potius perit, & fit simpliciter non existens: Si quis rursùs respondeat, verum id esse, quando non accedit efficientia, & conservatio potentior, falsum quando ista accedit, ut in proposito: Rursùs impugnabitur, quia efficientia, & conservatio potentior debet habere aliquem novum terminum, seù effectum, qui nequit esse nisi modus positivus, & forma aliqua de novo quantitati adveniens. Sed contrà: Approbo utramque responsionem in instantiâ positam, ad posterioris impugnationem dico terminum, seù effectum efficientiæ, conservationisque potentioris esse illum eumdem, quem habebat materialis causalitas subjecti, sed effectivè non materialitèr positum modo explicando infrà *num.* 54. certè autem materialis causalitas subjecti non attingebat in quantitate modum per se existendi ideò &c.

16 Existit per se negativè, non per se positivè.

Dices tertiò. D. Thomas *in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. in c.* ait *Virtus autem divinâ confertur dimensionibus, quæ fuerant panis, ut sine subjecto subsistant in hoc sacramento, quod est prima proprietas substantiæ* atqui subsistere, quod est prima proprietas substantiæ, est modus positivus per se existendi, non pura negatio inhærentiæ, aut conservatio potentior: ergo. Idem ferè ait 4. *cont. Gent. c.* 66. in fine his verbis *Miraculosè accidentibus confertur, quod subsistant, quod est propriũ substantiæ*, hincq; infert *Quod omnia possint facere, & pati, quæ substãtia posset facere, & pati, si substantia adesset*: Conformiter ad hæc loca S. Doctor in præsenti *quæst. 77. art. 1. ad 4* docens accidentia post consecrationem componi ex esse, & quod est, per ly *Quod est* intelligit quantitatem, quæ ratione modi positivi superadditi est facta id Quod sicut ratione propriæ substantiæ, seu subjecti substantialis erat id, Quod antè consecrationem, & *ead. quæst. art. 2. ad* 1. dum ait *Quando accidenti datur divinitus, ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse* debet omninò intelligi de per se esse positivè, & de subjecto *Quod*; ergo saltem ex mente D. Thomæ quantitas in sacramento per se positivè, & per modum positivum existit. Sed contrà: Allatis auctoritatibus oppono in primis auctoritates alias, quibus idem S. Doctor soli efficientiæ, & virtuti divinæ, non modo positivo superaddito tribuit existentiam accidentium sine subjecto, nam *præcit. quæst. 77. art. 1. in c.* talem existentiam explicans ait *Deus qui est prima causa substantiæ, & accidentis per suam infinitam virtutem* (ecce Dei efficientiam) *conservare potest in esse accidens subtractâ substantiâ, sicut alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine*: effectibus autem naturalibus non addit Deus ullum peculiarem modum per hoc, quod illos sine naturalibus causis producat, nec de facto modum ullum addidit humano corpori Christi per hoc, quod ipsum in Virginis utero sine virili semine formaverit, & *ead. art. ad* 2. cum sibi objecisset, quod accidentibus, si sine subjecto existerent, conveniret modus per se subsistendi, & definitio substantiæ, respondet accidentia in sacramento esse sine subjecto *ex divinâ virtute sustentante* (ecce Dei efficientiam) *nec*, inquit, *competit eis definitio substantiæ*, ac per consequens, nec modus positivus subsistendi, seù existendi per se.

17 Auctoritates D. Thomæ pro modo positivo per se existendi in accidentibus à subjecto separatis.

18 Auctoritates ejusdẽ in oppositum.

Ex hâc auctoritatum discrepantiâ constat, mentem S. Thomæ esse saltem ambiguam, & pro neutra præsentis controversiæ parte satis expressam, undè cujuslibet partis Auctores solent pro se ipsum referre, ego autem malui ex professo afferre pro neutrâ. In re tamen censeo stare pro parte à nobis assertâ, & posteriores auctoritates præponderare prioribus, cum præsertim istæ, ut sonant, nimis probent, & aliundè facilè suscipiant explicationem intento nostro, & auctoritatibus posteriori loco adductis non disformem: Ad textus igitur desumptos, tùm *ex 4. Sent.* tùm *ex 4. cont. Gent.* dico, verbum subsistere latiùs sumi, pro ut extenditur ad subsistere, & per se exi-

19

Explicantur auctoritates adductæ pro modo positivo.

stere negativè; Nec refert, quod de tali subsistere iisdem locis dicatur esse primam substantiæ proprietatem, esse substantiæ proprium, non refert, inquam, quia etiam subsistere negativè, seù non inhærere, quamvis ex se præcisè non sit adæquata ratio, quâ substantiâ per se existit, imò nec sit aliquid substantiale, de lege tamen ordinariâ soli substantiæ convenit, & ex hoc capite dici potest substantiæ proprium, seù substantiæ proprietas, ut magis explicat Valentia *disp. 6. quæst. 5. punc. 1.* Ad textum desumptum ex præsenti *quæst. 77. in resp. ad* 1. dico, quantitatem ex eo præcisè, quod sine subjecto existat, posse dici factam *id quod* negativè, sicuti dicitur facta negativè subsistens, seù per se existens, & sicuti negativè subsistit, quatenus non inhæret, ità est negativè *id quod*, quatenus non est *id quo* accidentia alia recipiantur in materia. Ad postremum *ex e. id. quæst. in resp. ad* 4. dico, utrumque *per se* in verbis adductis debere negativè sumi: Quânam deindè ratione modus existendi per se negativè quantitati sufficiat ad hoc, ut ipsa, & alia accidentia possint facere, & pati, quæ facere, & pati posset substantia, si adesset, tractabitur *seq.* §. Interim manet explicatum quidquid ex D. Thomâ objiciebatur, & etiam de ipsius mente exclusus saltem tamquam non necessarius modus positivus, de quo agitur.

20 Quid de illius modi positivi possibilitate, vel impossibilitate?

Si quæras hic, Utrùm talis modus non solum sit non necessarius, sed etiam sit impossibilis, & repugnans? Rem quæris, quæ ut ex professo tractaretur, multo indigeret examine propter multas opiniones circà talis modi, tùm in se quiditatem, tùm à quantitate distinctionem, quia tamen nostro præsenti intento satis est ostendisse illius superfluitatem, seù non necessitatem, abstineo à tractandâ ex professo ejusdem repugnantiâ, ac impossibilitate, & solùm profero obiter, ac breviter, quid mihi videatur sentiendum: Si igitur modus ille ponatur in entitate, & quiditate suâ substantialis, existimo absolutè repugnare in quantitate, aliovè accidente, nam vel erit modus subsistentiæ, ex dictis autem *in tract. de Incarnat. lib. 1. cap. 5. §. 2.* omninò repugnat, quod accidenti subsistentia communicetur, seù quod accidens ad subsistendum assumatur; vel erit modus existendi per se positivè, seù positivæ perseitatis, at positiva perseitas est formalis differentia contradistinctiva substantiæ ab accidente, repugnat igitur, quod accidenti tribuatur, æquè, ac repugnet tribui hinnibilitatem homini, vel rationabilitatem equo. Si verò modus ille ponatur in entitate, & quiditate suâ accidentalis, & distinguatur juxtà opinionem Suarii solùm ex naturâ rei à quantitate, adeò ut ei conveniat per resultantiam, supposito quod à subjecto separetur; & possit quidem quantitas esse, aut sine ipso, aut sine modo actualis inhærentiæ, at non simul sine utroque; existimo repugnare penitus talis modi distinctionem, & resultantiam à Suario assertam, nam cui essentialiter convenit unum, nequidem indeterminatè, & subdisjunctò potest essentialiter convenire oppositum, cum igitur quantitati essentialiter conveniat inhærentia aptitudinalis, & huic opponatur modus ille per se existendi licèt in suâ entitate accidentalis, consequens est modum illum nequidem indeterminatè, & subdisjunctò posse quantitati convenire, seù à quantitate exigi essentialiter: Deindè, quod convenit per resultantiam, convenit naturaliter, & ab intrinseco, nequit autem sic quantitati convenire modus ille, alioqui suppositâ saltem destructione subjecti non esset quantitati supernaturale, & miraculosum habere modum per se essendi, & sine subjecto conservari. Si tandem modus ille in suâ entitate accidentalis ponatur simpliciter à quantitate distinctus tamquam res à re, & extrinsecus adveniens, cessat quidem ratio repugnantiæ allata contrà Suarium; at cum hoc ipso, quod sit in suâ entitate accidentalis, videtur repugnare effectus formalis, qui illi tribuitur, nimirùm reddere quantitatem subsistentem, seù per se stantem: Nec refert, quod dicatur substantialis virtualiter, & *ut quo*, nam hoc sufficeret ut in genere causæ efficientis, at non ut in genere causæ formalis effectum substantialem, seù substantiæ attingat, habetur quippe effectus formalis per ipsam formæ entitatem, non per formæ virtutem: A primo igitur ad ultimum qualitercumque Adversarii explicent suum modum positivum, propendeo ad existimandum ipsum repugnare, & non solum superfluitatis, sed & impossibilitatis titulo esse negandum, si tamen aliquâ viâ deberet sustineri non repugnans, præferrem cæteris viam mox postremo loco insinuatam, pro quâ videri potest Gonetus *disp. 6. art. 3. num. 25.*

21

22 Assert. 2. Quantitas panis, & vini in sacramento remanens sine propriâ substantiâ & extrà omne subjectum, mutatur mutatione positivâ extrinsecâ, conservatur scilicet ex eo, quod terminet concursum effectivum potentiorem; & hic concursus præstatur à Deo mediatè, mediis scilicèt Christi corpore, & sanguine ad id instrumentaliter assumptis: Ità quo ad primam partem Auctores pro tertiâ sententiâ relati *præced. num. 8.* quibus favent Auctores secundæ relati *num. 7.* contrà Auctores primæ relatos *num. 6.* Quo ad secundam partem consequitur assertum ad supradicta *cap. 4. §. 3.*, & ex indè repetendi sunt ejus, tùm Patroni, tùm Adversarii, quibus addo nonnullos Doctores arbitratos Christi corpus sustentare species, nec instar subjecti, nec instar termini; meminit hujus opinionis, & ait non videri improbabilem Herinex *disp. 4. quæst. 1. num. 6.* verùm nullam apud nos habere potest probabilitatem, postquàm in tract. de Incarnat. docuimus accidens non posse ad subsistendum assumi, aut subsistentiâ terminari.

23 Probatur prima pars. Quantitas panis, & vini in sacramento remanens, nec mutatur mutatione merè negativâ, nec positivâ intrin-

Quantitas in sacramento mutatur positivè mutatione extrinsecâ, & conservatur concursu effectivo potentiore.

intrinsecâ, ergo positivâ extrinsecâ; subtracto scilicèt subjecto conservatur, nec eodem concursu effectivo quo anteà; ergo conservatur ex eo, quod terminet concursum effectivum potentiorem: Et iste concursus est tùm necessarius, tùm sufficiens ad quantitatis in sacramento conservationem; est necessarius, quia non sufficit continuatio concursus prioris; est sufficiens, quia excluso modo positivo non est assignabile, quid aliud requiri possit: Rursùs est necessarius, quia debet, est sufficiens, quia potest supplere causalitatem materialem subjecti.

Dices: Imò nec debet Deus, nec potest supplere causalitatem materialem in ordine ad conservationem accidentis extrà subjectum; ergo assertus concursus effectivus, nec necessarius est, nec sufficiens ad talem conservationem: Probatur antecedens quo ad primam partem causalitas materialis subjecti debet suppleri solum, ubi & quando requiritur, atqui requiritur ad naturalem quantitatis, vel alterius accidentis conservationem, non ad supernaturalem, & tamen supernaturalis non naturalis est, supernaturali non naturali modo habetur conservatio quantitatis extrà subjectum in Sacramento, ergo pro tali conservatione non debet Deus materialem subjecti causalitatem supplere; Probatur idem antecedens quo ad secundam partem, Deus nullatenus potest, aut instar materiæ aliquod totum componere, aut instar subjecti aliquam formam suscipere, & sustinere, ergo Deus non potest supplere causalitatem materialem, & vel in ordine ad totum, vel in ordine ad formam præstare id, quod causa materialis præstat. Sed contrà: Nego absolutè antecedens quo ad utramque partem,

24

ad probationem primæ partis dico, causalitatem materialē sumi posse, vel formaliter, & in se ipsâ, vel æquivalenter, & in alio supplente ipsam; primo modo transeat, quod requiratur solum ad conservationem accidentis naturalem, secùs secundo modo: Ad probationem secundæ partis concedo Deum non posse instar materiæ componere, aut supplere causalitatem, secundùm quam materia constituit totum, quo ad causalitatem aliam secundum quam materia sustentat formam, vel subjectum accidens, dico hanc in genere causæ efficientis, quamvis non in eodem genere causæ materialis suppleri à Deo posse; hæc enim causalitas non est æquè alligata materiæ, ac subjecto sicut prior, & sicut potest exerceri ab aliquo habente puram rationem termini, seù in genere termini, itá non est cur nequeat pariter exerceri, & suppleri ab aliquo habente puram rationem efficientis, seù in genere efficientis; & sicuti potentior efficientia potest in multorum sententiâ supplere approximationem, aut aliquam aliam conditionem se tenentem ex parte subjecti, itá non est cur nequeat supplere ipsam subjecti sustentationem, & causalitatem: Accedit quod sustentationis, & causalitatis materialis in diverso causæ genere suppletio à concursu potentiore proficiscens accommodatissima est ad explicandum in ipso potentiore concursu, tùm supernaturalitatem, tùm peculiarem terminum; supernaturalitatem, quia certè naturaliter, & de lege ordinariâ quælibet causa operatur, quælibet suppletur, & supplet solum in genere suo, peculiarem terminum, qui est ille idem, quem habebat anteà causa, & causalitas materialis idest in casu nostro tota entitas, & existentia quantitatis ut sustentativè causata, seù ut terminans (æquivalenter tamen, non formaliter; in alieno, non in proprio genere) sustenttaionem, & causalitatem materialem.

Quænam causalitas materialis suppleri possit in genere efficientis?

25

Concursus potentior, quo conservatur panis, & vini quantitas in Sacramento à Deo præstatur medio corpore, & sanguine Christi.

Probatur secunda asserti pars: Deus, quantùm est de se, in operationibus ad extrà, sivè naturalibus, sivè etiam supernaturalibus potest pro libito operari, vel immediatè per se, vel mediâ causâ secundâ; atqui in proposito connaturalius est, quod operetur, & concursum suum potentiorem exerceat mediâ causâ secundâ idest medio Christi corpore respectu quantitatis panis, & medio Christi sanguine respectu quantitatis vini; ergo de facto res sic se habet, & concursus potentior præstatur à Deo mediatè, mediis scilicèt &c. Probatur minor non solum ex eo, quod universim solet Deus ad extrà operari mediis creaturis potiùs quàm immediatè per se, undè apud philosophos prodiit regula generalis non recurrendi ad causam primam, ubi potest sufficienter assignari causa secunda, verum etiam ex eo, quod singillatim concursum potentiorem, de quo agitur, præstari à Christi corpore, & sanguine valdè conducit ad melius explicandum, quod Christi corpus, & sanguis successerint substantiæ panis, & vini, quod localiter moveantur ad motum quantitatis aliorumque panis, & vini accidentium, quod his designatis rectè dicatur, Hoc est Christi corpus, Hic est Christi sanguis, & id genus alia, de quibus suprà *præcit.* §. 3. ergo.

26

Non est concursus, sed potius innominatus superveniens eductivo.

Si quæras hic, Utrùm concursus potentior hucusque expositus sit creativus, adeò ut eductivus, quo anteà quantitas in suo substantiali subjecto conservabatur, in subjecti destructione cessaverit, & in creativum transierit, an sit eductivo superveniens, & innominatus, adeò ut priore concursu perseverante accesserit in subjecti destructione concursus alius, cujus munus sit supplere præcisè in genere efficientis concursum, seù causalitatem materialem subjecti? Respondeo hoc posterius mihi magis placere, tùm quia abstrahit à quæstione inter Philosophos valdè controversâ, nimirùm ab eo, quod accidens possit nec ne creari? seù produci, aut conservari concursu creativo? tùm quia quantitas in Sacramento conservatur dependenter à subjecto quamvis non per se, & in proprio genere, nec formaliter, sed per aliud, in alio causæ genere, & æquivalenter causalitatem suam exercente, concursus autem creativus nullam prorsùs à

subjecto dependentiam videtur admittere. Neque dicas ex opposito concursum educti non posse admittere in suo termino carentiam subjecti, quam tamen habet quantitas in Sacramento: Contrà enim, concursus eductivus non potest admittere in suo termino carentiam subjecti, quando est se solo, benè verò quando est cum alio concursu potentiore supplente subjectum, sic enim non est cum carentiâ subjecti omnimodâ, quia licèt careat subiecto formaliter, non caret subjecto æquivalenter, sed æquivalenter habet.

27 Ex his infertur, nec de potentiâ absolutâ posse Deum conservare accidens extrà subjectum, nisi subjectum, seù subjecti causalitatem suppleat, & necessariò illud perire, si in subjecti absentiâ Deus continuet solùm priorem concursum subjecti non suppletivum, imò quia concursus, seù actio nequit continuari pereunte termino, consequens est in absentiâ subjecti non posse Deum continuare priorem concursum accidentis conservativum solum, & non adiutum alio concursu potentiore suppletivo subjecti.

Infertur insuper ea, quæ dicta sunt de conservatione, seù manutentione quantitatis sine propriâ substantiâ, eodem prorsùs modo procedere de aliis accidentibus in sententiâ docente accidentia alia æquè, ac quantitatem immediatè in substantiâ subjectari: juxtà principia verò supposita *num.* 4., quibus accidentia alia materialia recipiuntur immediatè in quantitate, non in substantiâ, esset quidem eadem de ipsis ratio, si remanerent, sine quantitate, at cum accidentia panis, & vini post consecrationem remaneant in quantitate, in quâ erant anteà, & amittendo proprias substantias amittant dumtaxat subjectum mediatum, & remotum, necesse est peculiariter inquirere, quomodò conserventur? ideò sit

---

§. II.

An aliquâ, & quânam sui mutatione remaneant sine propriâ substantiâ in Sacramento reliqua panis, & vini accidentia?

28 ASSERT. Reliqua panis, & vini accidentia existunt post consecrationem in panis, & vini quantitate sicut anteà, & nec ullo peculiari modo positivo, nec concursu potentiore effectivo ad sui conservationem indigent, adeòque nullâ sui mutatione remanent sine propriâ substantiâ in Sacramento. Ità (etsi non omnes æquè expressis terminis) D. Thomas *hic quæst.*77.*art.*2., & *in* 4. *dist.*12. *quæst.*1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. Scotus *eâd. dist. quæst.* 2. §. *Ad quæstionem ergo*. Capreolus *quæst.*1. *art.* 1. Ferrariensis 4. *cont. Gent. cap.*63. Gonetus *hic disp.*6 *art.*2. Suarez *disp.*56. *sec.*3. Vasquez *disp.*194. *cap.*3. Amicus *disp.*23. *num.* 35. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 15. *num.* 372., & alii, tùm Thomistæ, tùm Scotistæ, tùm Recentiores magis communiter contrà eos, qui qualitatibus materialibus tribuunt immediatè subjectari in materiâ, seù materiali substantiâ, non in quantitate, eo quod istam cum materiâ, aut etiam cum quolibet materiali accidente identificent, vel admittendo distinctam velint ipsam non habere rationem subjecti immediatè recipientis cætera accidentia, sed dispositionis præparantis materiam ad ea immediatè recipienda; ex primo capite habemus adversarios Nominales, & inter Recentiores Arriagam *hic disp.*38. *sec.*3. & 4. ex secundo Marsilium *in* 4. *quæst.*9. *art.*2. *conc.*1. & 2. Habemus insuper quo ad postremas asserti particulas adversarium Lauræam *disp.*23. *art.*2. *num.*52. & 71. volentem etiam in aliis à quantitate accidentibus ex amissione propriæ substantiæ fieri aliquam mutationem deperditivam, deperdi scilicet aliquam unionem, & dependentiam, quam juxtà ipsum habebant ad propriam substantiam, & fortè hoc quoque supponunt, aut docent aliqui alii.

29 Probatur, & explicatur assertum: Reliqua accidentia idest qualitates panis, & vini verè antè consecrationem existebant in panis, & vini quantitate tamquam in subjecto inhæsionis proximo, & immediato, ut suppono ex philosophiâ; atqui post consecrationem remanent tùm eædem qualitates, tùm eadem quantitas panis, & vini, ut suprà probavi *cap.*2. §. 1. ergo illæ in istâ post cōsecrationem existunt sicut anteà, idest tamquam in proximo, & immediato inhæsionis subjecto, nulla enim est necessitas impediendi, & plurima est ratio relinquendi illarum in istâ inhærentiam ut potè connaturalem, & ipsi sensuum experientiæ conformem: Nunc subsumo, eo ipso quod accidens aliquod existit in suo proximo, & immediato inhæsionis subjecto, non indiget ad sui conservationem peculiari modo positivo, aut potentiore concursu, cum iste uterque detur solum ad supplendam actualem accidentis inhærentiam, & materialem causalitatem, quam in ipsum exercet ejus proximum, & immediatum subjectum; ergo qualitates panis, & vini existendo post consecrationem quantitate sicut anteà, non indigent peculiari modo, nec potentiore concursu, ac per consequens non indigent ullâ sui mutatione ut conserventur; ergo ne inducatur aliqua mutatio inutilis, & superflua, dicendum est ipsas nullâ sui mutatione remanere sine propriâ substantiâ in sacramento.

Qualitates panis, & vini post consecrationem inhærent quantitati sicut anteà.

Et nullo modo in se mutantur per hoc, quod remaneant sine propria substantia.

30 Dices primò probatione nostrâ ad summum concludi, quod qualitates panis, & vini in sacramento remanentes non mutentur mutatione positivâ, neque intrinsecâ, qualis habetur per peculiarem modum superadditum, neque extrinsecâ, qualis per potentiorem concursum, at non excludi mutationem negativam, seù deperditivam, quæ tamen aliundè suadetur, nimirùm ex eo, quod ante consecrationem qualitates illæ habebant inhærentiam, & dependentiam mediatam

tam à propriis substantiis, quam in consecratione deperdunt; in consectatione igitur mutantur mutatione deperditivâ, & cum aliqua sui mutatione remanent sine propriis substantiis in sacramento. Nec sufficit respondere dicendo (juxtà id quod supposuimus *num.*5.) inhærentiam, & dependentiam accidentis à subjecto non esse ullam simplicem entitatem, ex cujus deperditione mutetur intrinsecè accidens: Non sufficit inquam, quia saltem habebitur in qualitatibus panis, & vini deperditio alicujus extrinseci, & mutatio extrinseca, aut partim extrinseca partim intrinseca, sicq; non subsistit absolutè, quod tales qualitates sine ullâ sui mutatione remaneant. Sed contrà: Do, nó esse sufficientem pro præsenti intento responsionem in instantiâ positam, at dico In primis, quod ex illâ mutatione negativâ, seu deperditiva, si admitteretur, necessariò inferretur mutatio positiva, scilicet positivus modus, vel concursus potentior pro supplendâ dependentiâ, seù inhærentiâ, quam qualitates panis, & vini supponerentur deperdidisse, non admissâ igitur in his qualitatibus ullâ mutatione incohærenter in iisdem astruitur prædicta mutatio negativa: Dico deindè directè illam dependentiam mediatam à propriis substantiis esse aliquid in quantitate non in ipsis qualitatibus, quæ à propriis substantiis mediatè idest mediâ quantitate dependent, ac per consequens ex illius deperditione mutantur istæ mutatione deperditivâ in quantitate, non in se; quod est idem, ac dicere, amittunt dependentiam mediatam per hoc præcisè, quod quantitas amittit immediatam; mutatur quantitas, non mutantur ex parte sui ullâ peculiari mutatione ipsæ qualitates, pro cujus clariore intelligentiâ

31 Nequidem mutantur mutatione negativa, seù deperditiva.

32 Non dependent à subjecto substantiali dependentiâ propria, sed dependentia quantitatis.

Adverto reliqua accidentia respicere tamquam subjectum immediatum, & proximum quantitatem, mediatum, & remotum substantiam, non per hoc, quod habeant duplicem inhærentiam, & per unam dependeant à quantitate, per alteram à substantiâ, sed præcisè per hoc, quod illa inhæreant quantitati, quantitas inhæreat substantiæ; sicuti in Christo accidentia humanitatis dicuntur Verbo mediatè uniri per hoc præcisè, quod ipsa uniantur humanitati, humanitas uniatur Verbo, undè etiam sicuti separatâ humanitate à Verbo remanent hæc accidentia sine ullâ sui mutatione unita humanitati ut anteà, ità nil mirum, si separatâ quantitate à substantiâ remaneant alia accidentia inhærentia quantitati, ut inhærebant anteà.

Dices secundò nostram doctrinam procedere ad summum in sententiâ tribuente quantitati separatæ à substantiâ modum positivum per se existendi, tunc enim quantitas facta per se existens atque subsistens benè intelligitur esse se solâ subjectum accidentium sicut erat anteà simul cum substantiâ, & benè potest aliis ultimò substare, cum in se subsistat, at nos, qui suprà modum illum positivum rejecimus, videmur modò inconsequenter asserere, quod accidens sine ullâ sui mutatione possit sustentari à quantitate separata eodem prorsus modo, quo sustentabatur ab eâdem substantiæ unitâ.

33 Sed contra: Jam *num.* 14. dictum est modum illum positivum, si detur, nihil quantitati conferre ad aliorum accidentium sustentationem, ideò Auctores illius modi non sunt melioris conditionis, quàm nos, in præsenti difficultate, & ut quantitas ultimò substet aliis accidentibus, sufficit quod per se subsistat negativè, & quod in ipsâ per aliquid aliud idest per concursum potentiorem suppleatur subjectum substantiale, & ultimum.

Dices tertiò: Ex his sequitur alia accidentia conservari, & existere omninò naturaliter in quantitate etiam separatâ, ac per consequens non exigere, quantum est de se, ullum subjectum substantiale: non esse miraculosum, quod subjecto substantiali careant; non benè pro ipsis assignari duplex subjectum, alterum accidentale, & proximum, alterum substantiale, & remotum. Accedit, quod dantur aliqua accidentia, quæ conservantur effectivè à formâ substantiali, à quâ etiam reparantur, & de novo producuntur, si fuerint deperdita; quomodo autem hæc possunt naturaliter, & sine ullâ sui mutatione conservari in quantitate separatâ, & substantiâ, formâque substantiali destructâ? Sed contrà: Ly omninò naturaliter sumi potest, vel pro ut excludit omne miraculum afficiens alia accidentia immediatè, & in se, vel pro ut etiam excludit omne miraculû afficiens quantitatem, & quasi mediatè, ac remotè alia accidentia: in primo, nó in secundo sensu dico ista conservari, & existere omninò naturaliter in quantitate etiam separatâ; & proportionaliter addo non exigere, quantum est de se, ullum subjectum substantiale immediatè, & ratione sui præcisè, benè verò mediatè, & ratione quantitatis; item non esse miraculosum miraculo afficiente alia accidentia in se ipsis, benè verò miraculo afficiente quantitatem, aliaq; accidentia in quantitate, quod sufficit ad hoc, ut respectu aliorum accidentium rectè assignetur duplex subjectum, alterum accidentale, alterum substantiale. Ad illud, quod additur, dico nostri asserti doctrinam, procedere, quantum ad modum inhærentiæ, & dependentiæ materialis, non quantum ad modum alicujus dependentiæ effectivè, si detur, dicimus scilicèt accidens sine ullâ sui mutatione, sine potentiore concursu habere ex parte inhærentiæ, & dependentiæ materialis, quidquid requiritur ad hoc, ut conservetur in quantitate separatâ à substantiâ, quod si accidens dependebat à substantiâ effectivè, fatemur cum Suario *præcit. sec.* 3. §. *Dico tertiò*. Requiri aliquem potentiorem Dei concursum ad supplendam substantiæ subtractæ efficientiam: at hoc per accidens, & impertinenter se habet ad præsentem difficultatem.

34 Conservantur naturaliter ex parte sui supposito miraculo ex parte quantitatis.

35 Ex dictis infertur regulariter, per se, & quantum spectat ad causalitatem materia-

S 2 lem

ſem pro exiſtentiâ, & conſervatione accidentium in quantitate ſeparatâ à ſubſtantiâ non requiri aliud miraculum præter illud, quo ponitur, & manutenetur quantitas in ſtatu ſeparationis à ſubſtantià, ſicuti (ut craſſo exemplo uter) licèt tectum naturaliter cum parietibus corruat ſubtracto domus fundamento, ſi tamen hoc ſubtracto parietes miraculosè conſiſtant, non requiritur aliud novum miraculum, ut ſimul conſiſtat, & tectum: Sicuti item licèt cæcus nequeat naturaliter videre, ſuppoſitâ tamen miraculosâ reſtitutione potentiæ viſivæ non requiritur deindè aliud miraculum, ut per potentiam miraculosè reſtitutam videat &c.

36 Infertur inſuper Adverſarios plura miracula ſine neceſſitate inducere, dum ſubtractis ſubſtantiis ab accidentibus panis, & vini volunt non ſolam quantitatem, ſed aliud quodlibet accidens omninò ſupernaturaliter, & ex ſpeciali, diſtinctoque miraculo conſervari: Hincque rurſus renentur alia nova miracula ſucceſſivè admittere, quoties eadem accidentia ab agente corporeo alterantur, aut aliquod ipſorum contrario adveniente expellitur, quæ omnia nos evitamus, ut *ex ſeq.* §. perſpicuum fiet: & licèt *cap. præced. num.* 93. monuerim eſſe quaſi propriam Euchariſtiæ prærogativam, quod poſſint in ipsâ facilius permitti, nec debeant adeo operosè vitari miracula; oportet tamen hujuſmodi facilitatem ſuâ neceſſitate non carere, & in nimiam, ac prodigam quodammodò liberalitatem non deſinere, ut videretur in præſenti evenire.

---

§. III.

Quid, & Quomodò accidentia panis, & vini in Sacramento remanentia poſſint agere, & pati accidentaliter?

37 **A**SSERT. I. Accidentia panis, & vini remanentia in ſacramento à propriis ſubſtantiis ſeparata poſſunt naturalitèr agere, quidquid agere poterant extrà ſacramentum propriis ſubſtantiis conjuncta. Ità D.Thomas *hic quæſt.* 77. *art.* 3., & *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1., & 2. Scotus *eâd diſt. quæſt.* 3. §. *Dico ergo*; & omnes alii Scholaſtici cum aliquo diſſidio purè philoſophico circà id, quod poſſunt naturaliter agere accidentia propriis ſubſtantiis conjuncta, & præcipuè utrùm tamquàm propriarum ſubſtantiarum inſtrumenta poſſint naturaliter attingere aliarum ſubſtantiarum ſimilium productionem? de quo aliquid infrà *num.* 53., *& ſequent.*

Accidentia panis, & vini in ſacramento poſſunt agere quidquid poſſunt extrà.

Probatur, & in primis, quod talia accidentia in ſacramento poſſint agere, imò de facto agant, quidquid agere poterant, & agebant extrà ſacramentum; nam ſi ſermo ſit de actionibus phyſicis; experimur humiditatem, & frigus vini v.gr. poſt conſecrationem æquè, ac anteâ ſubjectum extrinſecum, cui admoveantur, madefacere, & frigefacere; Si de intentionalibus, panis, & vini conſecrati æquè, ac non conſecrati colorem oculo, ſaporem guſtu, odorem olfactu percipimus; panis igitur, & vini accidentia ſenſibilia poſt conſecrationem intentionaliter agunt æquè, ac anteà intentionaliter movendo noſtras potentias ſenſitivas, & cauſando cum iiſdem ſenſationes.

38 Idque naturaliter.

Quod deindè agant, & hæc omnia præſtent naturaliter, præter argumentum negativum deſumptum ex lege, & regulâ non multiplicandi ſine neceſſitate miracula, facilè probatur argumento poſitivo ſic: Principium naturaliter activum exiſtens cum totâ ſuâ activitate, & modo ad agendum convenienti poteſt agere, & agit naturaliter; atqui accidentia, de quibus loquimur, ſunt principia naturaliter activa actione, tùm phyſicâ, tùm intentionali, & in ſacramento à propriis ſubſtantiis ſeparata exiſtunt, cum totâ ſuà activitate, & modo ad agendum convenienti; ergo in ſacramento poſſunt agere, & agunt naturaliter, actioneſque ſivè phyſicas, ſivè intentionales, quas exercent, naturaliter exercent:

39 Probatur minor quò ad ly *exiſtunt cum totâ ſuâ activitate*; Subſtantiæ non habent, nec præſtant propriis accidentibus ullam activitatem, aut ad alterandum phyſicè paſſum, aut ad movendum intentionaliter ſenſum; non hoc ſecundum, quia nulla ſubſtantia eſt per ſe ipſam immediatè ſenſibilis, nec cadit ſub ſenſum, niſi mediatè, & per accidentia: Non item primum, quia activitas phyſica eſt ad producendum ſibi ſimile, illud autem, quod producitur ad alterandum phyſicè paſſum, eſt accidens non ſubſtantia, activitas igitur, qua talis alteratio fit, & accidentia in paſſo extrinſeco producuntur, tota, eſt in aliis accidentibus ſimilibus, non in ſubſtantiis, quibus hæc accidentia uniuntur; ergo accidentia in ſacramento à propriis ſubſtantiis ſeparata exiſtunt cum totâ ſua activitate, ſivè intentionali, ſivè phyſicâ:

40 Probatur eadem minor quò ad ly, *& modo ad agendum convenienti*, quia ex dictis exiſtunt in quantitate, & modo tùm extenſo, tùm per nos reſpectu ipſorum accidentium naturali, & ſolum ſupernaturali, ac miraculoſo reſpectu quantitatis; ergo exiſtunt modo convenienti ad agendum actione corporeâ, & naturali, ſivè intentionali, ſivè phyſicâ.

Etſi exiſterent non à ſubſtantia tantùm, ſed etiã à quantitate ſeparata.

Præter quod etiamſi exiſterent ſeparata à quantitate, & ſupernaturali fortiorique concurſu in ſe conſervarentur, adhùc poſſent naturaliter agere, quia ad naturaliter agendum etiam actione corporeâ, nec requiritur extenſio quantitativa, nec modus exiſtendi omninò naturalis, ut evincitur ex eo, quod *cap. præced.* §. 5. dictum eſt, Chriſtum Dominum in ſacramento poſſe per ſuas qualitates activas etſi modo ſupernaturali, & inextenſo exiſtentes naturaliter agere, & corporea extrinſeca alterare; Quod libentèr addidi, ut maneat probatum aſſertum non ſolùm in noſtris principiis, ſed &

in

in principiis oppositis ponentibus pro immediato accidentium materialium subjecto substantiam non, quantitatem.

41

Dices primò his omnibus malè cohærere duplicem propositionem ex Philosopho desumptam, & utramque communitèr receptam tamquàm phyilosophicum axioma: Prima est, quod *actiones sint suppositorum*, & desumitur *ex 1. Metaph. in proœm.* Secunda est, quod *oportet agens, & patiens communicare in materiâ*, & desumitur *ex 1. de generat.*, quæ quidem utraque propositio saltem de actionibus naturalibus debet verificari, atqui de actionibus, quæ supponuntur provenire ab accidentibus eucharisticis, nec potest verificari, quod sint suppositorum, nec quod sint ab agente communicante cum passo in materiâ, cum talia accidentia existant separata ab omni supposito, & ab omni materiâ, ergò hujusmodi actiones nequeunt esse naturales, & ab accidentibus Eucharisticis naturaliter provenire. Nec primę propositioni sufficientèr occurritur, dicendo actiones esse suppositorum solum denominativę, & subsistentiam requiri ad agendum solum tamquàm conditionem, enim verò neque denominativè possunt esse suppositorum actiones, ubi subtractum est suppositum, & quod subsistentia ad agendum requiratur, ut conditio satis est ad hoc, ut defectu ipsius nequeant accidentia eucharistica naturalitèr operari. Non item sufficientèr occurritur secundæ, dicendo nomine materiæ posse intelligi quantitatem, quæ quatenùs est subjectum, & materialem causalitatem exercet, rectè materia nominatur; enim verò hoc saltem non salvat intentum in sententiâ negante quantitatem esse aliorum accidentium subjectum, & tamen nos mox dicebamus assertum etiam in hâc sententiâ procedere. Sed contrà: Responsiones in instantiâ positæ non sunt omni ex parte inanes, nihilominùs illis pro re præsenti non plenè aquiesco, ideò alitèr

42

Actiones esse suppositorum procedit magis de actionibus substantialibus, quàm de accidentalibus, & cur?

Ad primam propositionem dico actiones esse suppositorum saltem denominativè, & subsistentia, seù supposito per modum conditionis se habente, debere intelligi de actionibus substantialibus, & à substantiâ provenientibus, non sic de accidentalibus, & provenientibus ab accidente; ratio est, quia suppositum ad substantiam pertinet non ad accidens, & subsistentia est conditio requisita ad agendum, quatenùs est complementum existendi, est autem complementum existendi in substantiis, non in accidentibus, in substantiali, non in accidentali naturâ: Neque dicas; Sicut subsistentia est complementum existendi in substantiis, ità actualis inhærentia est complementum existendi in accidentibus, ergo sicut subsistentia in substantiis, ità actualis inhærentia in accidentibus est conditio ad agendum requisita; & sicut substantiæ nequeunt naturaliter agere, nisi subsistant, ità accidentia nequeunt agere naturaliter, nisi actu inhæreant, actu autem non inhærent accidentia eucharistica. Contrà enim per nos accidentia eucharistica actu inhærent quantitati, & quando huic actu non inhærerent, terminarent potentiorem concursum, ratione cujus dicerentur actu inhærere æquivalentèr, etsi non formalitèr.

43

Agens, & patiens quomodò debeant communicare in materia.

Ad secundam propositionem in sententiâ negante quantitatem esse aliorum accidentium subjectum, dico agens, & patiens debere communicare in materiâ, aut actualiter, aut aptitudinalitèr, cum quolibet autem patiente corporeo aptitudinalitèr in materiâ communicant accidentia eucharistica, quatenùs sunt apta habere materiam cuilibet passo corporeo communem, etsi hâc actu in sacramento careant.

Dices secundò: Illud, quod est forma tantùm, non potest naturaliter agere, atqui accidens à propriâ substantiâ, ac præsertim à materiâ separatum est forma tantum, ergo non potest naturaliter agere, ac per consequens non possunt naturaliter agere accidentia panis, & vini in sacramento separata à propriâ substantiâ: Probatur major primò, quia forma respectu actionis est *quo*, & forma tantùm est *quo* purum, *quo* autem purum non potest agere, si enim ageret, eo ipso esset *quod*, adeòque esset, & non esset purum *quo*. Secundò, quia ex Philosopho *7. metaph.* Ideæ Platonis non possunt generare, quia sunt forma tantùm, ergo ex mente Philosophi, quod est forma tantum non potest agere saltem naturaliter. Tertiò, quia habitus, & species intentionales si existant extrà potentias, & organa, quibus petunt inhærere, non possunt naturalitèr agere, non nisi quia taliter existendo sunt forma tantum: ergo. Sed contrà: Cum per nos accidentia panis, & vini in sacramento inhæreant propriæ quantitati tamquàm materiæ, & subjecto per hoc, quod existant separata à substantiâ, & à materiâ substantiali, non sunt forma tantum; abstrahendo tamen ab hoc, & absolutè loquendo nego majorem ad cujus primam probationem dico formam respectu actionis esse *quo* si comparetur ad compositum, cujus est forma, & consideratur, ut forma informans, si verò consideretur absolutè, ut in se, ac per se existens extrà compositum, est *quod* saltem negativè, & æquivalentèr, adeòque forma tantum, si supponat pro formâ separatâ, & existente extrà subjectum, ac compositum, non solum non est purum *Quo*, sed est *Quod* respectu actionis. Neque dicas *Quo* numquàm potest esse *Quod*, sic anima, quæ est id *quo* homo est, numquàm potest esse *quod*, & numquam est homo. Contrà enim, *Quo* partiale numquàm potest esse *quod*, benè verò *quo* totale; anima in composito humano est *quo* partiale respectu hominis, cum non sit tota ratio hominis constitutiva, forma in suo composito est respectu propriæ actionis *quo* totale, cum sit tota ratio agendi, ideò &c.

44

45

Ad secundam probationem ejusdem majoris, dico Philosophum eo loco nomine formæ tantùm non intelligere quam-

cum-

eumq; formã à ſubjecto ſeparatam, ſed ſubſtantiam purè immaterialem, quam intendit non poſſe generare ſubſtantias compoſitas, hincque loquendo de ſubſtantiis compoſitis, ex eo quòd ideæ Platonis ſint forma tantum, idest ſubſtantia immaterialis, ineſſe ipſas generare non poſſe, hoc autem eſt ad rem noſtram prorsùs impertinens, ut magis oſtendit Scotus *præcit. quæſt.* 3. §. *Ad principales rationes* vbi, & de memoratâ auctoritate Philoſophi ex profeſſo agit, & totam præſentis inſtantiæ materiem ergregiè, latèque explanat: Conſulatur igitur ſubtilis Doctor, interim ex ipſo breviter.

Ad tertiam probationem concedo quidem habitus, & ſpecies intentionales, ſi exiſtant extrà proprium ſubjectum, non poſſe naturaliter agere, & actus vitales producere, at hoc non eſt præcisè ratione ſeparationis à ſubjecto, & ex eo quod ſint forma rantùm, ſed quia ſivè extrà ſubjectum, ſivè etiam in ſubjecto exiſtant, non ſunt principium activum totale, & tota ratio agendi reſpectu actuum vitalium.

46

Aſſert. II. Accidentia panis, & vini in Sacramento poſſunt naturalitet pati ſuo modo, quidquid pati poterant extrà ſacramentum. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 77. *art.* 4., & *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 3., & 4. Scotus *eâd. diſt. quæſt.* 4. §. *Ad quæſtionem*, & tùm Thomiſtæ, tùm Scotiſtæ, tùm Recentiores communiter contrà Nominales, Marſilium, Arriagam, & paucos alios aſſignantes pro ſubjecto immediato qualitatum, aliorumque accidentium materialium ſubſtantiam, non quantitatem, ut meminimus ſuprà *num.* 28.

Aliis accidentibus à quantitate ſolùm impropriè cõvenit pati.

Dixi *pati ſuo modo*, eo ſcilicet, quo pati poterant extrà ſacramentum, nam propriè, & rigoroſè qualitates, & cætera à quantitate accidentia non poſſunt qualitatem, actionem, aliudve accidens abſolutum recipere, & pati, cum hæc omnia per nos recipiantur immediatè in quantitate, non unum in alio, & prætereà ſingillatim actiones intentionales, ut potè immanentes recipiantur in agente non in paſſo, dicaturque objectum intentionaliter pati extrinſecè terminando, non intrinſecè recipiendo, & ſuſtentando intentionalem actionem. Nihilominùs quia modus loquendi obtinuit, ut accidens ſicut, & quælibet alia res dicatur pati intentionaliter, quando cognoſcitur, aut ſenſu percipitur, dicatur item qualitas pati phyſicè, quando à contrariâ qualitate receptâ in ſubjecto, in quo ipſa eſt expellitur, & corrumpitur, juxtà hunc modum loquendi licèt improprium aſſerimus accidentia panis, & vini in Sacramento poſſe naturaliter pati, & ad inſinuandam loquendi improprietatem appoſuimus ly *ſuo modo*.

47

Suo tamen modo improprio accidentia panis, & vini poſſunt pati in Sacramento totum, quod extrà

Probatur jam aſſertum, & in primis quod accidentia panis, & vini in ſacramento poſſint ſuo modo pati intentionaliter, idest actiones, actuſvè intentionales terminare, quotidiè nos ipſi experimur, quatenùs talia accidentia poſt conſecrationem ſenſu, & intellectu percipimus; intellectu percipimus ſicut anteà, & propriâ ſenſibilitate ſacramentum conſtituunt in ratione ſigni ſenſibilis: Nec difficilius eſt experimentum pro eo, quod poſſunt pati phyſicè, ab agente enim calido poſt conſecrationem applicato æque, ac anteà caleſiunt ſpecies vini, ab humido madeſiunt ſpecies panis, à luminoſo utræque illuminantur &c. Quod deindè hæc omnia patiantur ſpecies, & præſtentur ab agente extrinſeco naturaliter, probatur, quia ex unâ parte valdè durum eſt in ſacramento ſpecies igni approximatas non ab ipſo igne, ſed à Deo ad præſentiam ignis caleſieri, ſicque familiari nimis, & ipſi ſenſuum experientiæ malè congruo miraculo evenire, quoties ſpecies conſecratæ patiuntur, & alterantur phyſicè ab aliquo extrinſeco agente; ex aliâ parte ſi quid impedit, ne ſpecies naturaliter patiantur, eſſet maximè defectus ſubjecti communis, at hoc ad pati intentionaliter, quod eſt purum terminare, non requiritur, ad pati phyſicè non deficit, adeſt quippè per nos quantitas, quæ ſicuti naturaliter retinet accidentia antè conſecrationem recepta, ità poteſt naturaliter recipere actiones, & qualitates de novo advenientes, & ab agente extrinſeco poſt conſecrationem productas: Imò quando non ſupponeretur, nec probaretur aliundè immediata aliorum accidentium receptio, & inhærentia in quantitate, ex præſenti congruentiâ non recurrendi ad cauſam primam, & ad miracula pro quâcumque mutatione, & alteratione in accidentibus euchariſticis factâ, haberetur validum, & ut puto, non inſufficiens talis receptionis, ac inhærentiæ argumentum.

Idque naturaliter.

48

Dices, Hinc ſequitur agens creatum poſſe ex quantitate ſolitariè ſumptâ, & extrà ſubſtantiale ſubjectum conſervatâ naturaliter educere quodlibet materiale accidens, non enim agens creatum quidquam naturaliter producit, niſi per eductionem, neceſſe eſt igitur, quod de quantitate educat accidentia, quæ in ipſâ ſolitariè ſumptâ, & extrà ſubſtantiale ſubjectum conſervatâ naturaliter producit; at hoc non videtur concedendum, quia ſecùs omnia materialia accidentia in quantitate continerentur, quod maximam, nimiamque perfectionem, & majorem quàm in ullo alio materiali accidente in ipsâ arguerent. Sed contrà: Eâdem ratione inferretur, non poſſe formas ſubſtantiales materiales naturaliter educi ex materiâ, cum iſta non contineat perfectionem illarum omnium, nec ſit omni formâ ſubſtantiali materiali perfectior; educi igitur ex ſubjecto, ſeu de potentiâ ſubjecti non importat præexiſtere, aut præcontineri in ipſo, ſed præcisè produci dependenter ab ipſo, ut à ſuſtentante, quod non eſt tam eximiæ perfectionis argumentum, cum ſuſtentare ſit ſubſtare, & inferioris potiùs quàm perfectioris conditionis eſſe; non arguitur igitur nimia, & indebita in quantitate perfectio ex ſequelâ majoris, hâcque abſolutè conceſſâ, dico accidentia materia-

49

Eductio accidentium materialium ſit no nediatè ex quantitate.

lia

lia naturaliter loquendo semper immediatè educi ex quantitate, subjectum enim eductionis, & subjectum inhæsionis idem est; quod igitur quantitas sit solitaria, & extrà substantiale subjectum, vel sit unita materiæ, & in subjecto substantiali, non variat materialium accidentium productionem, eductionemvè immediatam, sed solum mediatam, quatenùs accidentia immediatè educta ex quantitate materiæ unitâ denominantur educta mediatè ex materiâ, educta ex quantitate separatâ non item; pro quo recole, quæ de inhærentiâ mediatâ dicebamus suprà *num.31. & 32.*

50 Ex his habetur quo ad mutationes accidentales, sivè activæ, sivè passivæ sint, posse naturaliter, vel ab accidentibus Eucharisticis in passum extrinsecum, vel ab agente extrinseco in accidentiâ Eucharistica fieri illas omnes, quæ fieri possent, si talia accidentia non essent à propriis substantiis separata, saltem abstrahendo pro nunc à mutationibus pertinentibus directè ad quantitatem, ut sunt ipsius quantitatis rarefactio, condensatio, accretio, diminutio, de quibus aliquod infrà §. 5. Interim procedendo ad mutationes substantiales adverto in accidentibus Eucharisticis, seù speciebus sacramentalibus dici posse actionem substantialem, mutationemvè substantialem activam illam, qua aliquid substantiale producant, & substantiam aliam in substantiam, cujus ipsa sunt accidentia, convertant, passionem verò substantialem, mutationemque substantialem passivam illam, quâ ab agente extrinseco corrumpantur, & convertantur quodammodò in substantiam aliam diversam ab eâ, cujus erant accidentia: Exemplum mutationis substantialis activæ est, si accidentia vini consecrati formam substantialem vini producant, & aquam aliumvè liquorem in vinum convertant: Exemplum mutationis substantialis passivæ, si eadem accidentia supponantur ab aquâ corrumpi, & in aquam converti, vel accidentia panis consecrati convertantur in vermes, in cineres, in substantiam aliti: De hâc utrâque mutatione statuendum est, an & quomodo possit evenire? Ideò sit

Quid sit in accidentibus agere, & pati substantialiter?

---

§. IV.

An, & quomodò accidentia Eucharistica possint agere, aut pati substantialiter, & substantiam producere, aut in substantiam converti?

51 ASSERT. I. Accidentia Eucharistica possunt agere substantialiter dispositivè, hoc est disponere ad formæ substantialis productionem; at nec ut causæ principales, nec ut causæ instrumentales possunt naturaliter substantiam ipsam, seù substantialem formam producere: Hoc assertum videri potest philosophicum; certè plurimum pendet à quæstione physicâ, in quâ examinatur, utrùm forma substantialis producat aliam sibi similem per se immediatè, an mediis propriis accidentibus? Undè Scotistæ, & magna pars Recentiorum, qui primum affirmant, & quibus nos suo loco adhæsimus, nobiscum nunc sentiunt, adversantur verò Thomistæ, & Recentiores alii affirmantes in prædictâ quæstione philosophicâ oppositum: Itaque stant pro præsenti asserto Scotus *in 4. dist. 12. quæst. 3. §. Hic est opinio, & §. dico ergo.* Mastrius *disp 3. quæst. 15. art. 1. num. 365.* Laurea *disp. 23. art. 3.* Hærinex *disp. 4. quæst. 2. num. 8.* Arriaga *disp. 38. sec. 4. num. 13.* Madernus *quæst. 5. art. 2.*, & plures alii contrà Alensem *4. part. quæst. 10. memb. 7. art. 2.* Cajetanum *hic quæst. 77. art. 3.* Sylvium *eod. art.* Sotum *in 4. dist. 10. quæst. 2. art. 3.* Suarium *hic disp. 57. sec. 1. §. dico tertiò.* Vasquium *disp. 185. cap. 1. num. 10.* Valentiam *disp. 6. quæst. 5. punc. 2.*, aliosque Thomistas ferè omnes, & Recentiores non paucos:

52 Probatur prima asserti pars: Accidentia Eucharistica possunt, & quidem naturaliter, alterare passum extrinsecum producendo in ipso accidentia sibi similia; atqui hoc est agere substantialiter dispositivè, & passum, seù subjectum extrinsecum disponere ad recipiendam illam formam substantialem, ad quam pertinent accidentia per alterationem inducta, & de novo producta, ergo accidentia Euchatistica possunt agere substantialiter dispositivè, possunt scilicet disponere &c. hocque naturaliter; Major tradita est §. *praeced.* minor supponitur ex eo, quod ut est apud Philosophos tritum, alteratio ad substantialem generationem, & accidens ad substantialem formam, ad quam pertinet, disponit. Adverte hic parum referre, & præsenti doctrinæ nihil obesse, quod suprà *cap. 2. §. 4.* docuerimus vinum non posse naturaliter convertere in se aquam, ex quo sequitur accidentia vini propriæ substantiæ conjuncta non posse sufficienter disponere passum extrinsecum ad propriam formam substantialem, ergo multo minus id poterunt eadem accidentia separata à propriâ substantiâ; Quia deindè, quod dictum est de vino respectu aquæ, videtur procedere de eodem, & multo magis de pane respectu cujuslibet subjecti extrinseci, consequens videtur, quod accidentia Eucharistica panis, & vini nullum subjectum extrinsecum sufficienter, & ultimò disponere ad proprias formas substantiales; Parùm, inquam, hæc referunt; quia nostræ præsentis doctrinæ intentum est, accidentia, ex eo, quod sint à propriis substantiis separata, non impediri, ne ad proprias formas substantiales sufficienter, & ultimò disponant, si deindè accidentia Eucharistica non ratione separationis à propriis substantiis, sed aliundè nequeant id præstare, erit impertinens, & nihil referens ad præsentem doctrinam, quam prætereà sufficit absolutè verificari in sententiâ docente vinum posse naturaliter in se convertere aquam aliumvè liquorem.

Accidentia Eucharistica possunt ad formam substantialem naturaliter disponere.

Pro-

53
At non ulla modo ipsam formam naturaliter producere.

Probatur secunda asserti pars: Accidentia à propriis substantiis separata non possunt naturaliter aliquid ampliùs, quam possint propriis substantiis conjuncta, propriæ enim substantiæ profunt, aut certè non obsunt accidentibus ad operandum præsertim substantialiter, nec accidentibus accrescit ulla virtus activa naturalis per hoc, quod extrà omne subjectum substantiale existant; atqui, ut suppono ex physicis, accidentia propriis substantiis conjuncta, nec ut causæ principales, nec ut causæ instrumentales possunt naturaliter producere substantiam, seu formam substantialem, ergo neque hæc possunt naturaliter producere accidentia à propriis substantiis separata, qualia sunt accidentia Eucharistica panis, & vini.

54
Nisi ex suppositione, quod concedatur id posse eadem accidentia propriis substantiis conjuncta.

Si quæras hic, Utrùm sit concedenda naturalis in substantiam activitas accidentibus separatis saltem ex suppositione, quod concedatur conjunctis? Responderem affirmativè, quamvis etiam in hoc videantur adversari Scotistæ: Ratio affirmativæ responsionis est, quia major, & insignior pars Auctorum concedentium accidentibus conjunctis naturalem in substantiam activitatem, & substantiæ productionem ponit hujusmodi activitatem, & productionem accidentibus convenire non ex aliquâ perfectione, quam habeant ex conjunctione ad substantiam, sed ex propriâ ipsorum entitate; atqui accidentia separata à substantiâ retinent idem esse, eamdemque entitatem, quam habebant conjuncta, ergo ex suppositione, quod conjuncta haberent naturalem in substantiam activitatemque, virtutemque producendi naturaliter substantiam, eamdem activitatem, virtutemque retinent separata.

Dices, si accidentia conjuncta possunt naturaliter producere formam, seu effectum substantialem, id possunt ut causæ instrumentales, & substantiæ propriæ instrumenta, nec quidquam ampliùs accidentibus conjunctis concedit sententia, ex cujus suppositione nunc loquimur; atqui accidentia separata nequeunt esse instrumenta substantiæ, à quâ sunt separata, imò quæ nullatenus existit, ut nullatenus existunt substantiæ accidentium Eucharisticorum; ergo accidentibus separatis præsertim Eucharisticis concedendum non est, posse naturaliter producere formam, seu effectum substantialem nequidem ex suppositione, quod id concedatur accidentibus conjunctis: Probatur minor, quia instrumentum est movens motum ab eo, cujus est instrumentum, & in ejus virtute agens, atqui nihil potest moveri ab eo, quod non est, & non entis nulla est virtus, ergo accidentia separata, & præsertim Eucharistica nequeunt esse instrumenta substantiæ, à quâ sunt separata, & quæ nullatenùs existit; quod si substantia, à quâ sunt separata, supponeretur existens, quamvis distans, adhuc non possent saltem naturaliter accidentia separata agere ut talis substantiæ instrumenta, quia nihil potest saltem naturaliter ab aliquo distante moveri, & in ejus virtute agere, idest ab eo recipere virtutem ad agendum; ergo. Sed contrà: Instrumentum sumi potest dupliciter, vel strictè pro eo, quod agit, & operatur, ut motum ab altero tamquam à causâ simul, & principaliter operante, item in virtute alterius tamquam communicantis activitatem, & facultatem operativam: Vel latè pro eo, quod operatur tamquam aliquid alterius, ipsum repræsentans, ipsiusque similitudinem virtualiter continens; hujusmodi est viventis, seu animalis semen, quod dicitur esse virtus, organum, & instrumentum animalis, non quia animal eo utatur, & simul cum eo principaliter concurrat ad generandum aliud animal, sed præcisè quia est aliquid animalis virtualiter continens ipsius similitudinem: Hinc ad instantiam directè, dico accidentia esse propriæ substantiæ instrumenta latè, non strictè, & quando separata sunt, quamvis non possint esse strictè, posse esse latè instrumenta substantiæ, à quâ separata sunt, & quæ etiam amplius non existit; sunt igitur instrumenta substantiæ præcisè, quatenus sunt aliquid ejusdem, quodlibet accidens solet dici entis (subintellige substantialis) ens; sunt inquam aliquid substantiæ, non quomodocumque, sed tamquam virtus gerens in operando substantiæ vices, & absque eo quod substantia simul operetur, operans; pro quo recurrit paritas seminis, quod & ipsum operatur absque eo, quod simul operetur, quin absque eo, quod existat animal, cujus dici solet virtus, organum, & instrumentum: Imo cum in accidentibus Eucharisticis Deus suppleat existentiam substantiæ, in semine verò nihil soleat adesse, quod suppleat existentiam animalis, videtur esse major ratio, quod accidentia Eucharistica rectè dicantur instrumenta substantiæ non existentis, quàm quod semen rectè dicatur instrumentum animalis non superstitis; pro totâ hac doctrinâ, & paritate videri possunt ex Thomistis Cajetanus, ex Recentioribus Valentia locis præcitatis.

55
Duplex instrumenti, seu causæ instrumentalis modus.

56

Scio contrà id, quod in hâc doctrinâ potissimum est, & contrà latè dictum causæ instrumentalis modum, quem accidentibus respectu substantiæ tribuimus, multa posse objici, at militant contrà accidentia conjuncta æquè, ac contrà separata, & probant absolutè neutris concedendam esse naturalem substantiæ productionem, quod nos quoque fatemur, ac profitemur; Cæterum non militant singillatim contrà accidentia separata, nec probant istis talem productionem debere negari, etiam ex suppositione, quod concedatur conjunctis, quod tamen esset probandum pro impugnatione doctrinæ mox allatæ, quam nos non absolutè, & ex propriâ sententiâ protulimus, sed extendimus ad accidentia separata ex suppositione (tametsi per nos falsâ) quod benè procedat in accidentibus conjunctis: Et fortè etiam in eâdem suppositione non absolutè intelligi potest locutus D. Thomas, qui contrà secundam nostri asserti partem asseri

ri solet in eo, quod *hic quæst. 77. art. 3. ad 3.* de speciebus sacramentalibus expresse ait *posse agere in formam substantialem instrumentaliter*.

57 Ex eo, quod dictum est accidentia separata non posse naturaliter producere formam substantialem, nec aliquid aliud, quod non possint conjuncta, consequens est, ipsa non posse naturaliter se reducere ad proprium, & connaturalem statum, si hunc amiserint, ex alteratione agentis extrinseci, si v. gr. vinum consecratum ab igne alteretur, & calefiat ultrà statum ipsi connaturalem, remoto igne non poterunt vini accidentia naturaliter reparare frigus deperditum, & recuperare statum pristinum; ratio est, quia neque id possent, si essent substantiæ vini conjuncta; suppono enim ex physicis nullum accidens posse se ipsum in proprio subjecto intendere, & actionem deperditorum gradnum reparativam, seu reductivam accidentium ad pristinam intensionem non ab aliquo accidente, sed à formâ substantiali proficisci. Superest jam assignare causam, quæ in vino consecrato suppleat formæ substantialis absentiam, & exerceat actionem, quâ vini consecrati accidentia ab extrinseco alterata reparentur, amissosque gradus recuperent, aut etiam producatur ipsa forma substantialis vini in subjecto extrinseco, quod à vini consecrati accidentibus fuerit ad eam ultimò dispositum: Verùm illicò occurrit pro hujusmodi causâ Deus, ad quem tamquàm ad causam universalem, & primam pertinet supplere causarum particularium, & secundarum non existentiam, seu defectum, Quòd si ulteriùs quæras, utrùm Deus in proposito formæ substantialis defectum, & causalitatem effectivam suppleat ex intrinsecâ rerum exigentiâ, & ex debito naturæ, an ex suppositione institutionis sacramenti, & ex decreto extrinseco? Item utrùm immediatè per se ipsum, an mediatè, idest medio Christi corpore accidentibus panis, & vini loco propriarum substantiarum substracto, aut etiam mediis ipsis panis, & vini accidentibus divinitùs elevatis ad efficiendum id, quod eorum forma substantialis efficeret? Duo breviter responderem: Primum est Auctores, quantum conjicere potuir, communiter propendere ad sentiendum, quod Deus in proposito deficientiam, & efficientiam formæ substantialis suppleat, tùm ut naturæ Auctor, seu ex naturæ debito, tùm immediatè; solus, quem viderim, adversatur quò ad naturæ debitum Amicus *præcit. disp. 23. num. 53.* Secundum est, propositam dubiola esse levioris momenti, & fortassè præsertim rationibus insistendo admittere problematicam solutionem: est quidem aliqua peculiaris difficultas in eo, quod efficientia formæ substantialis in ordine ad alterius similis formæ productionem suppleatur mediis accidentibus, cum Mastrius *præcit. art. 1. num. 367.* Lauræa *præcit. art. 3. nu. 83.*, & multi alii Scotistæ velint repugnare etiam de potentiâ absolutâ elevationem accidentis ad producendam substantiam; verùm quò ad hoc (quidquid sit de principiis Scotisticis) cessat omnis repugnantiæ suspicio, & difficultatis ratio in principiis nostris, in quibus quodlibet ad quodlibet, si actus vitales excipias, est à Deo instrumentaliter elevabile.

Accidentia eucharistica extrinsecùs alterata nequeunt naturaliter se reducere ad statû pristinum.

58 Deficientia, & efficientia formæ substantialis suppletur in illis à Deo.

59 Utrùm ex debito naturæ, & immediatè? fortè potest esse problema.

60 Assert. II. Accidentia Eucharistica possunt substantialiter pati, & in substantiam aliquam converti, quin & de facto hoc evenit, quoties omninò corrumpuntur: est veritas jam apud omnes receptissima, & quàmvis Algerus, Guitmundus, & Vualdensis relati à Suario *hic disp. 57. sec. 3.* censeantur olim docuisse oppositum quò ad de facto, & existimasse apparentes, non veras, & reales illas mutationes, & experientias, in quibus ex corruptione accidentium eucharisticorum, seu specierum sacramentalium videtur fieri novi compositi substantialis generatio; nihilominùs hujusmodi opinio, ut *ibid.* Suarez air, antiquata jam est, & ut improbabilis omninò ab scholis rejecta, nec vereor quin censuram graviorem mereatur.

61 Probatur quia experientiâ constat ex specierum sacramentalium corruptione sæpè vermes, cineres, pulverem generari; ex iisdem in stomachum trajectis, & naturali calore alteratis hominem nutriri, & aggenerari substantiam viventis; igne apposito panem consecratû comburi, & in flammam converti, vinum in vapores, fumumque dissolvi, æquè ac si consecratum non esset: Dicere autem, quod istæ novarum substantiarum generationes sint puræ apparentiæ, est negare fidem sensibus sine aliquâ necessitate, & contrà omnem rationem, nam in primis, quæ apparenter fiunt, non solent semper eodem modo, & permanenter fieri: Deindè mutationes, de quibus agitur, vel fiunt à Deo, vel à naturali agente crato, si à Deo, cur supponitur operari apparenter, cum æquè facile ei sit operari realiter; si à naturali agente creato, hoc operatur ex necessitate naturæ, nec potest operationes suas simulare, & fingere; ergo

Accidentia de facto, dum corrûpuntur, in aliquam substantiam convertuntur; seu ali quæ ex ipsis substantia generatur.

Dices non deesse in præsenti necessitatem negandi fidem sensibus, cum aliundè nequeat assignari modus, quo ex accidentibus encharisticis, sub quibus nulla existit materia nisi ex corporis Christi, quod est incorruptibile, verè & realiter generetur aliqua vera substantia, quæ non nisi ex præexistente materiâ est generabilis. Sed contrà: Sit licèt inter Scholasticos quæstio, & discordia plurima in tali modo assignando, est tamen æqua inter eosdem consensio, & concordia in eo, quod aliquis id explicandi modus, quicumque ille sit, possit & debeat sustineri, quod videretur pro præsentis instantiæ solutione sufficere; Verùm ne sinam, tùm pro præsenti instantiâ, & ratione dubitandi, tùm pro præfixo titulo aliquid desiderari, percurro breviter varios modos exponendi, & sustinendi novæ substantiæ ex accidentibus eucharisticis omni materiâ, & subjecto substantiali carentibus generationem

62 Quomodò possit ex accidentibus materia carentibus noua substantia generari?

tionem, & ut omittam aliquos, ut refert D. Thomas *hic quæſt.* 77. *art.* 5. docuiſse novam ſubſtantiam in ſpecierum ſacramentalium corruptione generari ex aere circumſtante, quæ opinio, aut non ſalvat talem ſubſtantiam generari ex ſpeciebus, aut ſupponit aliam opinionem à nobis ſuprà *num.* 3., & à D. Thomâ *ead. quæſt.* 77. *art.* 1. memoratam, ponentem ipſas ſpecies eſſe ſicut in ſubjecto in aere circumſtante, ſicque aut impertinens eſt ad rem noſtram, aut eſt ex dictis abundè impugnata; ut inquam hanc opinionem tamquàm, nec ab aliquo nominato Auctore traditam, nec ullâ probabili ratione ſuffultam omittam, ex opinionibus aliis, quæ habent, aut habuerunt aliqualem ſaltem ex ſuorum Auctorum nomine, aut numero probabilitatem.

63 Opiniones variæ.

Prima ſit, quod in corruptione ſpecierum redeat virtute divinâ ſubſtantia panis, & vini, de cujus materiâ expellatur ab agente creato propria forma ſubſtantialis, & educatur forma alia conſtitutiva compoſiti, quod de novo generatur. Hæc opinio tribuitur Innocentio III. *lib.* 4. *de Myſteriis miſſæ cap.* 11. Bonaventuræ *in* 4. *diſt.* 12. 1. *par. art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 1., & Alenſi 4. *par. quæſt.* 10. *memb.* 7. *art.* 2. §. 2. Sed impugnatur, quia vel ſubſtantia panis (idem procedit de ſubſtantiâ vini) redit, quando propriæ ipſius ſpecies adhùc exiſtunt, vel quando jam deſierunt; ſi primum, tunc adhùc exiſtit ſub ſpeciebus corpus Chriſti, cum quo numquàm adeſt ſubſtantia panis; Si ſecundum, non ſunt ampliùs ſufficientes pro ſubſtãtia panis diſpoſitiones, cur ergo tunc Deus producit ſubſtantiam panis potius quàm aliam quamcumque, & præſertim potius, quam eam cujus novæ diſpoſitiones ſunt inductæ? Deindè in ſubſtantiâ panis, quandocumque redeat, propria forma eſt illicò deſtruenda, ad quid igitur tota ſubſtantia panis redit, totaque denuò producitur, & non potius ſola materia? Tandem in inſtanti corruptionis ſpecierum corpus Chriſti deſinit, & ponitur ſubſtantia, quæ de novo ex ſpeciebus generatur, in quocumque igitur inſtanti ſubſtantia panis redeat, debet eſſe ſimul, aut cum corpore Chriſti, aut cum ſubſtantiâ de novo ex ſpeciebus genita, quorum neutrum rectè dicitur, ergo.

64

Secunda ſit, quod in generatione novæ ſubſtantiæ ex ſpeciebus, quantitas, quæ eſt ſubjectum aliarum formarum accidentalium, ſit pariter ſubjectum novæ formæ ſubſtantialis, adeò ut hæc de quantitate tamquàm de materiâ educatur, & cum quantitate tamquàm cum materiâ conſtituat compoſitum ſubſtantiale, quod de novo generatur. Hæc opinio tribuitur Henrico *quolib.* 4. *quæſt.* 36. Ægidio *theorem.* 44., & 45. Ferrarienſi 4. *cont. Gent. cap.* 66. Viguerio *in inſtitutionib. theologic. cap.* 16. §. 3., à quibus & aliquibus alijs antiquioribus Thomiſtis cenſetur eſſe D. Thomæ *præcit. art.* 5. & alibi. Sed impugnatur, quia forma ſubſtantialis nequit ſaltem naturaliter de quantitate tamquàm de ſubjecto educi, nec cum eâdem ullo modo conſtituere compoſitum ſubſtantiale, & unum per ſe; non primum, quia forma ſubſtantialis non habet aliud naturale ſubjectum præter materiam. & cum accidens magis, quam ſubſtantia indigeat ſuſtentante, non poteſt ſaltem naturaliter illa ab iſto tamquam à ſuſtentante dependere: Non ſecundum, quia compoſitum ſubſtantiale non poteſt conſtitui niſi ex componentibus ſubſtantialibus, & unum per ſe ex actu, & potentiâ ejuſdem ordinis, & ſicuti ſubſtantiale compoſitum, at unum per ſe nequit conſurgere ex materiâ ſubſtantiali, & formâ accidentali, ita nec ex formâ ſubſtantiali, & materiâ accidentali, cujuſmodi eſt quantitas. Neque dicas hæc benè procedere de quantitate inhærente, & exiſtente modo communi cæteris accidentibus, non ſic de quantitate per ſe ſubſiſtente, & habente modum poſitivum ſubſtantialem, qualis eſt ea, de quâ in præſenti. Contrà enim. Dato ſuppoſito, quod per nos falſum, & *præced.* §. 1. impugnatum eſt, dico quantitatem per talem modum ſubſtantialem non extrahi in entitate ſuâ à ratione accidentis, ideò non reddi ſubjectum aptum, aut eductionis ſubſtantiæ, aut compoſitionis entis per ſe. Videretur fortè modus ille aliquid hic prodeſſe, ſi diceretur ex ipſo non ex quantitate educi, cum ipſo non cum quantitate componere novam formam ſubſtantialem; verùm hoc ab Auctoribus, quos impugnamus non dicitur, nec in re dici poteſt, quia non ampliùs quantitas, ut ipſi volunt, ſed modus ille gereret vicem materiæ, & prætereà compoſitum ex illo modo, & formâ ſubſtantiali conſurgens non eſſet ejuſdem rationis cum ceteris compoſitis ſubſtantialibus, eſſet ex duplici actu potiùs quàm ex potentiâ, & actu, non eſſet igitur unum per ſe. Plura contrà hanc ſecundam opinionem urget Gonetus *diſp.* 6. *art.* 5. ubi etiam oſtendit malè pro ipsâ afferri D. Thomam.

65

Tertia ſit, in inſtanti, quo ſpecies ità ſunt alteratæ, ut non poſſet ſub eis propria ſubſtantia naturaliter conſervari, produci immediatè à Deo materiam primam pro novi ſubſtantialis compoſiti conſtitutione. Ità D. Thomas *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4. *ad* 4., & *quæſtiunc.* 5. *ad* 2. Scotus *ead. diſt. quæſt.* 6. §. *Dico ergo. Verſic. Quarta Concluſio*; quem utrumque Doctorem, & ductorem ſequitur ſua Schola, ſi ex Thomiſtis aliquos antiquiores pro opinione ſuperiore memoratos excipias. Idem ſentiunt Durandus *ead. diſt.* 12. *quæſt.* 2. *num.* 10. Major *quæſt.* 4. Marſilius *quæſt.* 8. *art.* 4. Gabriel *lect.* 45. *in Canon. Miſſæ*. Suarez *diſp.* 57 *ſec.* 3. Vaſquez *diſp.* 195. *cap.* 3. Amicus *diſp.* 22. Arriaga *diſp.* 38. *ſect.* 5. Maderus *quæſt.* 5. *art.* 3. Breviter conveniunt in hâc tertiâ opinione ſub univerſalibus terminis, ſub quibus prolata eſt, Thomiſtæ ferè omnes, Scotiſtæ Nominales, & Recentiores communiter, quamvis deindè ſi ad magis particularia deſcendatur, quæſtiunculæ variæ, & diſſenſiunculæ inſurgant, nam circà materiam

66

6.

quæſtio

quæstio est: Utrum producatur, à Deo per creationem, ut est sententia receptior, an per conversionem, idest per hoc, quod in ipsam convertatur quantitas? ut docet cum aliquibus aliis Thomistis Gonetus *disp. 6. art. 5. num. 46.* Item utrum producatur materia omninò nova, an ea quæ sub formis substantialibus panis, & vini autè consecrationem præcesserat, in primum propendent Thomistæ, secundum tradunt communiter Recentiores, & Suarez *præcit. sec. 3. §. Rursus* putat nihil aliud docere voluisse Auctores pro primâ opinione relatos *num. 63.* Circà formam quæstio est, utrum producatur ipsa quoque immediatè à Deo simul cum materia, ut sentit major pars Scotistarum, & ex Recentioribus Vasquez, an ex materia à Deo productâ, aut reproducta educatur virtute agentis naturalis? quod reliquis magis placet, imò & aliquibus Scotistis, inter quos Mastrius *disp. 3. quæst. 15. art. 2. num. 377.* & Herinex *disp. 4. quæst. 4. num 19.*, nec valdè alienus est Scotus, qui potest censeri in hoc puncto problematicus, ut colligitur ex Mastrio *num. 379.* Sic relatis præcipuis sententiis circà modum, quo ex speciebus, seù accidentibus eucharisticis possit aliqua substantia generari, sit

68

Assert. III. Quoties accidentia eucharistica patiuntur, seù mutantur substantialiter, in instanti corruptionis ipsorum producitur, immediatè à Deo per creationem materia eadem numero, quæ sub formis substantialibus panis, & vini præcesserat, & in eodem instanti de tali materiâ ab agente naturali, regulariter loquendo, educitur forma substantialis novi compositi. Hujus asserti, tùm Patronos, tùm Adversarios habes in serie opinionum, quas retulimus; solùm moneo Auctores pro primâ opinione memoratos non esse facilè annumerandos Adversariis, sed potiùs cum Suario censendum, ipsos, præsertim verò Innocentium III., & D. Bonaventuram per reditum substantiæ panis, & vini intellexisse reditum solius panis, & vini materiæ, quâ ratione omninò stant pro nostro asserto, quod per varia membra, idest per tria potissimùm probandum est; Ideò

69

Materia compositi, quod ex speciebus sacramentalib' g gni tur, producitur à Deo immediatè per creationē.

Probatur primò quo ad ly *Producitur immediatè à Deo per creationem materia*. Cum sub speciebus non detur materia, nec alia entitas, ex quâ vice materiæ possit novum compositum substantiale constitui, necesse omninò est in illarum corruptione, & istius generatione poni de novo aliquam materiam; atqui hæc materia non transfertur aliundè, non producitur ab agente naturali, non à Deo per conversionem, non ab eodem mediante creaturâ, ergo producitur a Deo immediatè per creationem; Major constat ex dictis præsertim *num. 64.*, & *65.* Probatur minor in primis quò ad ly *Non transfertur aliundè*, quia quoties generatur aliqua substantia ex speciebus, deberet alibi corrumpi aliud compositum substantiale, ex quo desumeretur materia ad species transferenda: Præterea materia, quæ in consecratione transubstantiantur, nec in se, nec in aliâ de novo productâ umquàm rediret, undè per tot consecrationes, quæ quotidiè fiunt, remaneret valde diminutum in suâ materiâ universum corporeum, quod male consonat principiis philosophiæ naturalis:

Non transfertur aliundè.

70

Non producitur ab agente naturali;

Probatur eadem minor quò ad ly *Non producitur ab agente naturali*, quia sicut extrà sacramentum, ità nec in sacramento potest agens naturale materiam producere: Neque dicas ex Richardo *in 4. dist. 12. art. 2. quæst. 2.* ratione prioris miraculi, quo materia transubstantiata est, mansisse in accidentibus eucharisticis transmutabilitatem in materiam, seù possibilitatem materiæ, ex quâ materia possit ab agente naturali fieri; Contrà enim, hujusmodi transmutabilitas, seù possibilitas materiæ, vel est aliquid substantiale in accidentibus relictum, & hoc esset contrà veritatem transubstantiationis; vel est aliquod accidens, & non apparet quomodò ex aliquo accidente possit præsertim naturaliter produci materia; vel est pura potentia logica, seù non repugnantia productionis materiæ, & hæc non repugnantia est solum relatè ad Deum, cum ex priore transubstantiationis miraculo nulla virtus accreverit agentibus naturalibus,

71

Non à Deo per conversionem:

Probatur eadem minor quò ad ly *Non à Deo per conversionem*, quia quantitas, quæ ab Adversariis ponitur in novam materiam converti, in novâ materiâ ex dicendis *nu 82*, remanet, non est igitur terminus à quo conversionis in ipsam, at nec etiam, si desineret, talis esset, quia non apparet, quænam connexio, & quodnam commune subjectum detur inter illius quantitatis desitionem, & novæ materiæ productionem: Deindè materiam produci actione conversivâ, aut impossibile est, aut certè magis miraculosum, quàm produci actione creativâ, ergò de facto huic potius, quàm illi actioni tribuenda est productio materiæ, de quâ agitur.

72

Non ab eodem mediante creatura.

Probatur tandem eadem minor quò ad ly *Non ab eodem mediante creaturâ*, quia hoc esset uti creaturâ tamquàm instrumento ad creandum, quod importaret peculiare, ac maximum miraculum non sine gravissimâ necessitate inducendum, cum aliundè connaturalius sit Deo creare immediatè per se ipsum. Deindè si in proposito ad creandam novam materiam Deus utitur aliquâ creaturâ, hæc maximè erit corpus Christi; at dum sub speciebus nova materia producitur, corpus Christi desinit, quomodò ergo novam materiam producit? Utrum deinde humanitas Christi, saltem ut est instrumentum Deo conjunctum in Cælo, ad talis materie productionem concurrat? est alia quæstio pendens ab eo, quod Christi humanitas ponatur tamquàm instrumentum conjunctum peculiariter concurrere ad omnes actiones sacramentales, seù pertinentes ad sacramenta.

73

Prædicta materia est eadem nu-

Probatur assertum secundò quò ad ly *Eadem numero, quæ sub formis substantialibus panis, & vini præcesserat*, quia ex unâ parte sup-

mero, quæ præceſſerat ſub formis ſubſtãtialibus panis, & vini,

ſuppono nullã eſſe repugnantiã in eo, quod res quæ eſſe deſierat eadem numero reproducatur, & quàmvis abſolutè ſit aliquid ampliùs reproduci rem antiquam præteritam, quàm primò produci rem novam, cum illud ſemper excedat vires agentis creati, iſtud non item, nihilominus parum hoc refert in caſu noſtro, in quo materia, de quâ agitur, ſivè producatur, ſivè reproducatur, agentis creati vires excedit, virtuteque divinâ indiget; ex aliâ parte licèt Deus ipſe ſoleat res novas producere, potiùs quàm reproducere antiquas, ei tamen utrumque eſt æquè facile, & ſuppoſito tranſubſtantiationis miraculo, tùm materia ipſa tranſubſtantiata, tùm univerſum exigit antiquæ materiæ reproductionem potiùs quam productionem novæ: Exigit id materia, quia cum ſit ex naturali ſuâ conditione incorruptibilis, paſſa eſt violentiam in tranſubſtantiatione, quâ, ut corpori Chriſti cederet, deſtructa fuit, ceſſante igitur tranſubſtantiationis effectu, & corpore Chriſti deſinente eſſe ſub ſpeciebus, debetur quodammodo illi materiæ reſtitutio in integrum, & reproductio. Exigit id pariter univerſum, quia huic connaturale eſt nullam pati variationem in materiâ rerum generabilium, & corruptibilium, patitur autem variationem, ſi in ſingulis conſecrationibus unâ materiâ deſtructâ, alia poſtmodùm producatur, non patitur verò variationem niſi negativam, & ad tempus, ſi reproducatur eadem numero; quæ deſtructa fuerat, ergo.

74 Et de ipſa educitur ab agente naturali ſubſtantialis forma novi compoſiti.

Probatur aſſertum tertiò quò ad ly *De tali materiâ regulariter loquendo ab agente naturali educitur forma* &c., intelligo autem nomine agentis naturalis illud, quod ſpecies alteravit, & in quantitate ſpeciebus ſubſtratâ diſpoſitiones ad novam formam induxit; quia tamen aliquando evenit ſpecies corrumpi, & poni diſpoſitiones ad novam formam ſubſtantialem, abſque eo, quod ſit præſens agens creatum aptum formam illam producere, & educere de materiâ, ut cum ſpecies vini ex ſe aceſcunt, & convertuntur in diſpoſitiones ad formam aceti, vel ſpecies panis malè cuſtoditæ putreſcunt, & abſque eo, quod à vermibus corrodantur, remanent ad formam vermium diſpoſitæ, in his, & ſimilibus caſibus ſupplet Deus abſentiam agentis creati, educendo formam de materiâ à ſe in priori naturæ per creationem reproductâ, & ut hos particulares caſus excluderem, addidi ly *regulariter loquendo*: Regulariter igitur, & ſuppoſitâ præſentiâ agentis creati naturalis, ab iſto, non à ſolo Deo produci, ſeù educi formam ſubſtantialem, de quâ agitur, evincit generalis regula non negandi creaturis efficientiam ipſis connaturalem, nec recurrendi ad cauſam primam, ubi ſecunda non deeſt: Solum occurrendum eſt rationibus dubitandi, quibus Adverſarii contendunt adeſſe neceſſitatem recurrendi ad Deum, & agens creatum naturale licèt præſens non poſſe propriâ virtute educere formam de materiâ, quam Deus creat, & reproducit in inſtanti corruptionis ſpecierum.

75

Dices igitur: In compoſito, ſubſtantiali quod ex ſpecierum ſacramentalium corruptione generatur, forma ſubſtantialis de materiâ educitur eodem inſtanti temporis, quo materia creatur; atqui agens creatum naturale non poteſt educere formam de materiâ, quæ eodem inſtanti creetur, & prius tempore non extiterit; ergo in compoſito ſubſtantiali, quod &c. agens creatum naturale non poteſt formam de materia educere, ac per conſequens neceſſe eſt recurrere ad Deum, qui formam ſe ſolo producat, eodemque inſtanti temporis, quaſi duplicem actionem exerceat, alteram naturâ priorem, & creativam materiæ, alteram naturâ poſteriorem, & eductivam formæ: Major facilè ſuadetur, quia ſecus illa materia pro aliquo inſtanti temporis, aut careret omni formâ ſubſtantiali, nec ullum ſubſtantiale compoſitum conſtitueret, aut conſtitueret compoſitum diverſum ab eo, quod ex ſpeciebus generatur, ſicque aut induceretur peculiare miraculum ſine neceſſitate, aut recurrunt rationes allatæ contrà primam opinionem, de quâ ſupra *num.* 63. Minor, de quâ eſt quæſtio, probatur primò, quia agens creatum non poteſt educere, niſi concurrente materiâ, de qua ſit eductio, at materia in eo inſtanti, in quo creatur, non poteſt ad eductionem concurrere, ut enim concurrat, cauſet, & terminet depend[illegible]iam formæ, quæ educitur, debet eſſe prior, & præſupponi exiſtens: Secundò, quia naturaliter haberi non poteſt generatio unius formæ ſine corruptione alterius, at ſi educitur forma de materiâ, quæ eodem inſtanti creetur, & quæ per conſequens ſub aliâ formâ non præextiſtat, habetur generatio unius formæ ſine corruptione alterius; Tertiò, agens naturale non poteſt introducere formam in materiam, quam non præparaverit, & diſpoſuerit: at non poteſt materiam præparare, ac diſponere unico, & præſertim ipſo creationis inſtanti; ergo. Sed contrà concedo majorem, nego minorem.

Rationes dubitandi in oppoſitum.

76 Reſpondetur ad primam;

Ad cujus primam probationem dico, materiam, ſeù ſubjectum, ut terminet dependentiam, & cauſet in ſuo genere formam, quæ educitur, debere eſſe priorem, & præſupponi exiſtentem, at ſufficere prioritatem naturæ, non eſſe neceſſariam prioritatem temporis, & quia in unico inſtanti temporis ſunt plura inſtantia naturæ, benè poteſt materia in inſtanti temporis, quo creatur, habere prioritatem naturæ ad formam, quæ in eodem temporis inſtanti educitur, nec major in hoc eſt difficultas, quàm in eo, quod Deus infuderit Angelis gratiam in primo inſtanti creationis, aut Sol illuminet aerem in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ: & certè ſi prioritas naturæ ſufficit ad cauſalitatem effectivam, multo magis ad cauſaliratem materialem: Neque dicas, eſſe peculiarem difficultatem in materiâ primâ, cum enim hæc non exiſtat, niſi per exiſtentiam formæ, in illo priori naturæ, quo præcedit

omnem

omnem formam, nequit intelligi existens, nequit igitur intelligi terminans, nec actionem creativam, quâ ipsa fiat, nec dependentiam formæ, quæ in posteriori naturæ educatur. Contrà enim, per nos materia prima habet propriam existentiam omninò distinctam ab existentiâ formæ, ideò peculiaris difficultas insinuata nos non afficit, afficit quidem Thomistas, at pro responsione in ipsorum principiis ipsos relinquo consulendos, & in particulari Gonetum *pracit. art. 5. num. 54. & 55.*

77 *Ad secundam:* Ad secundam dico, non posse naturaliter haberi generationem unius formæ sine corruptione alterius, ex suppositione quod materia sub aliâ formâ præexistat, at hæc suppositio quamvis regulariter interveniat, non est de conceptu generationis, ut patet ex primâ rerum productione, & primarum formarum eductione ex materiâ: Neque dicas, generatio est essentialiter mutatio, si minùs positiva, ab unâ formâ ad aliam, saltem privativa à privatione ad formam, ergo adhùc de conceptu generationis est, quod materia præcedat formam, quæ generatur, & præexistat sub ipsius privatione, si minùs sub aliâ formâ positivâ, quæ corrumpatur. Contrà enim, transeat antecedens, distinguo consequens, ergo adhùc de conceptu generationis est, quod materia præcedat formam, & præexistat sub privatione, præcedentiâ, & præexistentia naturæ concedo, temporis, nego; & recurrit instantia ex primâ rerum productione.

78 *Ad tertiã.* Ad tertiam existimo in primis, Scotistas eâ utentes malè cohærere principiis suæ scholæ docentis dispositiones, quæ præcedunt generationem novi compositi, nondari ex indigentiâ formæ de novo generandæ, neque ut materia prima reddatur proportionatior ad formam novam recipiendam, sed præcisè ad expulsionem formæ veteris, & dispositionum ipsius, si enim res ità sit, ubi in materia non præcedit forma vetus, nullaque dispositio contraria formæ inducendæ, ut in casu nostro, non erit requirendum, quod agens naturale materiam præparet, & disponat, antequàm formam educat: Suspicor etiam parùm sibi cohærere Madernum *pracit. art. 3. num.* 12. quatenùs hâc in re amplectitur responsionem aliquorum Thomistarum dicentium pro novæ formæ eductione sufficere, quod agens naturale disponat, aut materiam, aut aliquid æquipollens materiæ, nimirùm in proposito quantitatem panis, & vini, quod quidem quadrat optimè illis Thomistis secutis opinionem recitatam *num. 64.*, & arbitratis prædictam quantitatem respectu formæ substantialis de novo ex speciebus genitæ gerere materiæ vices; at à Maderno, qui hoc anteà negaverat, non dicitur adeò

79 cohærenter. Nihilominùs à responsione prædictâ parùm recedendo, dico quantitatem sacramentalem, quæ dispositiones ad novam formam ab agente naturali suscepit, uniri materiæ, quam Deus pro novi compositi constitutione reproducit, dispositionesque in se receptas, & retentas tali materiæ communicare: Undè materia ista benè dicitur in instanti suæ creationis, seù reproductionis præparata, & disposita ab agente naturali ad novam formam per hoc, quod in illo instanti uniatur quantitati, in quam agens naturale novæ formæ dispositiones induxerat. Neque dicas hanc responsionem non benè procedere in sententiâ admittente resolutionem usque ad materiam primam. Contrà enim, transeat, hoc ea nobis sententiâ in philosophia displicuit, & quidquid de ipsâ sit in generationibus omninò naturalibus; quò ad generationem compositi ex sacramentalibus speciebus remanere priorem panis, & vini quantitatem mox singillatim ostendetur. Si quis tamen difficultatis solutionem exquirat etiam in sententiâ, aut universaliter admittente resolutionem usque ad materiam primam, aut specialiter negante in composito ex speciebus genito permanentiam prioris quantitatis, consulere poterit ex Auctoribus præcitatis Suarium in fine sectionis, & Mastrium *num.* 378.

80 Ex dictis infertur productionem novi compositi substantialis eucharisticorum accidentium corruptioni succedentis, nec esse à solo Deo, ut senserunt plures Scotistæ, & aliqui Recentiores, nec à solo agente creato, ut videntur sensisse Auctores pro secundâ opinione præmemorati, sed partim à Deo, partim ab agente creato; à Deo quò ad materiam primam: ab agente creato quò ad novam formam substantialem, item quò ad dispositiones talem formam præcedentes; Utrùm verò hujusmodi productio sit tota naturalis, adeò ut sicut tùm nova forma substantialis, tùm dispositiones ipsam præcedentes producuntur juxtà hucusque dicta naturaliter ab agente creato, ità quoque naturaliter idest tamquàm à naturæ Auctore, seù supplente naturæ vicem producatur materia à Deo? Videtur primâ facie, quod non, quia per nos talis materiæ productio est productio secunda, seù reproductio, quæ numquàm à naturâ exigitur, nec naturaliter fit; imò quando etiam esset prima productio novæ materiæ, adhùc non videretur esse naturalis, quia Deus ut Auctor naturæ, pro universo, quod de facto datur, creavit materiam totam simul in primâ rerum productione, nec umquam creat novam: Oppositum nihilominùs absolutè tradit cum suo subtili Doctore Laurea *disp. 23. art. 4. num. 99.* Crediderim posse mediam iniri

Productio compositi substantialis ex speciebus genitiquò ad formam est naturalis simpliciter:

81 *Quò ad tenam est naturalis ex suppositione prioris miraculi,* viam, dicendo talis materiæ à Deo productionem esse naturalem non simpliciter, & absolutè, sed ex suppositione, quatenùs licèt simpliciter natura non exigat reproductionem, aut primam productionem alicujus materiæ; benè reproductionem exigit ex suppositione prioris miraculi, quo destructâ in sacramento panis materia remanet quantitas retinens ad ipsum jus, præsertim quando amittit corpus Christi propriæ materiæ substitutum, & acquirit dispositiones ad novam formam, ac per consequens ad

novum

novum compoſitum ſubſtantiale, quod cum nequeat ſine materia fieri, natura exigit pro tali compoſito antiquæ materiæ reditum, ut attigimus jam ſuprà *num.* 73.

---

§. V.

Quaſnam mutationes patiatur, & primò an in aliarum ſpecierum corruptione corrumpatur quantitas eucharistica?

82 Quantitas panis, & vini non corrumpitur ſimul cum aliis ſpeciebus;

ASSERT. I. Quantitas eucharistica non corrumpitur, nec ullo modo deſtruitur ſimul cum aliis ſpeciebus, & in novo compoſito, quod ex aliarum ſpecierum corruptione generatur, remanet illa unita, & inhærens materiæ à Deo de novo productę. Ità Suarez *diſp.* 57. *ſec.* 3. §. *Ultimò inquiri.* Madernus *quæſt.* 5. *art.* 3. *num.* 10., & aliqui alii Recentiores, idemque ſentiunt ex parte (ideſt loquendo præcisè de permanentiâ quantitatis in novo compoſito) Auctores pro ſecundâ opinione relati *præced. num.* 64. contrà Maſtrium *præcit. num.* 378. Lauræam *diſp.* 23. *art.* 10. aliosque plures Scotiſtas, & ex Recentioribus Vaſquium *diſp.* 195. *cap.* 3. *num.* 32. Item contrà Auctores *præced. num.* 67. memoratos pro opinione docente Eucharisticam quantitatem converti in materiam novi compoſiti.

Sed permanet in novo compoſito ex ſpecierum corruptione genito,

Probatur, quia ex unâ parte aſserta quantitatis permanentia eſt valdè conformis noſtris principiis, quibus univerſim ſupponimus quantitatem corrupti remanere in genito, & nec illam recipi in toto compoſito, nec dari in generationibus ſubſtantialibus reſolutionem uſque ad materiam primam; ex alia parte nulla eſt peculiaris neceſsitas negandi, imò eſt peculiaris ratio affirmandi prioris quantitatis permanentiam in novo compoſito, quod ex ſpecierum corruptione generatur: Nulla eſt peculiaris neceſsitas negandi, quia ſi quæ eſset, maximè eſset prioris quantitatis converſio in novam materiam, at hoc non, quia jam aſseruimus novam materiam creativâ non converſivâ actione produci: Eſt peculiaris ratio affirmandi, primò, quia prior quantitas habet peculiare jus ad unionem cum novâ, aut potius de novo productâ materiâ, ut potè quæ per nos eſt illa eadem, cum quâ talis quantitas fuerat tamquam cum proprio ſubjecto ante conſecrationem unita, quin & materia reproducta talem quantitatem exigit tamquam jam anteà ſibi propriam, & à ſe emanatam, peteretque ipſam ſecum reproduci, ſi ſupponeretur deſtructa, multo magis igitur petit eam non deſtrui, ſed ſibi reuniri, dum ſupponitur exiſtens: Secundò, quia connaturale eſt univerſo, ſicut in materiâ, ità in quantitate, (ut potè quæ materiæ coæva eſt, & non niſi hâc deſinente naturaliter deſinit) diminutionem, variationemque non pati, quam tamen pateretur notabilem, in qualibet novi compoſiti ex ſpeciebus ge-

83

neratione prior panis, & vini quantitas omninò deſtrueretur; pro quo recole ſupradicta num. 73. Tertiò, quia quantitas Eucharistica, ut cum aliis Adverſariis fatetur Lauræa *præcit. art.* 10. *num.* 187. à ſolo Deo poteſt deſtrui, & affirmando illius in novo compoſito ex ſpeciebus genito permanentiam, vitatur recurſus ad ſolum Deum, qui pro rerum deſtructione ęquè ac pro productione quantum fieri poteſt, vitandus eſt.

84 Quomodo talis quantitas unitur novæ materiæ

Si quæras hic, quânam actione, & à quo fiat unio prioris quantitatis cum materiâ de novo productâ, ſeù reproductâ. Duplicem dicendi modum affert Suarez *præcit.* §. *Ultimò inquiri*. Primus eſt fieri per naturalem reſultantiam, quatenus per hoc, quod materia, quæ reproducitur, fiat intimè præſens Eucharisticæ quantitati, & iſta in eodem inſtanti propter deſitionem corporis Chriſti remaneat ſine modo ſubſtantiali, aut effectivâ ſuſtentatione ſupplente cauſalitatem materialem, ex hoc inquam fit, ablatum eſse omne impedimentum unionis inter illam quantitatem, & materiam, & ex mutuâ proportione, ac propenſione, quam ad invicem habent, illicò ſe ipſis propriâ virtute uniri, quod eſt unionem inter utramque fieri per reſultantiam, ſeù reſultare ex intrinſecâ naturâ ipſius materiæ, & quantitatis: Secundus modus eſt, illam unionem ad exigentiam materiæ, & quantitatis fieri à Deo ſpeciali actione purè unitivâ in eo inſtanti in quo per aliam actionem reproducitur materia quantitati intimè præſens, & deſinit eſſe corpus Chriſti: Uterque dicendi modus cenſetur à Suario probabilis, probabilior tamen, & facilior ſecundus, quamvis ſubtilior primus; cui judicio ſatius mihi eſt ſubſcribere, quam in levioris momenti quæſtiunculâ ex profeſſo tractandâ immorari. Porrò ſi in ſecundo dicendi modo quæras, utrùm actio Dei purè unitivâ, ſeù ſolius unionis cum quantitate, non quantitatis, eductiva, rectè dicatur naturalis, & à Deo ut naturæ Auctore procedens. Reſponderem conformiter ad id, quod attigimus *num.* 81. rectè dici naturalem ex ſuppoſitione prioris miraculi, at non ſimpliciter: Ratio primi eſt, quia ſuppoſito, quod quantitas exiſtat ſeparata à propriâ materiâ, hæcque illi fiat intimè præſens, tùm materia, tùm quantitas naturaliter exigunt uniri. Ratio ſecundi eſt, quia ſimpliciter loquendo, nequit naturaliter evenire, quod exiſtant materia, & quantitas ſine unione inter ſe, ergo nec quod de materiâ educatur unio cum quantitate, & non educatur ipſa quantitas: Et hæc quoad primam tituli partem in meis principiis attigiſse ſufficiat, nam qui aliundè in univerſum docent quantitatem corrupti non remanere in genito, & ſubſequi formam potius quam materiam, cohærenter in præſenti loquuntur, affirmando ſimul cum aliis ſpeciebus corrumpi quantitatem, dum ex ipſis nova ſubſtantia generatur. Nec mihi in hoc doctrinæ deductio diſpliceret, ſi principia, ex quibus deductio fit, ſubſiſterent,

85

86 Quo ad secundam tituli partem adverto, quantitatem mutari posse, vel ratione accidentium, quorum est subjectum, vel in se, & ratione propriæ entitatis. Mutatur ratione accidentiũ, quando mutantur ipsa accidentia, & cum dictum sit, ista naturaliter subire in sacramento omnes illas mutationes, quas subirent extrà sacramentum, consequens est quantitatem Euchatisticam ratione accidentium, quorum est subjectum, mutari, & mutationes pati æquè ac mutaretur, seù mutationes pateretur, si extrà Eucharistiam reperiretur unita propriæ substantiæ. Superest igitur dumtaxat aliquid dicendum de mutationibus, quas quantitas pati potest in se, & ratione propriæ entitatis, & reducuntur ad ipsius quantitatis diminutionem, vel augmentum. Potest autem quantitas diminui, vel augeri tripliciter. Primò per condensationem, vel rarefactionem: Secundò per divisionem, vel continuationem: Tertiò per aliquarum partium corruptionem, vel novam productionem. Hi duo posteriores modi important propriam quantitatis diminutionem, propriumque augmentum, primus modus non item, nisi in sententiâ docentium condensationem per egressum, rarefactionem per ingressum corpusculorum fieri, quod tamen parùm refert ad rem præsentem, ideò simpliciter, & absolutè sit

87 Assert. 2. Quantitas Eucharistica potest ab agente creato naturaliter minui, vel augeri per condensationem, vel rarefactionem; per divisionem, vel continuationem; at non per aliquam suarum partium corruptionem, vel productionem. Ità saltem quo ad id, quod in asserto præcipuum est, Suarez *disp.57.sec.2.* Amicus *disp.23.num.57.* Mastrius *disp.3.quæst.15.art.2.* Lautæa *disp.23.art.8.* cæterique communiter contrà Gotfredum, & Burlæum, quorum ex Scoto meminit Lautæa *num.158.*

Quantitas Eucharistica potest condensari, vel rarefieri virtute naturali agentis creati.

Probatur, & explicatur assertum quo ad primam partem, nimirum quo ad condensationem, & rarefactionem: Quantitas, ut suppono ex physicis, est de se indifferens ad minorem, vel majorem extensionem localem, & dum condensatur, aut rarefit, non mutatur entitativè, sed solum localiter, condensatur scilicet per hoc, quod minorem, rarefit per hoc, quod majorem habeat extensionem in loco; hujusmodi autem major, vel minor extensio, sivè sit respectus extrinsecus adveniens, sivè modus, sivè qualitas, sivè ut nobis magis placet, purum complexum ejusdem quantitatis cum majore, vel minore loco, optimè potest in quantitate Eucharisticâ naturaliter causari ab agente creato; ergo quantitas Eucharistica potest ab agente creato naturaliter minui, vel augeri (subintellige impropriè) per condensationem, vel rarefactionem, probatur minor, quia, quod quantitas subjecto careat, ut caret quantitas Eucharistica, non impedit, ne agens creatum possit naturaliter ex ipsâ efficere aliquod complexum, aut in

88 ipsâ causare qualitatem, respectum, modum, non enim propterea agens creatum operatur sine subjecto. cum ipsa quantitas sit subjectum sicut aliorum accidentium, ità quoque illius qualitatis, respectus, modi, aut complexi eâ ratione, quâ complexum dici potest subjectari in iis, ex quibus constat: Hinc si densitas, & raritas sint, ut aliqui volunt, peculiares qualitates, non est major difficultas in eo, quod agens creatum per ipsarum productionem condenset, vel rarefaciat Eucharisticam quantitatem, quàm in eo, quod hanc eamdem frigefaciat, vel calefaciat per productionem frigoris, & caloris.

89 Item potest eadem virtute dividi, vel continuari

Probatur assertum quo ad secundam partem, nimirùm quo ad divisionem, vel continuationem, quia quantitas Eucharistica panis, & vini retinet modum existendi extensum, & divisibilem, & quamvis ipsa subjecto careat, benè potest esse subjectum novi motus localis, qui ut plurimum in divisione intervenit, item novæ unionis cum aliâ quantitate, per quam habetur continuatio; ergo nihil prorsùs impedit, quin quantitas Eucharistica subjecto proprio carens in se dividatur, vel cum aliâ continuetur virtute naturali agentis creati, æquè ac si subjecto proprio non careret, undè etiam Apostolus 1. *Cor.* 10. de pane Eucharistico expressè ait *Panis, quem frangimus* fractio autem divisio est; Difficilius quidem fit in eodem pane continuatio, at hoc non provenit ex eo, quod Eucharisticus, & consecratus sit, sed ex propriâ panis sicut & aliorum, quæ dura, & sicca sunt, conditione, continuatio enim facilis est solum in mollibus, & liquidis, unde etiam vinum consecratum æquè facilè continuatur, ac dividatur, continuatur inquam, vel cum alio vino pariter consecrato, ut si duos calices consecratos simul infundas, vel cum quocumque liquore, ut si calici consecrato vinum non consecratum, aut acetum, aquam, lac immisceas. Si quæras hic, an & quandonam per quantitatis Eucharisticæ divisionem, aut ejusdem cum aliâ non consecratâ continuationem, præsertim cum mixtione factam, deficiat sacramentum, & desinat esse Christus sub speciebus? Deduci potest responsio partim ex jam dictis *cap.2. §. 7. nu. 155., & 156.* partim ex dicendis *§ seq.*

90 At non minui, vel augeri per destructionē, vel productionem aliquarum partium de novo.

Probatur assertum quo ad tertiam partem nimirum quo ad ly *At non per aliquam suarum partium corruptionem, vel productionem*; probatur inquam facilè in nostris principiis philosophicis, quibus quantitas est ex naturâ suâ comes, indivisa, ac coæva materiæ, nec potest naturaliter quidquam illius destrui, aut de novo produci, nisi simul aliquid istius destruatur, aut de novo producatur, quod est quantitatem esse naturali virtute agentis creati ingenerabilem, & incorruptibilem, improducibilem, & indestruibilem, sicut est materiâ; nequit igitur agens creatum suâ virtute naturali per novam alicujus partis productionem, vel destructionem augere, vel minuere quantitatem extrà sacramentum; ergo nec in sacramento;

mento: non enim est in sacramento diversæ rationis, ac fit extrà; nec subjecti carentia aliquid confert ad naturalem ipsius productionem, aut destructionem ab agente creato, imò officit plurimum, & quando quantitas proprio subjecto unita posset ab agente creato naturaliter produci, & destrui, adhùc non posset separata, quod singillatim probo, & tertiam asserti partem à fortiori confirmo sic.

91 Idque etiamsi quantitas extrà Sacramentū esset generabilis, & corruptibilis naturaliter.

Agens creatum nequit naturali virtute producere, aut destruere accidens à subjecto separatum; non producere, quia agens creatum nequit naturaliter operari sine concursu subjecti, & accidens neque in fieri, neque in conservari potest naturaliter carere actuali inhærentiâ; non destruere, quia agens creatum nequit naturaliter anihilare, & tamen accidens, quod separatum à subjecto destrueretur, anihilaretur, abiret enim in nihilum sui, & subjecti, adeoque in nihilum simpliciter; ergo in quantitate Eucharisticâ separatio à subjecto, seu carentia subjecti officit ejus destruibilitati, & producibilitati ab agente creato, & quando subjecto unita esset naturaliter destruibilis, & producibilis, adhuc non esset talis separata.

92 Dices: In sacramento etiam reliqua panis, & vini accidentia carent subjecto, & tamen possunt ab agente creato naturaliter produci, & destrui, augeri, & minui, seu intendi, & remitti: ergo carentia subjecti non officit producibilitati, & destruibilitati naturali aliorum accidentium, contrà quæ tamen formari potest idem argumentum, quod contrà quantitatem formatum est: ergo tali argumento non obstante eadem carentia non officit producibilitati, & destruibilitati naturali quantitatis. Sed contrà: Ut ex professo tradidi initio hujus capitis, reliqua accidentia in sacramento carent aliquo, non omni subjecto remoto, non proximo, subjectantur enim proximè in quantitate, at quantitas ipsa omni subjecto caret per hoc, quod careat propriâ substantiâ, in quâ unicè subjectatur: ideò pro re præsenti magna est disparitatis ratio.

93 Urgebis: Ex his videtur solum probari, quod quantitas à subjecto separata non possit naturali virtute destrui, aut produci totaliter, at non quod nec possit destrui, aut produci partialiter, & secundum aliquam sui partem; pars enim, quæ destruetur non anihilabitur, quia desinet in aliam partem, quæ remanet; pars quæ producetur, non carebit omni subjecto, quia subjectabitur in aliâ quantitate præexistente; ergo benè sustineri potest, quod quantitas etiam separata possit ab agente creato minui, vel augeri per destructionem, vel novam productionem alicujus partis. Sed contrà: Sicut ex partibus materiæ, vel qualitatis nequit una in aliâ subjectari, ità nec ex partibus quantitatis, imò in quantitate est aliqua major difficultas, cum nequeat naturaliter una pars quantitatis cum aliâ penetrari, & tamen cum alio penetratur, quod cum alio subjectatur: per hoc igitur quod pars quantitatis producatur præexistente aliâ, non producitur dependenter ab aliâ tamquam à subjecto, nec tollitur quod omni subjecto careat, per hoc item quod destruatur remanente aliâ, non desinit in aliquid subjecti, nec impeditur anihilatio, ad quam certè non requiritur, quod res pluribus partibus constans secundum omnes destruatur, alioqui materia panis v.gr. non posset anihilari, quin destruatur tota materia universi corporei; pars igitur remanens impedit alterius anihilationem, quando continet in potentiâ alteram, ut continet subjectum formam, at non materia materiam, quantitas quantitatem.

Anihilatio non requirit destructionem rei quo ad omnes suas partes.

94 Ex dictis habetur Scotum *in 4. dist. 12. qu. 4.* docentem in condensatione aliquid quantitatis destrui, in rarefactione aliquid quantitatis produci, consequenter loqui, dum postea ibid. docet quantitatem Eucharisticam non posse condensari, vel rarefieri solâ virtute naturali agentis creati, & posse quidem ab isto ad rarefactionem, vel condensationem disponi, at id, in quo formaliter rarefactio, vel condensatio consistit, nimirum productionem, vel destructionem alicujus partis quantitatis debere fieri à Deo. Non eadem est ratio de opinione explicante condensationem per emissionem, seu egressum, rarefactionem per intromissionem, seu ingressum corpusculorum, nam licet etiam juxtà hanc opinionem aliquid quantitatis dematur in condensatione, aliquid addatur in rarefactione, non tamen destruitur illud, quod demitur, sed aliò transmittitur, non de novo producitur illud, quod additur, sed aliundè adducitur, quod utique non excedit naturalem virtutem agentis creati: Juxtà opinionem igitur explicantem condensationem per egressum, rarefactionem per ingressum corpusculorum, benè potest quantitas Eucharistica ab agente creato naturaliter condensari, & rarefieri, cum præcipuè talia corpuscula non sint quantitas separata à subjecto, sed partes quantitatis modicissimæ propriis substantiis tenuissimis, puta aeris, vel alterius similis unitæ.

95 Habetur insuper, quod mox dictum est, quantitatem Eucharisticam non posse naturaliter condensari, vel rarefieri à solo agente creato, loquendo consequenter ad opinionem, quam de condensatione, & rarefactione Scotus tradit, procedere à fortiori consequenter ad opinionem Gotfredi, qui (ut refert ipse Scotus *eâdem quæst. 4.*) sensit in condensatione, & rarefactione totam quantitatem priorem, ac veterem destrui, aliamque totam novam produci. Porrò utraque hæc Scoti, & Gotfredi opinio, quando etiam non supponeretur, ut verè à me supponitur ex principiis philosophicis impugnata, displiceret peculiariter in præsenti quæstione theologicâ, eo quod inducat necessitatem recurrendi ad Deum pro rarefactione, & condensatione quantitatis Eucharisticæ; eamdem verò necessitatem non

non inducant aliæ, quarum meminimus de rarefactione, & condensatione opiniones: Habet insuper utraque prædicta opinio graves alias in re præsenti difficultates, ut perspicuum fiet consulenti ipsum met Scotum *præcit.quæst.*4.

---

§. VI.

Quandonam, & an factâ apparitione miraculosâ, aut mixtione Christus desinat esse sub speciebus?

96 — Christus definit esse sub speciebus, quando sub ipsis non cõservaretur propria substantia, si adesset.

ASSERT. Christus unicè, & semper desinit esse sub speciebus, quando istæ ità sunt alteratæ, ut sub ipsis non conservaretur propria substantia, si adesset: Ità D. Thomas *hic quæst.*76.*art.*6. *ad* 3. *quæst.*77.*art.* 4.*in c.* & *quæst.*80.*art.*3.Item *in* 4.*dist.*9. *quæst. un.art.*2. *quæstiunc.*1., & *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.*2. *quæstiunc.*6. Scotus *eâd.dist.*12. *quæst.*6. Major *quæst.*4. Gabriel *quæst.*1.*art.*3.*dub.*3., & *lect.*84. *in Can.Missæ*, adeòque Thomistæ, Scotistæ, & Nominales, quibus consentiunt reliqui Scholastici communiter contrà varios dicendi modos quorumdam antiquorum, nam ut omittam aliques hæreticos à D.Thomâ *præcis. art.* 3. memoratos dixisse, quam citò sacramentum à peccatore sumitur, & labiis ejus contingitur, tàm citò corpus Christi desinere esse sub sacramentalibus speciebus, duæ aliæ opiniones tamquam olim ab Auctoribus Catholicis traditæ referuntur: Prima est sub speciebus sacramentalibus corpus Christi manere solum, quamdiù manducantur, & ore conteruntur, sicque desinere, etiam quando sub speciebus adhuc conservaretur propria panis substantia: Hæc opinio traditur à Glossâ in Canonem *Tribus gradibus de consecratione dist.*2., & censetur probabilis à D.Bonaventurâ *in* 4.*dist.*13.*art.*2.*quæst.*2. Tribuitur etiam Innocentio III. *lib.* 4. *de Mysteriis Missæ cap.* 15., quin & ei favere videntur Hugo à S. Victore, Ambrosius, & Augustinus apud Suarium *hic disp.* 54. *sec.* 2. Secunda est corpus Christi manere sub speciebus, solum quamdiù sunt in statu apto ad humanum usum, & idoneæ ut ab homine manducentur; traditur tamquam probabilis hæc opinio à D. Bonaventurâ *præcit.art.*2. *quæst.* 1.2. & 3. qui ex ipsâ infert Christum desinere esse sub speciebus, cum à mure, vel bestiâ comeduntur, aut corroduntur: Item cum in lutum, aliumvè locum valdè indecentem projiciuntur, & ne Christus in stomachum impurum, sordidumque descendat, censet, ut jam retulimus, ipsum desinere etiam esse sub speciebus statim, ac istarum manducatio in ore sumentis cessat. Favent saltem ex parte huic secundæ opinioni, tùm Algerus *lib.*2.*de Sacram. corp.*, & *sang. Christi* nolens manere Christum sub speciebus in ventre ebrii, impænitentis, & animalis, tùm Innocentius III. *præcit.lib.*4. *cap.* 11. docens sub speciebus, dum à mure, vel bestiâ comeduntur, aut corroduntur, redire substantiam propriam: Item Gritmundus *lib.*1. *de verit. Euchar.*, & Magister *in* 4.*dist.*13. *cap.*1. in fine arbitrati murem, vel bestiam non comedere corpus Christi, etsi comedere videatur, sed istud in Cælum rapi, & solum Deum nosse, quid de speciebus fiat, & quid sumat mus, vel bestia? dum videtur species, & corpus sumere. Plura de his variis dicendi modis, eorumque Auctoribus profert Vasquez *disp.*185. *cap.* 5. ubi etiam refert tres modos, seù tres illationes præmemoratas ex D. Bonaventurâ, damnatas fuisse à Gregorio XI. in directorio Inquisitorum *par.* 2. *quæst.* 10. Undè non licèt ampliùs assertæ veritati contraire, & omnis sententia opposita potest his temporibus erronea, aut saltem temeraria reputari.

Varii modi opinandi oppositum

97

98

Talium modorum censura.

Probatur jam assertum: Christus numquam desinit esse sub speciebus, quando conservaretur adhuc, nec umquam remanet sub iisdem, quando non conservaretur ampliùs propria substantia; ergo unicè, & semper desinit quando &c. Probatur antecedens (& argumentum, quod brevitatis, & claritatis gratiâ prosequor singillatim in speciebus, & substantia panis, semper proportionaliter intelligendum est de speciebus, & substantiâ vini) Christus sub speciebus panis supplet ipsam panis substantiam, & ab illis significatur, sicut ista significaretur, ergo sub illis desinit, & remanet, quando ista desineret, & remaneret, & numquam desinit, quando ista conservaretur adhuc, numquam remanet, quando ista non conservaretur amplius; si enim primum non eveniret, species panis essent signum falsum, & sicuti si non fuissent consecratæ, significarent adhuc substantiam panis, ità suppositâ consecratione significarent adhuc corpus Christi, quod tamen desiisset, & re verâ sub ipsis non esset: Si eveniret secundum, corpus Christi remaneret existens sacramentum, & non remaneret sacramentum, nam species, sub quibus non conservaretur substantia panis, non sunt species panis, quæ tamen necessariò ingrediuntur constitutionem sacramenti corporis, nec potest sine ipsis istud remanere. Aliæ pro hâc veritate præsertim quo ad primam partem rationes videri possunt apud Suarium *disp.* 46. *sec.*8., dum ego eam confirmo negativè recurrendo scilicet, & breviter impugnando oppositos dicendi modos, & errores eodem ordine, quo ipsos jam recensui.

99 — Impugnatur errores, quibus traditur Christum aliquando sub speciebus desinere ante quam sub ipsis desineret substantia propria.

Et primò, qui dixerunt, statim ac peccator labiis contingit sacramentum, Christum recedere impugnantur ex eo, quod 1.*Cor.*11. habetur *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini*: Secundò, qui dixerunt Christum recedere, dum sivè à justo, sivè à peccatore sacramenti manducatio in ore perficitur, impugnatur, tùm ex eo quod Christus *Jo.* 6. ait se manere in illo, qui manducat ipsius carnem, ubi autem manet, nisi in stomacho? tùm ex communi sensu, & praxi fidelium, qui post sumptam

Eucharistiam existimant se aliquandiu Christum retinere, ideò aliquantulò tempore à spuris abstinent, orationi vocant, nec alio se divertunt, & Clemens I. *Epist. 2.* monet *ut non statim ad communes accipiendos cibos conveniant, ne sanctæ portioni commisceant communem cibum*. Tertiò, qui dixerunt Christum recedere, dum species in luto, alioque loco sordido jacent, impugnantur, tùm ex eo, quia solent fideles adorare species quas infirmus cum aliqua stomachi forde evomuerit, & *cap. Si quis de Consecrat. dist.* 2 imponitur pœna ei, cui propter ebrietatem contigerit Eucharistiam evomere, tùm quia Christus sacramentaliter existens, sicuti non potest ab agente creato quidquam physicè pati, ità nec loci sordibus, & immunditiâ affici, non est igitur cur propterea Christus species deserat? Quartò eodem ferè modo impugnantur, qui dixerunt Christum à speciebus recedere, vel etiam in Cælum rapi, quando ab aliquo animali bruto species corroduntur, aut comeduntur, & ipsas species, vel confestim recuperare propriam substantiam, vel solum apparenter corrodi, & comedi. Impugnantur inquam, quia non læditur Christus, nec imperficitur per hoc, quod species ab animali bruto corrodantur, aut comedantur, nec deterius ei est remanere sub speciebus existentibus in ore, vel stomacho bruti, quàm jacentibus in luto, aliovè loco sordido; Non habetur igitur ex tali corrosione, aut comestione ratio, cur Christus illicò species deserat, aut in Cælum Angelorum ministerio, propriavè virtute rapiatur? nec item cur species recuperent propriam substantiam, aut negetur sensibus fides, & dicatur esse corrosas, & comesas solum apparenter?

100 *Generalis regula dignoscendi quando Christus species deserat, quando sub speciebus permaneat?*

Ex his habetur optimam, certamque regulam diudicandi, quandonam Eucharistiæ sacramentum post consecrationem deficiat, & Christus species consecratas deserat? desumi ex mutatione, & alteratione specierum; si nimirum in istis fiat, à quocumque fiat mutatio, & alteratio talis, ut non sint ampliùs species panis, nec aptæ continere, & retinere panis substantiam (idem dicito de speciebus, & substantiâ vini) Sacramentum deficit, & Christus species deserit: Sin minus, quæcumque in speciebus mutatio fiat, quocumque in loco existant, quæcumque irreverentia inferatur, Sacramentum perseverat, & Christus sub speciebus permanet. Attentâ, & adhibitâ universali hâc regulâ facile est expedire, tùm alios plures, tùm singillatim duos particulares casus, in quibus dubitari solet; Utrùm remaneat, an desinat esse Christus sub sacramentalibus speciebus?

101 *Ex hac regula infertur, quod ut plurimù permaneat sub miraculosis specierum apparitionibus.*

Primus casus, est quando fiunt in sacramento miraculosæ apparitiones, quando scilicet apparent sanguinis guttæ, humana caro, pueri species, vel quid simile. In hoc casu respondeo regulariter loquendo Christum non desinere, sed remanere sub sacramentalibus speciebus; quia in istis non fit tanta mutatio, & alteratio, regulariter loquendo, ut non sint ampliùs aptæ continere, & retinere propriam substantiam, sed ut plurimùm species sacramentales non mutantur in se ipsis, vel si in se mutantur, mutari solent dumtaxat quò ad colorem figuram, & hujusmodi accidentia communia: *Non mutantur in se ipsis*, quando apparitiones parùm durant, nec ab omnibus adstantibus eodem modo conspiciuntur, hoc quippe argumentum est non existere realiter, nec esse in ipsis speciebus illud, quod apparet, sed se tenere ex parte ejus, vel eorum, quibus res apparet, & immutari dumtaxat medium, organum sensorium, aut etiam solam phantasiam: *Si in se mutantur, mutari solent dumtaxat quò ad colorem, figuram &c.* quatenus color hostiæ albus transit in carneum, vel sanguineum, figura circularis in aliam puta etiam in formam externam pulchri pueri, cæterùm non simul reperiuntur reliqua carnis, & sanguinis accidentia magis propria, nec interior pulchri pueri organizatio; ideò quod sic apparet, neque est in se Christus neque caro, aut sanguis Christi, neque item vera aliqua caro de novo producta, quæ nec Christi, nec alterius fuerit, aut sit, sed pueri, carnis aut sanguinis effigies, & repræsentatio exterior in solis coloribus, & figurâ consistens; quod si ex aliis accidentibus intrinsecis idest odore, sapore, duritie, aut mollitudine aliisve similibus evincatur oppositum, tunc id, quod apparet, erit verè tale, & sub speciebus ità alteratis sicut non remaneret propria substantia, ità nec remanet sacramentaliter Christus; at hoc aut valdè raro, aut numquàm evenit in apparitionibus, de quibus nunc agitur, & in quibus apparet caro, sanguis vel quid simile repræsentas præsentiam Christi in sacramento; evenit dumtaxat in aliis quibusdam apparitionibus, aut potius conversionibus, quibus ad significandam, & puniendam impietatem, indignitatemque sumentis species sacramentales in lapidem, vel cineres versæ sunt, & in his casibus Christus recedit, undè lapis ille, aut cineres, si asservantur, asservantur solum in memoriam miraculi, non ad venerandum, & adorandum sub ipsis Christum, ut asservari solent hostiæ, quas contigit in carneo, aut sanguineo colore apparere, & remanere: Quæ quidem dicta accipe tamquàm probabiliora, & receptiora, non tamquàm simpliciter certa, nec extrà omne dissidium, ut videre est apud D. Thomam *hic qu. 76. art.* 8. Sylvium *eod. art.* Vasquium *in comment. ejusd. art.* Suarium *disp. 55. sec. 2.*, & 3. Amicum *disp. 19.* in fine, Herinex *disp. 4. quæst.* 5. Durandum *in 4. dist. 10. quæst. 4.*, & alios, qui ferè omnes fusiùs rem tractant referendo varias talium apparitionum historias, & solvendo plures dubitatiunculas ad easdem pertinentes, ex his ergo unicam pro praxi brevissimè attingo, nimirum quid faciendum Sacerdoti celebranti in miraculosis prædictarum apparitionum eventibus? Dico autem breviter, si immutatio specierum appareat aliquibus aliis nòn ipsi Sacerdoti, aut

102

103

aut ipsi etiam apparuerit, sed statim cessaverit, redeuntibus ad propriam formam speciebus debere à celebrante species sumi, si aliter, sumi non debere, sed in loco decenti, & sacro asservari, debere item partim asservari, partim sumi, si apparitio fiat aut permaneat in unâ non in alterâ specierum parte. Utrùm deinde quando sacerdos ex eo, quod immutatio totalis, & diuturna sit, nequidem aliquam unius speciei partem potest sumere, debeat pro tali specie sumendâ aliam materiam consecrare, affirmant absolutè, qui putant sumptionem esse de essentiâ sacrificii, reliqui id relinquunt Celebrantis arbitrio, consulunt tamen fieri potius, quam non fieri novam consecrationem, & hoc etiam est conformius Rubricis Missalis, ut observat Herinex *præcit. quæst.* 5., & est ex mente D. Thomæ infrà *quæst.* 82. *art.* 4. *ad* 3.

104

Secundus casus est, quando fit mixtio vini consecratè cum vino non consecrato, aut cum liquore alio diverso, quæ mixtio vel potest fieri sine alteratione notabili per solam localem, ut ità dicam, confusionem, & divisionem, ac interpositionem partium utriusque liquoris, vel cum alteratione notabili, ad quam sequatur substantialis conversio unius liquoris in alium prædominantem, aut utriusque in tertium. In hoc casu respondeo Christum remanere sub speciebus vini consecrati, quando mixtio fit primo modo, idest sine alteratione notabili specierum; desinere quando secundo modo, & cum eardmdem alteratione notabili: fit autem regulariter sine alteratione notabili, quando liquor, qui vino consecrato miscetur, est aut ejusdem speciei cum ipso, aut si diversæ in multo minori quantitate quàm ipsum; fit cum alteratione notabili, quando est diversæ speciei ab ipso, & quantitatis multo majoris quàm ipsum; ratio est, quia in primo mixtionis modo non fit in speciebus sacramentalibus tanta mutatio, ut non sint ampliùs species vini, nec aptæ continere, ac retinere propriam substantiam, imò hæc sub ipsis eâ mixtione non obstante permaneret, si adesset, secùs in secundo modo mixtionis; ergo cohærenter ad doctrinam præfixi asserti, & consequenter ad regulam, de quâ suprà *num.* 91. remanet Christus sub speciebus sacramentalibus mixtis primo modo, desinit verò sub ijsdem mixtis secundo modo; & quidem quò ad hanc in posteriore modo desitionem non invenio opinandi diversitatem, sed solùm quò ad illam in priore modo permanentiam. Ideò

Item, quod permaneat sub speciebus vini alio liquore permixtus quando permixtio est sine, secùs quando cum notabili alteratione.

105

Dices primò: Per mixtionem etiam, in quâ non fiat alteratio notabilis, possunt species vini consecrati dividi in partes minimo naturali minores, vel etiam insensibiles, & hoc videtur regulariter evenire, quoties liquor, qui speciebus miscetur, sivè ejusdem, sivè diversæ speciei sit, est in quantitate valdè excedente species; atqui in speciebus minimo naturali minoribus, vel etiam insensibilibus non salvatur Eucharistiæ sacramentum, nec remanet Christus sacramentaliter existens; non in minoribus minimo naturali; quia in istis non conservaretur substantia vini; non in insensibilibus, quia de essentiâ sacramenti, sivè in fieri sivè in facto esse est, quod sit sensibile, ergo per mixtionem etiam sine notabili alteratione, etiam cum liquore ejusdem speciei factam desinit esse Christus sub speciebus vini consecrati. Sed contra: data majore nego minorem, quam utrâque sui parte falsam suppono ex dictis *cap.* 2. §. 7. suppono scilicèt substantias inanimatas non habere minima naturalia, & pro sacramento in facto esse non requiri sensibilitatem extrinsecam, adeoque in materiâ consecratâ etiam minore minimo naturali etiam extrinsecè insensibili remanere Christum sacramentaliter existentem; recole ibi dicta præsertim *num.* 148., & 157. simulque exindè conjice, quosnam habeamus etiam in præsenti puncto Adversarios: Prætereà *ex n.* 153. infer datâ quoque sententiâ astruênte in substantijs inanimatis minima naturalia benè adhùc sustineri posse, quod per mixtionem vini consecrati cum alio non consecrato ejusdem speciei etiamsi species consecratæ dividerentur in partes minores minimo naturali, non desineret esse sub ipsis Christus, quia partes minores licèt divisæ ab invicem continuarentur cum partibus vini ejusdem speciei, quod sicuti sufficeret, ut retinerent substantiam propriam, si non fuissent consecratæ; ità & ut retineant Christum, dum supponuntur consecratæ fuisse, quemadmodum rectè observant Suarez *disp.* 57. *sec.* 4., & Vasquez *disp.* 195 *cap.* 6. *num* 68. quibus etiam in hoc puncto videtur adversari Laurea *disp.* 23. *art. ult.*

106

107

Difficilis D. Thomæ doctrinæ circa vini consecrati cum alio vino mixtionem.

Dices secundò: D. Thomas *hic quæst.* 77. *art.* 8. docet, quod quoties duo liquores inter se miscentur, ambo mutantur, vel secundùm speciem, vel secundùm numerum, pro ut antè mixtionem, vel specie, vel solo numero differebant; & quidem si ambo erant in æquali, aut ferè æquali quantitate, mutantur ambo se totis, si unus in quantitate parvâ, alter in magnâ, mutatur totus is, qui in parvâ, secundùm aliquas partes dumtaxat is, qui in magna quantitate: Quod de duobus liquoribus in genere dicitur, procedit in particulari de vino, cui alius liquor, aut specie, aut solo numero diversus, aut æqualis, aut inæqualis in quantitate misceatur: Hinc S. Doctor infert in quâlibet mixtione vini consecrati cum alio liquore, Christum desinere esse, aut sub omnibus, aut sub aliquibus vini consecrati speciebus; sub omnibus, si liquor ille fuit in valdè majori quantitate quàm vinum consecratum, sub aliquibus, si in minore, hocque procedere etiamsi liquor ille fuerit diversus solo numero, puta fuerit vinum aliud ejusdem speciei cùm consecrato, quia in hoc casu vinum consecratum mutatur numero, adeòque desinit esse consecratum, neque enim potest consecratio transire ab unâ materiâ in aliam solo numero diversam, aut Christum desinere esse sub his speciebus, & fieri existens sub aliis (quamvis solo nume-

ro diversis) absque novâ consecratione: Totam hanc doctrinam tradit ex professio S. Doctor non solum *praeit. art.* 8., sed insuper eamdem tradiderat *quodlib.* 10. *art.* 2., & *in* 4. *dist.* 12. *quaest.* 1. *art.* 2. *quaestiunc.* 6. Undè non videtur posse dubitari de ipsius mente, quæ tamen est nobis apertè contraria præsertim in eo, quod diximus, simpliciter Christum remanere sub speciebus vini consecrati mixti cum alio liquore solo numero diversi, aut multo minoris quantitatis.

108 Sed contrà: Aliqui explicant D. Thomam de mixtione per motum magnum factâ, in quâ species vini consecrati dividantur in partes minores minimo naturali: Uerùm non placet hæc explicatio, primò, quia ex ipsâ sequitur per motum magnum factum in speciebus vini consecrati etiam alio vino non permixti desinere Christum, cum per talem motum magnum possint dividi species in partes minimo minores æquè, ac si essent vino non consecrato permixtæ: Secundò, quia non salvat intentum in nostris principijs, quibus alibi supposuimus substantiam vini non admittere minima naturalia, aut etiam si admittat, non desinere esse sub partibus minimo minoribus continuatis eum aliis partibus vini ejusdem speciei, ut mox attigimus *num.* 97. Tertiò, quia nec cohæret textui S. Doctoris probantis Christum non remanere sub speciebus vini consecrati permixti cum vino non consecrato ejusdem speciei, quia non est ampliùs vinum idem numero, ad hoc autem, ut sit vel non sit vinum idem numero, videtur impertinens, quod in mixtione facta sit, vel non sit divisio usque ad partes minores minimo naturali: Potius igitur

109 fatendum est memoratam ex D. Thomâ doctinam, quæ huic quæstioni occasionem dedit, esse difficillimam, & fortè, ut fatetur Suarez *praecit. sect.* 4. §. *dico tertiò*: expositionem sufficientem non admittere, quia tamen ejus à communi opinione discrepantia ex philosophicis magis, quàm ex theologicis principiis oritur, tolerabilius censeri potest, si videamur ab Angelici mente recedere: Certè, quod Angelicus pro suæ doctrinæ ratione affert, nimirùm vinum, cui vinum aliud ejusdem speciei misceatur, non remanere idem numero, & Christum in sacramento existere solùm quamdiù species eædem numero manent, videtur probare, quod Christus non remaneat sub speciebus unius calicis in duos calices divisis, aut duorum calicum in unum infusis, aut hostiæ, quæ in duas partes fracta in unam iterùm divinâ virtute continuaretur; quâ de re plura videri possunt apud Auctores in hujus casus progressu memoratos, maximè verò apud Sylvium *quaest.* 77. *art.* 8., & apud Arriagam *disp.* 39. *sec.* 2., & 3. ubi pro more suo varias movet quæstiunculas: aliqua etiam ad rem præsentem pertinentia deduci poterunt ex dicendis de pluralitate numericâ Sacramenti Eucharistiæ infrà *cap.* 8. §. 2.

110 Ex his habetur vi mixtionis præcisè, aut etiam insensibilitatis extrinsecæ, & parvitatis mixtionem præsertim longo, & magno motu factam consequentis, Christum non desinere esse sub speciebus vini consecrati, sed solum quando mixtionem sequitur notabilis alteratio, & ipsarum specierum destructio: hocque evenit, quando vino miscetur liquor diversæ speciei tantæ activitatis, & magnitudinis, ut possit propriis accidentibus accidentia vini corrumpere, & vini substantiam, si adesset in substantiam propriam convertere; quia verò probabile est, dari vina aliqua speciei diversæ, & ex his unum posse convertere in se aliud, probabile est pariter vinum consecratum posse consecrationem amittere, & à Christo deseri per mixtionem cum alio vino, si in magnâ quantitate, & diversâ specie istud sit, per mixtionem, inquam, non aliter quam, ut secum ferre potest notabilem alterationem, quæ sicut inter alios diversæ speciei liquores, & inter diversæ speciei vina dari potest.

Constito, quandonam tùm universim, tùm in quibusdam particularibus casibus Christus desinat esse sub speciebus: explicandum esset, quomodo idest quânam sui mutatione desinat? quia tamen modus desinendi correlativus est ad modum incipiendi, & relativa sicut cognitione, ità & tractatione petunt esse simul, opportuniùs de modo desitionis Christi sub speciebus tractabitur, cum de modo positionis, seù inceptionis ipsius sub ijsdem, de quo *c. seq.* agendo de transubstantiatione, seù de consecratione, ut est actio transubstantiativa.

---

§. VII.

An, & Quomodò species Sacramentales nutriant, & quamdiù in sumentis stomacho Christum contineant?

111 *Species sacramentales verè nutriunt.*

ASSERT. I. Species sacramentales verè nutriunt, quatenùs in instanti corruptionis ipsarum Deo producente materiam, & agente naturali (idest vivente, à quo fuerunt in stomachum trajectæ) educente formam, convertuntur in substantiam nutriti, Hoc assertum, ut observat D. Thomas *hic quaest.* 77. *art.* 6. difficultatem non habet suppositâ doctrinâ, de quâ suprà *num.* 68.; Nihilominus non solùm quòad nutritionis modum, quò ad productionem scilicet materiæ à Deo, & eductionem formæ ab agente naturali, est contrà Auctores ibi relatos *num.* 63. 64., & 67., sed insuper quòad nutritionis veritatem, est contrà Vualdensem *tom.* 2. *de sacramentis cap.* 26. Guitmundum *lib.* 2. *de Verit. Euchar.*, & Algerum *lib.* 2. *de sacram. corp.*, *& sang. Christi cap.* 1. existimantes omninò dedecere, quod venerabile Eucharistiæ sacramentum nutriat, quia alioqui aliqua pars ipsius deberet in secessum abire, ut in cibis aliis, & nutrimentis contingit, & de sacramento ipso concessisse videntur

Errores oppositi.

dentur

dentur quidam Græci dicti ab Algero Stercoranistæ, item Heribaldus, & Rabanus Maguntiensis apud Vualdensem *cap.61.* Vasquez tamen *disp.185.cap.4.* suspicatur, tùm prædictos Græcos, tùm Heribaldum, & Rabanum fuisse potiùs in errore Berengarii, qui ex eo, quod concedendum non sit aliquid sacramenti, aut Christum ipsum in secessum emitti deduxit, aut Christum non esse verè præsentem in Eucharistiâ, aut simul cum ipso existere panis, & vini substantias. Verùm vitantur omnes isti errores in præfixo asserto; quod

112 Modus quo nutriunt.

Probatur ex doctrinâ generali, quâ suprà §.3.& 4. ostensum est species sacramentales, seù accidentia Eucharistica posse agere, & pati, quidquid poterant extrà sacramentum, & signanter posse ex illis novam substantiam generari, seù posse illa in novam substantiam converti Deo producente in ipsorum corruptione materiam, & agente creato educente formam novi compositi substantialis; cum igitur cibum, potumvè nutrire nihil aliud sit, quam eo ipso generari substantiam nutriti, seù ipsum in substantiam nutriti converti, consequens est ex speciebus sacramentalibus jam ex se habentibus rationem cibi, & potus posse hoc fieri, adeoque posse verè nutrire, quatenùs in instanti corruptionis ipsarú Deo producente materiam &c. Neque hinc difficile est solvere rationem dubitandi asserto subjunctam, & explicare, quomodò in nutritione, quæ ex speciebus fit, aliquid fæculentum in secessum abeat, & tamen id non sit, neque Christus, neque aliquid sacramenti, neque aliquid substantiæ panis, & vini, quod id circò ponatur simul cum Christo existere in Sacramento: Non inquam, difficile solvitur, & explicatur, dicendo egeri per secessum in fæces aliquid materiæ à Deo reproductæ, agente naturali educente ex tali materiâ eam fæcum formam; quæ ejusdem agentis vi succederet formis panis, & vini, si ibi adessent: Nec quidquam amplius requiritur ad verificandum illud Matth. 15. *Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*; in quibus Christi verbis pro Berengarii deductione allatis parum feliciter laborant Guitmundus, & Algerus, ut observat Vasquez *præcit. cap.4. num. 40.*

113 Occurritur rationibus dubitandi;

Dices: Quidquid sit de prædictâ ratione dubitandi, aliunde deducitur species sacramentales, & panem, vinumvè consecratum non nutrire: Primò scilicet ex verbis, & auctoritate Ambrosii *lib. 5. de Sacram.cap.4.* ubi ait *Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit*, non nutrit autem, quod non vadit in corpus, quòd fulcit solum substantiam animæ: Secundò ex eo, quia species sacramentales sunt accidentia, accidentia autem non nutrire à philosophis communiter supponitur, & apertè infertur ex Aristotele *lib.2.de generat tex.50.* dicente *ex eisdem solum nutrimur, ex quibus sumus*. Tertiò ex absurdis, nam si species sacramentales nutriunt, sequitur primò vinum consecratum posse inebriare; Sequitur secundò, ex solis panis, & vini in magnâ copiâ consecrati speciebus posse aliquem diù sustentari: Sequitur tertiò, species consecratas posse converti in substantiam muris, aut alterius bruti animalis, à quo comedantur, & vi caloris naturalis ad modum communis cibi corrumpantur: Sed contrà:

114

Ad auctoritatem Ambrosii dico cum D. Thomâ *præcit. art. 6. ad 1.* nomine panis in Eucharistiâ aliquando venire species, quæ quatenùs retinent nomen prioris substantiæ, sunt panis naturalis, aliquando venire corpus Christi, qui est panis mysticus; panis, qui per nos nutrit est panis primo modo; panis, de quo loquitur Ambrosius, est panis secundo modo, ideò &c.

Ad rationem philosophicam dico accidentia, & in particulari species sacramentales non posse quidem nutrire ex se præcisè, benè verò quatenus operantur in virtute substantiæ juxtà sententiam thomisticam, vel quatenus ità ad substantiam disponunt, ut in substantiam convertantur, & ex ipsis substantia generetur juxtà doctrinam à nobis positam *præced.* §. 4. per totum, unde etiam, dum iisdem in substantiam conversis nutrimur, rectè dicimur ex iis nutriri, ex quibus sumus.

115 Occurritur absurdis Adversariorum.

Ad absurdorum primum, dico vinum fortè inebriare solo odore, & calore virtuali, ut videtur indicare D. Thomas *præcit. art. 6. in c.* quâ ratione, quod species vini inebrient, non magis sequitur ex eo, quod nutriant, quàm ex eo, quod non nutriant: Demus tamen vinum inebriare per hoc, quod incipiat ad nutriendum disponi, & vi caloris naturalis substantialitèr transmutari, ut attingit Vasquez *præcit. cap. 4. num. 44.* nullum est absurdum in eo, quod speciebus vini consecrati in magnâ copiâ sumptis quis inebrietur, non enim propterea inebriatio, aut aliquid aliud indecens refunditur in Christi sanguinem, imò si vinum non inebriat, nisi substantialiter transmutatum, cum vinum consecratum incipit inebriare, non est amplius sub ipso Christus. Cæterùm nullatenus audiendus est Algerus præmemoratus *num. 97.*, qui ne concedat vinum consecratum inebriare, mavult simpliciter negare, quod Christus sub speciebus in ventre ebrii permaneat. Ad absurdorum secundum, dico omnem absurditatis suspicionem dilui auctoritate D. Thomæ loco citato positivè asserentis hominem diù sustentari posse, si hostias, & vinum consecratum sumat in magnâ quantitate; & perperam Guitmundus apud Vasquium *num. 41.* putat Christum in Cælum rapi, & subrogari divinitùs panem, & vinum non consecratum pro consecrato, præsertim quando aliquis hæreticus ad Deum tentandum vellet nutriri, & diù sustentari solis speciebus sacramentalibus. Ad absurdorum tertium, dico pariter non continere absurditatem, & sicuti species sacramentales possunt converti in pulverem, in cineres, in vermes, item à

brutis

brutis manducari, aut devorari: ità non eſt, cur à brutis manducatæ nequeant in ipſorum ſubbſtantiam per nutritionem converti, pro quo recole ſuprà dicta præſertim *num.* 90.

116 Aſsert. 2. Species ſacramentales in ſtomacho ſumentis tamdiù Chriſtum continent, ſeù retinent, quamdiù continerent, ſeù retinerent propriam ſubſtantiam, ſi adeſſet; Quamdiù verò hanc continerent, ſeù retinerent, pendet à ſpecierum quantitate, ſtomachi valitudine, & caloris naturalis activitate, quæ quia in variis varia ſunt, non admittunt univerſalem, ac certam dubii, in quo verſamur, ſolutionem; & ſpecies quidem, quæ regulariter ſumuntur, ut potè exiſtentes in modicâ admodum quantitate brevi admodùm tempore, tùm propriam ſubſtantiam retinerent, tùm Chriſtum retinent, at quanta præcisè ſit hujuſmodi brevitas, non ſatis conſtat:

117 Hoc aſsertum quoad primam, & præcipuam ſui partem non eſt, niſi corrolarium aſsertionis, & regulæ generalis ſuperiùs poſitæ *num.*96. & 100. quoad reliqua continet materiam potius ad artis medicæ profeſſores, quam ad Doctores Scholaſticos pertinentem, ex iſtis tamen invenio aliquid de eâ ſcripſiſse Lugum in Italiâ, Arriagam in Germaniâ, & Herinex in Belgio: Ne igitur actum agam, quoad intelligentiam, & probationem primæ partis recolendam, relinquo aſsertionem, & regulam præmemoratam, quoad reliqua breviter refero id, quod tres prælaudati Auctores, conſultis Romæ, Pragæ, & Lovanii Medicis, protulerunt, & quod conſequenter pro praxi in re, de quâ agitur, cenſuerunt.

Quamdiù permaneant incorruptæ ſpecies Sacramentales in ſtomacho?

118 Lugus *diſp.*10.*ſec.*3.*num.*54. ex diſcuſſione Medicorum, & uſu veterum, qui unâ die quadraginta octo uncias cibi ſolidi ſumere ſolebant, ſupponit à mediocri ſtomacho regulariter ſingulis horis concoqui, ſeù alterari, & corrumpi duas cibi uncias, & factâ comparatione particulæ, quæ communiter Laicis datur, ad duas uncias infert, quod talis particula ſicuti non eſt ſexageſima duarum unciarum pars, ità unius minuti, quod eſt ſaxageſima horæ pars, ſpatio à quolibet mediocri ſtomacho alteretur, & corrumpatur, & quod eâdem proportione grandior hoſtia, ac ſpecies vini, quæ ſumuntur à Sacerdote, corrumpantur ſpatio ſemiquadrantis, vel certè, extrà omne dubium ſpatio quadrantis.

Quinam brevius tempus aſsignent?

119 Arriaga *diſp.* 39. *ſec.* 5. *num.* 25. ad tempus adhùc brevius propendet, nimirum ad ſpatium unius Ave Maria pro particulâ, quæ datur Laico, & ad ſpatium, quo quinquies recitaretur integrè Pater Noſter, & Ave Maria pro ſpeciebus, quæ ſumuntur à Sacerdote, & addit ſaltem vix eſse dubitandum de talium ſpecierum corruptione, poſtquam Sacerdos ſacrum abſolvit, & veſtes ſacras exuit: Ad quam majorem brevitatem movetur hic Auctor ex nonnullis, quæ poſt recitatam Lugi ſententiam obſervat. Obſervat ſcilicet primò, particulam à Laicis ſumi ſolitam eſse multo minorē ſexageſima duarum unciarum parte, ait enim ſe expertum fuiſse quinquaginta hujuſmodi particulas ponderare dumtaxat octavam partem unciæ, adeoque unam particulam eſse dumtaxat octuageſimam duarum unciarum partem, & juxtà præcedentem calculationem octuageſima horæ parte in ſtomacho corrumpi; Obſervat ſecundò, quod ſi ad concoquendas duas uncias requireretur horæ ſpatium, non ideò benè inferretur ad concoquendam ſexageſimam duarum unciarum partem requiri ſexageſimam partem horæ, quia, inquit, virtus unita poteſt eſse fortior ad reſiſtendum, quam in plures particulas diviſa, & ſeorſim agenti contrario applicata: Obſervat tertiò, reſpectu ſpecierum, quæ ſumuntur à Sacerdote, ipſum panem, & vinum inter ſe agere, adeòque à ſtomacho facilius, & citius alterari cæteris paribus, quàm ſi ſumeretur ſolus panis: Præterea accipiendo panem, & vinum ſimul putat quotidianâ experientiâ conſtare, quod multo, & ſaltem duplo major, quàm quadraginta octo unciarum quantitas ſingulis diebus concoquatur, adeòque quod proportionaliter ſaltem quatuor unciæ concoquantur ſingulis horis, quam experientiam facilè admiſerim pro locis, in quibus Arriaga degebat id eſt in Germaniâ, ubi præter compotationum conſuetudinem, & regionis frigiditatem ſunt etiam cibi minùs nutritivi, & incolæ robuſtiores.

120 Herinex *diſp.*4.*quæſt.*4.*num.*20. cenſet eſse nimiam brevitatem, & celeritatem non ſolum ab Arriagâ, ſed & à Lugo aſſignatam, nec approbat Lugi calculationem, ex quâ Arriaga format pro ſuâ ferè imperceptibili brevitate ratiocinium, & putat ipſe in ſtomacho quamvis benè conſtituto ad minimum requiri pro ſacræ particulæ corruptione horæ quadrantem, & proportionaliter ſemihoram, aut etiam majus temporis ſpatium pro corruptione ſpecierum, quas ſumit Sacerdos: Favet huic aliquantulùm diuturniori permanentiæ ſpecierum in ſtomacho illud, quod Bartholomæus Santinellus in hâc almâ Urbe Egregius Medicæ facultatis Profeſsor mihi iſta ſcribenti inſinuat, nimirùm ſpecies panis, quas conſecrare ſolemus, eſse difficilis digeſtionis, ſeù corruptionis, quia ratione propriæ levitatis, & tenuitatis facilè, aut ſupernatant reliquo alimento, aut adhærent parietibus, ſeù tunicis ventriculi, ex quo capite poteſt ſpeciebus panis minus quadrare regula, & calculatio, quâ Arriaga, & Lugus ut retulimus, utuntur. Hæc ſi ità ſunt, loquendo de ſpecierum ſacramentalium permanentiâ, & non adeò celeri conſumptione in ſtomacho benè ſe habente, & rectè conſtituto, multo magis procedunt, ſi loquamur de ſtomacho infirmo ſenili, aut aliàs malè affecto, in quo certè dubitandum non eſt, quin diutius quam in benè conſtituto, ſivè hoſtia, ſivè eſca alia ſoleat ſine corruptione permanere, imò etiam quin poſſit ſine corruptione egeri in illâ prava intestinorum conſtitutione, quæ

Quinam non ità breve.

nuncu-

nuncupatur lienteria, ut notat Herinex *pracit. num.* 20. in fine.

121 Ex dictis habetur jure nos asseruisse non satis constare, nec posse determinatè, & præcisè assignari tempus, quo species sacramentales in stomacho remanent incorruptæ, & sub se Christum continentes, quod quidem abunde evincit, tùm specierum, & stomachorum diversitas, tùm opinionum in hâc ipsâ re varietas. Habetur insuper talem temporis designationem esse, adhùc magis incertam pro stomachis ægris, & malè affectis, in quibus tamen potest pro certo supponi species cæteris paribus aliquantulo diutiùs, quàm in benè affectis hærere: Hinc in praxi optimum consilium est, non adeò breves terminos pro vomitu assignare, vomitus enim, sivè sponte veniens, sivè provocatus indicat aliquam stomachi imbecillitatem, & malam affectionem, adeoque tardiorem in ipso cibi concoctionem, & corruptionem specierum; unde benè aliqui consulunt, ut saltem per integram ab Eucharistiâ sumptâ horam sustineatur vomitus ad vitandum periculum evomendi aliquam specierum partem incorruptam; unde Arriaga quamvis in celerrimam specierum consumptionem propenderit, *præcit. sec.* 5. in fine fatetur, haud rarò aliquos elapsis pluribus à communione minutis casuali vomitu ejecisse particulam, seù hostiam adhuc

Quamdiu in praxi ab stinendum sit à vomitu, & sputis post sumptas species?

122 apparentem: Quo ad sputa, non est omninò par ratio, quia non arguunt stomachi imbecillitatem, & ut plurimum à stomacho non eruitur, quod expuitur, quia tamen hoc aliquando evenit, videtur debere Sacerdos per horæ quadrantem, Laicus saltem per semiquadrantem ab expuendo, & excreando post sumptas species abstinere, & magis adhuc illi, qui ventriculos habent pituitosos, in quibus, ut mox insinuabam, ratione pituitæ possunt species panis frequenter supernatare, & tùm difficilius corrumpi, tùm facilius excreando ejici: Quod dixerim, non ut scrupulis faveam, sed ut quilibet pro suâ pietate in consulendo reverentiæ sacramento, & Christo debitæ, abundet potiùs quàm deficiat.

CAPUT VII.

De verbis consecratoriis, seù formis consecrationis.

1 Verba consecratoria, tùm effectivè, tùm constitutivè ad Eucharistiam se habent, & utraque consecrationis forma est sub diversâ ratione, tùm extrinseca, & efficiens, tùm intrinseca, & constituens ut suppono *ex præced. cap.* 3. §. 3. pec rotum, præsertim verò *num.* 34., & 36. Porrò hoc libro, quem inscripsimus de iis, quæ sunt Eucharistiæ essentialia, & intrinseca, videretur dumtaxat agendum de verbis consecratoriis, & formis consecrationis, ut constitutivè, & intrinsecè ad Eucharistiam se habent; Nihilominùs dum non occurrit mihi alibi locus opportunior, libenter arripio in præsenti occasionem agendi de iisdem, etiam ut se habent effectivè, & extrinsecè: Imò quia prius exercent munus efficientis, & formæ extrinsecæ, quàm constituentis, & formæ intrinsecæ, placet doctrinæ ordinem accommodare ordini materiæ, & verba consecratoria, ac formas consecrationis sub ratione extrinsecè efficientis prius, quàm sub illâ intrinsecè constituentis expendere: Et verò sub priore ratione, sub quâ transubstantiationem, seù actionem transubstantiativam complectuntur, tractationem valdè prolixam exposcerent, nisi plura Philosophorum, plura Controversistarum propria jure essent omittenda: & non pauca etiam, aut supponenda ex præcedentibus, aut cursim præmittenda pro apparatu reliquorum, quæ tamquam, aut magis difficilia, aut nostri instituti magis propria non potuerunt sine specialiori discussione prætermitti: Idcirco

2 Præmitto primò Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 4. *&* *can.* 2. declarare, quod per consecrationem fit conversio totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi; quod hujusmodi conversio est mirabilis, & singularis, & quod aptissimè appellatur transubstantiatio: Est scilicèt, ut ait Estius *in* 4. *dist.* 11. §. 4. mirabilis, quia magis creditur, quàm intelligitur; est singularis, quia nulla mutatio ei similis in rerum naturâ invenitur; aptissimè verò appellatur transubstantiatio, quia hæc vox approbata etiam à Patribus Concilii Lateranensis sub Innocentio III. adeò benè explicat naturam conversionis, quæ in Eucharistiâ fit, ut nullum latens hæresis venenum admittat, & juxta eumdem Estium §. 6. possit dici excogitata tamquam symbolum quoddam Catholicorum à Sacramentariis distinctivum, proptereàque mirum non sit, nec parùm aptum, quod etsi nova approbata fuerit, & usurpata ab Ecclesiâ, reclamantibus, & ægrè ferentibus hæreticis, ut potè non valentibus cum talis vocis usu ullâ ratione conciliare suos primarios errores, quibus aut realem, substantialemque Christi existentiam in sacramento negant, aut simul astruunt existentiam substantiarum panis, & vini, ut distinctè retulimus, & rejecimus *præced. cap.* 4. §. 1. *&* 2. Cæterùm non est cur sola vocabuli novitas Sectariis displiceat, cum ipsimet, tùm pro suis falsis dogmatibus nova vocabula inducant, tùm aliqua alia pro fidei veritatibus per Catholicos inducta non respuant.

Transubstantiatio nomen est aptissimum Eucharistiæ Mysterio, & malè invisum hæreticis.

3 Præmitto secundò conversionem, quæ est ad transubstantiationem genus, communiter, & vulgariter dici transitum unius in aliud, exactiùs verò deffiniri, si dicatur, transitus unius positivi in aliud positivum ex vi formalis connexionis, & repugnantiæ cum terrio: Ly *unius positivi in aliud positivum* excludit à ratione conversionis quamlibet mutationem à privatione ad formam, vel à formâ ad privationem, qualis est mutatio

Conversio quid?

actis

aeris de tenebroso in lucidum, vel de lucido in tenebrosum; Ly *vi formalis connexionis, & repugnantia cum tertio* excludit à ratione conversionis simplicem successionem unius ad aliud; & insinuat pro quâlibet conversione requiri aliquod tertium commune, quod existens sub termino recedente, & à quo remaneat idem sub termino adveniente, & ad quem; & in ordine ad quod tertium uterque terminus ità repugnet, ut positio unius, & desitio alterius habeant mutuam connexionem, seque invicem inferant; patet hoc utrumque inductione per omnes conversiones factâ, & ex eo, quod nisi detur, ac remaneat tertium commune, nihil erit, suprà quod cadat denominatio conversi; nisi detur in ordine ad tale tertium formalis utriusque termini connexio, & repugnantia, quoties simul contingit destructio unius, & productio alterius haberetur conversio, & lapis v. gr. converteretur in Angelum per hoc, quod quando destruitur lapis, produceretur Angelus.

4 — Duplicem mutationem importat.

Præmitto tertiò, & ex eo quod mox præmissum est, deduco, in qualibet conversione dari duplicem mutationem, unam ex parte termini à quo, alteram ex parte termini ad quem; illa est privativa, ista est positiva; per illam transit terminus à quo ab esse ad non esse, per istam transit terminus ad quem à non esse ad esse: Est verò controversia, utrùm ex parte utriusque termini mutatio, & transitus debeat esse talis simpliciter, & proportionaliter æqualis? Utrùm scilicèt, sicut (quod ferè omnes concedunt) in conversione substantiali terminus à quo debet mutari in suo esse substantiali istud amittendo, ità debeat proportionaliter mutari terminus ad quem, novum esse substantiale acquirendo, an sufficiat quod iste mutetur accidentaliter, & novum esse accidentale acquirat, puta in novum locum adducatur, in novum munus substituatur: Affirmant hoc secundum ad veram conversionem substantialem sufficere Scotistæ cum Scoto *in 4. dist. 11. quæst. 3. §. De secundo articulo. Versic. Quantum ergo*. Valentia *disp. 6. quæst. 3. punc. 3.* Amicus *disp. 18. sec. 2.* in fine. Lugus *disp. 7. sec. 1.*, & plures alii: Negant Bonauentura *in 4. dist. 10. art. 1. quæst. 1.* Gabriel *dist. 11. quæst. 1. art. 3.* Suaraz *disp. 50. sec. 2.* Coninchus *quæst. 75. art. 4. dub. 4.*, & tùm alii non pauci, tùm omnibus acriùs, ac fusiùs Arriaga *disp. 34.* ferè totâ: Ego, ut à re philosophicâ examinandâ, & definiendâ abstineam, dico conversionem substantialem, si non omnimodâ necessitate, universalique lege requirit, quod terminus ad quem substantialiter mutetur, & de novo substantialiter producatur; esse saltem cum majori rigore, majorique perfectione talem, quoties cum tali productione, & mutatione fiat, & termino à quo substantialiter destructo, termino ad quem de novo substantialiter producto, conversio denominetur ex parte utriusque termini substantialis, & termini inter se correlativi eodem modo cum proportione mutentur.

5 — Dividitur in accidentalem, & substantialem, substantialis subdividitur in partialem, & totalem, & hæc sola appellatur nomine proprio, Transubstantiatio.

Præmitto quartò, conversionem dividi posse in accidentalem, & substantialem. Accidentalis, est cujus termini accidentales, seù accidentia sunt, ut cum frigidum in calidum, seù frigus in calorem convertitur: Substantialis est, cujus termini sunt substantiales, seù substantiæ; subdividitur in partialem, & totalem, pro ut substantia, quæ convertitur, vel est partialis, seù substantialis pars, vel est totalis, seù substantiale totum. Conversio accidentalis dici potest transaccidentatio; substantialis totalis transubstantiatio; substantialis partialis, si pars, quæ convertitur, sit forma transformatio, si materia transmaterializatio: Usus tamen obtinuit, ut reliquis conversionibus retinentibus commune nomen conversionis accidentalis, vel substantialis, sola conversio substantialis totalis appelletur nomine proprio Transubstantiatio; Congruebat quippè, ut conversioni prorsùs singulari proprium, & singulare nomen tribueretur, præsertim quod est etiam aliundè *ex præced. nu. 2.* aptissimum.

6

His præmissis, & transmissis circà conversionem in genere aliis pluribus à peculiari specie, de quâ agere intendimus, idest à conversione, & transubstantiatione Eucharisticâ disparatis, circà istam occurrunt nobis in primis considerandi ipsius termini, nimirùm substantia panis, & vini, quæ est terminus à quo, & Christus, qui est terminus ad quem; & circà priorem expendendum præcipuè est, quomodò sub propriis accidentibus esse desinat, circà posteriorem, quomodò sub iisdem tamquam sub tertio communi esse incipiat? nam quod verè sub propriis accidentibus illa substantia aliquo modo esse desinat, & Christus aliquo modo esse incipiat, tradidimus jam sufficienter *cap. 2. §. 1.*, & *cap. 4. §. 1. & 2.* quo loco retulimus etiam, & rejecimus potiores, graviores que errores ab hæreticis excogitatos contrà illius substantiæ desitionem: Referendi nunc sunt, & refellendi nonnulli Auctores Catholici, qui ut manifestæ hæresis notam declinarent, non affirmarunt totalem substantiæ panis, & vini in sacramento permanentiam, at nec affirmarunt totalem desitionem, sed putarunt secundum aliquid desinere, secundum aliquid permanere. Inter hos Auctores

7 — Varii modi dicendi circà partialem permanentiam substantiæ panis, & vini in Sacramento.

Primus dicendi modus fuit, quod substantia panis desinat secundum materiam (idem semper proportionaliter intelligito de substantiâ vini) remaneat secundum formam: Hujus modi dicendi meminit D. Thomas *hic quæst. 75. art. 6. in c.* quamvis prout de formâ substantiali, de qua S. Doctor loquitur, procedit, Suarez *disp. 49. sec. 3.* dixerit se non invenisse Auctorem aliquem, qui talem modum docuerit, aut rationem, quâ niti potuerit.

Secundus fuit, quod substantia panis desinat secundùm formam, remaneat secundum materiam sub formâ corporis Christi virtute divinâ, sicut materia alimenti remanet sub formâ aliti virtute naturæ: Hic modus

tradi-

traditur expressè à Durando *in 4. dist. 11. qu. 3. num. 5.*, & tribuitur etiam Ægidio *theorem. 1. & 2.*, nec non aliquibus aliis antiquioribus.

Tertius fuit, quod substantia panis desinat secundum naturam, remaneat secundum subsistentiam: Ità sensisse refertur Godofredus *quodlib. 8. quæst. 16.*, cui favet Mirandulanus *in Apolog. quæst. 9.* defendens talem modum dicendi tamquam possibilem, etsi nihil quo ad de facto affirmet.

Quartus fuit, quod substantia panis desinat secundum essentiam, remaneat secundum existentiam: Hunc modum Bannez *1. par. quæst. 4. art. 2. dub. 2.* in priori editione primæ partis simpliciter, in posteriori solum probabiliter docuit, idemque sensisse censentur aliqui alii Moderni Thomistæ.

Quintus fuit, quod substantia panis desinat secundum rationem specificam, remaneat secundum rationem individualem. Hic modus fortè à nullo fuit absolutè traditus, refertur tamen tamquam insinuatus ab Henrico *quodlib. 9. quæst. 9.* à Cajetano *hic qu. 75. art. 3. ad 3.*, & nonnullis aliis. Pro his omnibus modis rejiciendis, & modo totalis prorsus desitionis stabiliendo, sit

§. II.

Quomodò in consecratione substantia panis desinat? & Utrum anihiletur?

8

ASSERT. I. In consecratione, seù conversione Eucharisticâ substantia panis (sicut, & vini) omninò, ac totaliter desinit, adeò ut nec forma, nec materia, nec subsistentia, nec existentia, nec ratio individualis, nec alia substantialis pars ipsius post consecrationem remaneat. Est veritas, de quâ non licèt ambigere, præsertim postquam Tridentinum *sess. 13. can. 2.* anathematizavit negantes *in Sacrosancto Eucharistiæ Mysterio conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*, ubi ly *totius substantiæ*, & ly *manentibus dumtaxat speciebus* nullum contrà assertam veritatem effugium relinquit Adversariis *praecd. num. 7.* præmemoratis: Et licet ipsi, eo quod non fuerint contrà Ecclesiam pertinaces, imò scripta sua Ecclesiæ judicio subjecerint non censeantur in hæresim lapsi, quinque tamen superiores modi ex ipsis relati censentur jam communiter errores in fide, nisi temperentur aliqua peculiari hypothesi philosophicâ, quâ pro primo v. gr. dicendi modo supponatur formam panis esse accidentalem non substantialem, pro quarto accidentia non existere existentiâ distinctâ ab existentiâ substantiæ; pro quibus omnibus, sicut & pro singulorum modorum singulari, & accuratâ impugnatione videri potest Suarez *hic disp. 49. sec. 3. & 4.* Interim assertum indistinctè, & breviter quo ad omnes partes simul.

Fertur de prædictis modis judiciũ, & censura.

9

Ponitur brevis eorumdem impugnatio ab auctoritate, & ratione

Probatur tùm expressâ, & formali auctoritate jam adductâ ex Concilio Tridentino, tùm ratione theologicâ desumptâ partim ex propriâ ratione transubstantiationis, quæ non est perfecta, & integra, si substantia, quæ transubstantiatur, non desinat tota; partim ex significatione, & viritate verborum consecrationis, in quibus ly *Hoc* significat totam substantiam contentam sub accidentibus panis, adeoque si sub istis aliquid substantiæ panis remaneret, non verificaretur *Hoc est corpus meum*, idest Christi, quâ de re dicetur aliquid amplius infrà §. 10. *num.* 220. Confirmatur ex principiis philosophicis, quibus per nos, nec existentia ab essentiâ, nec ratio individualis à specificâ realiter distinguitur, adeòque nequit unâ desinente altera remanere, sicque quartus, & quintus modus philosophicè repugnant: Tertius pariter per nos repugnat, si ponat subsistentiam remanere ad hoc ut per ipsam accidentia à propriis substantiis separata subsistant, cum per nos, nec de potentiâ absolutâ possit accidens ad subsistendum assumi, quod si ponat subsistentiam accidentia sustentare effectivè supplendo causalitatem subjecti, non est quidem repugnantia, at nec est indigentia hujus effectivæ sustentationis, cum hæc ex dictis melius præstetur aliundè, idest ab ipso Christi corpore: Prætereà repugnat simpliciter, subsistentiam sine propriâ naturâ remanere in sententiâ asserente illam esse entitatem modalem. Quartus, & quintus modus esto non dicant repugnantiam in eo, quod aut forma destructâ materiâ, aut materia destructâ formâ remaneat, inducunt tamen miracula sine necessitate, & transformationem, aut transmaterializationem loco transubstantiationis, sicque sunt modis aliis theologicè deteriores, quamvis minus repugnantes philosophicè. Confirmatur insuper universim ex eo, quod Adversarij magnâ ex parte in prædictos dicendi modos abierunt, ne concedendo totalem desitionem substantiæ panis tenerentur simul concedere ipsius anihilationem; verùm, ut mox explicabitur, perperam putarunt sequi in proposito ex totali substantiæ desitione anihilationem, & quando sequeretur, qui illam negant, nè istam concedant, gravem errorem incurrunt, ne incidant in levem, imò in aliquid, quod nullatenùs error est, nec censurâ dignum, sed sub opinione inter Scholasticos, ut statim refero, versatur: Itaque

10

11

Opinio docens desitionem panis in Eucharistia esse anihilationem.

Opinantur in consecratione, seù conversione eucharisticâ panis substantiam anihilari, & ejus desitionem secundùm se consideratam esse anihilationem (quàmvis cum aliquâ limitatione desinente in quæstionem de nomine) Ocham *in 4. quæst. 6. dub. 7.* Major *dist. 11. quæst. 1.* Gabriel *ead. dist. quæst. 1. art. 3. dub. 6.*, & *lect. 14. in Canonem Missæ*, Angelus verbo Eucharista 1. *num. 31.* quorum variam in modo loquendi limitationem affert Vas-

quez *disp.* 183. *cap.* 1. ubi etiam vult absolutam de anihilatione opinionem tribuendam esse nunquam primo Auctori Scoto *quodlib.* 10. *art.* 3., & *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 4 §. *Ad quæstionem dico. Versic. Potest ergo teneri*; & verè talem opinionem absolutè tradunt Rada *controv.* 7. *art.* 3. *concl.* 7. Gavatius *disp.* 3. *quæ.* 6. *cap.* 2. Lauræa *disp.* 20. *art.* 6. *num* 104., & Scotistæ ferè omnes, quamvis Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 12. *art.* 1., & paucialii contendant subtilem Doctorem esse problematicum, & ipsi oppositam problematis partem, idest opinionem, quâ anihilatio negatur, sustineant. Favent opinioni anihilationem admittenti Auctores relati *præced. num.* 7., præsertim vero Durandus *præcit. quæst.* 3. ubi expressè fatetur, quòd substantia panis anihilaretur, nisi secundùm materiam remaneret: Favent eidem ex Recentioribus Suarez *disp.* 50 *sec.* 7. §. *Hanc sententiam*, quatenùs eam existimat non omninò improbabilem, & multò magis Arriaga *disp.* 35. *sec.* 4. *subsec.* 2. quatenus ait eam salvare evidenter omnia, quæ fides docet, & magis philosophicè loqui, ac magis consequenter: & hinc obiter constat, tùm timuisse, ubi non erat timor Auctores præmemoratos num. 10., tùm valdè nimiam fuisse censuram Dominici Soto *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. *art.* 4. dicentis opinionem de anihilatione non posse citrà errorem sustineri: fuit, inquam, nimia censura, nisi fortè Soto inter panis desitionem, & panis conversionem non distinxerit, quam quidem conversionem appellare anihilationem re verâ error esset, at hæc non est mens Auctorum, quos mox retulimus.

Immunis est à censura:

12 Opinantur ex adverso, & absolutè sustinent substantiam panis in consecratione non anihilari, ejusque desitionem etiam secundùm se consideratam anihilationem non esse D. Thomas *hic quæst.* 75. *art.* 3. item *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 2., & 4. *contr Gent. cap* 63. Caietanus, & Sylvius *eod. art.* 3. Ferrariensis *eod cap.* 3., & tùm reliqui Thomistæ, ac Recentiores communiter, tùm ex Scotistis nonnullis, tùm quamvis ex falsis fundamentis Auctores relati *præced. num.* 7, tùm denique diversi alii ex diversis fundamentis, de quibus mentionem mox facio, & fero aliquale judicium.

Opposita tamen est communior, & ex diversis fundamentis procedit.

13 Primò igitur Ægidius *theorem.* 1., & 34. relatus à Scoto *præcit quæst.* 4. §. *Alio modo*, docet substantiam panis non anihilari, quia remanet in potentia corporis Christi, quod propter materiam, quam habet cum substantiâ panis communem, in suâ potentiâ continet substantialem panis formam. Verùm ut bene arguit ibi Scotus, hac ratione probaretur nullam substantiam corpoream posse anihilari nisi omni corpore, totâque materiâ corporeâ desinente. Aliqui alii dicunt substantiam panis non anihilari, quia remanet in potentiâ obedientiali corporis Christi; Verùm; si intelligunt de potentiâ obedientiali activâ, non loquuntur ad rem: si de passivâ impugnantur, quia materia panis, sicut & qualibet alia materia prima non potest de ullâ potentiâ passivâ educi: Vide pro hujus opinionis impugnatione, & pro Auctoribus, quibus tribuitur Suarium *disp.* 50. *sec.* 7. §. *Secundò dicunt.*

14 Secundò Paludanus *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. *art.* 2., & Capreolus *ead. dist. quæst.* 1. *art.* 3. relati ab Amico *disp.* 18 *sec.* 7. *num.* 194., & Ledesma *quæst.* 16. *art.* 4. docent substantiam panis non anihilari, quia manent ipsius accidentia: Verùm hæc sunt substantiæ extrinseca, & sicuti si in substantiæ productione præexistant, non impediunt quin creatur, itâ quod in substantiæ desitione remaneant, non impedient quin anihiletur: Neque quod destructio accidentis remanente propriâ substantiâ anihilatio non sit, infert pariter anihilationem non esse destructionem substantiæ ramanente proprio accidente: Est quippè ratio valdè diversâ, quia accidens continetur in potentiâ propriæ substantiæ, & ab istâ dependet non è converso. Neque dicas substantiam contineri in potentiâ informativâ propriorum accidentium, sicut ista continentur in potentiâ subjectivâ propriæ substantiæ. Contrà enim valdè impropriè dicitur aliquid contineri in potentiâ informativâ, & quidquid sit de modo loquendi, sicut talis potentia informativa in substantiæ productione præexistens non impedit creationem, itâ in substantiæ desitione remanens non impediet anihilationem. Potest insuper facere hic ad rem, quod contrà Richardum attigimus *cap præced nu.* 70.

15 Tertiò Scotus *præcit. quæst.* 4. quatenùs aliqualiter favet opinioni, in quâ nunc versamur. Mastrius item *præcit. art.* 1. *num* 286. Vasquez *disp.* 183. *cap.* 3. Coninchus *quæst* 75. *art.* 4. *dub.* 4. *num.* 145. Arriaga *disp.* 35. *sec.* 4. *num.* 29., & aliqui alii docent panem non anihilari, quia ex voluntate, & lege extrinsecâ Dei desinit in aliquid positivum, nimirum in corpus Christi. Verum in hoc displicet ly *ex voluntate, & lege extrinsecâ Dei*, quia quod desitio aliqua sit anihilatio, vel non, importat mutationem intrinsecè, & ex natura rei diversam, quæ diversitas ægrè potest refundi in voluntatem, & legem extrinsecam Dei, aut certè melius refunditur, si potest (ut verè ex dicendis potest) in aliquid, quod intrinsecè, & ex naturâ rei se habeat; de quo nonnihil ex professo infrà *num.* 29.

16 Quartò Suarez *disp.* 50. *sec.* 7. §. *Quinta Ratio* putans se loqui ad mentem D. Thomæ, & Capreoli docet substantiam panis non anihilari, quia non desinit per meram subtractionem divini concursus, sed ex vi actionis positivæ, & physicè, quâ accidentia ab illâ separantur, & per se constituuntur. Verùm in hoc displicet ly *quâ accidentia ab illâ separantur, & per se constituuntur*, quia per ly *quâ accidentia separantur* doctrina Suarii accedit ad modum dicendi rejectum *præced. num.* 13. Per ly, *& per se constituuntur* supponit accidentia panis, dum à propriâ substantiâ separantur, acquirere modum positivum per se existendi, aut conservari à solo Deo actione creativâ incompossibili cum inhærentiâ, quod utrumque est per

nos

nos falsum *ex cap. praeced.* §.1. *num.* 13., & 26. cumque *ibid. num.* 22. dixerimus sustentationem quantitatis à propriâ substantiâ separatæ præstari à Christi corpore, non ad quantitatem, aliave accidentia, sed ad Christi corpus debet terminari actio positiva, ex vi cujus panis substantia desinat. Ideò placet in doctrinâ Suarii, quod dicat substantiam panis desinere ex vi actionis positivæ; displicet, quod hanc actionem ponat terminari ad accidentia, & faciat substantiam panis in accidentia desinere: Placet in Doctrinâ præced. num. adductâ, quod ponat substantiam panis desinere in corpus Christi; displicet, quod hoc refundat in voluntatem, & legem extrinsecam Dei: hincque aliquid ex utrâque accipiendo, aliquid ex utrâque relinquendo quodammodo conficitur verior, receptior, & cæteris præferenda ratio non anihilationis, de quâ agitur: Ideò sit

17

Assert. 2. In consecratione, seù conversione Eucharisticâ substantia panis, quamvis tota, ac totaliter desinat, non anihilatur; & ratio non anihilationis est, quia desinit ex vi actionis positivæ terminatæ ad corpus Christi ab intrinseco, & ex naturâ rei incompossibile cum substantiâ panis sub ijsdem accidentibus: Vel breviùs, quia desinit in terminum positivum intrinsecè, & ex naturâ rei connexum cum ipsius desitione. Prima asserti pars habet omnium Scholasticorum consensum, si Nominales, & Scotistas, quorum superiore *num.* 11. meminimus, excipias. Secunda pars, quatenùs rationem non anihilationis assignat, traditur (aut saltem insinuatur à D. Thomâ *hic quæst.* 75. *art.* 3. *in c.*, & *ad* 3. item *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 2. à Sylvio *eod. art.* 3. à Goneto *disp.* 4. *art.* 3., & ab aliis pluribus Thomistis præsertim Moderni oribus; nec non ab Aureolo *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. *art. un. propos.* 5. ab Estio *ead. dist.* §. 4. ab Amico *hic disp.* 18. *sect.* 7. *n.* 204. Lugo *disp.* 7. *sec.* 7. Maderno *quæst.* 2. *art.* 3. aliisque plurimis contrà Auctores præmemoratos à *num.* 13. ad 16. ex quibus tamen aliqui magis, aliqui minus ab assertâ ratione recedunt, adeò ut ei ex parte faveant Auctores pro duobus posterioribus modis adducti.

18

Substantia panis in consecratione, & si tota desinat, nó anihilatur.

Probatur prima asserti pars, quia quod substantia panis in consecratione non anihiletur, magis favet veritati conversionis, ac transubstantiationis eucharisticæ; faciliùs quippè percipitur converti in aliud, illud, quod per anihilationem non desinit, quam illud, quod per anihilationem, undè etiam heretici ex totali panis desitione anihilationem, ex anihilatione non conversionem solent inferre: Catholici ex adverso magis communiter, & his temporibus ferè omnes conantur cum totali panis desitione non anihilationem conciliare, quod suadetur, ut observat Arriaga, *precis. sec.* 4. *subsec.* 2. *num.* 27. ex ipsâ multiplicitate sententiarum, de quibus suprà *num.* 13., & *seqq.* non enim aliundè talis multiplicitas provenit nisi ex eo, quod talium sententiarum Auctores juxtà propria diversa principia diversas ineunt vias conciliandi in proposito cum totali desitione non anihilationem. Nec quidquam amplius pro primæ partis probatione requiritur, quàm quod sit inter Sholasticos valdè receptior, & fidei, quam habemus de Eucharistiæ mysterio, favorabilior, nec aliundè desit ratio, & modus sufficiens sustinendi simul cum totius substantiæ desitione non anihilationem, ut mox ostendo. Ideò

19

Et ratio nó anihilationis est quia desinit ex vi positivæ actionis, & positivi termini secũ incompossibilis.

Probatur secunda asserti pars: Assignata non anihilationis ratio est cæteris assignabilibus melior, & per se valdè sufficiens, ergo benè assignata est, & verè substantia panis non anihilatur, quia desinit ex vi actionis positivæ terminatæ &c. Probatur antecedens, & quidem quod assignata ratio sit cæteris assignabilibus melior, constat ex præmissâ cæterarum rationum impugnatione; quod sit per se valdè sufficiens, suadeo sic: Substantiam panis desinere ex vi actionis positivæ terminatæ ad corpus Christi secum ab intrinseco incompossibile, sufficit ad ipsius non anihilationem; atqui in consecratione verè ità desinit; ergo vera, & sufficiens ratio non anihilationis ipsius est, quia desinit ex vi actionis positivæ &c. Major non videtur posse negari, quia quod anihilatur, debet desinere omninò in nihilum, nequit autem ità desinere, quod desinit ex vi actionis positivæ terminatæ ad aliquid secum ab intrinseco incompossibile, nam quatenus desinit ex vi actionis positivæ, desinit ex vi actionis, quæ non potest circà purum nihilum versari, quatenus desinit ex vi actionis terminatæ ad aliquid, seù habentis pro termino aliquid secum ab intrinseco incompossibile, desinit in tale aliquid tamquàm in terminum positivum ab intrinseco connexum cum suâ desitione, atque ex utroque capite non desinit in omninò nihilum, ut ad anihilationem requiritur, & ad non anihilationem sufficit; Probatur jam minor, & quidem quod substantia panis in consecratione desinat ex vi actionis positivæ, manebit perspicuum si probetur desinere ex vi actionis terminatæ ad aliquid positivum, nimirùm ad corpus Christi ab intrinseco, & ex naturâ rei incompossibile cum ipsâ panis substantiâ; hoc autem probatur, & infertur partim ex dicendis §. *seq.* ubi statuetur consecrationem esse actionem Corporis Christi reproductivam; partim ex dictis *cap.* 4. §. 3. *num.* 41., & *cap.* 6. §. 1. *num.* 22. quo utroque loco asseruimus corpus Christi sustentare effectivè accidentia, quæ sustentabantur materialiter à panis substantiâ, quia verò incompossibilis est sustentatio effectiva, & sustentatio materialis eorumdem accidentium, incompossibilis est, inquam, ab intrinseco & ex naturâ rei, sequitur esse pariter ab intrinseco, & ex natura rei incompossibilem in sacramento substantiam panis sustentantem propria accidentia materialiter, & substantiam corporis Christi sustentantem eadem effectivè. Hincque habes obiter assignatam non anihilationis rationem esse alijs nostris doctrinis, vel traditis, vel tradendis maximè cohærentem, & etiam hoc titulo jure à nobis

20

censeri reliquis assignabilibus meliorem.

21

Medulla doctrinæ oppositæ.

Dices primò conversionem eucharisticam constare duplici mutatione, alterâ quâ panis transit in non panem, alterâ quâ panis transit in corpus Christi: Prima mutatio, quæ sola habet formalem rationem desitionis, est in nihil omninò, quia nihil omninò de pane, seù de panis substantiâ remanet; est item præcisè ex suspensione concursus conservativi, quia actio positiva nequit terminari præcisè ad negationem, seù ad non esse: Secunda mutatio est quidem ex vi actionis positivæ, & ad terminum positivum, at materialiter & per accidens se habet ad panis desitionem, ideò non impedit, quin panis desitio formaliter, & per se sumpta sit vera anihilatio: Aliud est igitur loqui præcisè, & formaliter de desitione panis in Eucharistiâ; aliud de conversione eucharisticâ adæquatè sumptâ, aut de desitione panis secundùm illud, quod ei connectitur etiam materialiter, & per accidens; & sub hoc secundo loquendi modo bene quidem procedit doctrina nostræ probationis, at non sufficit ad impugnationem Adversariorum, & ad legitimum sensum quæstionis, quæ intelligenda est, vel certè ab Adversariis intelligitur de desitione panis præcisè, per se, & formaliter. Sed contrà: Hæc instantia continet medullam doctrinæ Adversariorum, at unâ simul plura falsa, quæ ut à veris secernam, eodemque contextu instantiam solvam.

22

Advertonon defuisse, qui docuerint conversionem in unicâ mutatione consistere, ità inter alios docuit Gonetus *disp*. 4. *art*. 3. *num*.78., & fortè non abs re, loquendo de conversione in toto rigore, & secundum suos terminos formalissimos consideratâ: Nihilominùs sequor magis communem, ac magis tritum loquendi modum, & do absolutè conversionem eucharisticam duplici mutatione constare, at non per accidens, & materialiter se habente unâ ad alteram; sed causaliter, consequenter, & illativè quatenus una ex aliâ infertur, ad aliam ex naturâ rei consequitur, ab aliâ aliquo modo causatur, ex mutatione scilicèt, quâ corpus Christi cum substantiâ panis incompossibile transit à non esse ad esse sub speciebus, infertur, consequitur, causatur mutatio, quâ substantia panis transit ab esse ad non esse sub jisdem; sicque actio positiva, quæ terminatur formaliter, & per se primò ad esse, seù ad positionem corporis Christi terminatur causaliter, illativè, & per se secundò ad non esse, seù ad desitionem substantiæ panis; propterea hæc desitio non est in omninò nihilum, nec in aliquid extrinsecè, & per accidens se habens, sed in aliquid, quod licèt non sit ipsius terminus formalissimus, & per se primus, est tamen intrinsecus, essentialis, & per se secundus: Non est item præcisè ex suspensione concursus conservativi, sed ex actione positivâ ad se terminatâ essentialiter causaliter, seù essentialiter illativè, & per se secundò, licèt non formalissimè, & per se primò, quâ solùm ratione nequit positiva actio ad negationem, seù ad non esse terminari. Neque dicas, cum totâ hâc doctrinâ adhùc subsistit, quod desitio panis sumpta formalissimè, & secundùm terminum formalissimum sit anihilatio, & omninò in nihilum. Contrà enim, eodem modo dici posset quamliber desitionem formæ in subjecto esse formalissimè, & secundùm terminum formalissimum anihilationem, ut patet transferenti ad desitionem formæ in subjecto id, quod Adversarii proferunt de desitione panis in sacramento. Sentiendum est igitur anihilationem impediri per hoc, quod desitio fiat ex vi actionis positivæ, & in terminum positivum essentialiter, & intrinsecè; sivè deindè ly *essentialiter*, *& intrinsecè* verificetur formalissimè, & per se primò, sivè solum causaliter, consequenter, & per se secundò.

Ejus impugnatio ex pluribus falsis, quæ continet.

23

24

Dices secundò: Fieri ex aliquo termini à quo non impedit creationem; ergo desinere in aliquid termini ad quem non impedit anihilationem, ac per consequens non obstante totâ doctrinâ hucusque traditâ asserta nō anihilationis ratio est insufficiens: Consequentia deducitur à pari, & ex proportione, quam inter se servant terminus à quo creationis, & terminus ad quem anihilationis, uterque scilicèt debet esse nihil, debet creatio esse ex nihilo, & habere nihil pro termino à quo, sicut anihilatio debet esse in nihilum, & habere nihil pro termino ad quem, si igitur aliquid termini à quo non officit nihileitati requisitæ ad creationem, neque aliquid termini ad quem officiet nihileitati requisitæ ad anihilationem: Antecedens probatur, Anima rationalis creatur, & tamen fit ex aliquo termini à quo, fit scilicèt ex formâ embrionis, cui succedit, & cum quâ habet incompossibilitatem: fit item ex corporis organizatione, quam supponit, & ad cujus exigentiam producitur; ergo fieri ex aliquo termini à quo non impedit creationem. Confirmatur: Si sub accidentibus eucharisticis, sub quibus est corpus Christi, rediret substantia panis, ista verè crearetur, licèt fieret ex aliquo termini, & haberet pro termino à quo corpus Christi secum incompossibile, ergo similiter dum sub jisdem desinit substantia panis, & succedit corpus Christi, illa anihilatur, quamvis desinat in aliquid termini, & habeat pro termino ad quem corpus Christi secum incompossibile; Sed contrà: Lugus *disp.7.sec.12.n.207.*, & Arriaga *præcit.subsec.2.nu.28.* concesso antecedente negant consequentiam, & laborant in assignandâ disparitate; at censeo tutiùs, & expeditiùs responderi negando antecedens, ad cujus probationem dico, formam embrionis non esse incompossibilem cum animâ rationali, ut producitur, sed ut corpori unitur: distinguenda est igitur respectu animæ rationalis duplex actio, una productiva, & naturâ prior, altera unitiva, & naturâ posterior, illa est creatio, at non fit ex aliquo termini, ista fit ex aliquo termini, at nō est creatio: Dico insuper organizationē, accidentalis, sivè substantialis sit, nequidē sivè

25

Fieri ex aliquo termini impedit creationē, sicut transire in aliquid termini impedit anihilationem.

cum

cum animâ ut unitâ esse incompossibilem, imò cum ipsâ de facto remanere, non recedere, ideò nullatenus est terminus à quo respectu actionis, quâ anima, aut producitur, aut unitur. Ad confirmationem dico substantiam panis posse redire sub accidentibus Eucharisticis, vel per reconversionem, vel sine reconversione corporis Christi in ipsam; si rediret primo modo, fieret ex aliquo termini, at non crearetur, nec produceretur actione creativâ, sed conversivâ; Si secundo modo, crearetur, at non fieret ex aliquo termini, quia Christus non esset terminus à quo talis mutationis, & reditus, alioqui contrà id, quod supponitur, esset conversio, cujus proprium est versari inter terminos positivos. Stet igitur non creari illud, quod ex aliquo termini fit eâdem proportione, quâ non anihilatur illud, quod in aliquid termini desinit; &, sicut non solum aliquid sui, etiam aliquid subjecti, ità & aliquid termini officere nihileitati ad creationem, & anihilationem requisitæ.

26 Dices tertiò: Si destructioni unius Angeli succedat productio alterius, Angelus, qui destruitur, desinit in aliquid termini, desinit scilicet in Angelum sibi succedentem, & tamen ipsius destructio adhuc est anihilatio, quia cum fuerit ipse per creationem productus, nequit aliter quam per anihilationem destrui, correspondet enim essentialiter creationi anihilatio, sicut generationi corruptio; ergo desinere in aliquid termini non impedit anihilationem, nec est sufficiens non anihilationis ratio, præsertim ubi illud, quod desinit, fuit per creationem productum, sicuti in proposito fuit per creationem producta materia panis, quam dicimus non anihilari ex eo, quod in aliquid termini desinat. Sed contrà: Ut ab hoc postremo incipiam dico, solum de potentiâ ordinariâ, non de absolutâ verificari, quod res per creationem producta nequeat aliter, quam per anihilationem destrui, & sicuti potest divinitus anihilari, adeoque destrui sine corruptione forma producta per generationem, ità non est, cur nequeat destrui sine anihilatione res producta per creationem; & essentialis correspondentia creationis ad anihilationem, generationis ad corruptionem, non est in eo, quod una debeat alteri essentialiter succedere, sed in eo, quod essentialiter sit in nihilum anihilatio, sicut ex nihilo creatio, in aliquid subjecti corruptio, sicut ex aliquo subjecti generatio; Quod igitur Angelus, vel materia per creationem inceperint, non impedit, quin possint aliter quam per anihilationem desinere:

Creatio, anihilatio; generatio, & corruptio, in quo sibi correspondeant?

27 Neque urgeas obiter, quonam alio modo materia, seù substantia panis in sacramento desinet? cum certè non desinat per corruptionem, & non sit alius desitionis modus, nisi corruptio, & anihilatio: Contrà enim, si non sit alius desitionis modus notus Philosophis naturæ lumine, benè est alius notus Theologis consequenter ad fidem, & rectè vocatus transubstantiatio, seù desitio per transubstantiationem, totalemque conversionem unius substantiæ in aliam. Redeo jam ad principalem difficultatem in instantiâ objectam, pro quâ

Adverto destructioni unius Angeli posse succedere productionem alterius, vel successione omninò accidentali, & disparatâ: vel cum mutuâ connexione, & habitudine proveniente tamen ex solo decreto extrinseco Dei, qui nolit utrumque Angelum simul existere, sed unum destrui, dum alius producitur; vel cum mutuâ connexione, & habitudine proveniente ab intrinseco, & ex naturâ rei, quatenùs destructioni unius Angeli succedat productio alterius sub aliquo tertio, sub quo sit intrinsecè, & ex naturâ rei incompossibilis simultanea existentia utriusque Angeli: Si instantia procedat primo modo, dico Angelum, qui destruitur desinere per anihilationem, at non desinere in aliquid termini, ut potè qui nec convertitur, nec desinit in Angelum succedentem, est enim iste respectu Angeli desinentis terminus omninò impertinens, ac disparatus, quod est idem ac dicere non terminus. Si procedat tertio modo, dico Angelum, qui destruitur in alium converti, in alium tamquam in aliquid termini desinere, & nego ejus destructionem esse anihilationem, nec obstat, quod ejus productio fuerit creatio, jam enim dictum est posse divinitùs destrui aliter, quam per anihilationem, quod fuit productum per creationem. Si procedat secundo, & medio modo, sicut sub quæstione est, utrùm Angelus, qui destruitur, in Angelum succedentem convertatur, & in ipsum, ac per consequens in aliquid termini desinat nec ne? ità proportionaliter est sub quæstione, utrùm destructio sit nec ne anihilatio? at hoc nostrâ parum interest, quia talis destructio erit dicenda anihilatio à negantibus, non anihilatio à concedentibus Angelum in datâ hypothesi in alium converti, in alium, seù in aliquid termini desinere; sicque quidquid dicatur, subsistit desitionem eâ ratione, quâ est in aliquid termini, non esse anihilationem, quod solum, nec quidquam amplius nunc intendimus.

28 Quando successio unius ad alterius desitionē, istius anihilationē impediat quando non?

29 Quod si obiter, & doctrinæ gratiâ quæras, Utrùm absolutè ad veram conversionem totalem, seù transubstantiationem, & ad hoc ut una substantia totaliter desinat in aliam, tamquàm in aliquid termini anihilationem impedientis sufficiat, quod utriusque incompossibilitas, & mutua desitionis unius cum alterius positione connexio sit ex ordinatione, & lege extrinsecâ, seù decreto Dei? ut opinantur Auctores memorati *præced. num.* 15. An omninò requiratur, quod sit ab intrinseco, & ex naturâ rei? ut videntur sentire reliqui communiter: Duo breviter mihi occurrunt respondenda; Primum est, quidquid dicatur posse utcumque sustineri, aut in quæstionem de nomine refundi, transubstantiationis enim nomen, cùm ferè novum sit, & solùm apud Theologos, & Scriptores Sacros occasione Sacramenti Eucharistici usitatum, non est admodum

dum

dum explorata ipsius significatio, & dummodò concedatur significare totalem desitionem substantiæ, cui alia succedit, quoad connexionem talis desitionis cum alterius successione, & similia videtur posse unusquisque abundare in sensu suo, & contendere illud, quod dixerit significari per nomen transubstantiationis, aut sufficere, aut requiri ad totalem conversionem unius substantiæ in aliam. Secundum est, quod sicuti impossibilitas, & connexio proveniens ex decreto extrinseco est solum moralis, minor, & minus propria, proveniens verò ex naturâ est physica, major, & magis propria, ità conversio, quæ consequitur (si quæ consequitur) priorem incompossibilitatis, & connexionis modum, erit minus propria, & moralis potius quàm physica, erit verò propria omninò, & physica, quæ modum posteriorem consequetur: Elucet insuper imperfectio, & minor proprietas conversionis priorem modum consequentis in eo, quod ipsius Auctores, nec aliquod tertium utrique termino commune, nec item identitatem loci, in quo unus terminus succedat alteri, solent requirere, undè etiam docent, quod panis converteretur, & transubstantiaretur in corpus Christi, licèt simul cum illius substantia accidentia quoque desinerent, & istorum permanentiam putant concomitanter solum, & per accidens ad transubstantiationem Eucharisticam se habere; quin & addunt, panis transubstantiationem fieri posse in Angelum de novo productum in Cælo, æquè ac in substantiam corporis Christi aliamvè de novo positam sub speciebus, sub quibus erat substantia panis. Addunt præterea vermem converti substantialiter, seù transubstantiari in solem per hoc præcisè, quod destructo verme sol conservetur, si Deus decreverit non conservare simul solem, & vermem, sed unum dumtaxat supposità desitione alterius: Sustinet hæc omnia tamquam de mente Scoti cum aliquibus aliis suæ scholæ Mastrius *disp. 3. quæst. 12. art. 1. num. 288. & seqq.* At mihi videntur nimis deprimere communem, quem formare solemus de substantiali conversione conceptum, nimis item recedere à communiore Scholasticorum sensu, qui tamen plurimi habendus est, præsertim ubi potest fieri quæstio de nomine, ut in proposito.

Hinc remanet magis ex professo impugnata opinio, de quâ suprà *num. 15.*, & valdè ex opposito corroborata inter desitionem substantiæ panis, & positio corporis Christi sub speciebus intrinseca, & ex naturâ rei connexio, utpotè quæ necessariò requiritur ad physicam, propriam, & rigorosam rationem transubstantiationis, qualem in Eucharistiâ sustinere convenientissimum est, & ipsimet dignitati mysterii consentaneum.

Sic expedito termino à quo transubstantiationis Eucharisticæ, & modo desitionis substantiæ panis sub propriis accidentibus, occurrit illicò ejusdem transubstantiationis terminus ad quem, & modus positionis corporis Christi succedentis substantiæ panis sub ipsius accidentibus, quia verò circà talem modum plurima est, eaque perplexa opinionum varietas, ægrè potest fieri opinionis aliis præferendæ delectus legitimus, nisi prius tota varietas ad certa capita revocetur, & singula aliquantulum expendantur. Ideò sit

---

§. II.

Expenditur sub certis capitibus varietas opinionum circà modum, quo in Consecratione ponitur Christus sub speciebus.

ASSERT. Varietas opinionum circà modum, quo in consecratione ponitur Christus sub speciebus, potest aptè reduci ad tria capita, seù ad tres classes juxtà tres species, aut quasi species transubstantiationis, & totalis unius substantiæ in aliam conversionis.

Probatur, & explicatur: Bellarminus *in controv. lib. 3. de Sacram. Euchar. cap. 18. §. Secundò notandum est.* Mastrius *hic disp. 3. qu. 12. art. 1. num. 283.*, & plures alii ex doctrinâ Scoti *quodlib. 10. & in 4. dist. 11. quæst. 3.* conversionem dividunt in productivam, conservativam, & adductivam: Conversio productiva est, in quâ terminus ad quem producitur, & ex vi desitionis termini à quo fit per veram productionem existens. Conservativa est, in quâ terminus ad quem conservatur actione, & conservatione connexâ cum desitione termini à quo. Adductiva, vel ut alii loquuntur, translativa est, in quâ terminus ad quem antè conversionem alibi existens non per motum, sed per adductionem, seù translationem simplicem fit existens ibi, ubi desinit terminus à quo: Juxta has tres conversionis species aptè possunt distingui tres opinionum classes: Prima docet in desitione substantiæ panis Christi corpus poni sub speciebus per actionem, quâ producatur secundùm suum esse substantiale: Secunda per actionem, quâ secundùm idem esse substantiale peculiariter, sub speciebus conservetur: Tertia per actionem, quâ ad species transferatur, & fiat præsens, tùm loco, in quo sunt species, tum speciebus ipsis.

Sub primâ classe tres præcipuè opiniones occurrunt. Prima est, quod in transubstantione Eucharisticâ producatur corpus Christi non secundum se, & absolutè, sed ut est id, quod erat panis, seù ut fit ex substantiâ panis. Secunda, quod corpus Christi producatur non actualiter, & formaliter, sed aptitudinaliter, & æquivalenter, quatenus interveniat actio, quæ licet de facto tale corpus non producat, sit de se efficax ad ipsum producendum, & in re produceret, nisi jam productum, & præexistens inveniret. Tertia, quod corpus Christi producatur absolutè

Marginalia: 30 — 31 — 32 — Conversio dividitur in productivam, conservativam, & adductivam. — 33 Opiniones ponentes conversionem Eucharisticã esse productivam.

solutè; & actualiter, & fiat simpliciter existens de novo sub speciebus, actio tamen quâ sic producitur, eo quod supponat ipsum alibi existens, dicenda sit reproductio, vel productio secunda, non communi, & simplici nomine productio.

34 Opiniones ponentes esse conservativam.

Sub secundâ classe occurrunt duæ præcipuæ: Prima est, quod in transubstantiatione Eucharisticâ terminetur ad corpus Christi actio conservativa nova, nova, inquam, non in se, & intrinsecè, sed extrinsecè, & ratione connotati, quatenus corpus Christi, quod jam anteà conservabatur in propriâ specie absolutè, incipiat conservari sub speciebus Eucharisticis ex desitione, seù connotatâ desitione panis, adeo ut titulo talis desitionis deberet conservari etiam ex hypothesi, quod non esset conservandum aliundè. Secunda, quod incipiat conservari actione omninò, & entitativè diversâ ab eâ, quâ conservabatur, & etiam post transubstantiationem conservatur in propriâ specie; & hæc opinio à tertiâ opinione primæ classis videtur solâ voce differre, nam utrùm nova actio influens esse in rem alibi existentem possit dici reproductio, an solùm conservatio; reproductio verò dicatur dumtaxat de eo, quod extitit alio tempore non de eo, quod existit de præsenti in alio loco, multum habet quæstionis de nomine.

35 Opiniones ponentes esse adductivam.

Sub tertiâ classe, seù tertiæ classis opiniones conveniunt in eo, quod non detur in transubstantiatione eucharisticâ aliqua actio terminata ad ipsum esse substantiale corporis Christi, discrepant verò in assignando, ad quid actio transubstantiativa terminetur, aliqui ponunt terminari ad modum substantialem, quo corpus Christi species sustentet: Aliqui ad præsentialitatem localem, quam idem corpus habet ad locum specierum, & species ipsas: Aliqui ad unionem, conjunctionem, aliamvè peculiarem habitudinem ejusdem corporis, corporis ad species: Undè sub hâc classe possunt tres, aut etiam plures opiniones distingui. Porrò harum sicut, & præcedentium opinionum proprios Auctores non retuli, quia Scholastici præsertim non ità recentes obscuriùs in hoc puncto scripserunt, & modo uni, modò alteri videntur opinioni adhæsisse, quin & ipsarum opinionum sensus affertur à diversis diversimodè, aliquæ etiam ab aliis habent vócum potius, quam rerum discrimen; ut facilè quilibet conjiciet consulendo Auctores, qui latius sunt prosecuti opinionum in hâc materiâ seriem, ac multiplicitatem, ut præstiterunt inter alios Suarez *disp.* 50. *sec.* 4. Vasquez *disp.* 181. ferè totâ. Amicus *disp.* 18. *sec.* 3., & Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 12. *art.* 2.

36 Prædictæ opiniones reducuntur omnes ad unam, quæ affirmat, alteram, quæ negat actionem productivam corporis Christi in sacramento.

Porrò, ut ex unâ parte non omninò sinam desiderari in præsenti opinionum Auctores, & ex aliâ istos cum aliquâ certitudine referam, expedit omnes opiniones præmemoratas sub duabus complecti, quarum altera affirmet, altera neget in transubstantiatione novam, & peculiarem actionem (sivè reproductiva, sivè conservativa dicatur) terminatam ad proprium esse substantiale corporis Christi; Quâ ratione stant pro opinione affirmante D. Thomas *hic quæst.* 75. *art.* 4. Nugnus, & Sylvius *eod. art.* Gonetus *disp.* 4. *art.* 2. *num.* 39. Gabriel *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Suarez *hic disp.* 50. *sec.* 5. § *Quibus ergo*. Amicus *disp.* 18 *sec.* 4. Coninchus *quæst.* 75. *art.* 4. *dub.* 3. Arriaga *disp.* 35. *sec.* 2. *num.* 17. Madernus *quæst.* 3. *art.* 6. *num.* 14. Macedo *lib.* 4. *de Clavibus Petri cap.* 9., & alii multi Recentiores cum majori parte Thomistarum, & aliquibus Nominalibus. Stant ex adverso pro opinione negante Scotus *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. Major *eâd. dist. quæst.* 1. Ocham *quæst.* 6. Mayron *quæst penult.* Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 12. *art.* 2. Laurea *disp.* 20 *art.* 7. *num.* 144. Herinex *disp.* 3. *quæst* 8. *nu.* 78. Vasquez *disp.* 181. *cap.* 12. Valentia *disp.* 6. *quæst.* 3. *punc.* 3. § *Quartò sequitur*. Lugus *disp.* 7 *sec.* 6. *num.* 27. Bellarminus *præcis. cap.* 18., & alii Recentiores non pauci cum Scotistis communiter, & majori parte Nominalium, undè habes in hoc puncto opinionem affirmantem, & opinionem negantem universaliter positas dividere ferè ex æquo totam Scholasticorum universitatem: Ut verò utriusque opinionis fundamenta, & merita aliqualiter in universum expendam.

37 Opinio affirmans est theologicè plausibilior, negans est philosophicè facilior.

Adverto primò, opinionem affirmantem in transubstantiatione Eucharisticâ actionem de novo productivam corporis Christi esse faciliorem theologicè, philosophicè difficiliorem; & è contrà opinionem oppositam, quæ talem actionem negat, esse faciliorem philosophicè, theologicè difficiliorem: Ratio est, quia ex unâ parte prima opinio affirmans in majori rigore, & absque omni dubio salvat veram, perfectamque transubstantiationem, nam quidquid sit, utrùm quælibet conversio unius substantiæ in aliam essentialiter requirat, quod tùm terminus à quo substantialiter destruatur, tùm terminus ad quem substantialiter de novo producatur, & quod substantialis sit actio, vi cujus transubstantiatio fit; certè nemo inficiatur, quod illa, in quâ hoc totum evenit, sit cæteris paribus vera, rigorosa, & extrà omnem controversiam cæteris paribus transubstantiatio; prima igitur opinio prædictam actionem affirmans est theologicè facilior, & mysterio Eucharistiæ, ac transubstantiationi Eucharisticæ favorabilior. Ex aliâ parte eadem opinio supponit, quod idem numero effectus possit dependere à duplici actione totali, & non solum si destructus sit, iterum produci diverso tempore, sed etiam, dum adhuc in suâ actuali existentiâ perseverat, reproduci seù iterùm produci in diverso loco, quod est in principiis philosophicis difficile, & juxtà multos repugnans; his difficultatibus non premitur secundâ opinio negans; est igitur prima opinio philosophicè difficilior, & secunda ex adverso philosophicè facilior, difficilior verò theologicè.

38

Adverto secundò, transubstantiationem, quamvis sit ex genere suo disparata à replicatione, semper tamen cum istâ in sacramento

mento conjungi, & corpus Christi, sicut non sine transubstantiatione, ità nec sine replicatione fieri umquam sacramentaliter existens: Hinc dubitatur, utrùm saltem titulo transubstantiationis saltem titulo replicationis debeat reproduci? adeò ut universim nequeat fieri sine reproductione replicatio, quo in puncto licet pars negativa communior, ac receptior sit, nihilominus affirmativa sustinetur à Conincho, & Amico præcitatis, aliisque nonnullis, nec caret solido fundamento, & ego quidem in ipsam vehementer propendeo, sequenti potissimum ratione, ac ratiocinio ductus. Non potest aliquid fieri de novo existens hic, nisi vel hic producatur, vel aliundè huc moveatur; atqui quod alibi existens hic replicatur, fit de novo existens hic, & aliundè huc non movetur, ergo hic producitur; ac per consequens replicari includit produci, vel reproduci, & quoties res aliqua replicatur, necesse est, quod toties reproducatur: Major probatur: Non potest aliquid fieri de novo existens hic nisi vel transeat à non esse simpliciter ad esse hic, & sic habetur in omnium sententiâ productio, quæ est simpliciter transitus à non esse ad esse; vel transeat à non esse hic, seù ab esse alibi ad esse hic, & sic habetur motus localis, qui est transitus ab esse in uno loco ad esse in alio loco; ergo verè non potest aliquid fieri de novo existens hic, nisi vel hic producatur, vel aliundè huc moveatur; quod confirmo à pari; Non potest aliquid fieri existens in hoc tempore, nisi vel in hoc tempore producatur, vel ab alio tempore, in quo fuerit productum, usque ad hoc tempus duret, ergo similiter non potest aliquid fieri existens in hoc loco, nisi vel in hoc loco producatur, vel ab alio loco, in quo fuerit productum, usque ad locum hunc moveatur, nam sicuti per durationem res successivè coexistit pluribus differentiis temporis, & transit ab uno tempore ad aliud, ità per motum successivè coexistit pluribus spatiis loci, & transit ab uno loco ad alium. Minor primi argumenti quo ad primam partem patet, quia quod hic replicatur fit hic de novo præsens, fit igitur hic de novo existens, ubi enim aliquid est præsens est existens, nec potest haberi præsentia, ubi non habetur existentia: Minor eadem quo ad secundam partem probatur, tùm quia quod alibi existens hic replicatur, non desinit esse alibi, ergo non aliundè huc movetur, cum motus localis non fiat sine deperditione termini à quo, & acquisitione termini ad quem, & acquisitio novi loci sine deperditione prioris possit ad summum dici motus localis inadæquatus, & major extensio in loco, potius quam motus ad locum, tùm quia quod alibi existens hic replicatur, si aliundè huc movetur, vel movetur transeundo per medium, vel non transeundo per medium; hoc secundum suppono repugnare motui locali ex genere suo; primum dici nequit, quia secùs ad replicationem requireretur temporis successio, & quod in majori distantiâ replicatur, majorem temporis successionem, majusque intervallum requireret, ex quo in proposito sequitur, verba consecrationis non habere suum effectum in instanti ultimo terminativo, sed antè tale instans corpus Christi incipere à Cælo moveri versus hostiam, & percurrere medium, quod à Cælo ad Altare intercedit.

Replicatio præsentiæ nequit fieri sine reproductione rei præsentis.

39

40

41

Adverto tertiò, reproductionem corporis Christi, prout in sacramento replicatur, habere aliquam peculiarem difficultatem, quam non habent aliarum rerum, prout in diversis locis replicantur, reproductiones, nam regulariter res, quæ in uno loco existit, non est causa suæ replicationis, sicuti tamen Christus, seù Christi humanitas existens in Cælo est causa suæ replicationis in Sacramento, sicque, quod replicatio reproductionem includat, infert in replicatione eucharisticâ, non in aliis replicationibus, idem esse causam sui ipsius, quæ certè est peculiaris, & valdè gravis difficultas; licèt ab ipso Arriaga *disp. 35. sec. 1. num. 6.* breviter se expediat, supponendo Christum esse causam suæ replicationis, & suæ existentiæ in sacramento, non quatenùs nunc in Cælo existens in eam influat, dum Sacramentum conficitur, sed præcisè quatenus existens in viâ eam meruit, dum sacramentum instituit: Licet item nos ipsi eâdem difficultate non admodùm premamur, quia ex una parte volumus quidem Christum influere de facto, dum sacramentum conficitur, at moraliter solum non physicè, & ex aliâ parte jam in tractatu de Incarnatione docuimus, Christum posse causare moraliter, seù promereri propriam unionem hypostaticam, propriamque existentiam quo ad secundum esse, nimirum quo ad ipsius conservationem, ex suppositione quod foret deperdenda, vel quoad restitutionem, ex suppositione quod foret deperdita. Licèt, inquam, hæc ità sint, placet adhuc difficultati occurrere in toto suo robore, & prout supponere potest Christum physicè concurrere ad actionem transubstantiativam, & replicativam sui in sacramento: Ideò

42

Idem potest producere se ipsum secundò, quamvis non primò,

Adverto quartò, aliud esse primò producere, aliud secundò producere, seù reproducere se ipsum; ex eo quod unum repugnet, non sequitur repugnare, & alterum, neque militant eædem pro utroque rationes repugnantiæ: Primum repugnat, quia infert rem præexistere suæ primæ productioni utpotè suæ primæ productionis causam: infert rem in eodem, idest in primo suæ existentiæ instanti esse priorem, & posteriorem se ipsâ, tamquam in tali primo instanti causam, & effectum sui ipsius; infert rem prius operari, quam esse, quia antequam supponatur existens, supponitur operans, se ipsam scilicet producens: Istæ illationes, & rationes repugnantiæ non militant in secundo, nimirum in eo, quod res se ipsam reproducat, nam in hâc hypothesi res præexistet suæ secundæ, non primæ productioni, utpotè suæ secundæ, non primæ productionis causa: erit prior, & posterior se ipsâ, causa & effectus

secun-

secúdum diversa instantia, & diversas actiones, prior pro instanti, quo fuit primò producta ab alio, posterior pro instanti, quo secundò producitur à se ipsâ; Non erit prius operans, quam existens, quia antequam operetur suam productionem secundam, supponitur existens per productionem primam: Neque dicas, cum his omnibus non vitari, quin eadem numero res sit causa, & effectus, producens, & producta, ac per consequens quin causa sit indistincta ab effectu, producens indistinctum â producto; quod non solum est in principiis philosophicis falsissimum, sed & absurdissimum in theologicis, intercludit quippe aditum probandi, & explicandi ex ratione producentis, & producti divinarum Personarum distinctionem.

43 Contrà enim; Causa, & effectus primò, non secundò productus, producens, & productum, non producens, & reproductum essentialiter distinguuntur; Vel (quod in idem recidit) causa, & effectus, producens, & productum essentialiter distinguuntur, ubi intervenit unica actio, non ubi duplex realiter distincta, ut evenit in reproductione sui, in quâ id quod reproducitur, semper simul dependet, & conservatur ab actione aliâ, quâ fuit primò productum; sicque non intercluditur aditus &c. quia Theologi probant, & explicant distinctionem Personarum in divinis ex ratione producentis, & producti, non ex ratione producentis, & reproducti, ex productione non ex reproductione; Imò repugnat in divinis ad intrà reproductio, primò, quia non est nisi productio rei, vel in diverso tempore, vel in diverso loco. Deus autem ratione æternitatis, & immensitatis est necessario per primum fuisse in omni tempore, & in omni loco, nec potest umquam in novo tempore, aut in novo loco poni: Secundò, quia reproductio fit secundum potentiam obedientialem, nam naturaliter unicuique rei debetur unica totalis actio, in divinis autem ad intrà repugnat fieri aliquid secundum potentiam obedientialem: Tertiò, quia reproductio debet esse actio realiter distincta à productione, & huic contingenter adveniens, in divinis autem ad intrà nihil advenit contingenter, & realiter distiguuntur solùm, quæ relativè opponuntur, quâ ratione non opponuntur productio, & reproductio.

In divinis ad intrà repugnat reproductio.

44 Adverto quintò, Auctores negantes in transubstantiatione eucharisticâ novam productionem corporis Christi, & ponentes solum productionem novæ præsentiæ, aut alterius modi accidentalis, solere distinguere transubstantiationem, & quamlibet conversionem ab actione transubstantiativâ, & conversivâ, adeò ut conversio connotet præsuppositivè, aut concomitanter actionem conversivam, at non importet ipsam in proprio conceptu formali, & in se formaliter conversio substantialis nihil aliud sit, quam ordo successionis unius termini substantialis ad alium terminum substantialem: Hinc proportionaliter distinguunt terminum formalem conversionis à termino formali actionis conversivæ, & in conversione substantiali admittunt necessariò requiri, quod substantialis sit formalis terminus ipsius conversionis, at non quod similiter substantialis sit formalis terminus actionis conversivæ: Ulteriùs deindè procedendo, ad salvandam in conversione eucharisticâ rationem transubstantiationis, & conversionis simpliciter substantialis, putant parùm referre, quod actio conversiva, & transubstantiativa sit in se formaliter accidentalis, & terminata ad præsentiam, vel substantialis, & terminata ad substantiam corporis Christi, dummodo hæc substantia sit formalis terminus illius successionis, & ordinis, in quo consistit transubstantiatio sumpta formaliter.

Conversionis ab actione conversiva, transubstantiationis ab actione transubstantiativa distinctio.

45 Tandem, ut cohærenter loquantur, monent conversionis divisionem, quam ex iisdem Auctoribus *præced. nu.* 32. retulimus, pertinere ad conversionem sumptam non præcisè, & formaliter, sed concomitanter, pro ut includit actionem conversivam: Pro quibus omnibus inter Auctores *num* 36. præcitatos videri possunt singillatim Vasquez *cap.* 11. & Mastrius *art.* 2. *num.* 300., & *seqq.* item *art.* 3. *num.* 309. & 312.

Sic aliqualiter expensis doctrinis universalibus, & fundamentalibus, quibus in opiniones contradictoriè oppositas Scholastici dividuntur in explicando, & stabiliendo, utrùm actio, quâ Christus ponitur sub speciebus sit ipsius Christi productiva, seù reproductiva, an non? facilè quisque conjiciet nos propendere in partem affirmantem, pro quâ ex professo sustinenda, & exponendâ sit

---

§. III.

Statuitur modus, quo in consecratione ponitur Christus sub speciebus, & quo posteà sub iisdem desinit.

46 ASSERT. I. In consecratione Christus substantialiter reproducitur, seù per actionem propriæ substantiæ reproductivam sub speciebus ponitur. Est assertum satis commune, cujus tùm Propugnatores, tùm Oppugnatores ferè ex æquo divisos habes *præced. num.* 36.

Christus sub speciebus reproducitur;

Probatur. In consecratione panis transubstantiatur in Christi corpus, & Christi corpus replicatur sub panis speciebus; atqui tùm titulo transubstantiationis, tùm titulo replicationis necesse est Christum substantialiter reproduci, seù per actionem propriæ substantiæ reproductivam sub speciebus poni; ergo in consecratione Christus substantialiter reproducitur, seù per actionem &c. Major continet duas fidei veritates, quarum altera *ex præced. cap.* 4. altera ex hujus capitis initio, utraque ex toto præsentis tractatus progressu satis, superque innotescit.

47 Probatur minor propositio quo ad primam partem, nimirùm quòd titulo tran-

Tum titulo transsubstantiationis,

substantiationis necesse sit Christum substantialiter reproduci; eo ipso, quod in consecratione panis transsubstantiatur in Christi corpus, Christi substantia est formalis terminus eucharisticæ transsubstantiationis; atqui, sivè formalis terminus cujuslibet conversionis ex genere suo debeat produci, aut reproduci, sive non, quod indefinitum relinquo, saltem debet reproduci formalis terminus conversionis substantialis, seù transsubstantiationis eucharisticæ ex propriâ specie, quia *ex praeced. num.* 4. & 37. dum terminus formalis de novo producitur, aut reproducitur, habetur cum majori rigore, majori perfectione, majorique certitudine substantialis conversio; transsubstantiatio autem, seù conversio substantialis eucharistica debet sustineri eo majori rigore, quo potest, eâ item majori, quâ potest perfectione, & certitudine, hoc quippè confert ad majorem excellentiam mysterii, & ad magis inconcussam veritatem transsubstantiationis contentæ in tali mysterio, ergo. Confirmatur ex eo, quod ut ex Suario arguit Arriaga *praecit. disp.* 35. *sec.* 3. *num.* 20. & 21. debemus, quantum possumus, favere divinis miraculis, ipsisque tribuere nobiliorem, & decentiorem, quem possumus, modum; est autem in miraculo conversionis eucharisticæ nobilius, & decentius Christum substantialiter produci, quàm localiter adduci, undè aliqua alia miracula, quæ fieri potuissent per adductionem, fatemur facta per productionem, sic in nuptiis Galileæ vinum miraculosum fatemur fuisse ibi productū, non adductum aliundè, fatemur pariter fuisse de novo productos non aliundè adductos panes, & pisces, quibus pavit Christus in deserto multa hominum millia: Favet huic argumento Augustinus *lib.* 18. *de Civit. cap.* 18. ubi miraculosas conversiones, quæ à Deo, & apparentes, quæ à demone fiunt, videtur distinguere in eo, quod illæ, non istæ per veram productionem fiant.

48

Tùm titulo replicationis.

Probatur eadem minor quo ad secundam partem, nimirùm quod titulo replicationis necesse sit Christum substantialiter reproduci. Necesse est Christum reproduci secundum illud, secundum quod replicatur, atqui dum ponitur sub speciebus, secundum substantiam, seù substantialiter replicatur, fit enim speciebus substantialiter præsens retentâ priore præsentiâ extrà species; ergo dum Christus ponitur sub speciebus, necesse est ipsum secundum substantiam, seù substantialiter reproduci, hocque provenit ex titulo replicationis etiam abstrahendo à transsubstantiatione: Minor est veritas fidei, de quâ suprà *cap.* 4. Major propositio, quamvis non solum non sit certa, sed nec sit etiam admodum communiter recepta, sufficienti tamen, & vehementi (ut mihi videtur) ratione suadetur *praeced. num.* 29., & *seqq.* ubi pariter occurritur peculiari repugnantiæ, quam habere potest substantialis reproductio Christi cum ejusdem replicatione ut sacramentali, seù ut de facto in sacramento fit, ideò in hoc puncto, quod aliundè parum theologicum est, nec omninò necessarium ad comprobandam, & sustinendam assertam actionem reproductivam, non expedit immorari, & quidquam ampliùs proferre, expedit verò ulteriùs procedere in necessitate ejusdem actionis, quatenùs oritur, & deducitur ex transsubstantiationis titulo, qui hujus loci proprius, & magis theologicus est, sicque

49

Præcipuè verò, & magis ad rem nostrâ priore titulo.

Probatur assertum singillatim ex titulo transsubstantiationis, ex quo simul confirmatur quo ad primam partem minor propositio præcedentis probationis: Actio, quâ Christus in consecratione ponitur sub speciebus, est ad terminum substantialem, & non ad alium, quàm ad Christi substantiam, nec aliter, quàm ad istam producendam, si simpliciter non existat, aut reproducendam, si non existat hic, ubi actio exercetur, existat verò alibi, ut semper de facto evenit; ergo actio, quâ in consecratione Christus ponitur sub speciebus est reproductiva substantiæ Christi, adeòque in consecratione Christus substantialiter reproducitur.

50

Probatur antecedens quò ad ly *est ad terminum substantialem*: Actio quâ Christus ponitur sub speciebus, est transsubstantiativa, ergo est substantialis, & ad terminum substantialem, vel ad substantiam; nam actio transsubstantiativa, vel ipsa transsubstantiatione distinguitur; vel non: Si non distinguitur, est igitur ad eumdem terminum, ad quem est transsubstantiatio, quam Adversarii, ipsi fatentur habere terminum substantialem: Si distinguitur, est quasi via ad transsubstantiationem, quæ in se substantialis est, cum sit species substantialis conversionis, & pro termino specificativo, & ad quem habeat aliquid substantiale; ergo actio transsubstantiativa, qualis est ea, quâ Christus in consecratione ponitur sub speciebus, sivè non distinguatur à transsubstantiatione, sivè juxtà plausibilem doctrinam *num.* 44. præmemoratam distinguatur, est substantialis, & ad terminum substantialem: & quando talis necessariò non esset ex genere suo, deberet adhùc talis concedi actio transsubstantiativa, de quâ agitur, quia quod talis concedatur, favet rigori, perfectioni, & certitudini transsubstantiationis euchatisticæ, ut proportionaliter argumentabar *num* 47 ad probandum in transsubstantiatione eucharisticâ formalem terminum ad quem de novo productum.

51

Probatur idem antecedens quò ad ly *Non ad alium quàm ad Christi substantiam*; quia ex jam dictis actio transsubstantiativa, si à transsubstantiatione formaliter sumptâ non distinguitur, est ad eumdem terminum, ad quem est transsubstantiatio formaliter sumpta, & hæc certè est ad Christi substantiam; si verò distinguitur, habet pro termino ipsam transsubstantiationem, non ratione substantiæ desinentis, quia desitio nequit formaliter, & per se primò terminare actionem positivam, ergo ratione substantiæ succedentis, quæ est substantia corporis Christi: Deindè si quid aliud substantiale est assignabile

bile pro formali termino actionis transubstantiativæ, maximè modus substantialis sustentans accidentia à propriis substantiis separata, at per nos male supponitur modum hunc dari, & quando daretur, malè adhùc astrueretur esse terminus actionis transubstantiativæ, tum quia sequeretur panem in talem modum transubstantiari, tùm ipse modus subjectaretur in substantiâ corporis Christi; supponeret igitur corpus Christi existens sub speciebus, sicque sub istis non poneretur per actionem transubstantiativam, & remaneret inquirendum, per quamnam actionem ponatur.

52 Probatur idem antecedens quò ad ly *Nec aliter quàm ad istam reproducendam* quibus particulis continetur potissima ratio dissidii, & medulla difficultatis: Probatur, inquam, quia actio quâ Christus sub speciebus ponitur, nec est ad Christi substantiam adducendam, nec ad eamdem conservandam, nec est excogitabilis, aut saltem mihi non occurrit excogitatus alius verisimilis modus, quo ad ipsam sit, ergo si ad ipsam est, non est aliter quàm ad ipsam reproducendam: Non est ad Christi substantiam adducendam, seù non est actio adductiva, quia actio adductiva non est substantialis, cum habeat substantiam solùm pro termino materiali, & concomitanti, pro formali locum, seù localem præsentiam, ad quam substantia adducitur: undè etiam actio adductiva solet ex genere suo dici translativa, translocativa, non transubstantiativa; & quando ad actionem substantialem sufficeret habere substantiam pro termino materiali, dealbatio & calefactio v. gr. essent actiones substantiales, quia terminantur ad concretum importans pro materiali substantiam: Non est item actio, de qua agitur, ad Christi substantiam conservandam, seù non est actio purè conservativa, quia vel est conservatio nova, quâ Christus conservetur præcisè sub speciebus, vel est conservatio antiqua, qua Christus conservabatur, & jugiter conservatur in Cælo: Neutrum dici potest: non primum, quia conservatio est continuata productio, nova igitur conservatio est nova continuata productio, & novam productionem supponit; Non secundum, quia actio, quâ Christus conservatur in Cælo, abstrahit omninò à loco specierum, & à modo, quo Christus sub speciebus existit, non potest igitur ex vi illius poni Christus sub speciebus.

Actio adductiva substantiæ non est substantialis.

Respondebis ex Mastrio *præcit. art. 3. n. 309.* hæc omnia eludi, si non solum distinguatur actio transubstantiativa à formali transubstantiatione, sed insuper in ipsâ actione transubstantiativâ distinguatur ratio transubstantiativi à ratione adductivi, & productivi, dicaturque toto nostro ratiocinio fortè deduci actionem transubstantiativam, ut est adductiva ad locum, aut productiva præsentiæ, esse accidentalem non substantialem, nec terminatam ad Christi substantiam, at cum hoc stare, quod talis sit sub ratione transubstantiativi. Verùm hæc responsio videtur formalitatibus, & terminis ludere, & semper relinquit explicandum, quid formaliter præstet, quavè ratione ad Christi substantiam terminetur actio transubstantiativa, ut transubstantiativa, & ut à Mastrio ponitur distincta à productione, conservatione, & adductione illius substantiæ.

53 Dices primò impugnando assertum directè. Substantialis reproductio corporis Christi sub speciebus infert plura absurda, tùm philosophica, tùm theologica: Ex philosophicis primum sit, quod idem effectus producatur, & conservetur per plures actiones totales; secundum, quod res habeat esse ante suam productionem, & producatur absque transitu à non esse ad esse; Tertium, quod detur nova actio sine novo termino, quod habet peculiarem difficultatem in nostris principiis, quibus non distinguimus adæquatè actionem à termino, sed in complexo principii, & termini, seù causæ, & effectus collocamus: Ex absurdis theologicis primum sit, quod passim, & in singulis consecrationibus renovetur, ac iteretur Incarnatio, & unio hypostatica; secundum, quod in sacramento Christus Dominus non sit filius B. Viginis, sed existat per productionem substantialem diversam ab eâ, quâ fuit genitus ex B. Virgine: Tertium, quod sicuti Christus quotidiè concurrit ad conficiendum sacramentum, ità quotidiè concurrat ad reproducendum se ipsum, & sit quotidiè causa sui ipsius; Quartum, quod Christus quoties sub speciebus desinit, seù species deserit, substantialiter destruatur, sicuti quoties sub speciebus ponitur, substantialiter producitur. Sed contrà:

Absurda philosophici contrà reproductionem Christi in sacramento.

Absurda theologica cõtrà eamdem.

54 Quò ad absurda philosophica jam suprà *num.* 37. observavi asseram de reproductione doctrinam esse philosophicè difficilem; nihilominus etiam independenter ab hoc mysterio eam in philosophiâ tradidimus, & absurda, quæ objiciuntur, diluimus; pro nunc iterum breviter ad primum, dico nullam esse absurdi speciem in eo, quod idem effectus producatur, & conservetur per plures actiones totales, actionem enim esse totalem non est esse solam, & unicam: Accedit in proposito actiones, quibus Christus conservatur in Cælo, & producitur in sacramento, non sunt ejusdem rationis; & illæ, quibus producitur in diversis sacramentis, licet sint ejusdem rationis, non sunt principales, sed instrumentales, ex quo capite nobiscum sentiunt in præsenti plures Thomistæ negantes in Pilosophiâ posse effectum simpliciter, & absolutè pendere à duplici actione totali. Ad secundum, dico rem non posse habere esse antè productionem primam, & unicam, benè verò antè productionem secundam, & iteratam non posse item produci primò, bene verò secundò absque transitu à non esse ad esse, loquendo de non esse simpliciter; ratio est, quia secunda productio non est productio simpliciter, nec dat simpliciter, sed tali modo, vel in tali loco esse. Ad tertium, dico aliud esse, quod detur actio sine termino,

Occurritur prioribus.

mino, aliud, quod detur multiplex actio ad unum, eumdemque terminum; illud, non istud (ut potest exemplificari in relatione) absurdum est; istud verò, non illud sequitur ex nova actiòne sine novo termino: Nec facit peculiarem alicujus momenti difficultatem inadæquata actionis à termino indistinctio, sed solum infert actionem novam sine simpliciter novo termino distinguî ab antiquâ solùm secundùm quid, vel solùm ex parte principii, non ex parte termini.

55 Occurritur posterioribus absurdis.

Quò ad absurda theologica, puto eaminus negotium facessere: Ad primum, dico longissimè distare ab absurdo, imò spectare ad excellentiam Mysterii, tum Eucharistiæ, tùm Incarnationis, quod in singulis consecrationibus renovetur, ac iteretur Incarnatio, & unio hypostatica, retentâ suâ unitate numericâ: Ad secundum, dico, ut Christus Dominus, sit in sacramento filius Virginis, sufficere, quod sit idem numero, qui sit genitus ex Virgine, & habeat idem numero esse substantiale, quod à Virgine per generationem accepit, nec certè necesse est, quod ponatur per generationem in sacramento, nec ulli venit in mentem, quod actio transubstantiativa sit generativa: Ad tertium dictum est sufficienter *num.* 41., & 42. Ad quartum dicetur infrà *num.* 64., *& seqq.*

56 Dices secundò: Actio substantialiter reproductiva, dato quod sit possibilis, neque est necessaria, neque sufficiens ad ponendum, ut in consecratione ponitur, Christum sub speciebus, ergo Christus in consecratione non reproducitur substantialiter: Probatur antecedens quò ad primam partem, quia Christus in consecratione ponitur sub speciebus per transubstantiationem, & ex vi, seù veritate verborum: ex neutro autem capite est necessaria actio reproductiva: non ex primo, quia transubstantiatio debet quidem esse ad terminum substantialem, at abstrahit ab eo, quod iste terminus adducatur, vel producatur: Non ex secundo, quia verba significant, & ad sui veritatem requirunt realem præsentiam Christi sub speciebus, at abstrahunt à modo, quo Christus præsens fiat, ergo: Probatur idem antecedens quo ad secundam partem, quia Christus in consecratione ponitur sub speciebus ex desitione substantiæ panis, & cum reali præsentiâ, tùm ad species, tùm ad locum specierum, ad neutrum autem est sufficiens actio reproductiva; non ad primum, quia reproductio Christi sub speciebus nullam habet ex naturâ rei connexionem cum desitione panis; non ad secundum, quia productio, aut reproductio substantiæ, utpotè actio substantialis terminatur præcisè ad esse substantiale, non ad præsentiam, aliumvè modum accidentalem ipsius. Sed contrà: Nego utramque antecedentis partem.

57 Ad probationem primæ, pro transubstantiatione dico, hanc, si forte non ex toto suo genere, saltem ex propriâ ratione transubstantiationis perfectæ, & rigorosæ, qualis est eucharistica, debere esse ad terminum substantialem, qui de novo producatur, aut reproducatur; præter quod Adversariorum adductio cum per ipsos sine motu locali fiat, nequit aliter fieri, quàm cum substantiali reproductione, quod utrumque jam in asserti probatione ostensum, & discussum est: Pro veritate verborum dico, ipsa aliquid amplius significare, ac per consequens efficere, & ad sui veritatem requirere quàm realem præsentiam; alioqui in formâ sanguinis ly *Hic* deberet sumi adverbialiter, & in formâ Corporis pro ly *Hoc* deberet, aut certè posset proferri adverbialiter *Hic* quod nec Adversarii concedunt, in verbis igitur consecratoriis ly *Hoc* ly *Hic* nō purum esse, ut itá dicam locale, sed simul esse substantiale significant, efficiunt & ad sui veritatem requirunt: Hinc Hieronymus *epist. ad Heliodorum* ait *Sacerdotes Christi corpus sacro ore conficere*, & teste Goneto *disp.* 4 *art.* 2, *nu* 39. Sanctis Gregorio, & Augustino tribuitur celebris illa sententia, *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis, Christus quotidiè incarnatur*: Nec desunt, ut videre est apud Suarium *disp.* 50. *sec.* 4. §. *Secundò principaliter*, plures alii Sancti Patres locutionibus non dissimilibus eamdem significationem verborum consecrationis, & totam nostram de Christi reproductione doctrinam vehementer confirmantes, dicentes scilicèt in sacramento Christum, vel corpus ejus, aut sanguinem fieri, effici, confici; creari; & ne ex verbo *creari* scrupulus oriatur, benè Arriaga *disp.* 35. *sec.* 3. *num.* 18. observat passim in Patribus, Conciliis, & Scripturis sumi pro produci: quin & *ibid.* occurrit evasioni, quâ aliqui ex D. Thomâ *quæst.* 75. *art.* 8. *in c.* contendunt deducere illas locutiones esse improprias: at ex ipso S. Doctoris textu ipsius mens aliis Patribus juxtà nostrum præsens intentum conformis elucet, in verbis illis, *Possumus verè, & propriè dicere, quod ex non ente fit ens, & ex pane corpus Christi.*

Occurritur rationibus contrà necessitatem:

58 Occurritur rationibus contrà sufficientiam actionis reproductivæ Christi in sacramento.

Ad probationem secundæ: Pro desitione substantiæ panis dico reproductionem corporis Christi qualemcumque, & ex genere suo non habere quidem ex naturâ rei connexionem cum desitione panis, benè verò reproductionem talem, & ut de facto in sacramento fit, ex efficaciâ, & veritate verborum significantium corpus Christi, ibi poni loco substantiæ panis, & modo ex naturâ rei incompossibili cum eo, quo propriis accidentibus subest panis substantia, ut attigimus *cap.* 4. §. 3. *num.* 41. & *cap.* 6. §. 1. *num.* 22. Pro reali præsentiâ ad species, & locum specierum, dico in primis cum Maderno *quæst.* 4. *art.* 6. *num.* 18. collocando, ut nos collocamus, præsentiam non in simplici entitate, sed in complexo indistantiæ unius ab alio, rectè posse sustineri, quod corpus Christi fiat præsens speciebus, & loco specierum absque aliâ actione ab eâ, quâ reproducitur, à speciebus, & loco specierum indistans: Deindè quidquid sit de hoc,

intendo

intendo quidem asſertam actionem reproductivam ſe ſolâ ponere ſubſtantialiter corpus Chriſti ſub ſpeciebus, ſe ſolâ eſſe tranſubſtantiativam, at non contendo ſe ſolâ præſtare formaliter ea omnia, quæ ad ſacramenti, aut verborum veritatem requiruntur; & ſicuti ſupra *cap. 4. §. 3. num. 41.*, & *cap. 6. §. 1. num. 22.* præter actionem reproductivam, de quâ in præſenti, admitti actionem, qua corpus Chriſti effectivè ſuſtentando fiat ipſis ſacramentaliter præſens, ità nunc abſtrahendo à complexis nil prohiberet admittere actionem cauſativam ubicationis, quâ idem corpus fiat præſens localiter ſpeciebus, & loco ſpecierum.

59 — Chriſtus ſub ſpeciebus deſinit per ceſſationem actionis reproductivæ, ſeù deſitionem ſubſtantialem innominatam;

Aſſert. 2. Quando Chriſtus deſinit eſſe ſub ſpeciebus, non deſinit per ſolam mutationem extrinſecam ſpecierum, non per ſolam mutationem accidentalem propriæ præſentiæ; non per mutationem ſubſtantialem, quâ aut annihiletur, aut tranſubſtantietur; ſed per mutationem ſubſtantialem innominatam, quâ deperdit ſubſtantialem influxum, ſeù actionem, & proprium eſſe ſubſtantiale, ut reproductum. Ità Amicus *hic diſp. 22. num 9.* Arriaga *diſp. 39. ſec. 1.* Gonetus *diſp. 5. art. 5.* Madernus *quæſt. 4. art. 9.*, & ægrè poſſunt ſalvâ doctrinæ coherentiâ aliter ſentire reliqui Auctores pro præcedenti primo aſſerto ſuprà relati *num. 36.* undè Suarez, qui pro tali aſſerto ſtetit, dum poſteà *diſp. 54. ſec. 1. §. Dico ſecundò* docet Chriſtum deſinere eſſe ſub ſpeciebus per ſolam amiſſionem præſentiæ, cum admiratione excipitur ab Arriagâ mox *cit. ſec. 1. num. 2.*, & exiſtimatur dicere fortaſsè voluiſſe, quod nihil aliud ab actione ſubſtantiali diſtinctum amittat niſi præſentiam; nec incongruè idem poteſt exiſtimari de Sylvio *hic quæſt. 76. art. 6.* in fine aliiſque nonnullis, quos habuimus in priore aſſerto conſentientes, nunc verò videntur in iſto poſteriore diſſentire: E contrà optimo jure, & ex neceſſitate ſervandi doctrinæ cohærentiam, habemus in præſenti aſſerto diſſentientes, & Adverſarios illos, quos tales habuimus in aſſerto præcedente, qui ſicuti ibi ità, & hic in varios modos dividuntur in ipſo aſſerto inſinuatos; ex his tamen duo ſunt præcipui, & à gravibus Auctoribus traditi, quos mox referam, modos ipſos impugnando, & probando, ac explicando ſingulas aſſerti partes.

60 — Non per ſolam mutationem, & deſitionem ſpecierum.

Prima igitur pars eſt contrà Alenſem *1. par. quæſt. 45. memb. 1. art. 1.* Marſilium *in 4. qu. 7. art. 1. ad 6.* Ledeſmam *quæſt. 17. art. 6. dub. 5.*, & Cajetanum *hic quæſt. 76. art. 6.*, qui ut refert Suarez *præcit. ſec. 1. §. Prima Sententia*, docuerunt Chriſtum deſinere eſſe ſub ſpeciebus per denominationem extrinſecam à mutatione ſpecierum, ſicuti Deus deſinit eſſe in creaturâ per denominationem extrinſecam à mutatione creaturæ, & quia hoc exemplum affert D. Thomas *eod. art. 6.* ubi etiam expreſsè ſubdit Chriſtum deſinere ſub ſacramento *ſolum per hoc, quod ſpecies deſinant*, Auctores mox adducti putant ſe cum S. Doctore ſentire: Sed immeritò, quia S. Doctor cenſendus eſt Dei exemplum afferre ut ſimile ſolum in eo, quod ſicut inceptio, & ratio deſitionis Dei in creatura eſt creatura non Deus, ita inceptio, & ratio deſitionis Chriſti in ſacramento ſint ſpecies non Chriſtus, eodemque modo in verbis, quæ ſubdit, debet intelligi de inceptione, & ratione deſinendi, non de deſinere adæquatè, & conſummatè accepto; cæterùm ſi exemplum in omnibus procederet, deſinentibus ſpeciebus remaneret Chriſtus in loco, in quo ſpecies deſinunt, ſicuti deſinente creaturâ remanet Deus in loco, in quo creatura deſinit; ſi item verba D. Thomæ abſolutè procederent, non poſſet Chriſtus deſinere eſſe ſub ſpeciebus, niſi ſpeciebus deſinentibus, quod falſiſſimum eſt. Sic everſo fundamento doctrinæ contrariæ remanet probata prima aſſerti pars; in cujus confirmationem addo, quod Chriſtus non eſt ſub ſpeciebus per ſolam exiſtentiam ſpecierum, non deſinit igitur eſſe ſub illis per ſolam earumdem non exiſtentiam, ſeù deſitionem.

61 — Non per acquiſitionem novæ præſentiæ in Cælo.

Secunda pars duas habet contrà ſe opiniones, prout enim mutatio præſentiæ poteſt dupliciter fieri, aut per motum localem, aut per ſimplicem mutationem purè deperditivam, habetur una opinio docens Chriſtum deſinere eſſe in ſacramento per hoc, quod motu locali continuo in Cælum aſcendat, & toties ibi novam præſentiam acquirat, quoties eam, quam ſub aliquibus ſpeciebus habebat, amittit: Hæc opinio à Ledeſma apud Suarium *præcit. ſec. 1. §. Tertia ſententia*; tribuitur Canoniſtis, & Suarez ipſe teſtatur ab aliquibus ſui temporis Theologis fuiſſe publicè propugnatam; eamdem ex parte docuerunt Guitmundus, & Magiſter relati *præced. cap. 6. num. 97.* Verùm Arriaga *præcit. ſec. 1. num. 3.* vehementer admiratur, quod defenſores habuerit, certè eſt nunc prorsùs obſoleta, & meritò cenſetur abſurda, eo quod quaſi in infinitum multiplicet locales Chriſti motus à terrâ ad Cælum, inanes præſentiarum replicationes, & vana, ut ità dicam, miracula, nec explicet, quomodò Chriſtus ſub ſpeciebus deſierit, aut quo tranſierit in nocte cœnæ, & aliàs quando nondum in Cælo ſecundum præſentiam naturalem exiſtebat, quæ & ſimilia abſurda dearticulatiùs proferuntur ab Arriagâ, & Suario *ſec. 1.* mox citatâ.

62 — Non per puram deperditionē præſentiæ ſacramentalis:

Altera opinio eſt, quod Chriſtus deſinat eſſe in ſacramento per ſimplicem mutationem deperditivam, nimirum per hoc præcisè, quod deperdat præſentiam ad ſpecies, & ad locum ſpecierum, quam acquiſivit in conſecratione: Ità cohærenter ad ſua principia Scotiſtæ communiter; Nominales majori ex parte, & non pauci Recentiores arbitrati Chriſtum in conſecratione fieri ſub ſpeciebus exiſtentem per accidentalem dumtaxat ſui mutationem, & per ſolam acquiſitionem novæ præſentiæ, ut retulimus *præced. num. 36.* & poſteà *num. 46.* improbavimus, undè Auctores opinionis, de quâ in præſenti, licèt ſuis principiis benè cohæreant, remanent ex ipſâ ſuorum principiorum improbatione impu-

impugnati, & unâ simul secunda asserti pars ex utriusque opinionis sibi oppositæ impugnatione remanet comprobata.

63 Tertia pars, quoscumque habeat Adversarios, non enim invenio nominatim referri aliquem Auctorem, qui docuerit Christum, aut per anihilationem, aut per transubstantiationem sub speciebus desinere; tertia, inquam, pars probatur, quia Christus desinens esse sub speciebus, nec abit in nihil simpliciter, nec in nihil propriæ substantiæ, cum remaneat secundum propriam substantiam in Cælo; atqui quod anihilatur debet abire in nihil simpliciter, & desinere in omni, non in aliquo tantùm loco; quod transubstantiatur, seu terminus à quo transubstantiationis debet abire in nihil propriæ substantiæ, & non remanere secundum aliquid substantiale; ergo. Præterea certè per transubstantionem Christus non desinit, quando, ut divinitùs potest, nullâ aliâ substantiâ sub speciebus succedente desineret. Tandem transubstantiatio fit sub aliquo tertio, sub quo detur connexio inter desitionem unius substantiæ, & inceptionem alterius; Desitio autem Christi sub speciebus non magis cum unius, quàm cum alterius substantiæ inceptione connectitur. Hincque obiter, & à fortiori constat Christum sub speciebus non desinere per corruptionem propriè dictam, nam pro hâc tertium commune debet esse materia, sub quâ nova forma, succedat in locum præcedentis, ac recedentis, in materiâ autem corporis Christi nulla forma succedit, sicuti nec ab eâdem materia recedit forma præcedens, alioqui Christus sub speciebus non esset immortalis, imò toties moreretur, quoties species desereret.

Non per anihilationem:

Non per transubstantiationem.

Non per corruptionem propriè dictâ.

64 Probatur jam quarta asserti pars, tùm ex inductione per alios excogitabiles desinendi modos factâ, tùm ex proportione, quæ servatur desitionem inter, & inceptionem, dum ponitur Christus desinere modo directè opposito inceptioni, & per cessationem illius actionis, per cujus positionem incepit: Rectè autem appellatur talis desitio mutatio substantialis, quia actio, quæ cessat, & ex cujus cessatione fit, ut potè ad esse substantiale ut reproductum terminata, substantialis est. Rectè item appellatur innominata, quia ex mox dictis neque corruptio, neque transubstantiatio, neque anihilatio est, nec aliud hucusque habemus nomen mutationis substantialis, per quam res desinat; Et ex aliâ parte sicut antè Eucharistiæ Mysterium erat innominatus modus inceptionis, & productionis, qui nunc dicitur transubstantiatio, ità nil mirum, si in eodem mysterio sit adhuc innominatus modus mutationis, quâ desinit esse corpus, quod cæpit esse per transubstantiationem. Neque dicas, Imò hoc ipso, quod corpus Christi cæpit esse sub speciebus per transubstantiationem, debet sub iisdem per transubstantiationem desinere, sicuti quod per creationem incipit, per anihilationem desinit, & quod incipit per generationem, desinit per corruptionem.

65 Contrà enim, jam suprà num.26. dictum est, benè posse divinitùs, & ex agentis increati virtute desinere aliter, quàm per corruptionem, quod fuit genitum, aliter quàm per anihilationem, quod fuit creatum, ergo etiam aliter quàm per sui transubstantiationem in aliud, quod fuit per alius in se transubstantiationem productum; & sicuti substantia panis aliter quàm per transubstantiationem producta in sacramento per transubstantiationem desinit, ità nil mirum, quod corpus Christi in sacramento per transubstantiationem productum, aliter quàm per transubstantiationem desinat.

Dices primò: Desitio Christi sub speciebus non est substantialis destructio ipsius, atqui esset substantialis destructio, si esset substantialis mutatio, & haberetur per cessationem substantialis actionis ad substantiale Christi esse terminatæ, ergò desitio Christi sub speciebus non est substantialis mutatio, nec habetur per cessationem &c. Major patet, quia Christus tùm ratione status gloriosi, quem habet in propriâ specie, tùm ratione modi existendi spiritualis, & indivisibilis, quem habet in sacramento, est immortalis, & indestruibilis, nec certè censemur destruere Christum, dum sumimus, & consumimus sacramentum: Minor non videtur posse negari, quia substantialiter destrui non est nisi amittere esse substantiale, nec in alio formaliter consistit substantialis destructio, quàm in cessatione actionis conservantis esse substantiale. Sed contrà: distinguo majorem non est substantialis destructio simpliciter concedo, secundùm quid nego, eâdemque distinctione ad minorem adhibitâ nego consequentiam, & dico quod sicut productio simpliciter est illa sola, quâ acquiritur primum esse, & per actionem primò productivam habetur, ità destructio simpliciter est, quâ amittitur esse primum, seu primò productum, & quæ habetur per cessationem actionis primò productivæ, talis non est destructio, quâ Christus desinit sub speciebus, ideò &c.

66

Urgebis: esse primò productum, & esse reproductum, seu secundò productum est unum prorsùs, & idem esse, ergo tàm destruitur simpliciter, quod amittit esse reproductum, quàm quod amittit esse primò productum; imò cum sit aperta contradictio idem esse amitti, & non amitti, repugnat in terminis, quod amittatur esse reproductum non amittendo esse primò productum, & quod destructio, quam nos dicimus secundùm quid, habeatur sine destructione simpliciter; ergo desitio Christi sub speciebus, si est substantialis, etiamsi sit secundùm esse substantiale reproductum, adhùc est destructio simpliciter. Sed contrà: distinguo antecedens, est unum prorsus, & idem esse absolutè, simpliciter, & ratione sui concedo, relatè, secundùm quid, & ratione actionis, quam terminat nego antecedens, & consequentiam, quia regulariter loquendo, & signanter in sacramento esse

67

repro-

reproductum amittitur secundo modo idest ut sumitur relatè, secundùm quid, & ratione actionis; esse verò primò productum solet amitti primo modo: Cæterùm si supponas Christum conservatum in Cælo per continuationem actionis primò productivæ, & simul in sacramento per continuationem actionis reproductivæ, esse primò productum in Cælo amittere solùm secundùm quid, & ratione actionis etiam tunc desinet esse in Cælo substantialiter, at non destruetur simpliciter, sed remanebit in sacramento; suppositionemque non esse impossibilem deduci potest *ex præced. cap.* 4. §. 7. *num.* 112. Porrò repugnat quidem in terminis amitti, & non amitti idem esse secundum idem, & eodem modo sumptum, non sic amitti secundum unam actionem, non amitti secundum aliam; amitti sumptum relatè, & secundum quid, non amitti sumptum absolutè, & simpliciter.

68 Dices secundò: Si Christus non alibi, quàm in sacramento, eoque unico, & per primam productionem existeret, per hoc præcisè, quod desineret esse substantialiter sub sacramento, seù amitteret esse substantiale sacramentale, destrueretur simpliciter, & anihilaretur, atqui, quod de facto in sacramento, eoque multiplici existat per secundam productionem, per accidens se habet ad esse sacramentale, & ad mutationem, per quam Christus in sacramento desinit, ergo quod de facto desitio Christi sub sacramento non sit destructio simpliciter, & anihilatio, est per accidens, imò quia, quod per accideus est, non extrahit rem à propriâ ratione formali, & specificâ, sequitur desitionem substantialem Christi sub speciebus, sicuti esset anihilatio, & destructio simpliciter Christo alibi non existente, ità talem esse, & nunc, nonobstante quod Christus alibi existat, Sed contrà: Argumentum nutat, & procedit ex hypothesi impossibili in sententiâ docente præsentiam sacramentalem pendere essentialiter à naturali, & nequidem secundum ullam aliam institutionem sine præsentiâ naturali esse posse; in sententiâ verò oppositâ, quam nos secuti sumus *præcit.* §. 7. habet fortè instantia majorem aliquam firmitatem, & difficultatem: Nihilominùs dico in primis etiam stante sententiâ, quam secuti sumus, casum instantiæ esse de lege ordinariâ impossibilem, sicque semper subsistere, quod de lege ordinariâ desitio substantialis Christi sub speciebus non sit destructio simpliciter, nec anihilatio: Dato deindè casu instantiæ secundum legem extraordinariam, sicuti non poneretur tunc Christus sub speciebus eodem modo, quo nunc, ità nil mirum, si non eodem modo desineret, sed vel per anihilationem amittendo esse substantiale simpliciter, vel per solam mutationem accidentalem amittendo præsentiam sacramentalem ad species, retinendo, verò eamdem, quam prius præsentiam ad locum specierum, ut vult Mastrius *quæst.* 16. *art.* 1. *num.* 385., vel ad alium locum transeundo, vel aliter, quod esset à Deo decernendum, ut post Ledesmam respondent Suarez *præcis sec.* 1. in fine, & Arriaga pariter *sec.* 1. *præcit. num.* 5. Quod dicebatur, ad esse sacramentale per accidens se habere, quod Christus primò, vel secundò producatur, quod præsentiam naturalem habeat, vel tantùm sacramentalem, hancque in unico sacramento, potest absolutè negari, vel distingui, concedendo per accidens se habere ad esse sacramentale materialiter, & specificativè, secùs verò si esse sacramentale sumatur reduplicativè, & relatè, tùm ad actionem, quâ causatur, tùm ad desitionem tali actioni correspondentem.

69

Quomodo Christus desineret in Sacramento ex hypothesi, quod non esset alibi.

70 Ex dictis habetur Christum existentem in Cælo per hoc, quod incipiat, aut desinat esse in sacramento, nihil in Cælo aut acquirere, aut deperdere, nam iterata præsentia, & iterata actio substantialis, quam acquirit, aut deperdit incipiendo, aut desinendo esse sub speciebus, ipsum in Cælo non afficit, sicque ut in Cælo existens non mutatur, nisi per denominationem extrinsecam à mutatione, quam subit in sacramento, & hæc quidem est duplex una accidentalis, altera substantialis; utraque purè acquisitiva in inceptione, purè deperditiva in desitione; Christus scilicet, dum sub speciebus esse incipit, acquirit novam præsentiam, quæ est quid accidentale, & terminat novam actionem, quæ est quid substantiale, & hoc utrumque, dum sub speciebus esse desinit, deperdit: Quia verò per nos, neque præsentia, neque actio est modus, aut simplex entitas, sed complexum, consequens est, quod utraque prædicta mutatio fiat sine acquisitione, aut deperditione ullius simplicis entitatis, sed tota consistat in constitutione, aut dissolutione duplicis complexi, quorum alterum accidentale sit, & consurgat ex Christo localiter indistante, & effectivè sustentante species, ipsisque speciebus sustentatis, de quo suprà *cap.* 4. §. 3. alterum sit substantiale consurgens ex Deo, aut etiam Sacerdote ut Christum sub speciebus substantialiter reproducente, ipsoque Christo ut substantialiter reproducto.

Quomodo tandem Christus, tùm in Cælo, tùm in Sacramento mutetur dum incipit, aut desinit esse sub speciebus?

Sic exposito modo desitionis Christi sub speciebus, expendendum esset ejusdem desitionis tempus, quandonam scilicet talis desitio eveniat? nisi hoc fuisset abundè peractum *cap. præced.* §. 6. ideò ibi dicta recolenti vix quidquam desiderandum supererit circà Christi in sacramento desitionem, aliquid potiùs desiderandum superest circà ipsius in sacramento, seù sub speciebus positionem, & desitionem substantiæ panis, aut vini relatè ad potentiam absolutam; Idcircò sit

§. IV.

§. IV.

Utrùm per consecrationem, aut aliter possit divinitùs poni Christus sub speciebus non desinente substantia panis?

71 Corpus Christi, nec de potentia absoluta poni potest per consecrationẽ sub speciebus remanente sub iisdem substantia panis.

ASSERT. I. Per consecrationem, ut est de facto instituta, neque divinitùs, & de potentiâ absolutâ potest Christus, seù Christi corpus poni sub speciebus non desinente substantiâ panis (idem intellige de substantiâ vini relatè ad proprias species, & Christi sanguinem) Ità in primis à fortiori Thomistæ illi, quos habebimus in sequenti asserto Adversarios, & præterea alii plures Auctores infrà §. *num.* afferendi pro sententiâ communiore docente non subsistere veritatem verborum, quibus de facto fit consecratio, si substantia panis sub propriis accidentibus remaneat simul cum Christo, nec in istud transubstantietur contrà Scotum *in 4. dist.* 10. *quæst.* 1. §. *De secundo multa*, *& dist.* 11. *quæst.* 3. §. *Hic duo*. *Versic. Si dicas*. Mastrium *disp.* 3. *quæst.* 13. *art.* 2. Hetinex *disp.* 2. *quæst.* 2. *num.* 35. & tùm alios Scotistas, tùm multò magis Auctores *præced. num.* 7. relatos pro aliquâ de facto permanentiâ substantiarum panis, ac vini in Sacramento, & signanter Durandum *in 4. dist.* 11. *quæst.* 1. *num.* 15.

72 Probatur: Consecratio, ut est de facto instituta, tùm effectivè, tùm constitutivè ad Eucharistiam se habet ut *num.* 1. præmissum est, atqui sub utrâque ratione repugnat etiam divinitus, & de potentiâ absolutâ cum substantiâ panis remanente sub speciebus simul cum Christi corpore (sicut & cum substantiâ vini remanente simul cum Christi sanguine) ergo per consecrationem, ut est de facto instituta, neque divinitùs &c. Probatur minor; Consecratio de facto instituta sub ratione effectivè se habentis est actio transubstantiativa panis in corpus Christi sub speciebus tamquam sub tertio, seù termino communi; Eadem consecratio sub ratione habentis se constitutivè significat corpus Christi per verba ut verâ; atqui repugnat essentiali conceptui actionis transubstantiativæ illud, quod transubstantiatur in aliud remanere sub eodem tertio, seù termino communi, sub quo ponitur aliud, ut *num.* 4. præmissum est, & in sequentibus magis elucidatum; repugnat item veritati verborum, quod sub speciebus panis contineatur propria substantia, aut aliqua alia, & non sola substantia corporis Christi, ut probandum est infrà §. ergo consecratio, ut est de facto instituta, sub utrâque, effectivi scilicet, & constitutivi ratione repugnat etiam divinitùs, & de potentiâ absolutâ cum substantiâ panis &c.

Dubiolum hic esse potest; Utrùm consecratio dicat talem repugnantiam cum substantiâ panis simpliciter, & absolutè, nec solum ut sub speciebus, sed & ut extrà species remanente, adeò ut Christo per consecrationem sub speciebus posito etiam de potentiâ absolutâ necesse sit panis substantiam non solùm separari, & subtrahi à speciebus, sed & simpliciter destrui, ac nullibi remanere? Respondeo affirmativè, & licèt hoc fortè non deducatur sufficienter ex præcisâ ratione veritatis verborum, benè deducitur ex ratione transubstantiationis, & actionis transubstantiativæ, cujus essentialis conceptus juxta communiorem, veriorem que sententiam censetur requirere, ut illud, quod in aliud transubstantiatur, non solum sub tertio communi, sed & simpliciter esse desinat; juxtà communiorem, inquam, veriorem que sententiam, quia vetè ità sentiunt ferè omnes Scholastici, ut observant Amicus *disp.* 18. *sec.* 1. *num.* 16. Arriaga *disp.* 34. *sec.* 1. *num.* 3. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 12. *art.* 1. *num.* 280. cæterùm res non est omninò certa, & nonnulli, inter quos ex Scotistis Gavatius *disp.* 3. *quæst.* 4. *cap.* 1. putant esse satis probabile, quod ad conversionem substantialem ex genere suo, vel etiam ad transubstantiationem in specie non requiratur essentialiter omnimoda desitio termini à quo, sed solum desitio ipsius à tertio communi, seù à munere substantiali, quod sub tali tertio exercebat; contrà quem dicendi modum ejusque fundamenta, ut potè rem purè philosophicam, non est cur, in præsenti detineamur; videat, qui velit, Auctores mox præmemoratos.

73 Imò nec ea li substantia remanere alibi, & extrà species cõservata.

74 Aliter verò quàm per consecrationem de facto institutam benè potest poni sub speciebus remanente panis substantia.

Assert. 2. Abstrahendo à consecratione, seù aliter quàm per consecrationem, ut est de facto instituta, non repugnat divinitùs, & de potentiâ absolutâ Christum, seù Christi corpus poni secundum præsentiam sacramentalem sub speciebus non desinente, sed remanente sub iisdem substantiâ panis. Ità in primis à fortiori Scotistæ, aliique Auctores Adversarios, & præterea Sotus in 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. *art.* 2. Ledesma *quæst.* 16. *art.* 2. Cajetanus *quæst.* 75. *art.* 2. Suarez *disp.* 49. *sec.* 1. Amicus *disp.* 17. *num.* 28. Madernus *quæst.* 2. *art.* 2. & plures alii contrà Bonaventuram *in 4. dist.* 11. *par.* 1. *art.* 1. *quæst.* 3. Marsilium *quæst.* 8. *art.* 1. *concl.* 4. Ferrariensem 4. *cont. Gent. cap.* 63. Gonetum *hic disp.* 4. *art.* 1. *num.* 19. & aliquos alios opinatos Christum remanentem in Cælo non posse poni alibi, nisi per conversionem alterius substantiæ in ipsum, sicque nequidem secundum præsentiam purè localem posse esse sub speciebus panis simul cum panis substantiâ. Item contrà Hervæum *in 4. dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 1. Paludanum *dist.* 11. *quæst.* 2. *art.* 1. & 2. Capreolum *eâd dist. quæst.* 1. *art.* 3., & ex Recentioribus Aversam *quæst.* 3. *sec.* 6., aliosque nonnullos volentes simul cum substantiâ panis omninò repugnare sub speciebus præsentiam Christi, non quamcumque sed sacramentalem, & ejusdem omninò rationis cum eâ, quæ nunc est; & isti Auctores mitiùs nobis adversantur, imò *seq. num.* 78. secundùm aliquid ipsis subscribemus: Interim assertum, ut jacet,

Pro-

75 Probatur: Abstrahendo à consecratione ut est de facto instituta, præsentia sacramentalis consistit unicè, aut saltem potissimè in eo, quod Christus, seù Christi corpus retentâ præsentiâ naturali quantitativâ, quam habet in Cælo, fiat modo spirituali, & indivisibili præsens speciebus, & loco specierum cum aliquâ intimâ, & inseparabili ad ipsas species connexione, atqui abstrahendo à cōsecratione ut est de facto instituta, non repugnat divinitùs, & de potentiâ absolutâ hoc totum fieri non desinente, sed remanente sub iisdem speciebus substantiâ panis; ergo abstrahendo à consecratione, svù aliter per consecrationem &c. non repugnat divinitùs Christum, seù Christi corpus poni secundum præsentiam sacramentalem &c. Major continet communem conceptum, quem Catholici formant, & quasi epilogum eorum, quæ *praced. cap.* 4. atque alibi sparsim tradidimus de præsentiâ sacramentali:

76 Minor probatur: Non repugnat substantiam Christi retentâ præsentiâ, quam habet in Cælo, fieri sine alterius substantiæ in se conversione præsentem alibi, cum universim ad replicationem, seù bilocationem materialis substantiæ non sit necessaria substantialis conversio; & opinionis contrariæ fundamentum consurgat ex falsis suppositis, supponat scilicèt præsentiam localem substantiæ materialis esse effectum formalem quantitatis, & non posse multiplicari, aut præsentiam non multiplicatâ quantitate, aut quantitatem non multiplicatâ materiali substantiâ, ut tradit inter Adversarios præcitatos Gonetus *hic disp. proam. art.* 14. *num.* 171. Rursus non repugnat substantiam Christi sine alterius substantiæ in se conversione fieri alicubi præsentem, & existentem modo spirituali, & indivisibili, quia modus existendi spiritualis, & indivisibilis nullam habet ex genere suo peculiarem connexionem cum transubstantiatione, & potest hæc, quantum est de se, terminari ad substantiam existentem modo divisibili, & quantitativo, æquè ac ad existentem modo indivisibili, & quantitativo; ergo Christus neque ut fiat existens sub speciebus retentâ in Cælo præsentiâ naturali, neque ut habeat sub iisdem modum existendi spiritualem, requirit ex naturâ rei, & abstrahendo à consecratione de facto institutâ conversionem, desitionemque substantiæ panis, ac per consequens abstrahendo &c. illud utrumque divinitùs fieri potest non desinente, sed remanente tali substantiâ: Ratio à priori est, quia id utrumque fit per nos ex vi actionis reproductivæ, at hæc ex genere suo non petit simul esse conversiva, seù transubstantiativa, adeòque non petit excludere panis substantiam.

77 Remanet probandum, quod non excludatur panis substantia ex intimâ, & inseparabili Christi connexione ad panis species, seù quòd possit ista poni illâ non desinente: Hocque videtur majori præ cæteris probatione indigere, cum & talis connexio maximè pertineat ad præsentiam sacramentalem, ut à locali contradistinctam, & peculiarem habeat difficultatem compatiendi permanentiam substantiæ panis, eo quod secum ferat modum existendi accidentium oppositum ei, quem habent in propriâ substantiâ, faciat scilicèt accidentia sine actuali inhæsione, & extrà subjectum, sivè id proveniat à modo substantiali accidentibus superaddito sivè (ut suprà *cap.* 4. §. 3., & *cap.* 6. §. 1. nobis magis placuit) à concursu effectivo potentiore supplente actualem inhærentiam. Nihilominùs adverto aliud esse, quod substantia aliqua remaneat sub propriis accidentibus sibi unitis, & sibi inhærentibus, aliud, quod remaneat sub iisdem per puram compenetrationem, & coexistentiam localem, ut remanere potest de potentiâ absolutâ, secundùm quam sicuti substantia, & propria accidentia possunt sine unione subjectivâ ex parte substantiæ, & inhæsivâ ex parte accidentium conservari in diversis locis ab invicem distantia, itâ & in eodem ad invicem penetrata: Dum igitur dicimus Christum poni posse sacramentaliter sub speciebus remanente sub iisdem propriâ substantiâ panis, sermo esse potest tùm de priore tùm de posteriore remanentiæ modo; Si de posteriore sermo sit, dico substantiam sic remanentem non repugnare cum eo, quod propria ipsius accidentia conserventur sine actuali inhæsione per efficientiam potentiorem, sitque inhæsivè extrà subjectum, ut per se patet: Si verò sermo sit de priore, fateor repugnare; at ex hoc ad summum sequitur cum substantiâ panis sic remanente non posse in nostris principiis poni præsentiam sacramentalem ejusdem omninò rationis cum eâ, quæ nunc est, & in quâ per nos inseparabilitas Christi à speciebus provenit ab effectivâ sustentatione, quam exercet Christus in species, cæterùm si talis inseparabilitas proveniret, aut à decreto Dei extrinseco, ut volunt Scotistæ, aut à qualitate quasi sympathicâ, quâ species Christum trahant, ut volunt Lugus, & aliqui alii Recentiores substantia panis priore modo sub speciebus remanens posset divinitus secum admittere præsentiam sacramentalem etiam ejusdem rationis cum eâ, quæ datur nunc: Cum igitur prædicta inseparabilitas proveniens à decreto extrinseco, aut qualitate sympathica negata à nobis fuerit contrà Scotistas, & præmemoratos Recentiores, ut minùs congruè de facto asserta non ut impossibilis, aut insufficiens omninò ad præsentiam sacramentalem, quam nunc Christus habet; optimè possumus salvâ cohærentiâ doctrinæ concedere de potentiâ absolutâ illam inseparabilitatem provenientem à decreto extrinseco, aut à qualitate symphathicâ. & cum illâ sic concessâ sustinere sub accidentibus, seù speciebus panis actualiter inhærentibus propriæ substantiæ præsentiam sacramentalem veram, & realem, quamvis non omninò intrinsecè talem, qualis à nobis nunc esse asseritur.

Quomodo id possit fieri cum præsentia sacramentali simili ei, quæ nunc est.

78 Quomodo item cum aliqualiter diversa.

79 Dices primò: Concilia, & Patres non solent assignare alium modum, aliamvè rationem præsentiæ Christi in Sacramento,

quàm transubstantiationem, seù conversionem substantiæ panis in substantiam Christi: atqui cum conversione substantiæ panis in substantiam Christi repugnat etiam de potentiâ absolutâ permanentia substanriæ panis sub speciebus; ergo cum permanentiâ substantiæ panis sub speciebus repugnat etiam de potentiâ absolutâ præsentia sacramentalis. Nec sufficienter respondetur, dicendo Concilia, & Patres, dum non assignant alium modum, aliamvè rationem &c. loqui de potentiâ ordinariâ non de absolutâ: Non, inquies, sufficienter respondetur, quia cum præsentia sacramentalis sit opus potentiæ Dei absolutæ, non apparet, quomodò Sancti Patres, & Concilia, dum de illâ loquuntur, possint à potentiâ absolutâ detorqueri, & intelligi de potentiâ ordinariâ: & in particulari D. Thomas *hic quæst. 75. art. 2. in c.* item *in 4. dist.* 11. *quæst.* 1. *art. 1. quæstiunc.* 1. *in c.*, & *ad 3.* adeò absolutè docet esse impossibile, quod corpus Christi ponatur, ubi non erat prius, nisi vel mutetur in se per motum, vel aliud mutetur in ipsum per conversionem, ut non videatur posse admittere restrictionem ad potentiam ordinariam, cum præcipuè *quæstiunc. 1. in c* dicat aliam positionem neque per miraculum fieri posse, & *in resp. ad 3.* addit ex ipsâ sequi majus inconveniens quàm quod contradictoria sint simul: illud, autem, quod nec per miraculum potest fieri, & ex quo sequuntur contradictoria, aut inconveniens majus utique repugnat etiam de potentiâ absolutâ. Sed contrà:

80

Omne miraculum spectat simpliciter ad potentiam absolutam; aliquod tamen rectè dicitur spectare ex suppositione ad potentiam ordinariã.

Adverto omnes effectus miraculosos simpliciter pertinere ad potentiam absolutam: supposito tamen, quod Deus eligat, ac statuat unum potiùs quàm alium modum faciendi aliqua miracula, jam hæc miracula, pro ut tali modo fiunt, dicuntur ex suppositione pertinere ad potentiam ordinariam: In proposito præsentia sacramentalis, ut potè quæ est miraculum, seù effectus miraculosus, sivè per transubstantiationem, & conversionem, sivè aliter fiat, ad potentiam absolutam simpliciter pertinet, quia tamen Deus instituit, ac decrevit, quod de facto omnis præsentia sacramentalis per conversionem ponatur, præsentia taliter posita rectè dicitur ex suppositione pertinere ad potentiam ordinariam, & in hoc sensu benè procedit responsio instantiæ interposita, & Concilia, ac Patres bene intelliguntur loqui de potentiâ ordinariâ, quamvis præsentia sacramentalis sit opus potentiæ simpliciter loquendo absolutæ. Brevius, non est alius modus præsentiæ sacramentalis, quam per conversionem loquendo ex suppositione præsentis institutionis, seù secundùm præsentem institutionem, secùs loquendo simpliciter, seù abstrahendo à præsenti, & hoc est ipsissimum, quod asseruimus partim in primo, partim in secundo asserto.

81

Auctoritas D. Thomæ licèt videatur pro Adversariis magis expressa, adeò ut Suarez *præcit. sec. 1. §. Ad rationem* fateatur difficilè responderi posse non negando illam; in re tamen potest ipsa quoque limitari ad præsentem institutionem, & potentiam in sensu explicato ordinariam; Neque obstat, quod dicat aliam positionem neque per miraculum fieri posse, & inferre inconveniens majus, quam quod duo contradictoria sint simul, loquitur enim de alia positione, quæ fiat salvâ manente præsenti institutione, nec abstrahat à consecratione, quâ nunc utimur.

Dices secundò: Nequit haberi præsentia sacramentalis, ubi nequit haberi Eucharistiæ sacramentum; atqui, quomodocumque, & per quamcumque potentiam ponatur Christus sub speciebus remanente sub jisdem panis substantiâ, non habetur Eucharistiæ sacramentum, ergo nec habetur præsentia sacramentalis, ac per consequens nullo modo, & per nullam potentiam potest Christus poni secundùm præsentiam sacramentalem sub speciebus non desinente panis substantiâ. Minor probatur, quia quomodocumque, & per quamcumque potentiam ponatur Christus &c. tollitur forma, significatio, adoratio, & usus sacramenti Eucharistiæ; Tollitur forma, quia non ampliùs verificaretur, Hoc est corpus meum: Tollitur significatio, quia species non ampliùs significarent primò, & principaliter corpus Christi, sed propriam substantiam: Tollitur adoratio, quia substantia panis non est adorabilis, & latriæ cultus, qui ipsi exhiberetur, esset idolatria: Tollitur usus, quia hic est in ordine ad refectionem spiritualem, substantia autem panis non est cibus spiritualis, & corporaliter, non spiritualiter reficit, seù nutrit. Sed contrà: Eucharistiæ sacramentum sumi potest, vel strictissimè, & eâ præcisè ratione, quâ est de facto institutum, vel minùs strictè pro ut est sacramentum novæ legis ab aliis sex distinctum continens corpus, & sanguinem Christi sub ratione cibi, & potus spiritualis, juxtà varias ipsius definitiones, seù descriptiones positas, & expositas *præced. cap. 3. § 4. num. 68.*, & *seqq.* Hinc ad instantiam distinguo majorem, nequit haberi præsentia sacramentalis, ubi nequit haberi Eucharistiæ sacramentum, aut strictissimè, aut minùs strictè acceptum, concedo: ubi nequit haberi Eucharistiæ sacramentum acceptum strictissimè, benè verò acceptum minus strictè nego majorem; eâdem distinctione utor ad minorem in ly *Non habetur Eucharistia sacramentum*, & negando consequentiam observo distinctionem valdè cohærere doctrinæ, quâ mox *num.* 78. dicebam præsentiam sacramentalem, quæ daretur remanente sub speciebus panis substantiâ, non fore ejusdem omninò rationis cum eâ, quæ nunc est; benè enim quadrat non esse ejusdem omninò rationis præsentiam sacramentalem, ubi non est ejusdem omninò rationis sacramentum, quamvis hoc non existimem omninò necessarium, quia cum præsentia sacramentalis non sit unicum Eucharistici sacramenti constitutivum, benè potest istud esse diversum absque illius diversitate.

82

Sacramentum Eucharistiæ sumi potest, vel strictissimè, vel minùs strictè.

83

Ad minoris probationem, quatenùs proce-

cede-

cedere potest contrà Eucharistiæ sacramentum etiam minùs strictè acceptum, dico ex remanentiâ substantiæ panis, nec tolli formam, nec significationem &c. Non tollitur forma quia licèt non verificarentur verba illa *Hoc est corpus meum*, quæ sunt forma sacramenti, ut de facto instituti, & strictiùs accepti, bene possent verificari verba alia, quæ essent forma sacramenti minus strictè accepti, & significarent præcisè realem corporis Christi præsentiam sub speciebus, quibus v. gr. diceretur Hic est corpus meum. Non tollitur significatio, quia hęc est duplex, alia naturalis, alia ex institutione; significatio ex institutione, quæ sola ad sacramentum propriè pertinet, non refertur ad panis substantiam, ideò istam, quamvis simul esset cum Christi corpore, non significarent primò, & principaliter species, sed solum corpus; esset quidem aliqua varietas in significatione naturali, quæ tunc in speciebus respectu propriæ substantię verificaretur actualiter, cum nunc verificetur solum aptitudinaliter, at hoc materialiter se habet ad rationem sacramenti præsertim minùs strictè accepti. Non tollitur adoratio, quia hæc non debet cadere suprà totum id, quod est in sacramento, aut sacramentum constituit, cum nec de facto cadat directè, & per se suprà species, ut igitur Eucharistia sit adorabilis adoratione latriæ, sufficit quod verè & realiter contineat corpus Christi Verbo unitum, nec refert, quod simul adsit aliquid aliud non per se adorabile, præsertim quando hoc aliud nō pertinet ad constitutionem sacramenti, ut non pertineret panis substantia. Non tollitur tandem usus, quia per concomitantiam cibi, & refectionis corporalis non tollitur refectio spiritualis, cum etiam de facto species reficiant, seu nutriant corporaliter *ex cap. præced.* §. 7.

84

Dices tertiò: Substantia panis, ut nos ipsi docuimus *præced. num.* 19. desinit ex vi ejusdem actionis, vi cujus ponitur sub speciebus corpus Christi, ergo nullatenùs potest poni istud sub speciebus illâ non desinente, alioqui vel esset, & non esset eadem actio, vel desineret, & non desineret substantia panis. Confirmatur ex eo, quia actio productiva, aut reproductiva corporis Christi abstrahit à loco hoc, vel illo; nec ad ponendum determinatè Christum sub speciebus, seu in loco specierum potest aliundè meliùs determinari, quàm ex eo quòd vi ipsius desinat substantia panis sub speciebus, & in loco specierum existens, ergo nisi ista desinat, non est dabilis actio sufficienter determinata ad ponendum Christum, seu Christi corpus sub speciebus. Sed contrà: dico substantiam panis desinere ex vi ejusdem actionis, ut est actio transsubstantiativa, non ut est actio præcisè reproductiva, & quia in hypothesi, in quâ versamur, actio esset præcisè reproductiva, non simul, ut est de facto, transsubstantiativa, nil mirum si ex vi ipsius substantia panis non desineret: Utrùm deindè talis actio præcisè reproductiva esset entitativè eadem, quæ nunc est simul transsubstantiativa, an diversa? parùm refert ad rem nostram; saltem non video, undè repugnet esse eamdem, quia, quod sit de facto transsubstantiativa, est aliquid in ipsâ secundarium, secundarius item ipsius effectus est desitio substantiæ panis, ut habetur *ex præced. num.* 22. potest autem sicut forma ità actio remanere eadem ablato aliquo prædicato, vel aliquo effectu secundario. Ad confirmationem dico actionem reproductivam corporis Christi ex Ministri intentione, & Dei voluntate determinari, tùm ut ipsa fit, tùm ut Christum ponat sub speciebus, & in loco specierum potiùs quàm alibi, non verò ex desitione panis, quæ quando evenit, evenit ex vi ipsius actionis, adeòque est ipsâ actione posterior, ipsamque jam supponit in determinato loco.

85

86

In quo sensu actio abstrahat ab hoc, vel illo loco?

Adverto hic obiter illud, quod dicebatur, actionem abstrahere à loco hoc vel illo, verificari, quatenùs actio de se non postulat hunc locum potiùs quàm illum, non quatenùs, dum existit, non sit præsens huic loco potiùs quam illi, aut possit attingere effectum in uno loco æquè, ac in alio; non, inquam, sic verificatur, quia necesse est actionem æquè, ac quamlibet aliam rem, dum est, esse alicubi determinatè, & influere in effectum ibi solum, ubi ipsa determinatè est; quod addo propter nonnullos arbitraros Christum in sacramento conservari eâdem numero actione, quâ conservatur in Cælo, etiam absque eo, quod supponatur actio in sacramento replicari. Hincque ulteriùs deduco in nostris principiis, quibus docemus non esse dabilem replicationem sine reproductione, Christum nec de potentiâ absolutâ posse in sacramento conservari eâdem numero actione quâ in Cælo; nam nec potest conservari eâdem actione non replicatâ, quia actio non influit, nisi ubi ipsa est, non est autem in Cælo, & in sacramento, nisi sit replicata; at nec potest esse replicata, quia deberet esse reproducta, repugnat autem actioni existenti in uno loco reproduci in alio; quia jam esset effectus non actio, & daretur actio ad actionem, ut statuit, & ex professo probat Amicus *disp.* 18. *sec.* 4. *n.* 137. & ex parte Suarez *disp.* 49. *sec.* 1. §. *Dices*.

87

Et hæc dixisse sufficiat de consecratione, tùm ut est de facto transsubstantiatio, seu actio transsubstantiativa, tùm de potentiâ absolutâ esse potest actio præcisè reproductiva, vel secundum alios adductiva: Et licet occasione transsubstantiationis, & conversionis Eucharisticæ tractent hic plures; Utrùm creatura possit converti qualiber in quamlibet, aut etiam in Deum, & in creaturam Deus? Nihilominus in re non hujus loci propriâ non moror, solummodò moneo quæstionem pendere à diverso modo sentiendi de conversionis conditionibus; & illi quidem, qui nec entitativam unius termini desitionem, & alterius novam productionem, nec physicam utriusque termini sub eodem tertio incompossibilitatem requirunt, possunt universaliùs, ac liberaliùs de mutuâ rerum convertibilitate sentire; qui

vero

verò duas illas conditiones essentialiter requirunt, non item; certè isti, ad quos nos accessimus, nequeunt admittere convertibilitatem creaturæ in Deum, & multo minus Dei in creaturam: Cæterùm hâc monitiunculâ interpositâ Lectorem remitto ad Auctores latiùs, & datâ operâ tractantes, ut præstant in præsenti Suarez *disp.* 50. *sec.* 10. Amicus *disp.* 18. *sec.* 8. & 9. Arriaga *disp.* 34. *sec.* 5. Laurea *disp.* 20. *art.* 3. Madernus *quæst.* 3. *art.* 8. & apud istos alii. Ego interim à verbis consecratoriis, hucusque expensis, ut sunt forma extrinseca, & efficiens, & à consecratione, ut est actio, progredior ad eadem verba, eamdemque consecrationem, ut sunt *ex praeced. cap.* 3. §. 3. forma intrinseca, & constituens, pro quâ primo loco sit

§. V.

In quibusnam verbis essentialiter consistat utraque forma consecrationis?

88 ASSERT. Formæ consecrationis, nec in pluribus, nec in paucioribus verbis consistunt essentialiter, quam in his *Hoc est corpus meum*, & est forma consecratoria panis: *Hic est sanguis meus* (vel usurpando metonimicè continens pro contento) *Hic est Calix sanguinis mei*, & est forma consecratoria vini, seù calicis. Habemus in hoc asserto, quamvis alioqui ut ex *num.* 92. constabit valdè recepto, plurimos Adversarios partim hæreticos, partim etiam Catholicos.

Circa verba constituentia formas consecrationis præcipui hæretico rum errores. Ex hæreticis adversantur primò Manichæi, & inter Neotericos Bucerus, aliique nonnulli, arbitrati sine ullâ verborum formâ poni Christum sub speciebus, & confici Eucharistiæ sacramentum. Secundò Lutherus, Calvinus, & alii requirentes quidem verba at non determinata, eo quod putent esse concionatoria, non consecratoria. Dubitavit etiam de verborum determinatione Erasmus *in annotationib. super cap.* 11. *Epist.* 1. *ad Cor.* Tertiò Kemnitius putans esse de essentiâ formæ omnia verba prolata à Christo in Eucharistiæ institutione. Ex his erroribus primus, & secundus fuerunt sufficienter impugnati in *tract.* de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 1. §. 1. & 2., tertius manebit à fortiori impugnatus ex dicendis contrà Auctores Catholicos, aliquod aliud verbum tamquam essentiale assertis formis addentes: interim pro majore prædictorum errorum notitiâ, & aliquâ etiam specialiore impugnatione videri potest in præsenti Valentia *disp.* 6. *quæst.* 6. *punc.* 1., & Bellarminus in controvers. *lib.* 4. *de Sacram. Euchar. cap.* 12.

89 *Variæ item Catholicorum sententiæ.* Ex Catholicis nullus, quem sciam, adversatur ponendo pauciora pro formis consecratoriis verba; Requirendo autem plura adversantur primò Græci nonnulli arbitrati addenda esse tamquam verba essentialia formæ consecratoriæ corporis, *Quod pro vobis tradetur*, vel *Quod pro vobis datur*; sicut & formæ consecratoriæ sanguinis *Qui pro vobis effundetur*; in quo secundo puncto consentiunt etiam plures Latini paulo post referendi. Adversantur secundò quidam alii Græci, & præcipuè Marcus Episcopus Ephesinus, Nicolaus Cabasilas Episcopus Thessalonicensis, & Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus volentes Christum non poni sub speciebus, nisi post prolatam quamdam Orationem, seù præcationem adhiberi solitam in Ecclesia Græca. Adversantur tertiò graves Scolastici, qui singillatim circà consecrationem vini putant esse de essentiâ formæ omnia verba (si particulam *enim* excipias) quæ juxtà Latinæ Ecclesiæ ritum suprà Calicem proferuntur, volentes formam consecratoriam vini consistere essentialiter in his omnibus verbis *Hic est calix sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, adeò ut si istorum aliquod omittatur, non fiat consecratio: Ità Capreolus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 1. *art.* 3. Paludanus *ibid. quæst.* 3. Herveus *dist.* 10. *quæst.* 2. Petrus Soto *lec.* 2. *de Euchar.* Martinez à Prado *hic dub.* 5. §. 2. Labat *disp.* 4. *dub.* 11. Gonetus *disp.* 7. *art.* 2., & alii multi præsertim ex Thomistis existimantibus se loqui ad S. Doctoris mentem, quæ tamen, ut constabit *ex* §. *seq.* non est pro ipsis satis expressa. Adversantur quartò Petrus Corneio, & Philippus a SS. Trinitate, qui licèt non omnia mox memorata verba requirant, ab ipsis tamen solum excipiunt hæc tria *Æterni, Mysterium fidei*: Item Amicus *hic disp.* 24. *sec.* 1. *num.* 25., qui licet plura adhuc excipiat, censet tamen esse de essentiâ formæ sanguinis, *qui pro vobis*, seù *pro multis effundetur*. Tandem adversabitur fortè aliquis putans debere saltem utrique assertæ formæ addi tamquam de essentiâ particulam *Enim*.

90 Stant verò pro præfixo asserto, quatenus quo ad utramque formam procedit contrà errores Sectariorum, omnes Catholici inhærentes, tùm traditioni, & praxi Ecclesiæ, tùm definitionibus Conciliorum Florentini præsertim, & Tridentini: Quatenus quo ad formam corporis procedit contrà præmemoratos Græcos; omnes Latini, & Græci alii antiquiores, ut testatus est Bessarion, & ipse Græcus, cum quo idem professi sunt Græci alii, qui Concilio Florentino interfuerunt, ut latè prosequitur Vasquez *hic disp.* 197. *cap.* 3. & 4. Nec dubium est, quin pro errore habeatur recitata Græcorum opinio, præsertim ut tradebatur à Marco Ephesino, Nicolao Thessalonicensi, & Hieremiâ Constantinopolitano: Quatenus tandem quo ad formam sanguinis assertum procedit contrà Scholasticos *praeced. num.* relatos,

91 stant pro eo Magister *in* 4. *dist.* 8. Bonaventura *eâd. dist. par.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. Scotus cum suis *eâd. dist.* 8. *quæst.* 2. §. *De isto secundo*. Marsilius *quæst.* 6. *art.* 1. Major *quæst. unic.* §. *Eucharistia autem*. Estius §. 11. Sylvius *hic quæst.* 78. *art.* 1. §. *Quæritur tertiò*. Cajetanus *eod. art.* Suarez

Suarez *disp.60.sec.*1. Vasquez *disp.*198. *cap.*3. Arriaga *disp.* 40. *sec.* 5. Aversa *quaest.* 6. *sec.*3. Mademus *quaest.*6 *art.*2., & cum Scotistarum, ac Nominalium scholâ magna Thomistarum, & major cæterorum, sive veterum, sivè Recentium Theologorum pars. Sic delibatis Auctoribus in præsenti utrinque divisis, & constito assertam formam corporis censeri posse inter Catholicos extrà controversiam, formam verò sanguinis esse inter Scholasticos receptiorem licèt controversam.

92 Forma consecratoria panis consistit essentialiter in solis his verbis, *Hoc est corpus meum.*

Probatur prima asserti pars, quod scilicet forma consecratoria panis consistat essentialiter in solis his verbis *Hoc est corpus meũ*: Probatur, inquam, quia hæc verba se solis sufficiunt ad significandum, ac per consequens ad efficiendum, seù ponendum corpus Christi sub speciebus; in iisdem solis assignandis conveniunt quatuor Evangelistæ, & Paulus Apostolus 1.*Cor.* 11. referentes panis consecrationem à Christo factam; pro iisdem stat praxis, & traditio Ecclesiæ, ac definitio Concilii Florentini in litteris unionis: Et si quæ alia verba essent necessaria, vel essent prædictis quatuor priora, idest illa *Qui pridiè, quam pateretur*, vel posteriora, ut requirunt Græci præcitati, vel interposita idest particula *Enim*: Non primum, quia talia verba partim non fuerunt prolata à Christo, partim referuntur ad sumptionem, & usum non ad essentiam Eucharistiæ, & tantùm abest, quod sint de essentia formæ, ut neque sint de necessitate sacramenti, quidquid senserit cum multis suæ scholæ Scotus §. *seq.* quo ad hoc impugnandus: Non secundum, quia illorum verborum *Quod pro vobis traditur*, vel *Quod pro vobis datur* inter Evangelistas solus Lucas *cap.*22., inter Apostolos solus Paulus 1. *Cor.* 11. meminerunt; Orationis autem, seù precationis subsequentis solitæ à Græcis adhiberi nullus, aut Evangelista, aut Apostolus in terminis meminit, & cum non sit verisimile verbum ullum formæ essentiale fuisse ab aliquibus, multoque minùs ab omnibus Evangelistis, & Apostolis omissum, consequens est, verba, quorum soli Lucas, & Paulus meminerunt, non referri ab ipsis tamquam formæ essentialia, multoque minùs adhiberi ut talia ea, quæ ex Ecclesiæ Græcæ usu referuntur. Non tertiũ, quia particula *Enim* cum ex se nihil conferat ad significandam, causandamque præsentiam corporis Christi, non potest esse de essentia formæ, nisi quatenus de essentiâ ejusdem sint priora verba *Qui pridie*, quorum ad subsequentia connexionem talis particula denotat, atqui hujusmodi priora verba ex mox dictis non sunt de essentiâ: ergo.

93 Forma consecratoria vini in his *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*.

Probatur secunda asserti pars, quod scilicèt forma consecratoria vini consistat essentialiter in solis his verbis *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*. Probatur, inquam, quia hæc verba (ut jam proportionaliter dixi de formâ consecratoriâ panis) se solis sufficiunt ad significandum, adeòque ad ponendum Christi sanguinem, & solùm in iisdem determinatè recensendis omnes Evangelistæ concorditer conveniunt, reliqua verò *novi, & æterni testamenti, mysterium fidei qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* apud nullum Evangelistam, nec apud Apostolum Paulum omnia reperiuntur, & signanter illorum trium *æterni, mysterium fidei*, nec ullus Evangelista, nec Paulus meminit; *ly in remissionem peccatorum* apud alios à Matthæo non legitur; ly *pro vobis, & pro multis effundetur* a Paulo non refertur: & Evangelistæ non ponunt simul, *pro vobis, & pro multis*, sed Matthæus, & Marcus solùm *pro multis*; Lucas solùm *pro vobis*, ut patet ex verbis singulorum, quæ mox refero, Paulus scilicèt ait 1. Cor. 11. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Matthæus cap. 26. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Marcus cap. 14. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucas cap. 22. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Joannem quartum Evangelistam in medium non profero, quia formas consecratorias nullibi in terminis recitavit; sicque ex consensu Pauli Apostoli, & Euangelistarum, si aliqua verba præter quatuor, aut quinque in asserto enunciata essent de essentiâ formæ, essent maximè illa *novi testamenti*. Verum neque hæc talia sunt, cum etiam sine istis illa quatuor, vel quinque sufficienter significent, ac per consequens causent præsentiam sanguinis Christi sub speciebus.

94 Quid significent in verbis consecratoriis particulæ *novi testamenti*.

Adverto hic obiter sanguinem Christi in verbis relatis dici novum testamentum, vel sanguinem novi testamenti non præcisè ex eo, quod pertineat ad sacramentum in novo testamento, idest in novâ lege gratiæ institutum, sed multo magis ex eo, quod effusus fuerit in novi testamenti confirmationem, & consummationem gratiæ, quam nobis Christus in novo testamento, seù in novâ lege promeruit, & hic sensus, præter quod à Vasquio *disp.* 199. *cap.*2. probatur ex aliis scripturæ locis, placet singillatim ex eo, quia optimè accommodatur ejdem formæ, pro ut à Lucâ, & Paulo profertur ponendo testamentum in recto, ut fiet etiam leviter consideranti perspicuum.

95

Dices primò impugnando primam asserti partem: D. Ambrosius *lib.* 3. *de sacramentis cap.*4. explicans quibus verbis fiat panis consecratio, ait, attendite, quæ sunt verba *Accipite, & comedite Hoc est corpus meum*; ergo ex mente Ambrosii etiam verba ista *Accipite, & comedite* sunt de essentiâ formæ consecrationis: & confirmatur ex eo, quod etiam ista fuerunt verba à Christo prolata, seù verba Christi, ex Concilio autem Florentino *in litteris unionis*, verba, quibus sacramentum conficitur *sunt verba Salvatoris*. Sed contrà: Ambrosius verba illa *Accipite, & comedite* alibi prætermisit, dum igitur loco citato ea refert, non refert ut de essentiâ formæ, sed ut necessaria ex præcepto, & verè proferri solita. Ad confirmationem

dico,

dico, ex mente Concilii Eucharistiam confici solis, at non omnibus verbis Salvatoris, undè Concilium *ibid.* subdit, *in cujus Personâ Sacerdos loquens* &c. non loquitur autem in personâ Salvatoris, seù Christi Sacerdos proferens ly *Accipite, & comedite.*

Contrà assertas formas consecrationis difficultates ex Liturgiis Græcorum.

Dices secundò impugnando utramque asseeti partem: Græci in suis liturgiis prolatis formis, quibus nos utimur, deprecantur in hæc, aut similia verba *Emitte spiritum tuum, & fac hunc panem pretiosum corpus Christi tui, quod verò in calice est pretiosum sanguinem Christi tui*; quæ deprecatio esset frustranea, & falsa, si per verba, quibus nos utimur, & Græci ipsi antecedenter ad deprecationem proferunt, fuisset jam positus Christus sub speciebus, ut verè fuisset positus, si in illis solis consisteret tota essentia formæ. Confirmatur specialiter ex Liturgia D. Basilii, qui post eadem verba vocat panem, & vinum antitypa corporis, & sanguinis Christi; atqui ex Damasceno *lib. 4. de fide cap.* 14. Basilius numquam vocavit antitypa panem jam consecratum; ergo verè Basilius sensit per verba illa panem non fuisse consecratum, ac per consequens non consistere in illis solis totam essentiam formæ consecrationis. Sed contrà: Aliqui facilè se expediunt dicendo liturgias fuisse vitiatas, & deprecationem ex primâ suâ institutione antepositam, & verè anteponendam verbis illis *Hoc est corpus meum Hic est sanguis meus*, fuisse deindè progressu temporum, vitio, & errore postpositam, quod si modo aliqui Græci talem postpositionem servant, parùm esse curandum, quia in hoc fuerunt damnati in Concilio Florentino. Alii magis communiter, nec liturgiarum vitio, nec omnium Græcorum errori rem tribuunt, sed in bonum sensum exponunt dicendo, verbis illis consecratoriis non peti, quod fiat corpus, & sanguis Christi sub speciebus, sed quod verborum antecedentium vi sub speciebus jam facta fiant nobis in salutem, & à nobis quoad effectum participentur, adeò ut post consecrationem physicam, & realem prioribus verbis factam, posterioribus petatur, quod fiat etiam moraliter, & mysticè, ut magis explicant, & ex ipsis met antiquis Liturgiis probant Lugus *disp. 11. sec.* 1. & Arriaga *disp. 40. sec. 2.* Ad confirmationem jam suprà *cap. 4. num.* 7. insinuavimus, tùm species jam consecratas, tùm Eucharistiam ipsam posse rectè dici antitypon corporis Christi, sicque auctoritas Basilii ex se præcisè nobis in præsenti non officit; officit tamen, si verum est Damasceni testimonium, quo ait, Basilium numquam vocasse antitypa panem jam consecratum, quod & testatus est Epiphanius Diaconus in quâdam disceptatione habitâ, & approbatâ in VII. Synodo; Idemque sensit ex Scholasticis Vasquez *disp.* 197. *cap. 4. num.* 47. ubi contendit Eucharistiam numquam fuisse à Patribus appellatam antitypon corporis, & sanguinis, officit inquam, nisi cum Vasquio *ibid. num.* 86. dicatur verba, quibus Basilius panem, & vinum vocat antitypa corporis, & sanguinis, licèt prolata post formas consecrationis, esse de præterito, & referri ad tempus tales formas antecedens; Vel igitur hâc ratione respondendum, vel absolutè negandum ly *antitypa* ex mente Basilii non cadere suprà panem jam consecratum, & quod ex Damasceno affertur, fortè fuit ipsius scriptis adjunctum, quod ex Epiphanio Diacono fortè non fuit totum, & præsertim quo ad historiam, & rem facti, de qua agitur, à Synodo approbatum, ut expendit Arriaga *præcit. sec. 2. num.* 10. & 11., ubi etiam censet Vasquium fuisse nimis audacter locutum in eo, quod universaliter tradidit *præcit. num.* 47.

96

97

Dices tertiò impugnando secundam asserti partem, & probando formam calicis consistere essentialiter in omnibus his verbis *Hic est calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti mysterium fidei qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: Hæc omnia conscribuntur in missali similibus prorsùs characteribus, similique prorsùs pronunciatione attentione, ac devotione à Sacerdote consecrante proferuntur: De his omnibus Innocentius III. *in cap. cum Martha. de celebrat. Missar.* ait videri quod sit forma tradita à Domino magis quàm alia posita in Evangeliis posteà scriptis, & variatis secundùm variationem traditionum, & translationis, ergo tùm ex usu, ac ritu Ecclesiæ, tùm ex auctoritate Innocentii III omnia prædicta verba sunt de essentiâ formæ. Sed contrà: Ad ritum Ecclesiæ dico reliqua verba ab illis *Hic est calix sanguinis mei* esse cum istis (grammaticali non sacramentali significatione) valde conjuncta, ad istorum intelligentiam, explicationemque pertinere, & sub gravi præcepto cadere, ideò congruenter servari eumdem ritum in illis conscribendis, eamdemque in proferendis pronunciationem, attentionem, ac devotionem, quæ sicuti toti missæ celebratione rectè adhiberetur, ità multò magis ubi Sacerdos est consecrationi, vel peragendæ, vel peractæ valdè proximus. Ad auctoritatem Innocentii Lauræa *disp. 19. art. 2. num.* 63. ait esse glossandam, & vel nomine formæ intelliguntur sola verba formaliter consecratoria, vel etiam aliqua concomitantia, & ex constanti Ecclesiæ ritu consecratoriis adiuncta. In primo sensu forma non solum tradita est à Christo, & Apostolis, sed etiam posita in singulis Evangeliis consecrationem Christi referentibus, & hanc solam nos dicimus essentialem: In secundo sensu jure censetur à Christo, & Apostolis tradita, quamvis non posita tota à singulis Evangeliis; & de hac videtur locutus Innocentius, & hanc nos non dicimus totam essentialem, tum ex eo ipso, quod non est tota expressa in singulis Evangeliis, tum ex eo quod non est tota necessaria ad conversionem vini, & præsentiam sanguinis, sivè significandam, sivè causandam; agnoscimus tamen esse totam congruentissimam propter rationes jam adductas, & multo magis ulteriùs ab Adversariis adducendas pro essentiali necessitate.

Contrà easdem difficultates ex ritu Ecclesiæ, & auctoritate Innocentii III.

98

Dico

Item difficultas specialis pro verbis illis *Novi testamenti*, vel *novum testamentum*.

Dices quartò sigillatim pro verbis illis *novi testamenti*: Hæc verba ex unâ parte habentur apud Apostolum Paulum, & omnes Evangelistas referentes formas consecrationis, ut recensuimus *praced. num. 93.* ex aliâ parte constituunt cum aliis verbis, quæ à nobis existimantur essentialia unam eamdemque propositionem adeò strictè, ut sine ipsis non reddatur sensus completus; quod apparet adhùc luculentius, si pro ly *Novi testamenti* in obliquo ponatur *novum testamentum* in recto, ut ponunt Paulus, & Lucas, dicaturque vel cum Paulo *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, vel cum Lucâ *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo* quæso enim, quinam sensus relinqueretur in his propositionibus sine ly *novum testamentum*? ergo hæc duo verba præsertim, ut posita in recto omninò sunt de essentiâ formæ calicis.

99

Sed contrà: Ad primum dico ad hoc ut aliquod verbum censeatur de essentiâ formæ consecrationis, necessarium esse, at non sufficiens, quod apud Paulum, & singulos Evangelistas in ipsis formis recenseatur, sed insuper requiri, quod reliqua sine ipso non sint apta significare Christi præsentiam, sunt autem apta sine ly *Novi testamenti*, vel *novum testamentum* ideò &c. Ad secundum dico constituere unam propositionem constitutione grammaticali, & materialiter se habente, non constitutione sacramentali, & habente se formaliter ad significandam Christi præsentiam, âd quam ly *Novi testamenti* per se non refertur, sed ad adoptionem vitæ æternæ, & consummationem gratiæ, quam Christus suâ morte tamquàm testamento sanguinis effusione sancito nobis repromisit, eodemque sanguine promeruit, ut nuper attigimus *num. 94.* Nec refert, quod ly *novi testamenti* ponatur in illâ propositione tamquam prædicatum sanguinis; Non refert, inquam, quia est prædicatum distrahens à significatione sacramentali, aut saltem ad hanc formaliter, ac per se non pertinens; & ratione talium prædicatorum una propositio æquivalet pluribus, ideo nil mirum si non ingrediantur essentiam talis propositionis formaliter, & cathegoricè sumptæ.

100

Illud, quod additur de jisdem verbis in recto positis, majorem præsefert difficultatem, adeo ut propterea aliqui dubitaverint de sufficientiâ formæ, quam in Paulo, & Lucâ legimus; immeritò tamen, quia etiam in tali formâ sine ly *novum testamentum* habetur tota significatio sacramentalis, cum exprimatur sanguis Christi, copula *est*, & pronomen demonstrativum, & quamvis remaneat constructio, & sensus obscurior, corriguntur hæc, ut ità dicam, & explanantur per alias formas synonymas in aliis Evangelistis repertas; nec cum ly *novum testamentum* habetur melior constructio, aut clarior propositionis sensus in ordne ad significandam præsentiam sanguinis, aut conversionem in sanguinem, significat enim aliquid omninò diversum à sanguine; & aliundè semel admittendo expressionem novi testamenti secundum aliquam constructionem ingredi essentiam formæ, secundum aliquam non; jam forma calicis non erit una specie, nec consistenti indivisibili, & variari poterit etiam per verba non synonima. Ex his Lauræa *disp. 19. art. 2. num. 73. & seqq.* movetur ad absolutè sentiendum, quod salvetur essentia formæ consecratoriæ dicendo *Hic calix est in sanguine meo*: Idem sentiunt Aretinus, & Gavatius apud Mastrium *disp. 3. quast. 5. art. 2. num. 166.*, qui tameu cum Vasquio *disp. 198. cap 4. num. 39.* Hiqueo, & aliquibus aliis sentit oppositum, putat scilicèt non esse sufficientem formam *Hic calix est in sanguine meo*, & expressionem novi testamenti in recto esse de essentiâ formæ tradiræ à Paulo, & Lucâ; quamvis ejus expressio in obliquo non sit de essentiâ formæ, quâ nos utimur, quia in illâ, in quâ ponitur in recto, magis quam in istâ, in quâ ponitur in obliquo requiritur ad perfectum verborum sensum; Nec refert, inquit hæc opinio, quod vox *novum testamentum* vi sua sanguinem non significet, nam neque vox *Calix* significat vi suâ sanguinem, & tamen essentia hujus formæ *Hic est calix sanguinis mei* non salvaretur dicendo *Hic est sanguinis mei*, etsi prætereà in his verbis exprimatur sanguis Christi, copula *est*, & pronomen demonstrativum, ex quo dicebamus salvari sine *novum testamentum* in verbis illis *Hic calix est in sanguine meo* essentiam formæ.

101
Quid de validitate istius formæ, *Hic calix est in sanguine meo?*

Nihilominus hinc non retrahor à priore opinione. fateor ad summum suam quoque probabilitatem posteriori non deesse; à priore inquam non retrahor, & ad illud, quod de calice objicitur, fateor non subsistere essentiam formæ dicendo *Hic est sanguinis mei*, at hæc propositio, non illa alia *Hic calix est in sanguine meo* caret substantivo recto ex parte, tùm prædicati, tùm subjecti, & quamvis calix vi suâ præcisè non significet sanguinem, benè hunc significat, quatenus per copulam *est* determinatur ad ly *sanguinis*, quâ ratione sanguis, & calix sanguinis habentur pro synonymis, quin etiam quia calix est instrumentum potus, & sanguis in Eucharistia ad modum potus existit videtur sanguis ut in Eucharistiâ existens aptius exprimi dicendo Calix sanguinis, quàm dicendo præcisè sanguis: Non est eadem ratio de ly *Novum testamentum in sanguine*, ideò &c.

102
Quid item de validitate istius, *Hic est sanguinis mei?*

Dices quintò singillatim pro verbis illis *qui pro vobis*, vel *pro multis effundetur*. Sine his verbis non significatur effusio sanguinis; atqui formæ consecratoriæ sanguinis essentiale est significare ipsius effusionem, ergo eidem essentialia sunt verba illa *Qui pro vobis*, vel *pro multis effundetur*, vel ad minus, *qui effundetur*. Major patet, quia reliqua verba à nobis admissa significant præcisè sanguinis præsentiam, quæ ab effusione abstrahit, potest quippe optimè fieri sanguis præsens absque eo, quod sit effusus. Minor probatur, primò, quia Eucharistiæ, & formæ ipsam constituenti essentialis est rememoratio passionis Christi, quæ ut potè cruenta

103
Difficultas tandem specialis pro illis aliis verbis *Qui pro vobis*, vel *pro multis effundetur*.

nequit

nequit rememorari, nisi significetur sanguinis effusio: Secundò, quia essentiale est Eucharistiæ ut de facto institutæ habere, tùm rationem sacramenti, tùm rationem sacrificii, & sub utrâque ratione simul perfici; ergo essentiale est formæ cõsecrationis utramque rationem significare; atqui non potest significari ratio sacrificii in Christi morte consummati, nisi significetur sanguinis effusio, ergo essentiale est formæ consecrationis constare verbis hanc significantibus qualia sunt illa sola *Qui effundetur*. **104** Neque sufficienter occurritur, aut retorquendo argumentum in formâ corporis, cui etiam per Adversarios, eum quibus modò agitur, non est essentiale verbum *Tradetur* aliudvè explicans rationem sacrificii, quod tamen sicut in corpore exangui æquè ac in sanguine effuso consistit, ità deberet per formam corporis æquè, ac per formam sanguinis proportionaliter significari: Aut dicendo in verbis consecrationis ly *effundetur* non referri, ut supponit instantia, ad effusionem cruentam factam in Cruce, sed ad oblationem incruentam, quæ quotidiè fit in Altari, & quæ sine ly *effundetur* significatur etiam aliundè, nimirùm per præsentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus in Altari oblatis. Non, inquam, sufficienter occurritur, quia retorsio impugnabitur dicendo esse majorem rationem significandi sacrificium per formam sanguinis, quam per formam corporis, quia illa non ista concludit totam actionem sacramentalem, & sacramentum, ac sacrificium ultimò perficit: Facilius impugnabitur interpretatio illius verbi *effundetur*, est enim gratis, & falsò excogitata, ut contrà Jansenium *in concord. Evangel. cap.* 13, latè ostendit Vasquez *disp.* 199. *cap.* 1. 2. & 3.

105 Sed contrà: Admitto utramque utriusque evasionis interpositæ impugnationem, & circà instantiam adverto in primis, quod in eâ dicitur Eucharistiæ esse essentialem rememorationem passionis Christi, procedere propriè de ipsâ ut sacrificio, non ut sacramento, nunc autem agimus de verbis consecrationis, quatenus sunt forma Eucharistiæ ut Sacramenti, non quatenus spectant ad Eucharistiam ut sacrificium, ad quod quidem spectat consecratio, at ut est actio transubstantiativa, transmutativa, reproductiva potius, quam ut est forma verbalis; Quod insuper dicitur, esse essentiale Eucharistiæ simul perfici sub ratione, tùm sacramenti, tùm sacrificii, est in multorum sententiâ falsum, quamvis fortè non in nostrâ, de quâ infrà *lib.* 3. *cap.* 2. §. 3. & 4. Certè non est id facilè, & sine aliquâ explicatione concedendum: Interim ad instantiam directè nego majorem, & dico ex vi istorum verborum *Hic est calix sanguinis mei* sine illis *Qui pro vobis effundetur* poni formaliter sub vini speciebus solum sanguinem, & non corpus, & cum aliundè per aliam consecrationis formam supponatur positum sub speciebus panis solum Corpus, & non sanguis, habetur ex corpore, & sanguine sic seorsim positis explicita repræsentatio effusionis, qualis ad sacrificium requiritur, & qualiter ex professo explicabitur nuper *cit.* §. 4. *num.* 80. & 85.

Urgebis: In baptismo habente rationem, tùm ablutionis spiritualis, tùm protestationis fidei sunt de essentiâ formæ non solum illa verba *Ego te baptizo* significantia ablutionem, sed & ista alia *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* significantia protestationem, nec illa sine istis sacramentaliter causant, quamvis grammaticaliter significent ablutionem, ergo pariter in Eucharistiâ habente rationem, tùm sacramenti, tùm sacrificij sunt de essentiâ formæ non solum illa verba *Hic est calix sanguinis mei* significantia præsentiam constitutivam sacramenti, sed & ista alia *Qui effundetur* significantia effusionem constitutivam sacrificii, nec illa sine istis sacramentaliter causant, quamvis sine istis grammaticaliter significent præsentiam Christi, seù sanguinis ejus. **106** Sed contrà: Hæc instauratio benè procederet ad summum, si effusio constitutiva sacrificii non significaretur, nec repræsentaretur aliter, quàm per ly *Qui effundetur*, at per nos ex dicendis *præcit.* §. 4. aliter repræsentatur, repræsentatur scilicet per ipsum corpus, & sanguinem seorsim vi verborum posita, ly igitur *Qui effundetur*, neque etiam ad significandam effusionem constitutivam sacrificii potest esse de essentiâ formæ Eucharistiæ: Hincque omnino deficit paritas baptismi, in quo verba *Ego te baptizo* nullatenus neque per se, neque per res à se importatas significant protestationem fidei: ideò nil mirum, si ad hanc significandam requirantur, & essentiam formæ baptismi ingrediantur illa *In nomine Patris* &c.

Aliæ contrà assertas consecrationis formas difficultates, sicuti sunt jam solutis affines, ità sunt ex ipsis levi studio solubiles præcipuè cum fuerit *seq* §. expensum: Utrùm aliqua verba sint de necessitate sacramenti, aut de substantiâ formæ, quamvis non de essentiâ? eâdemque occasione agendo de mente D. Thomæ constiterit male ipsum ab Auctoribus præced. num. 90. relatis in suas partes quo ad formam sanguinis trahi. Ideò sit

---

§. VI.

Utrùm aliqua verba non essentialia sint de necessitate Sacramenti, aut de substantiâ, seù integritate formæ? Ubi quid de mente D. Thomæ?

107 **Nec verba *Qui pridiè*. Nec ulla alia non essentialia formæ, sunt de necessitate sacramenti.**

Assert. I. Nullum verbum non essentiale, seù non de essentiâ formæ consecrationis est de necessitate sacramenti, & signanter talia non sunt verba illa præcedentia formam *Qui pridiè quam pateretur* &c. Ita cum suis D. Thomas *hic quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 4. Durandus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *num.* 7. Richardus

chardus *art. 3. quæst. 1.* Gabriel *lec. 38. in Canon. Missæ* Suarez *disp. 59. sec. 1.* Vasquez *disp. 198. cap. 1.* Lugus *disp. 11. sec. 3.* Mastrius *disp. 3. qu. 6. art. 1.* & reliqui, tùm Thomistæ, Nominales, & Recentiores communiter, tùm etiam ut refert Mastrius nuper *cit. quæst. 6. num. 137.* plures, & graviores Scotistæ contrà Angelum verb. *Eucharistia num. 14.* Radam 4. *par. controv. 5. art. 3.* Fabrum *in 4. dist. 33.* Lauræam *disp. 19. art. 1. num. 10.*, & tùm alios nonnullos Scotistas, tùm ex Recentioribus Pasqualigum *disp. 95. sec. 2.* pro se afferentes Scotum *in 4. dist. 8.* §. *De secundo dico*, ubi verè illis favet, & dubitat de valore consecrationis, in quâ prolata fuerit forma omissis verbis antecedentibus *Qui pridiè*, undè *Versic. Sed quid* docet materiam sic consecratam non esse adorandam nisi sub conditione: Nihilominùs quia posteà §. *de tertio* latiùs disserens de sensu verborum formæ non videtur adeò sollicitus de verbis antecedentibus, & tandem *Versic. Sic ergo*, resolutoriè concludit sufficere Ministro, quod intendat proferre verba formæ eo modo, quo Christus instituit, reliquit non modicam rationem suspicandi, quod in priore loco disputationis gratiâ non ex proprio sensu locutus fuerit, & ità de sui subtilis Doctoris mente sentiunt Scotistæ pro sententiâ à nobis assertâ memorati, meliùs certè, ac favorabilius, quam Sotus *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 2.* apud Vasquium *num. 4.* contendens illum contradictionis arguere.

108 Probatur: In Eucharistiâ verba non sunt necessaria necessitate sacramenti, nisi tamquam formæ; Eucharistiæ enim cum reliquis novis sacramentis commune est rebus tamquàm materiâ, & verbis non nisi tamquàm formâ constare; ergo nullum verbum, quod non sit essentiale, seù de essentiâ formæ consecrationis potest esse de necessitate Eucharistiæ, & signanter talia non sunt illa *Qui pridiè quam pateretur* &c. ut potè quæ ex jam dictis infertur, & ipsimet Auctores, quos habemus in præsenti Adversarios, fatentur, non esse de essentiâ formæ, nec tamquàm formam.

Respondebis aliquid posse esse necessarium necessitate sacramenti, vel intrinsecè, & per modum constitutivi, vel extrinsecè, & per modum præparativi, seù conditionis, sine quâ non: verba in Eucharistia non posse sicut, nec in aliis sacramentis novis esse primo modo necessaria necessitate sacramenti, nisi tamquam forma; secus secundo modo, quo, inquies, sunt necessaria verba illa *Qui pridiè* &c., quæ licet non sint forma, aut pars formæ, sunt tamen conditio, & quasi præparatio, sine quâ verba formæ demonstrant, & significant corpus Sacerdotis loquentis non corpus Christi, adeòque vel non efficiunt corpus Christi, vel efficiunt id, quod non significant, quod utrumque est contrà essentiam formæ, & sacramenti Eucharistiæ: Nec sufficit, quod Sacerdos loquens intendat loqui in personâ, & nomine Christi, nam intentio interna loquentis non mutat significationem verborum, quæ proferuntur exteriùs, & qui v. gr. (est exemplum Scoti *præcit.* §. *De secundo*) inciperet ità loqui *doctrina mea est ista*, etiamsi intenderet loqui nomine Christi non haberetur ex vi verborum, quod ista doctrina sit Christi; ergo.

109 Sed impugnatur responsio, & unà simul confirmatur assertum ex eo, quia falsum est verba, *Qui pridiè* &c. esse conditionem sine quâ verba formæ non significant corpus Christi, sed corpus Sacerdotis loquentis: falsum inquam est, primò, quia verbis illis *Qui pridiè* Sacerdos nihil aliud præstat, quàm referre actionem Christi, & posteà recitare aliqua ejus verba in ly *accipite, & manducate ex hoc omnes*; per hoc autem, quod quia referat actionem, & recitet verba alterius, non inducit illius personam, nec operatur, aut loquitur illius nomine; verba igitur *Qui pridiè* à Sacerdote præmissa nil conferunt ad hoc ut loquatur Christi nomine, & ly *meum* referratur ad Christi corpus: Secundò, quia sive præmittantur verba *Qui pridiè* sivè non, ex eo præcisè quod Sacerdos proferat formam verbalem cum debitâ intentione faciendi sacramentum, operatur ut Christi Minister, & loquitur in Christi personâ; secùs verò evenit ex eo præcisè, quod sine debitâ intentione formam proferat: Ergo loqui in personâ Christi, & ly *meum* referri ad Christi corpus pendet non à verbis antecedentibus *Qui pridiè*, Sed ab intentione Sacerdotis. Nec obstat, quod

110 dicebatur, intentionem internam loquentis non mutare significationem verborum, quæ proferuntur exteriùs; hoc enim solùm procedit de significatione naturali, quam habent verba communi, & humano modo acceptâ, non de significatione sacramentali, quam habent verba ex institutione divina, & secundùm quam, quoties proferuntur intentione, & ritu sacramentali, habent vim efficiendi illud, quod ut à Christo seù ut in personâ Christi prolata significant: Hinc exemplum ex Scoto adductum est inefficax, & dissimile, quia verba illa *Doctrina mea est ista* nullam habent peculiarem ex institutione divinâ significationem, secundùm quam supposita præcisè tali intentione loquentis referantur ad personam Christi tamquàm à Christo prolata.

Dices: Intentio Ministri debet esse proportionaliter eadem pro omnibus novis sacramentis; cum hæc omnia ex Florentino æqualiter perficiantur materiâ, formâ, & intentione: atqui intentio Ministri licèt pro omnibus novis sacramentis sufficiat, ut actiones sacramentales fiant, & formæ proferantur in Christi personâ, & Christi nomine, quemadmodum explicabatur in tract. de Sacram. in gen. *lib. 2. cap. 4.* §. 2., non sic sufficit, ut eædem formæ, seù verba formarum referantur ad Christum non ad Ministrum loquentem, imò de facto in aliis sacramentis ab Eucharistiâ ad Ministrum referuntur; & ly *Ego* v. gr. in formis baptismi, & pænitentiæ ad me baptizantem, & absolventem refertur, non ad Deum, aut Christum;

ſtum; & benè poſſum v. gr. dicere, Ego Joſeph te baptizo, Ego Joſeph te abſolvo; ergo quod ly *meum* in formâ Euchariſtiæ referatur ad Chriſtum non ad Sacerdotem conſecrantem debet provenire aliundè quàm ex intentione Sacerdotis, nec apparet undè melius, quàm ex aliquibus verbis antecedentibus, ex quibus ſignificatio formæ ſit ad Chriſtum directa, & ei quodammodò applicata.

111 Sed contrà: Neque in aliis ſacramentis intentio ſufficit niſi ſuppoſita inſtitutione verborum ad ſacramentaliter ſignificandum, ideò intentio proportionaliter eadem ſuppoſitâ diverſâ inſtitutione poteſt optimè ſufficere, ut forma verborum diverſimodè referatur ad Chriſtum in Euchariſtiâ, ac in aliis ſacramentis; quâ de re iterùm infrà *num.*169., & 170.

Dices aliter: Sine verbis antecedentibus *Qui pridiè* &c. verba formæ ſequentia *Hoc eſt enim corpus meum*, nec perfectum nec verum ſenſum habeant; ergo verba antecedentia ſunt ſaltem conditio ſine qua verba formæ, nec perfectè, nec verè ſignificant, adeoque nec efficiunt corpus Chriſti; probatur antecedens, non habent ſenſum perfectum quia non ſunt propoſitio integra, ſed unicum membrum propoſitionis cauſalis, & hypotheticæ: Non habent ſenſum verùm, quia ly *enim* importat verba formæ eſſe rationem verborum præcedentium, quod certè non verificatur, ſi ſolitariè proferantur, nec ſupponantur alia præceſſiſſe: Deindè in propoſitionibus cauſalibus nequit eſſe vera propoſitio ſubſequens, quin vera ſit antecedens, ut patet in hâc cauſali, *dies eſt, ſol enim eum lucet*; arqui in noſtro caſu *Hoc eſt enim corpus meum* eſt propoſitio ſubſequens ad illam *Accipite, & manducate ex hoc omnes*; ergo.

112 Sed contrà: In primis explicari vix poteſt, quomodò verba neceſſaria, ac per conſequens concurrentia ad veram ſignificationem, & integrum ſenſum formæ ſint pura conditio, non pars formæ, ideò inſtantia imò tota Adverſariorum doctrina, ſiquid probat, probat nimis. Deindè aliquid ad ſummum inſtantia probaret, ſi ly *enim* ingrederetur eſſentiam formæ, adeò ut iſta deberet eſſentialiter eſſe propoſitio, aut potius membrum propoſitionis cauſalis, & hypotheticæ, at, non ità res ſe habet; ideò dato quod *Hoc eſt enim corpus meum* in ratione propoſitionis cauſalis, & hypotheticæ non habeat non prolatis verbis antecedentibus perfectum, nec verum ſenſum, ſatis eſt, quod hunc habeat, ut optimè habet, in ratione propoſitionis abſolutæ, & cathegoricæ, ſub quâ ſolum ratione eſt eſſentialis forma conſecrationis, & dum de facto antecedentibus verbis prolatis profertur, verificatur quidem etiam in ratione propoſitionis cauſalis, & hypotheticæ, at non eſt forma conſecratoria, nec cauſat ut hoc modo verificatur, ſed dumtaxat ut verificatur in ratione propoſitionis abſolutæ, ſimplicis & cathegoricæ abſtrahentis à particulâ *enim* quam propterea obiter moneo non ſolùm non ingredi eſſentiam formæ, ſed nec eſſe de neceſſitate ſacramenti, & Scotiſtæ in hoc, quò ad particulam *enim* nobis conſentiunt, ac conſequenter nequeunt præſenti contrà nos inſtantiæ admodùm fidere ſalvâ cohærentiâ doctrinæ.

Forma conſecrationis non eſt eſſentialiter propoſitio, aut membrum propoſitionis cauſalis.

Particula enim non eſt de neceſſitate ſacramenti, ut côditio.

113 Expeditâ primâ tituli parte, quæ præcipuè procedebat de verbis præcedentibus formam corporis, ſuccedit altera procedens de verbis ſubſequentibus formam ſanguinis; nimirùm de illis *Novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* circà quę Auctores docentes non eſſe de eſſentiâ formæ inter ſe diſſentiunt, an ſint ſaltem de formæ integritate ſeù, ut ajunt, ſubſtantiâ? Negant Suarez *diſp.* 60. *ſec.* 1. §. *Quò circà*. Vaſquez *diſp.*198.*cap.*4. Arriaga *diſp.*40.*ſec.*6. Amicus *diſp.*24.*ſect.*1.*num.*17. Maſtrius *diſp.*3. *quæſt.*7.*num* 162. Henınex *diſp.*2.*quæſt.*8.*nu.*71. Lauræa *diſp.*19.*art.*2.*num.*57. Madernus *qu.*6. *art.*2. *num.*8., & reliqui Scotiſtæ, ac Recentiores communiter; imò & illi Thomiſtæ, qui ſuſtinent relata verba eſſe de formæ eſſentiâ, quatenus id probant ex eo, quod nequeant dici eſſe de formæ ſubſtantiâ, & volunt hâc in re S. Doctorem nomine ſubſtantiæ eſſentiam accepiſſe, ut videre eſt ſingillatim apud Gonetum *diſp.*7.*art.*2.*n.*16., & 27. Affirmant ex adverſo Sotus *in* 4. *diſt.*11. *quæſt.*1.*art.*3. Ledeſma *in* 1.*part.*4. *lib. quæſt.* 19. *art.*3. Cajetanus *hic quæſt.* 78. *art.* 3. Nugnus *eod. art.* Joannes à S. Thomâ, Marcus à Serra, & plures alii Recentiores Thomiſtæ, quos ex extraneis ſequitur Lugus *diſp.* 11. *ſec.* 4. *num.*89.

114 Iſti auctores ſtatuunt potiſſimum ſuę opinionis affirmantis fundamentum in auctoritate D. Thomæ, qui loquens de formâ calicis ex unâ parte docet verba, quibus ſacramentum perficitur; & fit converſio, eſſe illa ſola *Hic eſt calix ſanguinis mei* non in præſenti *quæſt.* 78. *art.* 1. cujus titulus eſt Utrùm hæc ſit forma hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei? *ad reſp. ad* 4. habet *Dicendum eſt, quod ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conſecrandi hoc ſacramentum, perficeretur hoc ſacramentum*; & eâd. quæſt. art.3. in c. ait *Cum dicitur Hic eſt calix ſanguinis mei ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem eo modo, quo dictum eſt in formâ conſecrationis panis*. Ex aliâ parte tradit reliqua verba uſque ad *Hoc quotieſcumque feceritis* eſſe de ſubſtantiâ, & integritate nam *eod. art.* 3. ad verba mox relata præmittit *Ea quæ ſequuntur ſunt quædam determinationes prædicati ideſt ſanguinis Chriſti, undè pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis, & propter hoc ſunt alii, qui melius dicunt, quod omnia ſequentia ſunt de ſubſtantiâ formæ uſque ad* &c. Idemque tradiderat anteà *in* 4. *diſt.*8.*quæſt.*2. *art.*2.*quæſtiunc.* 1. *in c.* dicens, *Quia conditiones appoſitæ ad ſubjectum, vel prædicatum ſunt de integritate locutionis alicujus, ideo alii probabilius dicunt, quod totum quod ſequitur eſt de formâ*.

Auctoritates D. Thomæ variæ circà formam calicis, ſed ſanguinis quo ad integritatem, & ſubſtantiam ejus.

115 Ex his utriſque locis præmemorati Auctores duo inferunt: Primum eſt, quod D. Thomas loquens de formâ ſanguinis, eſſe de ſubſtantiâ, ſumat pro eſſe de integrita-

tegritate, & contradistinguat ab esse de essentiâ, quàmvis aliàs suprà *quæst.60. art.8.* non pro esse de integritate, sed pro esse de essentiâ sumpserit, cum agens de formâ sacramenti in genere dixit *Si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantiâ formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & ideò non perficitur sacramentum*, ideòque Joannes à S. Thomâ *hic disp. 29. art.1. §. Ad locum S.Thomæ* inferat verbum *de substantiâ* esse indifferens, ut intelligatur de substantiâ quò ad essentiam, vel de substantiâ quò ad integritatem. Secundum est, quod D.Thomas ponat esse de essentiâ formæ solùm illa verba *Hic est calix sanguinis mei*; de substantiâ verò, & integritate etiam alia sequentia: Nihilominùs occurrunt duo alia loca, quibus iisdem verbis sequentibus videtur aliquid amplius S. Doctor tribuere: primus est nuper *cit. quæstione.* 1. *ad* 3. ubi habetur *Quæ sequuntur sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecratur, & ideò oportet quod sint de substantiâ formæ:* Secundus est super 1. *Cor.* 11. *lect.*6. ubi illa verba dicuntur *esse de necessitate formæ*:

116 Ex his auctoritatibus in medium prolatis vix potest aliud quidpiam rectè deduci, quàm S. Doctorem fuisse in hoc obscurè, & ambiguè locutum, nec satis suam germanam mentem expressisse; ideòque in ipsius actoritate non posse statui ullum firmum fundamentum pro sententiâ docente verba illa *Novi, & æterni testamenti* &c. esse de substantiali integritate, sicut nec pro aliâ docente esse de essentiâ formæ calicis, & nobis qui non solùm hoc secundum negavimus, sed & primum mox sumus negaturi, sicut nil favet, ità nil interest, quod unum potius quàm alterum D. Thomas senserit, sed vel debemus dicere neutrum sensisse, & contendere quod allatis loquendi modis nihil aliud circà verba addita formæ sanguinis voluerit concludere nisi necessitatem præcepti, & magnam talis additamenti congruentiam; quæ explicatio licèt dura censeri potest tolerabilis in re, in quâ quidquid dicatur occurrit in oppositum aliqua S. Doctoris auctoritas explicatione indigens propter obscuras, varias, & quasi contrarias ipsius locutiones: Vel certè si permittamus ipsum existimasse illud additamentum esse partem substantialem formæ, sicque sivè substantiale pro essentiali, sivè pro integrali acceperit, nobis adversari, dicere possumus cum Suario *præcit. sec.*1. in fine aliisque nonnullis non fieri injuriam D. Thomæ si propter multarum Ecclesiarum, & liturgiarum auctoritatem ab ejus opinione discedamus, quam sine dubio ipse mutasset, si vel prædictas liturgias vel aliarum Ecclesiarum usum agnovisset, eas verò de facto non agnovisse colligitur ex eo, quod nullam earum mentionem faciat.

Fertur aliquale de D. Thomæ mente judicium.

117 Constito jam sententiam affirmantem aliqua verba non essentialia spectare ad integritatem, & substantiam formæ sacramentalis malè niti auctoritate, ad hoc ut constet, quomodò nitatur ratione? adverto talem sententiam affirmantem posse dupliciter procedere: Primò, quatenùs doceat posse quidem per sola verba essentialia non prolatis integrantibus poni Christi sanguinem sub speciebus, si tamen integrantia simul cum essentialibus per modum unius orationis proferantur, etiam integrantia verè concurrere ad Christi sanguinem efficiendum, seù ponendum sub speciebus; adeò ut si Sacerdos habeat intentionem consecrandi solùm per hæc verba *Hic est calix sanguinis mei*, per hæc in re consecret, & in ly *mei* fiat sanguis sub speciebus existens; si habeat intentionem consecrandi per eadem simul cum aliis *Novi, & æterni testamenti* &c. consecret per omnia, & solùm in fine omnium, idest in ly *peccatorum* sanguis sub speciebus existat. Secundò, quatenùs verba essentialibus addita concedantur semper invenire sanguinem sub speciebus positum ex vi verborum essentialium, nec umquàm concurrant ad sanguinem ex vino efficiendum, dicantur tamen spectare ad integritatem, & esse de substantiâ formæ, quia proferuntur eodem contextu, & in personâ Christi sicut verba essentialia, unam cum istis orationem, seù propositionem hypotheticam integrant, & continuant, alicujus item verbi essentialis idest ly *sanguinis mei* virtutem, propriamque notionem exprimunt: Hic secundus modus traditur à Lugo, & Joanne à S. Thomâ, primus tribuitur reliquis pro sententiâ affirmante relatis *præced. num.* 113. His interjectis sit

118 Assert. 2. Nullum verbum non essentiale, seù non de essentiâ formæ consecrationis est de substantiâ, seù integritate, & signanter talia non sunt verba illa subsequentia formam sanguinis, *Novi & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Est assertum magis commune cujus, tùm Patronos, tùm Adversarios habes *præced. num.* 113., &

Nec verba *Novi, & æterni* &c., nec ulla alia non essentialia sunt de substantia, aut integritate formæ.

Probatur primò, quia in formis sacramentalibus malè distinguitur esse de essentiâ ab esse de substantiâ, pars essentialis à parte integrali; ergo nullum verbum non essentiale, seù non de essentiâ formæ consecrationis est de substantiâ, seù integritate ei signanter &c. Antecedens probatur, forma sacramentalis consistit in verbis continuatè, & per modum unius orationis, seù propositionis prolatis, adeoque est unum continuum, & quoddam totum quantitativum, ac integrale; atqui in continuo, & toto quantitativo, ac integrali esse de essentiâ ab esse de substantiâ, & pars essentialis ab integrali non distinguitur, est enim maximè de essentiâ totius integralis ex partibus integralibus constitui, sicduto semipalmi v. gr. sunt partes essentiales simul, & integrales palmi, & quælibet oratio, seù propositio verbis, quibus integratur, variatis essentialiter variatur; ergo. Nihilominus, quia non facilè impugnabitur, qui dixerit ista benè procedere de toto quantitativo, & integrali physico, seù physicè sumpto, non sic de toto quantitativo, & integrali morali, seù

sumpto moraliter, quales sunt, seù qualiter sumuntur formæ sacramentales, utor argumento magis fundamentali, & magis hujus loci proprio, quo

119

Probatur assertum secundò: Si verba aliqua non essentialia sunt de substantiâ, & integritate formæ sacramentalis, & signanter si alia sunt illa *novi, & æterni testamenti* &c. vel id est, quatenùs suppositâ intentione Ministri, & Ecclesiæ verè simul cum verbis essentialibus concurrant ad ponendum sub speciebus Christi sanguinem, licèt possit etiam sine ipsis Christi sanguis sub speciebus poni, & sacramentum perfici; vel aliter, quatenus pertineant ad majorem alicujus verbi essentialis expressionem, eodemque contextu, & continuatè cum verbis essentialibus proferantur, etsi deindè non simul cum essentialibus causent præsentiam, & existentiam sanguinis Christi sub speciebus; atqui neutrum ex his dici potest, & primum est simpliciter falsum, secundum non sufficit ad esse de substantiâ, & integritate formæ ergo. Major continet duplicem viam, quâ Adversarii procedunt in propriâ sententiâ sustinendâ, ut mox præmisimus *num.* 117.

120

Sivè verba de substantia supponantur simul cum verbis essentialibus ex intentione Ministri operari.

Minor probatur quo ad primam partem, quia quod in formâ sacramentali verbum aliquod sit aptum concurrere ad ponendum Christum sub speciebus, non habetur ab intentione Ministri, vel Ecclesiæ, sed præcisè ab institutione Christi, nec prolatis verbis per se sufficientibus ad ponendum effectum sacramenti est in potestate Ministri hunc suspendere, & alia verba in priorum consortium ad sacramentum perficiendum addere, cum materia, & forma sacramentorum respectu Ministri sint causa necessaria, & ab isto pendeant quo ad applicationem dumtaxat nullatenus quo ad institutionem. Neque dicas esse ex institutione ipsius Christi, quod verba illa *Hic calix sanguinis mei* possint sanguinem efficere, tùm se solis, tùm simul cum aliis *Novi, & æterni testamenti*, adeò ut Sacerdos teneatur quidem omnia proferre, & per omnia consecrare; si tamen solum per priora consecrare intendat, eaque sola proferat, adhuc validè consecret, quamvis non licitè. Contrà enim: Nimis voluntariè hoc dicitur, & tùm sine paritate in formâ consecratoriâ Corporis, in quâ si addatur ly *Quod pro vobis tradetur* licet habeat magnam affinitatem, & proportionem cum verbis, quæ adduntur formæ sanguinis, non potest, etiamsi id Minister intendat, simul cum aliis concurrere ad corpus sub speciebus efficiendum; tùm sine exemplo in aliis sacramentis, quorum formis, si quid additur ultrà verba essentialia, & simpliciter necessaria, non additur tamquam influens, & coefficiens id, quod verba essentialia significant, nec ingreditur substantiam, & integritatem formæ in eo sensu, in quo nunc disputatur. Prætereà ista verborum pro forma sanguinis institutio, quasi vaga, & indifferens malè cohæret communi doctrinæ, quâ tradi solet nova sacramenta constare verbis non quibuscumque, sed determinatis, & quidem majore determinatione, quàm sit determinatio rerum, ut nos quoque tradidimus in tract. de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 1. §. 2.

121

Sivè solum aliter cum verbis essentialibus connecti.

Minor eadem probatur quo ad secundam partem, quia si semel verba aliqua supponunt, & nullatenus simul cum verbis formæ essentialibus causant, existentiam, & præsentiam sanguinis sub speciebus, nullatenùs connectuntur cum verbis essentialibus, ut sunt verba formæ, nam ut talia causant, quod significant; quomodocumque autem aliter cum verbis essentialibus connectantur, materialiter, & disparatè se habent ad rationem formæ, atque adeò nequeunt esse de ipsius integritate, & substantiâ; nisi cum quæstione de nomine, & vocabulorum abusu dicatur esse de alterius integritate, quidquid cum alio utcumque connectitur, quâ ratione liberum erit addere tamquam de integritate formæ corporis, *Quod pro vobis tradetur*, formæ baptismi, *ab utroque procedentis*, & in aliis Sacramentorum formis alia similia, quæ poterunt æquè, ac ly *Novi, & æterni testamenti*, pertinere ad majorem expressionem alicujus verbi essentialis, proferrique eodem contextu, & per modum unius orationis cum verbis essentialibus. Confirmatur, propria, & unica ratio formæ sacramentalis est efficere, quod significat, ergo verba, quæ nullo modo efficiunt, quod forma sacramentalis significat, nullo modo sunt de ratione formæ sacramentalis, & sicuti non sunt de ratione essentiali formæ, quia non efficiunt essentialiter, seù non concurrunt ad efficientiam essentialem ejus, quod per formam significatur, ità non sunt de ratione substantiali, & integrali, quia non efficiunt substantialiter, & integraliter, seù non concurrunt ad efficientiam substantialem, & integralem, &c.

122

Dices primò, impugnando primam partem minoris propositionis. In aliis sacramentis ab Eucharistia dantur aliqua, quæ si desint, non impediunt sacramenti valorem; si adsint, & simul cum aliis ex debitâ Ministri intentione ponantur, concurrunt, & influunt in effectum; quæque per consequens ex primo capite non sunt de essentiâ, ex secundo sunt de integritate, & substantiâ Sacramenti; ergo in sacramento Eucharistiæ rectè potest dici, quod hâc ratione verba aliqua non de essentiâ formæ sint de integritate, seù substantiâ, & signanter quod talia sint illa *Novi, & æterni testamenti, mysterium fidei* &c. Probatur antecedens, primò, quia aliqua Sacramenta Christus, seu Deus instituit cum magnâ latitudine, & relictâ Ministris, seù Ecclesiæ magnâ potestate determinandi constitutiva essentialia, ut præsertim quo ad Sacramenta Matrimonii, & Ordinis constat ex iis, quæ nos ipsi attigimus tractando de Sacramentis in genere *lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 28., *& seqq.* ergo non est abs re, si dicatur etiam in formâ calicis Christum reliquisse ex intentione Ministri determinanda, aut sola illa verba *Hic est, calix sanguinis mei*, aut

simul

simul cum illis ista alia *Novi, & aeterni testamenti* &c. adeo ut & priora sufficiant tamquam essentialia, & simul cum prioribus possint posteriora concurrere tamquam integralia. Probatur idem antecedens secundò ly *ego* in formis baptismi, & pœnitentiæ, & prætereà ly *à peccatis tuis* in formâ pœnitentiæ non sunt de essentiâ, nec valorem sacramenti impediunt, si desint, si tamen à Ministro cum debitâ intentione ponantur, sunt de substantiâ, & ad sacramenti effectum concurrunt. Rursùs in quâlibet formâ, vel in ultimâ cujuslibet formæ syllabâ tardior pronunciatio non est de essentiâ, & brevior ad sacramenti valorem sufficit, quando tamen est in re tardior, & per plures morulas durans, tota concurrit, totaque, & quo ad omnes morulas est de substantiâ. Tandem qui habet plura venialia, unum confitendo, ponit sufficientem sacramentalis absolutionis materiem, & cum quâ sine reliquorum confessione verè sacramentum conficitur, si tamen simul confiteatur aliquod aliud, etiam istud evadit de integritate materiæ, & sacramenti; ergo. Sed contrà: nego antecedens,

123

124 Ad primam probationem dico latitudinem, & indeterminationem, cum quâ Christus sacramenta quædam instituit, esse potissimum ex parte materiæ, non ex parte formæ, ut perspicuum erit recolenti ea, quæ de Matrimonio, & Ordine attigimus loco præcitato, ideò indè non benè arguitur ad hunc locum, ubi agitur de formâ, quæ, ut ibidem diximus, debet esse ex genere suo determinatior. Deindè (& est responsio resolutior) quamvis pro aliquibus sacramentis sit ex ipsâ institutione relictum in potestate Ministri determinare hoc, vel illud pro materiâ, puta pro materiâ ordinis hoc, vel illud signum sensibile apta exprimere potestatem, quæ traditur ordinato; pro materiâ Eucharistiæ panem azymum, vel fermentatum, vinum album, vel rubrum; Non tamen relictum est in Ministri, vel Ecclesiæ potestate determinare aliquid pro materiâ esse. niali, aliquid aliud pro integrali, & prolatâ formâ super materiâ essentiali suspendere effectum, donec applicetur aliquid aliud tamquam materia integralis; ideò antecedens in eo sensu, in quo servat aliquam materiæ cum formâ pro re præsenti proportionem, ac paritatem, falsum est, & absolutè negandum.

In nullo sacramento datur pars materiæ, aut formæ quæ sit integralis, non essentialis.

125 Ad secundam probationem quò ad pronomen *Ego* in formis baptismi, & pœnitentiæ *Amicus prac. sec. 1. num. 52.* vult ipsum explicitè prolatum nihil umquam influere in sacramentum, aut effectum ejus, & non esse quidem partem essentialem, at nec esse integralem, sed merè accidere; idem sentit Laurea *pracit. art. 2.* in fine: Ex adverso Vasquez *cap. 4 num. 41.* Lugo *num. 88.*, & Mardemus concedunt influere; at dicunt esse partem essentialem non quidem determinatè, ut prolatum explicitè, sed indeterminatè ut abstrahit ab eo, quod ponatur, vel explicitè, & pronunciatam in se vel implicitè, & quatenùs contenta in ly *Absolvo*; quidquid dixeris, æquè benè procedit, quantum pertinet ad solutionem præsentis instantiæ: Eadem ferè est ratio de ly *A peccatis tuis*, quæ verba benè possunt sustineri pars essentialis formæ Pœnitentiæ, in quâ omittatur ly *Te*, vel si non sunt pars essentialis, nullatenùs influunt, & neque sunt pars integralis. Ad illud de tardiore pronunciatione, difficultas reducitur ad ultimam syllabam, in hâc enim sacramentum perficitur, & sine hâc numquam habetur totum id, quod est de essentiâ formæ, dico autem pronunciationem ultimæ syllabæ tardiorem morulâ à Deo taxatâ tamquam essentiali, secundùm quod tardior, est & alias morulas continet, se habere per accidens, nec concurrere ad effectum sacramenti, ideò non esse partem integralem formæ, pro quo vide quæ dicebamos de Sacram. in gen. *lib. 2. cap. 4. §. 4. num. 72.* Ad illud de confessione unius, vel plurium venialium recurrit doctrina posita *praced. num. 124.*, & præter quod mutat in re præsenti deductio facta ab indeterminatione materiæ ad indeterminationem formæ dico confessionem plurium venialium totam esse materiam essentialem æquè, ac confessionem unius; & liberum esse pœnitenti confiteri, seù determinare, ac ponere pro materiâ absolutionis unicum veniale, vel plura; at non ponere unicum pro materiâ essentiali, plura pro materiâ integrali, & quatenùs confessio aliquorum ex defectu doloris, aut aliundè non sit materia essentialis, & pars constituens sacramentum, neque erit materia, & pars integrans. Eadem responsio potest obiter adhiberi ad baptismum, qui potest vel unam, vel trinam mersionem habere pro materiâ proximâ, si enim secunda, & tertia mersio fiant antè absolutam formam, erunt pars essentialis, sin minus neque erunt pars integralis, & liberum est Ministro determinare pro baptismo unam mersionem, vel tres, at non determinare unam tamquam materiam, & partem essentialem, duplicem aliam tamquam integralem, & de substantiâ.

Hujusmodi singulatim non est ly Ego, aut ly à peccatis tuis in forma Pœnitentiæ.

Nec tardior ultimæ syllabæ pronunciatio in ulla sacramenti forma.

126

Nec plurium venialium confessio in pœnitentiæ materia.

Nec trina mersio in materia baptismi.

127 Dices secundò impugnando secundam partem ejusdem minoris propositionis. Verba illa *Novi, & aeterni testamenti mysterium fidei* &c. ex eo quod integrent unam orationem cum verbis formæ essentialibus, ad majorem istorum expressionem inserviant, eodemque cum ipsis contextu, & in Christi personâ proferantur, dici possunt ratione istorum, seù per denominationem ab istis participatam causare Christi sanguinem, sicuti totus homo denominatur videre ratione connexionis, quam reliquæ hominis partes habent cum oculo, qui ratione sui videt; ergo verba illa *Novi & aeterni testamenti* &c. licèt per se, & ratione sui non influant in Christi sanguinem, per denominationem ab aliis verbis, cum quibus conectuntur, dici possunt esse de substantiâ, & integritate licèt non de essentiâ formæ, cujus proprium est in Christi sanguinem influere. Confirmatur hoc validè ex sententiâ

tiâ docente sacramenta esse causas physicas gratiæ, per hoc quod in hanc secundùm solam ultimam sui partem physicè influant, sicuti secundùm eamdem solam physicè coexistunt; si enim partes antecedentes denominantur causare physicè ratione ultimæ, & propter connexionem, quam habent cum ultima, cur etiam aliqua verba subsequentia non poterunt denominari causare Christi sanguinem integraliter, & ratione aliorum verborum proptèr connexionem, quam habent cum aliis verbis essentialiter, & ratione sui causantibus. Sed contrà: Verba

328 illa *Novi, & æterni testamenti* nullam habent cum verbis præcedentibus connexionem, aut physicam, aut moralem in ratione formæ sacramentalis, sed tantùm in ratione cujusdam orationis, seù dictionis ab esse sacramentali abstrahentis, ideò non habent connexionem, quæ sufficiat ad participandam denominationem propriam verborum in ratione formæ, qualis est denominatio influendi in sanguinem: Nec refert, quod verba illa *Novi testamenti* &c. proferantur eodem contextu, in personâ Christi &c. quia hoc sicut non sufficit, ut aliquod verbum ingrediatur essentiam, aut connectatur essentialiter cum formâ, itâ nec ut ingrediatur substantiam, & connectatur integraliter: Exemplum hominis non est ad rem, quia reliquæ hominis partes connectuntur physicè cum oculo in ratione compositi humani, quod petit constare partibus, tùm essentialibus, tùm integralibus. Deindè aliud est, quod totum participiet denominationem suarum partium, à quibus solùm inadæquatè distinguitur, aliud quod una pars participet denominationem alterius, à quâ distinguitur adæquatè, & ex eo quod oculus videat, benè denominatur videre homo, at non pariter denominatur videre manus, & pes: Exemplum igitur ad summum côcluderet, totam formam posse denominari influentem ex hoc, quod aliqua ipsius verba influant, at non similiter posse denominari influentia aliqua verba ex hoc, quod influant aliqua alia cum illis utcumque connexa, & tamen hoc deberet pro Adversariorum intento concludi. Confirmatio procedit ex

329 falso supposito, seù ex suppositione falsæ sententiæ, sacramenta enim causant physicè gratiam se totis non denominativè tantum, sed simpliciter, & aliud est quod per denominationem ab ultimâ parte physicè gratiæ coexistant, aliud est quod solum per denominationem ab eadem physicè gratiam causent, pro quo vide quæ dicebamus in tract. de Sacram. in gen. *lib. 2. cap. 4. § 4. num. 76.* Deindè si placeat suppositum permittere, dicito verba illa *Novi, & æterni testamenti* non habere tantam connexionem cum verbis formæ essentialibus, quantam habent reliquæ partes sacramenti cum parte ultimâ, ideò quando istæ participarent à parte ultimâ denominationem causandi, non eâdem ratione participarent illa similem denominationem à verbis formę essentialibus, pro quo recurrit tota responsio allata ad principalem instantiam.

Dices tertiò impugnando primam asserti probationem, & assertum ipsum directè: Sacramentum ex genere suo admittit aliquam partem, quæ integralis, seù substantialis sit non essentialis; ergo etiam in sacramentis rectè distinguitur esse de essentiâ ab esse de substantiâ, pars essentialis ab integrali, & signanter in Eucharistiâ rectè potest admitti aliquod verbum, quod sit de substantiâ, non de essentiâ; integrale non essentiale; antecedens probatur in sacramento Pænitentiæ, in quo fere omnes fatentur satisfactionem esse partem ipsius integralem, seù substantialem non essentialem. Confirmatur ex ipsa met formâ Eucharistiæ, quâ solemus de facto consecrare vinum dicendo *Hic est calix sanguinis mei* ubi ly *calix* est pars formæ, non essentialis, alioqui non fieret valide consecratio, in quâ ly *calix* omitteretur, dicendo *Hic est sanguis meus*, ergo integralis; at si in formâ consecrationis vini semel admittitur aliquod verbum, quod integrale non essentiale sit, cur non possunt etiam admitti tamquam talia verba illa *Novi, & æterni testamenti* &c. Sed

330 *Quomodò aliquod sacramentũ admittat partem integralem?*

contrà: Distinguo antecedens, sacramentum ex genere suo admittit aliquam partem non pertinentem ad materiam, aut ad formam, nec ad effectum primarium, quæ integralis, seù substantialis sit, non essentialis, concedo; aliquam partem pertinentem ad materiam, aut ad formam, aut ad effectum primarium, quæ &c. nego antecedens, eâdem ratione distinguo consequens, & nego illud, quod de Eucharistiâ additur, nam verbum, quod poneretur esse de substantiâ, non de essentiâ, pertineret ad formam, & ad effectum primarium, formam scilicèt integraret, & ad ponendum Christi sanguinem condueceret: Satisfactio respectu pænitentiæ est quidem pars integralis, at nec pertinet ad materiam, nec ad formam, nec ad effectum primarium, sed ad aliquod peculiare complementum, & ad remissionem pænæ temporalis tamquam ad effectum secundarium. Nec refert, quod satisfactio soleat dici pars materialis: Non enim itâ dicitur, quia pertineat ad sacramenti materiam, hanceque perficiat, & integret, sed quia se tenet ex parte subjecti, ex parte cujus se tenet materia, nimirum ex parte pænitentis, non ex parte Ministri, ex parte cujus se tenet forma. Ad confirmationem recolendo supra dicta *num. 101. & 102.* dico ly *calix* non secundum se, sed ut conjunctum cum ly *sanguinis* esse de essentiâ, seù partem essentialem formæ; nec valori sacramenti officit, quod ommittatur aliquod verbum essentiale, quando ejus loco substituitur aliud synonimum, & æquivalens, ut in proposito synonyma, & æquivalentia sunt *calix sanguinis*, & *sanguis* ideò &c.

Et signanter Pænitentiæ satisfactionem?

331

Ex mox traditis utroque præcedente §. constat, quibus verbis debeamus nos Sacerdotes uti, tùm pro validâ, tùm pro licitâ consecratione: Pro validâ scilicet standum est institutioni Christi, ex quâ requiruntur, & suffi-

& sufficiant verba illa *Hoc est corpus meum*. *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*, subintellige, vel alia æquivalentia, & quidem requiri, certum est; sufficere, non est ità certum, est tamen magis communiter receptum, & auctoritatibus, rationibusque conformius, ut habetur ex Doctoribus relatis *num.* 91., *&* 107. item ex argumentis, quibus id subsequenter probavimus.

132 *Quibusnam verbis uti debeamus ad licitè consecrandum?*

Pro licità standum nobis est ritui, & consuetudini Latinæ Ecclesiæ, ex quâ etiam in casibus extraordinariis, in quibus contingit ex defectu materiæ reperiri invalidam, vel utriusque, vel alterius speciei consecrationem, debemus hanc incipere, seù resumere à verbis illis *Qui pridie quàm pateretur* &c. ut præscribitur in ipsis rubricis generalibus Missalis Romani sub titulo De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus. Ad hæc, inquam, nos tenemur, at non ad eadem tenebatur Christus Dominus, qui sicuti Eucharistiæ sacramentum potuit aliter instituere, ità & taliter instituendo potuit ipse illud aliter conficere; Quin & de facto in controversiâ est, utrùm aliter confecerit? utrum scilicet proprium corpus, & sanguinem sub speciebus panis, & vini in ultimâ cœnâ collocaverit, aut sine verbis, aut verbis ignotis, & aliis ab iis, quæ pro formis consecratoriis nobis assignavit, aut iisdem quidem, sed bis prolatis, semel secretò, quando panem, & vinum benedicendo consecravit, semel publicè, quando panem, & vinum consecratum discipulis porrexit? Porro hæc ut potè ad factum pertinentia historica sunt, & scripturistica magis, quàm Scholastica, sunt tamen etiam nonnullis Scholæ quæstionibus utilia, & ex hoc capite non prorsùs omittenda, sicut ex primo non latiùs pertractanda. Ideò sit.

§. VII.

An aliquibus, & quibus verbis Christus consecraverit? Ubi an benedictio fuerit idem, quod consecratio?

133 *Christus ipse in ultima cæna aliquibus verbis consecravit.*

ASSERT. I. Christus in ultimâ cœnâ consecravit aliquibus verbis, non verò solâ voluntate, & contactu, aliovè signo externo, exercendo suam excellentiæ potestatem. Ità D. Thomas *hic quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 1. Scotus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. §. *De tertio*, & cum utroque Doctore, tùm Angelico, tùm Subtili utraque, tùm Thomistarum, tùm Scotistarum schola, imò si paucos mox allegandos excipias, cæteri omnes Scholastici, tàm antiqui, quàm Recentes, pluresque simul Sancti Patres, & Sacri Expositores, adeò ut propterea Suarez *disp.* 58. *sec.* 10. §. *Dicendum* judicet opinionem contrariam non posse sine temeritate defendi, Vasquez *disp.* 197. *cap.* 1. *num.* 5. esse aliquâ notâ dignam; idemque jam censeri potest judicium cæterorum communiter, qui positionem assertam solent præsertim post Tridentinum appellare certam prorsus, & indubiam contrà

Censura opinionis oppositæ.

Innocentium III. *lib.* 4. *de Sacro Altaris mysterio cap.* 6. in fine. Archidiaconum *in cap. Qui scelerate de Consecrat. dist.* 2. Guilliellmum Durandum *lib.* 4. *divinor. officior. cap.* 41. *num.* 15. Erasmum *in annotationib. in cap.* 14. *Marci*, Catharinum *opusc. de verbis consecrationis* edito in Concilio Tridentino. Gabrielem *lec.* 36. *&* 48. *in Canon. Missæ*; Armacanum *lib.* 9. *quæst. Armenarum cap.* 5. Titelmanum, Petrum Ortiz, & alios relatos à Vasquio *præcit. cap.* 1. *num.* 1. *&* 2., pro quibus multa testimonia, & probabilitatis argumenta congerit inter Recentiores Salmeron *lib.* 9. *tract.* 13., solvendo tamen, & sentiendo cum Auctoribus nostri asserti, quod

134 Probatur primò ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. ubi habetur Christum Eucharistiam instituisse *cum post panis, vinique benedictionem se, suumque ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, & perspicuis verbis testatus est*: Item cap. 3. *Nondum Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum verè tamen ipse affirmavit corpus suum esse, quod præbebat*, & quamvis uterque textus referri possit non tàm ad confectionem sacramenti à Christo, sed ad declarationem, seù attestationem propriæ præsentiæ in sacramento jam antecedenter confecto, nec non ad institutionem, & collatam Apostolis potestatem ipsius conficiendi; Nihilominus commode etiam refertur ad confectionem sacramenti à Christo, cum præsertim nequeat rectè assignari, quandonam aliàs confecerit, quam quando Apostolis præbuit; quamvis igitur ex primo capite assertam veritatem de fide non reddat, ex secundo multum ei favet: Faveret verò magis, & esset formalis, ac efficax auctoritas Concilii Florentini *in litteris unionis* ubi habetur *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus Christus hoc confecit Sacramentum*; at aliqui textus habent *Conficit* idest ut principalis Auctor cum quolibet Ministro; ideò suspicio est per errorem typographorum vitio irrepsisse ly *confecit* de præterito, quâ solùm ratione rectè refertur ad primam confectionem à Christo factam in ultimâ cœnâ; quidquid tamen sit de hoc textu, potest aliunde ex Florentino sumi validum pro nostro intento argumentum, nimirùm ex eo, quod *ibid.* subdit *Sacerdotem in personâ Salvatoris, seu Christi loquentem hoc conficere sacramentum*, ex quo assertum sic

135 Probatur secundò: Sacerdos consecrans loquitur peculiariter in Personâ Christi; atqui non loqueretur peculiariter in personâ Christi; si Christus sine verbis, & non loquendo, sed solâ voluntate, & contactu, aliovè signo externo in ultimâ cœnâ consecrasset, ergo Christus in ultimâ cœnâ consecravit aliquibus verbis, non verò &c. Major supponitur ex Florentino mox præmemorato, & ex eo, quod suprà *num.* 110. *&* 111. dictum est peculiare esse in sacramento Eucharistiæ, ut verba formæ à Mini-

Quomodò Sacerdos consecrans loquatur in Persona Christi?

stro

ftro proferantur non utcumque in Christi personâ, idest ut à Christo instituta, sed itâ ut referantur ad Christum ipsum, in cujus personâ Minister loquitur, non ad Ministrũ, qui loquitur. Minor probatur, loqui peculiariter in personâ Christi, itâ ut verba ad ipsum Christum referantur, est Christi personam in loquendo induere, & non solum recitare Christi verba, sed & ipsa in eodem sensu, eâdemque significatione, quâ Christus protulit proferre, atqui Sacerdos verbis consecrat, verbaque profert ut consecratoria, & sacramenti operativa, ergo, si Christus sine verbis consecrasset, verbaque protulisset solum ut declaratoria propriæ sub speciebus præsentiæ, & consectationis jam factæ, Sacerdos consecrans non loqueretur peculiariter in Christi Personâ, quomodò enim in loquendo Christi personam indueret, si se locutioni Christi non conformaret; quomodò ad Christum referrentur verba, quæ Christus in alio omninò sensu, aliâque significatione protulisset. Confirmatur, Sacerdotis locutio in Christi personâ, ejusdemque in loquendo conformitas cum Christo, auctoritatibus Sanctorum Patrum, inter quas insignis est illa Chrysostomi *homil. 60. ad populum Antioch.* dicentis *Non sunt humanæ virtutis opera proposita: qui tunc ipsa fecit in illâ cænâ, idem ea nunc quoque facit. Nos Ministrorum tenemus locum, qui verò sanctificat ea, & immutat, ipse est:* Ubi observa singillatim ly *Qui tunc ipsa fecit in illâ cænâ*, & adde alia verba ejusdem Chrysostomi *eâd. homil.* dicentis *Qui namque dixit Hoc est corpus meum, & verbo factum confirmavit:* Adde insuper *ex cap. Panis de consecrat. dist. 2.* illud Ambrosii *Cum panem accipiens diceret Hoc est corpus meum, plenè mostravit verbum illud operatorium fuisse*, aliaque nonnulla vide apud Gonetum *hic disp. 7. art. 3.* & Amicum *disp. 24. sec. 2. num. 77.*, & *seqq.*

136

137 Christus in ultima cæna consecravit iisdem quib⁹ nos verbis, & semel, ut nos proferimus, prolatus.

Asert. 2. Christus in ultimâ cænâ consecravit iisdem verbis, quibus nos consecramus, eaque semel tantùm, non bis protulit. Hoc asertum non minori certitudine gaudet, quam præcedens, & utraque opinio opposita docens scilicèt Christum, aut aliis ignotis, aut iisdem, quibus nos, at non semel prolatis verbis consecrase, non minori censurâ quàm opinio de consecratione sine verbis factâ notatur, imò est deterioris conditionis in eo, quod Christum sine verbis consecrase Auctores non contemnendi nominis, ut jam retulimus, tradiderunt; consecrase autem verbis, aut aliis ignotis aut iisdem repetitis Vasquez *pracit. cap. 1. num. 5.* testatur se non invenise, quis ad sua usque tempora docuerit, & tùm D. Thomas *pracit. resp. ad 1.* tùm Innocentius III. *pracit. cap. 6.* tùm alii communiter utriusque opinionis meminerunt, at nullum nominatim Auctorem protulerunt; solus, quem viderim Arriaga *hic disp. 40. sec. 1. num. 1.* videtur Justino Martyri tribuere opinionem de consecratione à Christo factâ verbis ignotis, & aliis ab iis, quibus nos utimur: Verùm duæ hujusmodi opiniones, sivè alicujus nominis Auctores habuerint, sivè solum privatim in aliquibus scholis circâ D. Thomæ, & Innocentii III. tempora viguerint, impugnantur, & asertum ipsis oppositum.

138

Probatur iisdem, quibus assertum præcedens auctoritatibus, & rationibus, quæ, si benè expendantur, evincunt Christum non solùm consecrase verbis, sed & consecrase iisdem, quibus nos, iisque semel idest publicè, & immediatè antè species Apostolis dispensatas prolatis. Confirmatur singillatim, quod Christus consecraverit iisdem verbis: quia in nullo textu evangelico referuntur alia verba diversa, quę significent præsentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus: Confirmatur item, quod consecraverit iis verbis semel, & publicè prolatis: quia sine ullâ auctoritate, & temere divinando dicitur, ea aliàs priùs, & secretò protulise, ut magis constabit evertendo fundamenta, quibus Adversarii contendunt suarum sententiarum imbecillitatem aliqualiter fulcire: ideò

139

Dices primò, probando Christum in ultimâ cænâ non consecrase aliquibus verbis: Christus in consecrando usus est potestate excellentiæ; ergo non est usus verbis, antecedens patet, quia Crhistus in ultimâ cænâ consecrâvit, ut Eucharistiæ Auctor, & institutor, consequentia probatur, tùm quia potestas excellentiæ non est verbis alligata, tùm quia idem Christus aliàs, idest quando cum duobus discipulis in Emmaus manducavit, potestate excellentiæ utens solâ benedictione Euchatistiam confecit sine verbis; ergo. Sed contrà, concedo antecedens, nego consequentiam, ad cujus primam probationem dico potestatem excellentiæ non ese quidem alligatam verbis, at nec excludere verba, ideò ex ipsâ solùm inferri, quod absolutè loquendo liberum fuerit Christo cum verbis, & sine verbis consecrare; quod verò de facto verbis consecraverit deducimus nos ex auctoritatibus, & rationibus in aserti probationem adductis: Ad secundam probationem, nec satis constat Christum in Emmaus consecrase, nec ex eo, quod Evangelistæ solius benedictionis non verborum meminerint, efficaciter deducitur, ipsum sine verbis consecrase, est enim deductio purè negativa: & præterea si fortè Christus secretò pronunciavit verba, potuerunt hæc peculiari jure ab Evangelistis reticeri: Deindè dato quod in Emmaus verè consecraverit, & consecraverit sine verbis, nihil ex hoc infertur de consecratione in ultimâ cænâ, alioqui ex eo quod tunc consecraverit unicam speciem, inferretur pariter unicam speciem consecrase in ultimâ cænâ; dicito igitur ex illius facti suppositione solum colligi in Christo potestatem consecrandi in unicâ specie, & sine verbis; nobis tamen aliundè constare, quod primam consecrationem, tùm in duplici specie, tùm adhibitis verbis perfecerit; & quamvis Christus non habuerit necessitatem itâ faciendi, congruè voluit itâ facere,

140 An, & quomodò Christus consecraverit pro duobus Discipulis in Emmaus?

& nos

& nos habemus necessitatem dicendi, quod itâ fecerit, propter auctoritates, & rationes, de quibus suprà.

Dices secundò probando Christum non consecrasse iisdem verbis, quibus nos consecramus: Christus conficiendo alia sacramenta non est usus iisdem, quibus nos utimur verbis, & alia verba ipse adhibuit, alia à nobis pro formâ adhibenda instituit; ergo idem sentiendum de Eucharistia, in quâ non minus, quàm in aliis sacramentis conficiendis usus est Christus excellentiæ potestate; antecedens quò ad sacramenta baptismi, confirmationis, pænitentiæ, & ordinis probatur ab Adversariis apud Amicum *pracis. sec. 2. num.* 57. Sed contrà: Quidquid

141 Cur Eucharistiam potiùs quàm sacramenta alia Christus confecerit, cum instituit?

sit de cæteris sacramentis, non militant pro ipsis eædem, quæ pro Eucharistiâ rationes jam adductæ, quibus addi potest alia desumpta ex prærogativâ sacrificii, quæ in solâ Eucharistiâ conjungitur cum ratione Sacramenti, & peculiariter exigit, ut Christus sit nobis Eucharistiæ Auctor quo ad ritum, modum & verba magis determinata. Deindè sacramenta baptismi, confirmationis, & pænitentiæ non confecit Christus, quando instituit; benè verò sacramentum Eucharistiæ; nil igitur mirum, si illa tria sacramenta aliis verbis ipse confecerit aliis à nobis conficienda instituerit, secùs Sacramentum Eucharistiæ.

Dices tertiò probando Christum saltem non consecrasse iisdem, quibus nos verbis semel, & publicè prolatis, pro ut ab Evangelistis referuntur. Quando Christus in cænâ suprà panem, quem ad manducandum, & vinum quod ad bibendum discipulis porrigebat, publicè, & ut ab Evangelistis referuntur, protulit verba, quibus nos utimur *Hoc est corpus meum Hic est sanguis meus* panem ipsum, & vinum jam anteà consecraverat; ergò si nec sine verbis, nec verbis aliis, saltem illis iisdem antecedenter, & secretò, non semel & publicè, ut ab Evangelistis referuntur, prolatis consecravit: Probatur antecedens ex contextu evangelii, præsertim juxtà Matthæum, & Marcum, nimirum ex verbis illis Matth. 26. *Accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum: Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus.* Et Marc. 14. *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis Hic est sanguis meus.* Porrò ex ordine verborum Matthæi, qui etsi non itâ clarè servatus quoque est ab aliis Evangelistis, colligitur Christum benedixisse, fregisse, & distribuisse, seù dedisse discipulis, vinum item benedixisse, & distribuisse, quin & juxtà ordinem expressum à Marco sumptum à Discipulis fuisse, antequàm publicè, & discipulis ipsis audientibus protulisset verba illa *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*: Hinc pro ante-

142

cedentis probatione arguitur primò sic: ex contextu, & ordine verborum Matthæi, & Marci habetur panem fuisse à Christo fractum, & tùm panem, tùm vinum fuisse Discipulis distributum, vinumque ab iisdem sumptum antè palam prolata verba illa *Hoc est corpus* &c., atqui Christus consecravit panem, & vinum, antequàm panem fregerit, & utrumque distribuerit, multoque magis antequam vinum Discipuli sumpserint, neque enim consecravit panem, & vinum in discipulorum manibus, & stomacho, ergo quando palàm protulit verba illa *Hoc est corpus* &c. jam anteà consecraverat:

143

Ex eodem contextu, & ordine arguitur pro eâdem probatione secundò; Quando Christus palam protulit verba illa *Hoc est corpus* &c. jam panem, & vinum benedixerat, atqui benedicendo consecravit, & in proposito nomine benedictionis suprà panem, & vinum factæ venit consecratio; ergo quando Christus palàm protulit &c. jam consecraverat: Minor probatur primò auctoritate, nam Apostolus 1. *Cor.* 10. ait *Calix benedictionis, cui benedicimus non' nè communicatio sanguinis Christi est.* Ambrosius lib. de initiandis rudibus cap. 9. *Hic est panis, quem benedictio consecravit, major est vis benedictionis, quam natura, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur.* Innocentius III. lib. 4. de Sacro Altar. myster. cap. 6. *Ipse namque pro se virtute propriâ benedixit, nos autem illâ virtute, quam indidit nobis.* Cyrillus Epist. 10. ad Nestorium consecrationem vocat *mysticam benedictionem*; & lib. 9. in Joan. cap. 17., & 19. eodem sensu dicit, Judam sprevisse benedictionem, quam Dæmon timuit. Minor

144

eadem probatur, secundò paritate, quia quando Christus benedixit quinque panes *Matth.* 14., & septem *Matth.* 15. ipsâ benedictione ipsos multiplicavit, ergo ne benedictio in ultimâ cænâ fuerit minùs valida, & minùs efficax, quando in eâ panem, & vinum benedixit, ipsâ benedictione utramque materiam consecravit; & Instauratur paritas ex benedictione, quâ Christus panem pariter consecravit in cænâ, quam habuit cum duobus discipulis in Emmaus *Luc. ult.* Probatur tertiò, ratione desumptâ partim ex phrasi Sacræ Scripturæ sæpè usurpantis nomen benedictionis ad significandum sanctificationem, & effectionem, collectionemvè alicujus boni, ut exemplificat Suarez *disp.* 58. *sec.* 2. §. *Prima igitur opinio*; partim ex eo, quia Evangelistæ meminerunt solius benedictionis panis, & vini, non agni paschalis, aut alterius cibi, qui tamen omnes, sicuti solebant in mensâ benedici, itâ censendi sunt fuisse à Christo benedicti; signum igitur est benedictionem panis, & vini fuisse singularem, sacramentalem & consecratoriam, non communem, & purè deprecatoriam. Sed contrà: Nego absolutè antecedens, ad cujus probationem.

145 Evangelistæ non semper servant in narratione ordinem prioris, & posterioris Eumdem qui fuit re.

Adverto universim circà ordinem, & contextum verborum Evangelii non semper Evangelistas in iis, quæ narrant accommodare adamussim verba rebus, & ordinem narrationis ordini gestionis rerum, sed sæpè aliqua tempore posteriora per anticipationem prius referri, seù esse priora in narratione,

tione, aliqua tempore priora per posticipationem posterius, ut notavit D. Augustinus *lib.2. de consensu Evang. cap.* 30. & 31., & supponunt communiter Sacri Expositores: Hinc fit, non esse ex genere suo validum ratiocinium, quod in instantia formatur ex ordine verborum in Evangeliis reperto, nec putant se Evangeliis, aut Evangelistis adversari Sylvius *hic quæst.* 78. *art.* 1. §. *Quæritur secundò*, aliique nonnulli longe aliter ordinantes secundùm seriem rei gestæ verba Evangelistarum, sic nimirùm quò ad consecrationem panis. *Cum accepisset Jesus panem, & benedixisset dixit, accipite & manducate, Hoc est corpus meum, ac tùm fregit, seù divisit, deditque Discipulis accipiendum, & mandacandum*: Sic item quò ad consecrationem vini, *Cum similiter accepisset Jesus calicem, & gratias egisset, ac benedixisset, dixit accipite, & dividite inter vos, Hic est calix sanguinis mei, ac tùm dedit Discipulis accipiendum, dividendum, ac bibendum*: Nihilominùs cum ordo verborum diversus ab ordine rerum, etsi in Evangeliis non infrequens, non sit umquàm astruendus sine magnâ ratione, & necessitate, expedit aliquantulùm examinare pro quibusnam singillatim verbis detur in Proposito sufficiens ratio necessitatis, quod quidem præsto solvendo argumenta ad probandum antecedens jam negatum allata:

146 **Christus in ultima cæna fregit panem priusquam consecraverit.**

Ad primum igitur pro antecedentis probatione argumentum, quo ad panis fractionem dico hanc, sicut est in evangelicâ narratione, ità fuisse in re priorem publicâ prolatione illorum verborum. *Hoc est corpus meum*, ac simul fuisse priorem consecratione, nec ullam esse inconvenientis speciem in eo, quod, ut communior opinio fert, panem jam fractum, & in tot bucellas, quot erant discipuli divisum Christus consecraverit, sivè deindè similis fractio fuerit Christo usualis initio cujuslibet refectionis cum Discipulis, sivè propria cænæ eucharisticæ, & solum mystica ad significandum peculiarem sacramenti illico conficiendi effectum, nimirùm multorum ex uno participationem, & mutuam inter plures unionem charitatis quâ de re, quidquid aliqui alii jam præmemorati in contrarium sentiant, plura videri possunt apud Vasquium *disp.*196.*cap.*3. aliqua item apud Arriagam *disp.*40. *sec.*1 *nu.* 3. & 4. Quoad ly *Benedixit* sicut, & respectu calicis *Gratias egit*, Utrùm sicut in narratione, ità in re præcesserint, nec ne prolationem illorum verborum *Hoc est corpus* &c. explicabitur in solutione secundi argumenti:

147

Quo ad ly *Dedit* dico posse rectè sumi non pro actuali porrectione, sed quasi pro datione in actu primo, seù voluntario dono, & actu, quo donans collocat, & manifestat se collocare rem aliquam in potestate donatarii, ut eam pro suo libito accipiat, quâ ratione nulla est necessitas dicendi, quod ly *Dedit* fuerit per anticipationem ab Evangelistis in suâ narratione positum: Quo ad ly *Et ait accipite, & comedite non est necesse*, imò est incongruum, quod referatur ad acceptionem, & comestionem illicò faciendam neque etiam interpositâ brevissimâ morâ, qua Christus protulerit *Hoc est corpus* &c. ideò neque etiam quo ad ly Accipite, & comedite necesse est dicere in Evangelii textu poni per anticipationem: Eadem est ratio de ly *Bibite ex hoc omnes* respectu calicis.

148

In narratione igitur ex Matthæo relatâ *præced. num.*141. absque eo, quod admittatur aliquod verbum per anticipationem dictum, benè salvatur Christum non consecrasse materiam, antequam palam protulerit *Hoc est corpus Hic est sanguis* &c. nec propterea illam consecrasse jam actu distributam, & in Discipulorum manibus; solum in verbis *ibid.* ex Marco relatis censeo omninò poni per anticipationem ly *Biberunt ex illo omnes*: Nisi velis dicere calicem, de quo Marcus præmittit omnes bibisse, fuisse diversum ab eo, suprà quem subdit Christum protulisse *Hic est sanguis meus* juxtà opinionem arbitrantium ex illo Luc. 22. *Et accepto calice gratias egit, & dixit. Accipite, & dividite inter vos, dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat: Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter calicem postquam cœnavit dicens, Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, deduci Christum in ultimâ cænâ duos calices discipulis præbuisse, & ex utroque illos omnes bibisse, alterum in veteris Paschatis fine, alterum in novi Paschatis initio, & priorem fuisse quidem sumptum à Discipulis antè prolata à Christo illa verba *Hic est calix* &c. at fuisse dumtaxat post præmissam gratiarum actionem simplici benedictione benedictum, numquam sacramentaliter consecratum, sicut fuit consecratus posterior à Discipulis deinde sumptus, postquam Christus super ipsum protulit ly *Hic est calix* &c.

149 **Christus non adhibuit in Eucharistiæ institutione duplicem calicem.**

Verùm hæc opinio licet tribuatur Hieronymo, Paschasio Abbati Corbejensi, Cajetano, aliisque nonnullis, habet contrà se Augustinum, Euthymium, Jansenium, cæterosque magis communiter, cum quibus eam ex professo impugnat Vasquez *præcit. disp.* 196. *cap.*4. & 5. ideò tenenda non est, & omninò sentiendum, tùm in verbis Marci ly *Biberunt ex illo omnes*, tùm in verbis mox ex Lucâ relatis ly *Accipite, & dividite. Non bibam ex generatione vitis, donec regnum Dei veniat* poni per anticipationem, narrari scilicet prius, quod gestum est posterius juxtà animadversionem *num.*145. præmissam, à quâ etiam non discrepat S. Doctor *qu.* 78. *art.* 1. *in fine responsionis ad* 1. licet videatur paulò aliter rem explicare.

Ad secundum pro eodem instantiæ antecedente argumentum, dico benedictionem sumi posse, vel minùs propriè pro sacramentali consecratione, vel magis propriè pro bonâ, seu boni alicujus precatione factâ creaturæ, & in formâ distinguo majorem; Quando Christus palàm protulit &c. jam panem, & vinum benedixerat benedictione

ctione magis propriè sumptâ, concedo; minus propriè sumptâ, nego majorem: eâdem distinctione ad minorē adhibitâ, dico minùs propriè, non magis propriè benedicendo consecrasse, & nomine minus propriæ non magis propriæ benedictionis venire consecrationem; hincque nego consequentiam; ad primam probationem minoris propositionis, dico benedictionis nomen in illis auctoritatibus sumi minus propriè: Et præ-

150

tereà ab Apostolo calix sanguinis dici potest calix benedictionis relatè ad benedictionem propriam, non quæ fit consecratio, sed quæ consecrationi præmittitur; Auctoritas verò Innocentii III. non est alicujus momenti in re præsenti, in quâ fatemur ipsum ut privatum Doctorem tenuisse sententiam sententiæ à nobis assertæ oppositam: Ad secundam probationem ejusdem minoris, dico alias Christi benedictiones potuisse esse efficaces sine verbis, quia fuerunt ad patrandum miraculum, non ad conficiendum sacramentum, verba autem requiruntur ad conficiendum sacramentum, non ad quodcumque: Deindè benedictio Christi super panem, & vinum, etsi non fuerit consecratoria, adhuc fuit operatoria, & efficax ad materiam peculiari ritu præparandam, & animos Apostolorum disponendos tanto mysterio: Ei, quod additur de benedictione panis in Emmaus, satisfactum est *praeced. num.* 140. Ad tertiam probationem dico

Christi benedictio suprà panem, & vinum fuit aliquo modo efficax, licet non consecratoria.

151

pbrasim Scripturæ, quæ objicitur non procedere de benedictione magis propriâ, aut certè non de omni; & præterea ex efficaciâ benedictionis ad sanctificationem, & collationem alicujus boni non benè infertur efficacia ejusdem ad sacramentalem consecrationem, & effectionem sacramenti, quæ est bonum omninò singulare, & ex suâ institutione requirit verba, à quibus secundum se benedictio abstrahit. Specialis Evangelistarum mentio suadet quidem benedictionem, de quâ agitur, fuisse singularem, & peculiari, ac solemni ritu factam, at cum hoc benè stat non fuisse sacramentalem, seù consecratoriam. Et hæc quidem circà benedictionem, consecrarionemque à Christo factam, & ab Evangelistis narratam sufficiunt pro solutione præcedentium argumentorum, at non pro cognitione variarum opinionum hâc occasione insurgentium, de quibus ut aliquid subjiciam, & aliquale judicium feram, unâque simul præfixo titulo pleniùs satisfaciam.

152

Adverto ex pluribus à Christo in Eucharistiæ institutione peractis, tria potissimum esse observanda, quorum etiam singuli tres præmemorati Evangelistæ, Matthæus scilicet, Marcus, & Lucas, meminerunt, & sunt Gratiarum actio, Benedictio, & prolatio verborum, quibus nos ad consecrandum utimur: Porrò circà horum trium inter se, & à consecratione distinctionem, vel indistinctionem multa est opinandi varietas, ex quâ non modicam duxit originem dissensio jam dirempta de consecratione à Christo facta verbis, quibus, & quando nos utimur, an potius nullis, aut aliis, aliasve prolatis? Continet verò illa opinandi varietas quatuor opiniones: Prima est, gratiarum actionem, benedictionem, & prolationem verborum non distingui inter se, sed omnia venire nomine consecrationis, esse tria nomina idem significantia, & Christum, tùm gratias egisse, tùm benedixisse proferendo illa verba *Hoc est corpus meum Hic est sanguis meus*. Ità D. Thomas *præcit. resp. ad* 1. Durandus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *num.* 23. Marsilius *quæst.* 6. *art.* 1. Brunus *in cap.* 10. *Epist.* 1. *ad Cor.* Bessarion *lib. de verbis consecrationis*. Alensis 4 *par. quæst.* 10. *art.* 2. §. 2. Gonetus *disp.* 7. *art.* 3. *num.* 55., & apud istos alii, quibus quo ad substantiam idest quoad indistinctionem gratiarum actionis, benedictionis, & consecrationis addi possunt Auctores suprà *num.* 133. relati pro consecratione à Christo factâ sine verbis. Secunda est, gratiarum actionem, & benedictionem non distingui inter se, distingui verò à consecratione, seù prolatione verborum, quibus diximus Christum consecrasse, & nos consecramus. Hæc opinio præsertim quatenus gratiarum actionem à benedictione non distinguit benè verò à consecratione, & prolatione verborum abstrahendo ab eo, quod consecrario, & prolatio verborum idem sint, vel non, tribuitur Armacano *lib.* 9. *quæstionum Armenarum cap.* 5. Cajetano, & Titelmano *in cap.* 26. *Matth.* & aliis multis, quos tamen omitto, quia ex unâ parte non potui in fonte consulere, & ex aliâ Vasquez *disp.* 196. *cap.* 1. *num.* 8. ait ipsos in locis, in quibus allegantur, aut nil agere de re hâc, aut distinguere quidem benedictionem à consecratione, at de distinctione, vel indistinctione inter benedictionem, & gratiarum actionem non loqui, quod video etiam præstari ab Estio *in* 4. *dist.* 8. §. 12. *ad* 1. Tertia est gratiarum actionem, & consecrarionem non distingui inter se, benè verò utramque à benedictione; hanc opinionem Alano *lib.* 1. *de Euchar. cap.* 23. adscribit Suarez *disp.* 58 *sec.* 2. §. *Tertia igitur*. Quarta, omnia tria idest gratiarum actionem, benedictionem, consecrationem sitam in prolatione verborum, quibus nos utimur, ab invicem distinguit, & primæ opinioni extremè opponitur, traditurque à Jansenio *in concord. Evangelicâ cap.* 131. Sylvio §. *præcit.* Soto *in* 4. *dist.* 11. *qu.* 1. *art.* 2. Suario *præcit. sec.* 2. Vasquio *disp.* 196. *cap.* 2. qui etiam *cap.* 1. *num.* 3. de primâ opinione dixerat, jam in scholis ferè nullum eam sequi.

Variæ opiniones de distinctione inter benedictionem, gratiarum actionem, & prolationē verborum consecrationis.

153

154

Assert. 3. Benedictio, quam Christus suprà panem, & vinum in Eucharistiæ institutione adhibuit, fuit distincta à consecratione, seù prolatione verborum, quibus nos consecramus; & ab utrâque, à consecratione scilicet, & benedictione fuit etiam distincta gratiarum actio: In primâ parte conveniunt Auctores trium posteriorum opinionum contrà Auctores primæ, ex quibus tamen D. Thomas, & si quis alius Sanctus Pater pro eâ refertur, potest optimè intelligi de continuatione, non de rigoro-

indiſtinctione: de unitate contextus, & concomitantiæ, non identitatis: Secundam partem ſuſtinent Auctores quartæ opinionis contrà Auctores aliarum.

Benedictio, quam Christus adhibuit ſuper panem, & vinum in ultima cæna fuit diſtincta à prolatione verborum conſecrationis,

Probatur prima pars, tùm ex narratione Evangeliſtarum, à quibus omnibus refertur benedictio tamquam prior prolatione verborum conſecrationis, tùm ex canone miſsæ, in quo juxtà omnium Eccleſiarum liturgias benedictio conſecrationi præmittitur, & omnes re ipsâ materiam conſecrandam benedicimus, antequàm conſecremus; nulla autem eſt neceſſitas recurrendi in hoc, aut ad diverſum ordinem narrationis, & executionis, aut ad diverſum modum conſecrandi Chriſti, & noſtrum. Confirmatur ex Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 1*, ubi ait *Sanctiſſimum, & admirabile Euchariſtia Sacramentum in ultimâ cænâ Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis, viniquebenedictionem ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt*: Ecce Concilium expreſsè poſt benedictionem ponit prolationem verborum conſecrationis, illorum ſcilicèt, quibus Chriſtus teſtatus eſt ſe præbere &c. ergo omninò diſtinguit benedictionem à conſecratione, ſeù verborum, quibus conſecramus prolatione: Rursùs ponit ſacramentum poſt benedictionem inſtitutum, at quando fuit inſtitutum fuit à Chriſto conſecratum, & inſtitutio fuit prima conſecratio; fuit igitur benedictione poſterior, & à benedictione diſtincta conſecratio, ſi talis fuit inſtitutio.

155 Dices: Imò Concilium melius intelligitur, ſi dicatur Chriſtum ipsâ benedictione conſecraſse in ultimâ cænâ ſacramentum, deindè poſt benedictionem, conſecrationemvè benedictione factam teſtatum fuiſse ſe præbere ſuum corpus, & ſanguinem proferendo declaratoriè, non conſecratoriè verba *Hoc eſt corpus meum Hic eſt ſanguis meus*, & ſic inſtituiſse ſacramentum docendo nos facere, quod fecerat non ipſe tunc faciendo; alioqui non fuiſset bona atteſtatio, ſi antè atteſtationem, quin etiam in principio atteſtationis res non erat facta, ut Chriſtus atteſtabatur eſse. Accedit, quod ſi juxta noſtram Concilii intelligentiam Chriſtus poſt benedictionem ſacramentum inſtituit, & conſecravit, cum teſtatus eſt ſe præbere &c. ſequitur verba ſignificantia præbitionem corporis, & ſanguinis ingredi formam, quâ Chriſtus ad conſecrationem uſus eſt, & quâ nobis utendum inſtituit; non verò ſalvari formam in verbis illis *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, ut potè quæ ſe ſolis ſignificant quidem corporis, & ſanguinis præſentiam, at non præbitionem; hanc autem debere etiam ſecundum noſtram Concilii intelligentiam in conſecratione ſignificari probatur ex eo, quia Concilium non minus dicit Chriſtum conſecraſse, cum teſtatus eſt ſe ſuum corpus, & ſanguinem præbere; quàm cum protulit verba illa *Hoc eſt corpus* &c. ſui corporis, & ſanguinis præſentiam ſignificantia. Sed contrà: Inſtantia nimis probat, probat quippè, Chriſtum non ſolum benedictione conſecraſse, ſed & conſecraſse, aut ſine verbis, aut verbis aliis, aut ſi iiſdem, non ſemel prolatis, quæ ſingula ſunt ex dictis digna cenſura:

156 Nego igitur abſolutè bonam eſse Concilii intelligentiam, quam inſtantia comminiſcitur, & quamvis atteſtatio ſpeculativa, & ſterilis debeat ſupponere antecedenter rem talem, qualem eſse atteſtatur: atteſtatio practica, & operativa debet rem talem, qualem atteſtatur, facere, ac ponere: non ſupponere; Eſt autem atteſtatio practica, & operativa illa, de quâ loquitur Tridentinum ideò &c. Ad illud, quod additur, ægrè percipio vim illationis, dico autem, quod licet ly *Hoc eſt corpus meum*, ſignificet corporis Chriſti præſentiam non præbitionem; ſuppoſitâ tamen præſentiæ teſtatione; non indiget aliâ teſtatione præbitio, cum ipſo ſenſuum experimento per ſe innoteſcat; & præterea aliundè conſtet eam non ingredi conſtitutionem Euchariſtiæ, ut potè quæ eſt perfectum ſacramentum antè omnem uſum, ad quem ſolum ſpectat præbitio.

157 Gratiarum actio fuit pariter diſtincta ab eadem prolatione verborum, ſeù conſecratione,

Probatur ſecunda aſserti pars, quæ in primis prout diſtinguit gratiarum actionem à conſecratione ſuadetur, tùm ex narratione Evangeliſtarum, tùm ex canone Miſsæ pro diſtinctione benedictionis ab eâdem conſecratione allatis; & confirmatur ex eo, quod gratiarum actio ad Deum refertur, ut colligitur ex illo Canonis, *Tibi* (ideſt Deo Patri) *gratias agens* &c. conſecratio verò ad ſymbola, ſeù ad materiam, quæ conſecratur: Præterea gratiarum actionem fuiſse conſecratione priorem, adeòque à conſecratione diſtinctam, tradunt Anſelmus, Theophylactus, Euthymius, Beda, & Chryſoſtomus apud Suarium *præcit. ſect. 1. §. Dico ſecundò*.

Gratiarum actio, & Benedictio fuerunt quoque diſtinctæ inter ſe,

Pro ut deindè eadem ſecunda pars gratiarum actionem diſtinguit à benedictione majorem habet rationem dubitandi, quia Evangeliſtæ ſicut, & Paulus in narratione cænæ euchariſticæ videntur pro uno, eodemque ſumere gratias agere, & benedicere, cum nullus ipſorum uni, & eidem materiæ utrumque tribuit, ſed unum ſolum, vel alterum: Matthæus ſcilicèt, & Marcus meminerunt ſolius benedictionis loquendo de pane, ſolius gratiarum actionis loquendo de calice: Lucas meminit ſolius gratiarum actionis, tàm loquendo de pane, quàm loquendo de calice; Paulus item loquendo de pane ſolius gratiarum actionis meminit, loquendo de calice, nec gratiarum actionem, nec benedictionem exprimit: Nihilominus hæc eſt levis conjectura, nec neceſse eſt Sacros Scriptores quæcumque diſtincta ſunt diſtinctè proferre, ſufficit nobis in propoſito, quod ex ipſis, tùm gratiarum, tùm benedictio colligatur, quod deindè nunc unam, nunc alteram nominent, eſt, quia Chriſtus utramque conjunxit, ſeù adhibuit, non quia utraque idem ſit, pro quo

158 Adverto benedictionem, quâ creatura benedicit Deo coincidere quidem, ut plu-

rimùm

ximùm cum gratiarum actione, at non sic illam, quâ Deus benedicit creaturæ, aut una creatura alteri, nam creatura Deum solet benedicere bona ejus prædicando, ac recognoscendo, quod ad gratiarum actionem pertinet; Deus benedicit creaturæ bonum aliquod ei impertiendo, una creatura benedicit alteri bonum aliquod ei precando. Benedictio igitur latiùs patet, quàm gratiarum actio, & habet relatè ad diversas res diversas significationes, relatè ad Deum significat bona ejus prædicare, seù laudare; relatè ad creaturam præsertim irrationalem (cui nequit gratiarum actio fieri) benè impertiri, vel benè præcari: Hinc facilè evincitur benedictionis à gratiarum actione distinctio in casu nostro, in quo sermo est de benedictione rei inanimatæ nedum irrationalis, cui non potest exhiberi gratiarum actio, adeòque necesse est benedictionem, & gratiarum actionem ad res diversas terminari, & inter se distingui; & cum Christus gratias egerit Patri, benedixerit pani, & vino, non potuit ipsâ gratiarum actione benedicere, aut ipsâ benedictione gratias agere; nec potest sine risu excipi, quod Calvinistæ ajunt, gratiarum actionem esse ad calicem referendam, adeò ut Christus calici gratias egerit; Quando igitur Evangelistæ dicunt Christum accipiendo panem, & vinum gratias egisse, referunt explicitè, quod Christus egit relatè ad Patrem; quando dicunt benedixisse, referunt explicitè quod egit relatè ad symbola, & in quolibet debet alterum subintelligi, cum præcipuè Vasquez *præcit. cap. 2. num. 14.* observet Christum numquàm super rem aliquam gratias egisse Patri, quin illicò fecerit super eamdem rem orationem, & Dei invocationem, quæ esset ipsius rei benedictio, & bona ei præcatio.

Benedictio triplicem habet significationem, latiùs patet quàm gratiarum actio.

Christus non consuevit gratias agere quin illicò benediceret.

159 Ex his habetur Sanctos Patres, cum aliquando docent Eucharistiam fieri precibus, & invocatione divinâ, id docere, non quia forma consecrationis sit deprecatoria, aut præter ipsam sit de essentiâ Eucharistiæ aliqua deprecatio, sed quia prolationi formæ consecrationis præmittitur materiæ benedictio in oratione, & deprecatione consistens, & hæc quidem oratio, & deprecatio, utrùm fuerit à Christo facta mentaliter elevatione oculorum in Cælum, an vocaliter verbis nobis ignotis; non liquet; nec quò ad hoc posterius contrarius est S. Doctor sæpiùs citatâ *resp. ad 1.* rejiciens dicentes benedictionem illam fuisse factam quibusdam aliis verbis nobis ignotis; contrarius inquam non est, quia loquitur ibi de benedictione consecratoriâ, & minùs propriâ; non de benedictione propriâ distinctâ à consecratione, & ad consecrationem præparatoriâ, quamvis alioqui etiam ista non fuerit benedictio communis ad quamlibet refectionem usualem adhiberi solita, sed singularis continens invocationem, & præparationem Eucharistiæ mysterio accommodatam; ut contrà Secretarios deducitur etiam ex eo, quod benedictio communis cadebat suprà omnes cibos, omnemque cibi sumptionem præcedebat, cum benedictio ad consecrationem præparatoria solùm suprà panem, & vinum, & refectione jam inchoatâ, seù inter cænandum habita fuerit ex dictis *cap. 1. §. 2. num. 36.*

§. VIII.

Utrùm verba consecratoria possint, & debeant proferri enunciativè simul, & recitativè, an alterutro tantùm modò?

160 **A**SSERT. I. Non repugnat modum loquendi enunciativum, & modum loquendi recitativum in unam propositionem coincidere, adeòque benè possunt verba consecratoria, aut aliqua alia, enunciativè simul, & recitativè proferri. Ità in primis Auctores mox referendi pro verbis consecratoriis taliter de facto prolatis cæterique communiter contrà Vasquium *hic disp. 200. cap. 2. num. 9.* Amicum *disp. 24. sec. 4. num. 119.*, & paucos alios.

Dixi *Verba consecratoria, aut aliqua alia*, quia in hoc primo asserto non est sermo de verbis, ut consecratoriis, seù ut sacramentum causantibus, sed universaliùs, & quando etiam verba, ut consecratoria possent solum validè proferri, aut modo enunciativo, aut modo recitativo seorsim, adhùc assertum subsistet, si probetur prolationi verborum, seù loquutioni ex genere suo non repugnare modum enunciativum simul, & recitativum. Porrò proferre verba enunciativè, est quod loquens ea ex propriâ sententiâ proferat, & intendat affirmare, vel negare id, quod illa vi suæ significationis affirmant, vel negant: Proferre recitativè est præcisè referre, quid alius dixerit abstrahendo à veritate, & falsitate ejus, quod verba significant, qua ratione potest quis verum loqui proferendo verba significantia falsum, vel ex adverso loqui falsum proferendo verba significantia verum; sic qui recitando, & referendo quid Aristoteles senserit, seù dixerit, profert hæc verba, *Mundus est ab æterno* verum recitat, seù recitativè verùm loquitur, quamvis significatio verborum, quæ profert, falsa sit; & ex adverso eadem ratione proferendo *Mundus non est ab æterno* quamvis propositionem in se veram proferat, loquitur recitativè falsum; Veritas enim recitationis non pendet sicut veritas enunciationis ab eo, quod res talit er in se sit, vel non sit, sed ab eo quod fuerit, vel non fuerit taliter ab alio prolata. Loqui enunciativè solet pro eodem sumi, ac loqui assertivè significativè, & formaliter; loqui recitativè pro eodem, ac narrativè, historicè, & materialiter: Nihilominùs ly *significativè* ut observat Laurea *disp. 19. art. 3. num. 81.* vel potest comparari ad verba, quæ quis profert, & hâc ratione non contradistinguitur à recitativè, quia etiam recitatio est significativa; & verba etiam recitata præter speciem

Quid sit loqui recitativè, quid loqui enunciativè?

161 *In quo sensu loqui significativè sit idem quod loqui enunciativè?*

ctem sui, quam ingerunt sensibus, faciunt audientem in alterius cognitionem venire, in quo essentialiter consistit ratio significationis, seù signi; Vel potest ly *significativè* comparari ad loquentem, seù ad objectum loquenti præsens, & hâc ratione verè contradistinguitur à recitativè, & eum enunciativè coincidit: Rursùs materialiter potest sumi, vel quasi privativè, quatenùs omnem ex parte loquentis significationem, seù significandi intentionem excludit, ac negat, quâ ratione proferuntur materialiter verba à psitacho; vel præcisivè quatenùs significationem ullam ex se non importat, at nec excludit, & in hoc posteriore sensu, non in priore loqui materialiter idem est, ac loqui recitativè, ut ex Soto observat Suarez *disp.* 58 *sec.* 4. §. *Tertia igitur*: His pro terminorum notione positis.

Et loqui materialiter idem, quod loqui recitativè?

162 Eadem verba possunt proferri recitativè simul, & enunciativè.

Probatur assertum, quia licet formaliter, & reduplicativè loquutio recitativa nequeat esse enunciativa, vel è contrà, nequeat scilicet esse idem formalis conceptus utriusque loquutionis; materialiter tamen, & specificativè non se excludunt, nec quidquam important, ratione cujus nequeant eidem propositioni, iisdemvè verbis eodem tempore convenire, & simul esse; sicuti possunt simul esse rationale, & risibile in homine, calidum, & siccum in igne, licet formaliter, & reduplicativè unum nequeat esse aliud, nequeat scilicet esse idem formalis conceptus rationalitatis, & risibilitatis, caloris, & siccitatis, nec possit homo ut rationalis ridere, ut risibilis discurrere; aut ignis ut calidus exsiccare ut siccus calefacere: ergo non repugnat modum loquendi enunciativum, & modum loquendi recitativum &c. Confirmatur ex eo, quod quis potest referre alterius sententiam, & simul eam sequi, proferre aliquam propositionem ex sententiâ alienâ, & ex propriâ; possum v.gr. ità loqui, D. Thomas sensit, ac dixit, & ego eum ipso sentio, ac dico *Christum aliquibus verbis consecrasse. Eucharistiam esse Sacramentum permanens*; Ecce has duas propositiones profero ex sententiâ alienâ simul, & ex propriâ, & quatenus profero ex sententiâ alienâ profitendo ità dixisse, & sensisse D. Thomam, loquor recitativè, quatenus profero ex sententiâ propriâ profitendo me quoque ità dicere, & sentire, loquor enunciativè, idemque potest in aliis propositionibus passim evenire, ergo non solum non repugnat, sed etiam familiare, & frequens esse potest, quod modus loquendi enunciativus, & recitativus in unam propositionem concincidant, & aliqua verba utroque simul modo proferantur.

Imò de facto familiare est aliquas propositiones utroque simul modo proferre.

163 Dices: Aliud est recitare, aliud habere pro objecto aliquod ab alio dictum; nam dum aliquid ab alio dictum recito, loquor in personâ alterius, materialiter profero alterius verba, nec ullum promo, aut promere intendo judicium de eo, quod loquor; Dum verò aliquid ab alio dictum habeo pro objecto circà alterius locutionem loquor in personâ propriâ, profero verba formaliter, & meum promo judicium conforme, vel disforme ei, quod alius suâ locutione, quam habeo pro objecto prompsit: Porrò eum refero alterius sententiam, & simul eam sequor, non recito, sed habeo pro objecto aliquid ab alio dictum, ideò non loquor recitativè, & in allatis exemplis solum enunciativè profero propositiones illas *Christus aliquibus verbis consecravit, Eucharistia est sacramentum permanens*: Cæterùm quod quis recitativè referat alterius verba, & iisdem loquatur enunciativè, est, quod simul loquatur materialiter, & formaliter, exuendo, & retinendo propriam personam, utendo, & non utendo verbis ad propriam ipsorum significationem, quæ important contradictionem in terminis, & apertam repugnantiam. Confirmatur ex eo, quod non potest quis simul mentiri, & non mentiri, dicere, & non dicere falsum; atqui proferens recitativè mendacium, aut falsitatem, non mentitur, nec falsum dicit, benè verò proferens enunciativè; ergo saltem mendacium, aut falsitatem non potest quis simul recitativè, & enunciativè proferre. Confirmatur insuper instantia singillatim quo ad verba consecratoria, in quibus pronomina *Hoc*, & *Hic* prolata recitativè referrentur ad materiam à Christo consecratam in nocte cœnæ; prolata enunciativè ad illam, quam Sacerdos consecrans habet sibi præsentem, non videntur autem eadem pronomina ab eodem prolata posse simul referri ad res, tàm dissitas, tamque diversas: ergo nec posse simul proferri recitativè, & enunciativè. Sed contrà: Illud, quod quis ab alio dictum recitat, est objectum recitationis, ideò loqui habendo aliquid ab alio dictum pro objecto ex se præcisè non est aliud à recitare, nec excludit loqui recitativè; & quamvis Lugus *disp.* 11. *sec.* 5. dicat illud, quod quis recitat poni aliquando ut partem propositionis, quâ recitat, aliquando ut purum objectum; nihilominùs etiam quando ponitur ut purum objectum, fatetur proferri modo recitativo licet minus propriò; ac præterea in hoc ipso loquitur minus solidè, & voce tenùs potius quam re distinguit unum modum recitationis ab alio, ut videre est apud Arriagam *disp.* 40. *sec.* 7. *subsec.* 2. *num.* 40. *& seqq.* Discrimen in instantiâ positum inter loqui recitando, & loqui habendo pro objecto non subsistit, quia solum probat loqui habendo pro objecto aliquid ab alio dictum posse secum comparari loqui enunciativè, at per nos etiam loqui recitativè potest id compati.

164 Esse objectum, aut malè distinguitur ab esse partem propositionis, qua quis recitat, aut quatenus distinguatur non impedit imò nec variat modum recitativum.

165 Ad contradictionem, quæ afferebatur, dicò hanc nullam esse, dummodò illi termini *formaliter, materialiter*; *Significativè, non significativè*; seù *utendo, non utendo significatione verborum*, positivè non privativè sumantur, & sub diverso loquendi modo considerentur, ut sumuntur, & considerantur in præsenti. Illud, quod dicebatur de exuere, & retinere propriam personam, apparet difficilius quia metaphoricum; & in rigore aliud est propriam personam exuere, ac

quasi

Loqui in persona alicna non est in rigore exuere propriam.

quasi amittere, aliud induere, seù gerere alienam; cum hoc secundo benè stat retinere propriam personam, & duplicem gerere, quamvis non videatur benè stare cum primo, quod tamen non est pro re nostrâ necessarium, ut patebit, cum explicabitur quomodò Sacerdos consecrans gerat personam Christi, & utrùm talem personam gerat recitativè, an enunciativè loquendo? de quo infrà *num.* 169. & 170. Item *num.* 173. & 174.

166

Potest quis secundùm diversum loquendi modum, mentiri simul, & non mentiri, at nō affirmare simul, & negare eamdem rem.

Ad confirmationem dico cà ratione, quâ ex nuper positis salvatur, quod quis sine contradictione possit loqui significativè simul, & non significativè, salvari proportionaliter, quod possit mentiri simul, & non mentiri, falsum dicere & non dicere: Neque putes posse aliquem pari ratione affirmare simul, & negare: Falleris enim, quia ex unâ parte non mentiri potest haberi absque eo, quod quidquam affirmetur, aut negetur, adeòque mentiri, & non mentiri non importat affirmare, & negare, aut èconträ; ex aliâ parte quatenus quis recitativè loquitur, neque affirmat, neque negat, si igitur loquens recitativè; & enunciativè supponatur affirmare, & negare, utrumque præstabit secundum unum, eumdemque loquendi modum, idest enunciativum, quod absolutè repugnat.

167

Ad aliam confirmationem dico pronomina illa prolata ab eodem secunduplicem loquendi modum, & ut gerente duplicem personam benè posse simul referri ad res tàm dissitas, tàmque diversas; est enim hoc minus difficile, quàm quod eâdem propositione mentiatur quis simul, & non mentiatur.

Assert. 2. Verba consecratoria, saltem regulariter loquendo, debent de facto à Sacerdote proferri enunciativè simul, & recitativè; *Saltem* inquam *regulariter loquendo* nam utrùm uterque prolationis modus sit de necessitate sacramenti, & requiratur pro consecratione valida, an solùm pro licitâ, adeò ut absolutè etiam alteruter modus possit ad sacramenti valorem sufficere? definietur sequenti asserto, interim assertum præsens insinuat D. Thomas *hic quæst.* 78. *art.* 5. & Scotus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. §. *De tertio, & seqq.* quatenùs uterque impugnat opinionem dicentium verba consecrationis proferri materialiter tantùm, & recitativè: Idem expressiùs tradunt, tùm utriusque Doctoris Schola, tùm Suarez *disp.* 58. *sec.* 4. Coninchus *quæst.* 78. *art.* 3. *dub.* 1. Lugus *præcit. sec.* 5. Arnaga *disp.* 40. *sec.* 7. *subsec.* 1. *&* 2. Aversa *qu.* 6. Madernus *quæst.* 6. *art.* 3., & major pars cæterorum Recentiorum contrà Marsilium *in* 4. *quæst.* 6. *art.* 1. *dub.* 6. Gabrielem *lect.* 48. *in Canonem missæ* Bernal *disp.* 39. *sec* 4. Amicum *disp.* 24. *sec.* 4. *num.* 129. & Vasquium *disp.* 200. *cap.* 2. docentes verba consecrationis proferri à Sacerdote enunciativè tantùm, nullatenùs recitativè, quod Vasquez tribuit etiam Alensi, Bonaventuræ, Richardo, & Scoto, at aliud est, quod isti Auctores requisierint prolationem enunciativam, & recitativam

Opinio docens verba consecratoria proferri de facto enunciativè simul, & recitativè præfertur aliis duabus extremè oppositis.

Quarum altera docet proferri enunciativè tantùm.

ex se præcisè insufficientem indicaverint; aliud, quod priorem solum admiserint, posteriorem prorsùs excluserint; illud, non istud præstiterunt, ideò nos, non Vasquez, cum ipsis sentimus. Rursùs contra Mayronum *in* 4. *dist.* 8. *quæst. un. art.* 3. Majorem *quæst. un.* §. 2. Durandum *quæst.* 2. *num.* 18. Innocentium III. *lib.* 4. *de sacro Altar. myster. cap.* 17. Catherinum *opusc. Quibus verbis Christus consecraverit*. Picum Mirandulum in suâ Apologiâ *quæst.* 10., & inter magis Recentes Salmeronem *tom.* 9. *in Evang. trac.* 3. docentes ex adverso verba consecratoria à Sacerdote proferri debere solùm recitativè, quam opinionem licèt aliâs nonnulli Romani Theologi temeritatis insimulaverint, nihilominùs non solum ex professo censuram rejecit Mirandulanus suâ apologiâ contrà Censores conscriptâ, sed etiam posteà Lugus *præcit. sec.* 5. insinuavit illam esse ab omni calumniâ liberam, eamdemque suâ probabilitate non carere multi alii tradiderunt; undè non benè audit Vasquez in eo, quod *præcit. cap.* 2. *num.* 14. adhùc tali opinioni inussit erroris notam.

168

Altera tantum recitativè.

Assertę mediæ opinionis probationi præmitto, Auctores utriusque opinionis extremæ probare singulos opinionem suam ex eo, quod Sacerdos consecrans debeat loqui tantùm in persona Christi, sicque loqui in personâ alterius ab aliquibus censetur proprium locutionis enunciativæ, ab aliis conveniens etiam recitativæ, & à diversis in diversâ significatione usurpatur, propterea ne varia, ac quasi promiscua vocum significatio, aut usurpatio cuiquam sit confusionis, deceptionisvè occasio, adverto dupliciter posse aliquem repræsentare, seù gerere personam alterius; Primò, quatenus sit ab altero deputatus ad gerendas ipsius vices, & ex facultate sibi ab altero communicatâ possit efficere id, quod ille alter per se ipsum efficeret; hâc ratione legatus repræsentat, ac gerit personam Principis, Prorex personam Regis, Delegatus personam Delegantis, & universim Minister personam ejus, cujus est Minister, undè iniuriæ factæ legato in personam Principis redundant, negotia ab illo gesta censentur ab isto geri, & inter diversorum Principum legatos idem servatur, qui inter ipsos Principes præeminentiarum ordo: Secundò, quatenùs in se ipso exprimat, & induat alterum, alterius prærogativas sibi tribuat, potestate ordinariâ, ut ità dicam, non delegatâ, alterius munera, & opera exerceat, & evadat quasi alter à se ipso, potius quàm ipse alterum referens, hâc ratione personam alterius repræsentant, seù gerunt histriones in scenis exprimentes in se ipsis, ac inducentes Principem v. gr., Doctorem, Militem. Juxtà duplicem hunc modum gerendi personam alterius potest dupliciter intelligi, quod quis in alterius personâ loquatur; potest scilicèt quis loqui in Personâ Principis, vel tamquam legatus a Principe deputatus, vel tamquam etiam sine deputatione exprimens in se Principem. Porrò qui affirmant Sacerdotem etiam

169

Personam alterius gerere, & in personâ alterius loqui, sumitur dupliciter.

etiam proferendo solùm recitativè verba consecratoria posse loqui in Personâ Christi, videntur priore modo sumere loqui in personâ alterius, posteriore verò qui id negant dicendo Sacerdotem non posse verba consecratoria proferre in personâ Christi, nisi ea proferat solùm enunciativè; posteriore item modo sumunt loqui in personâ alterius, qui dicunt repugnare, quod quis simul in suâ, & alterius personâ proferat eadem verba; in priore qui dicunt id non repugnare. Verùm quidquid sit de sensu aliorum, duo breviter pro sensu meo profero: Primum est, quod (abstrahendo ab histrionum, & scenæ exemplo à venerabili, & sacrosanctâ Eucharistiâ nimis alieno) Sacerdos proferat verba consecratoria in personâ Christi non priore tantùm, sed & posteriore modo; Ratio est, quia loqui in personâ Christi priore modo commune est aliorum Sacramentorum Ministris alias formas proferentibus, & tamen Sacerdos proferens formam Eucharistiæ habet aliquid specialius, ratione cujus tamquàm personam Christi in se exprimens corpus Christi verè appellat corpus suum, ut jam suprà attigimus *num.* 111. Secundum est, eum etiam, qui loquitur in personâ alterius posteriore modo posse (subintellige specificativè, & concomitanter) simul eadem verba proferre in personâ propriâ, ratio est, quia hanc in re nemo potest exuere, ut discurrit Laurea *disp.* 19. *art.* 3. *num.* 107., & sicut quodlibet agens suâ actione, ità quilibet loquens suâ locutione se ipsum ex naturâ rei demonstrat juxtà illud tritum *loquere ut te videam* His animadversis,

170 Sacerdos consecrans loquitur in persona Christi spe c aliùs, quâ Ministri proferentes formas aliorum Sacramentorum,

Probatur assertum, & quidem aliundè quàm ex prolatione factâ in personâ Christi, nam ex animadversione variæ, & promiscuæ significationis, seù usurpationis ipsius constat vix posse ex ipsâ sumi ullum solidum, & validum argumentum: Probatur, inquam, aliundè, quia ex unâ parte sicut verba alia ità, & consecratoria possunt enunciativè simul, & recitativè proferri *ut praced. assert.* ostensum est; ex aliâ parte in verbis consecratoriis sine prolatione enunciativâ minùs benè salvatur ipsorum veritas, & caussalitas, sine prolatione recitativâ minùs benè subsistit eorumdem contextus, & cohærentia cum præcedentibus in Missæ canone; ergo verba consecratoria ex primo capite debent proferri enunciativè, ex secundo debent proferri recitativè; adeòque, si ex aliâ parte possunt proferri enunciativè simul, & recitativè, debent sic proferri de facto. Porrò, quòd sine prolatione enunciativâ minùs benè salvetur ipsorum veritas, & caussalitas probatur, quia verba consecratoria ex infrà dicendis caussant, ut vera, non sunt autem vera nisi, ut prolata enunciativè, nam prolatio recitativa abstrahit à veritate, & falsitate propositionis, quæ recitatur: Quod item sine prolatione recitativâ minùs benè subsistat eorumdem contextus, & coherentia cum præcedentibus probatur, tùm ex eo quod per verba

171

Ostenditur in verbis consecratoriis prolatio enunciativa.

172

utramque consecrationis formam in Canone præcedentia Sacerdos narrat Christi factum, & per ly *dicens* exprimit se proferre verba, quæ dixit Christus; nullum autem est majus argumentum prolationis recitativæ, quàm quod ipse met loquens exprimat se dicere id, quod alius dixit; tùm ex particulâ *enim* connectente verba consecratoria cum præcedentibus, cum igitur verba præcedentia proferantur in sensu recitativo, seù narrativo, & historico, minùs benè subsisteret inter ista, & verba consecratoria contextus, & connexio significata per particulam *enim* si verbis præcedentibus in sensu solùm recitativo probatis, consecratoria proferrentur in sensu solùm enunciativo, non verò etiam ipsa in recitativo quamvis non solùm.

Ostenditur in iisdem prolatio recitativa,

Dices: Quamvis in aliis verbis non repugnet enunciativè simul, & recitativè proferri, repugnat hoc peculiariter in verbis consecratoriis, quæ Sacerdos proferens enunciativè profert in personâ Christi non utcumque, sed ut eam induens, ac in se ipso exprimens juxtà doctrinam positam *num.* 170., cum quo modo proferendi verba in personâ Christi repugnat eadem proferre in personâ propriâ, ut tamen Sacerdos proferret, si proferret simul recitativè: ergo quamvis in aliis verbis, quæ quis potest etiam enunciativè proferre in personâ propriâ non repugnet simultas prolationis enunciativæ, & recitativæ, repugnat peculiariter in verbis consecratoriis, quæ Sacerdos eo ipso, quod enunciativè profert exprimendo in se ipso, & induendo personam Christi, adeòque exuendo propriam, nec relinquendo sibi locum ad proferendum in hâc eadem verba alioqui loqueretur in personâ, quam exuisset. Sed contrà: Jam præmonui hoc, quod est loqui in personâ, vel alienâ, vel propriâ, non habere eamdem apud omnes significationem, & posse in quæstionem de nomine desinere, potius quam inservire ad formandum solidum pro unâ, aut alterâ parte argumentum; Quantum attinet ad solutionem instantiæ, concedo quidem Sacerdotem proferre verba consecratoria in personâ Christi modo peculiari, idest induendo, & exprimendo eam in se, at dico hoc non esse ità proprium prolationis enunciativæ, quin possit etiam recitativæ convenire; & sicuti Christus post prolata in nocte cænæ verba enunciativè tantum, posset nunc eadem etiam recitativè proferre dicendo v. gr. *Ego qui pridiè quàm paterer, accepi panem, & gratias agens fregi, & dixi, accipite, & manducate, Hoc est corpus meum; Similiter, & Calicem postquam cænavi* ità cur non poterit eadem verba recitativè proferre Sacerdos etiam ut loquens peculiari modo in personâ Christi? quando igitur permitteretur verba prolata in personâ alienâ putà Christi non posse simul proferri in personâ propriâ, non benè inferretur verba consecratoria prolata enunciativè non posse simul proferri recitativè: Demus tamen hoc inferri, nego absolutè illud, ex quo infertur,

173

Locutio recitativa potest fieri etiam in persona aliena, & Sacerdos potest, tùm enunciativè, tùm recitativè proferre verba consecratoria in persona Christi,

174

At de facto profert in persona Christi solum enunciativè, & recitativè in propria.

fertur, & ex *praeced. num.* 170. repeto non exuere personam propriam eum, qui etiam peculiari modo, de quo nunc agitur, induit personam alienam, vel certè si propriam exuit, ut fortè aliqui Sancti Patres loquuntur, exuit ipsam non specificativè, & simpliciter, sed reduplicativè, & ut purè propriam; & aliud est non gerere personam purè, & præcisè propriam, aliud non gerere ipsam specificative, & concomitanter: illud non istud repugnat cum gerere personam alienam.

Assert. 3. Quod verba consecratoria proferantur, & proferri debeant enunciativè simul, & recitativè, est de necessitate præcepti, & requisitum ad licitam, non de necessitate sacramenti, & requisitum ad validam consecrationem; est verò de necessitate sacramenti solum, quod proferantur ennnciativè: Undè Sacerdos per verba solum enunciativè prolata validè sacramentum confecit, secùs per prolata solum recitatiivè, quamvis neque sit omninò improbabile posse sic conficere. In hoc asserto conveniunt, quantum conjicere potui, omnes Auctores asserti præcedentis, & quatenus affirmat sufficere ad valorem sacramenti verba prolata solum enunciativè, consentiunt à fortiori Auctores docentes etiam de facto debere solum enunciativè proferri: Quatenùs negat sufficere prolata solùm recitativè, est directè contra Mayronum, Majorem, Durandum, Innocentium III. &c. Quatenus non negat id tamquam omninò improbabile, est singillatim contrà Vasqulum, & eos, qui olim opinionem affirmantem aliquâ censurâ affecerunt, de quibus omnibus suprà *num.* 167. & 168.

175 Sola prolatio enunciativa in verbis consecratoriis est de necessitate sacramenti, & se sola sufficit ad sacramenti valorem.

Probatur primò, quod prolatio enunciativa sit de necessitate sacramenti, & ipsa sola sufficiat ad sacramenti valorem: Talis est prolatio illa, vi cujus causatur transubstantiatio, & præsentia Christi sub speciebus, atqui ista causatur vi illius prolationis, quâ proferuntur verba ut significativa, & ut vera, sic autem proferuntur prolatione enunciativâ, hâcque solâ, ut partim dictum est, partim magis dicetur infrà, ergo prolatio enunciativa est de necessitate sacramenti, & ipsa sola &c. Confirmatur primò, quasi à priori ex eo, quod Christus quando sacramentum instituit, & confecit, protulit verba solum enunciativè, signum est igitur, quod etiam nunc iisdem solum enunciativè prolatis potest sacramentum confici, nam licet absolutè potuerit Christus sacramentum aliter ipse conficere, aliter à nobis conficiendum instituere, nihilominus in iis, quæ sunt essentialia, & ad valorem pertinentia, non est id de facto facilè affirmandum, ut deducitur, tùm ex conformitate, quæ congruentissimè servatur inter Auctorem, & Ministrum, tùm ex eo, quod pro sacramento conficiendo censetur optima intentio, quâ Minister intendit facere id, quod fecit Christus, & eo modo, quo Christus.

176 Confirmatur secundò ex cohærentiâ doctrinæ, quâ suprà §. 5. & 6. diximus esse de essentiâ formæ, & necessitate sacramenti illa sola verba *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, adeò ut Sacerdos proferendo ipsa sola validè consecret, & conficiat sacramentum, atqui proferendo ipsa sola necesse est, quod proferat enunciativè tantum, non recitativè; in tantum enim de facto etiam recitativè profert, in quantum per prolationem verborum præcedentium id exprimit, & per particulam *enim* verba consecratoria cum verbis præcedentibus recitativè prolatis connectit, ut mox dicebamus *num.* 172. ergo.

177 Dices, vel de facto verba consecratoria ut recitativè prolata concausant, & coefficiunt sacramentum, seù transubstantiationem, & præsentiam Christi sub speciebus; vel non. Si non, sequitur ut recitativè prolata non esse consecratoria, in tantum enim consecratoria sunt, in quantum exercent causalitatem aliquam, & efficientiam in sacramentum, seù transubstantiationem, & præsentiam Christi: Si sic, ergo eadem verba ut prolata solum enunciativè non sufficiunt, & est de necessitate sacramenti, quod etiam recitativè proferantur, sicuti enim *ex praeced. num* 120. non est in potestate Ministri consecrare, seù sacramentum efficere per plura, vel pauciora verba, ità nec per eadem unico, vel duplici modo prolata. Hicque obiter addes Auctores *num.* 107. relatos pro sententiâ docente verba Canonis *Qui pridiè* esse de necessitate sacramenti, debere consequenter docere esse de necessitate sacramenti, quod verba consecratoria proferantur recitativè; & malè nos huic tertio asserto adscripsisse omnes Auctores secundi, quod est supponere prolationem recitativam astrui de solâ necessitate præcepti ab omnibus illam requirentibus simul cum enunciativâ.

178 Sed contrà: Aliud est verba consecratoria debere proferri recitativè, aliud est debere taliter proferri ut consecratoria; primum, non secundum asserui, imò ex eo, quod probaverim, verba consecratoria debere recitativè proferri titulo connexionis cum præcedentibus non consecratoriis, non titulo consecrationis, & sacramenti positivè consequens est verbis consecratoriis solum materialiter, & specificativè convenire prolationem recitativam; concedo igitur libenter verba consecratoria ut recitativè prolata non concausare, non coefficere sacramentum, concedo item non esse consecratoria ut recitativè prolata, at hoc non impedit, quin possint, & debeant recitativè proferri. Ad illud, quod additur, dico verba *Qui pridiè* &c. inferre quidem prolationem recitativam in verbis consecratoriis, at non eâdem necessitate, quâ ipsa sunt necessaria, ideò qui astruunt illa esse necessaria necessitate sacramenti, non tenentur eamdem necessitatem agnoscere in prolatione recitativâ verborum consecratoriorum, & de facto non titulo hujus recitativæ prolationis, sed titulo loquendi in Personâ Christi, & demonstrandi per ly *meum* corpus Christi præmemorati Auctores tri-

stituunt verbis *Qui pridie* Sacramenti necessitatem, ut attigimus *præced. num.* 108.

179 Prolatio recitativa in verbis consecratoriis est tantum de necessitate præcepti, & se sola non sufficit ad sacramenti valorem.

Probatur secundò, quod prolatio recitativa sit dumtaxat de necessitate præcepti, & quod ipsa sola non sufficiat ad sacramenti valorem; & quidem utrumque deducitur facilè ex dictis: Primum scilicet ex eo, quod recitativa prolatio requiratur solum pro contextu, & cohærentiâ cum verbis præcedentibus, quæ sicuti *ex præced.* §.6. sunt de solâ necessitate præcepti, ità de hâc solâ esse potest illud, quod spectat ad contextum, & cohærentiam cum ipsis: Secundum ex eo, quod prolatio recitativa se solâ non sufficit ad hoc, ut verba proferantur ut vera, ergo nec sufficit ad valorem, & confectionem sacramenti, quod per verba ut vera conficitur, cum transubstantiatio, & præsentiâ Christi sub speciebus ex verborum veritate deducatur; Præterea ex mox dictis prolatio recitativa ut existens de facto simul cum enunciativâ non coefficit simul cum istâ sacramentum, ergo existens sola nihil efficiet, ac per consequens est se solâ omninò insufficiens ad Sacramenti valorem.

180 Nihilominus non est etiam omninò improbabile, quod ad sacramenti valorem se sola sufficiat.

Probatur tertiò, quod non sit omninò improbabile etiam prolationem recitativam se solâ sufficere ad sacramenti valorem, & per verba etiam solum recitativè prolata sacramentum confici; Verba consecratoria causant transubstantiationem, & sacramentum conficiunt ut vera, & ut prolata enunciativè, non ex virtute intrinsecâ propriæ veritatis, & prolationis enunciativæ, sed ex institutione Christi, & virtute verbis communicatâ à Christo, qui potuit talem virtutem communicare ipsis secundum se abstrahendo ab eo, quod enunciativè, & ut de præsenti vera proferantur; & relinquendo in libertate Ministri consecrare per verba, vel enunciativè tantum, vel recitativè tantùm, vel enunciativè, & recitativè simul prolata: atqui non est omninò improbabile, quod ità fecerit, & hoc valdè suadent argumenta opinionis docentis verba consecratoria solùm ut recitativè prolata sacramentum conficere, in quâ quidem opinione duo sunt consideranda, nimirùm quod prolatio recitativa sufficiat, & quod sufficiat ipsa sola; si autem non obstantibus ipsius argumentis secundum remanet omninò improbabile, saltem non remanet omninò improbabile primum ergo verè non est omninò improbabile prolationem recitativam sufficere ad valorem, & conficere sacramentum; quia tamen in hoc loquor dubitanter magis, quàm asseveranter, permittendo magis quàm asserendo, non est cur immorer, & ex professo detinear; majus operæ pretium est, quædam alia dubia breviter expedire, & duo præcipuè.

Primum est, Utrùm Sacerdos Eucharistiam conficiens enunciativè simul, & recitativè proferat sola verba consecratoria, & essentialia formæ, ac etiam aliqua alia? Secundum, An sicut in Eucharistiâ, ità in aliis quoque sacramentis verba essentialia formæ possint, aut debeant enunciativè simul, & recitativè proferri?

181 Proferuntur solum recitativè verba Canonis,

Ad primum respondeo omnia alia verba proferri dumtaxat recitativè; & licet in verbis consecratoria præcedentibus oppositum aliqui senserint quo ad illa *Accipite, & manducate: Et bibite ex eo omnes*; in verbis verò subsequentibus quo ad illa alia *Qui pro vobis effundetur*, & *Quod pro vobis tradetur* in formâ corporis græcâ. Nihilominus hi posteriores, aut malè supponunt ly *Tradetur*, & *Effundetur* referri ad traditionem corporis, & effusionem sanguinis incruentam, quæ fit vi verborum in altari, quod falsum esse insinuavimus *præced. num.* 104., aut difficilè rem explicant, ut præstat Amicus *præcit. sec.* 4. *num.* 138. licet alioqui loquatur juxtà sua principia, quibus docuerat ly *Qui pro vobis effundetur* esse de essentiâ formæ sanguinis, ex quo consequens est debere enunciativè proferri ut reliqua verba formæ.

Tùm subsequentia,

Alii verò priores Auctores, inter quos Lugus, impugnantur, quia Sacerdos non videtur posse convenienter proferre assertivè illa verba *Accipite, Comedite, Bibite*, nisi habeat animum distribuendi posteà species consecratas adstantibus, quem tamen animum nequit serio habere, cum species vini numquam distribuat, sicut nec species panis, cum unicam hostiam consecrat: Profert igitur solum recitativè, & sensus ipsius est *Christus dixit suis discipulis, accipite, & comedite, quia quod tunc ipse præ manibus habuit, & quod ego nunc consecrans habeo, est corpus Christi*, ut magis explicat Arriaga *præcit. subsec.* 2. *num.* 44., cui adhæret Herinex *disp.* 2. *quæst.* 9. *num.* 76.

Tùm præcedentia formas consecrationis,

182 Proferuntur solum enunciativè formæ aliorum Sacramentorum ab Eucharistia.

Ad secundum dico non esse eamdem de aliis sacramentis, quæ de Eucharistiâ, rationem, nam nec ex praxi, nec ex contextu verborum, nec aliundè colligitur necessitas prolationis recitativæ pro formis aliorum sacramentorum, sicut pro formâ Eucharistiæ, nec Minister conficiens alia sacramenta prænarrat aliquod Christi factum, sicut prænarrat conficiens Eucharistiam: Debent igitur aliarum sacramentalium formarum verba solum enunciativè proferri: Monet tamen Arriaga nuper *cit. num.* 44. non fore contrà valorem sacramenti, si aliqua alia forma proferatur etiam recitativè, & exemplificat in formâ penitentiæ, quam quis auditâ meâ confessione ità v. gr. proferret *Ego heri auditâ Petri confessione dixi, quod & nunc auditâ tuâ confessione dico, Ego te absolvo à peccatis tuis* &c.

§. IX.

§. IX.

An, & Quandò verba consecratoria sint in toto rigore vera? & utrùm ut vera causent, an ut significativa?

183 ASSERT. I. Verba consecratoria sunt in toto rigore vera. Ità D. Thomas *hic quæst.* 78. *art.* 5. & *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *art.* 1 *quæstiunc.* 4. Scotus item *ead. quæst.* ubi talium verborum veritatem supponunt magis quàm probent, studiumque dumtaxat impendunt in explicando modo, & sensu, quo vera sunt. Idem præstant, idemque sentiunt reliqui Auctores communiter.

Verba consecratoria sunt in toto rigore vera.

Probatur: Verbis consecratoriis usus est immediatè Christus Dominus in primâ Eucharistiæ consecratione, ea per se ipsum proferendo, iisdem quotidiè utitur mediatè in aliis consecrationibus, ea proferendo per Ministros ipsius personam induentes, & in ipsius personâ loquentes; ergo sunt in toto rigore vera: Neque enim Christo, qui prima veritas est, potest tribui aliqua loquutio non vera, sacramenta item, quæ rectè dicuntur sacramenta veritatis, nequeunt ex aliquo non vero confici, & constitui: Neque dicas hinc convinci, quod verba consecratoria non sint falsa, at non quod sint positivè vera; possunt quippè adhùc sustineri neutra, idest neque vera, neque falsa, quatenùs, vel proferantur solùm recitativè, quo modo prolata à veritate, & falsitate abstrahunt, vel sint consecratoria non ratione ipsius veritatis, sed ratione significationis, quæ est aliquid prius veritate, & fal-

184 sitate: Contrà enim, verba consecratoria solùm recitativè proferri jam impugnatum est, eaque non esse consecratoria ratione veritatis, jam jam impugnabitur, & quando pro nunc utrumque daretur, parùm referret, quia verba recitativè prolata, quamvis nec vera, nec falsa sint ex parte proferentis, qui nec affirmare, nec negare intendit, sunt tamen vera, aut falsa in se, quoties in se affirmativam, aut negativam enunciationem continent: Ea non esse consecratoria ratione veritatis probat non esse vera reduplicativè, ut consecratoria, & pro eo priori quo transubstantiationem causant, at cum hoc stat esse vera specificativè, & pro quolibet reali instanti temporis, quo possunt vera esse, vel falsa: ut non est, cur in iis hæreamus, non possumus tamen non hærere in assignando modo, quo verba consecratoria verificantur, seù vera sunt, quando proferuntur: Pro quo

185 Adverto primò ad veritatem propositionis affirmativæ de præsenti aliquos requirere, quod objectum affirmatum existens sit, & præsens, quando profertur copula *Est*: Aliquos id existimare sufficiens, at non necessarium, & velle quod ad veritatem propositionis sufficiat objectum esse præsens pro aliquo instanti prolationis ipsius, sivè deindè tale instans sit instans prolationis copulæ, sivè principii, sivè finis propositionis: Aliquos id non solum non existimare necessarium, sed nec existimare sufficiens, & ad veritatem propositionis affirmativæ de præsenti requirere, quod objectum per ipsam affirmatum existat, seù præsens sit, quando propositio absolvitur, & perficitur, seù pro ultimo instanti prolationis ipsius, quod ultimum instans prolationi, seù durationi propositionis intrinsecum, vel extrinsecum sit, pro ut propositio censetur intrinsecè, vel extrinsecè perfici, ac desinere.

186 Adverto secundò propositiones vocales, quæ scilicet voce proferuntur, & quarum veritas ad rem nostram pertinet, constare nominibus, & verbis: Nomine autem habent hoc, quod secundùm se solùm significent, & respiciant unicum tempus, illud scilicèt, in quo proferuntur; Verba habent, quod significent simul, & consignificent, tempusque duplex respiciant, illud scilicèt in quo, & illud pro quo proferuntur: Hæc nomina v. gr. *Amor*, *Homo*, *Deus* significant, quia præter sonum materialem, aut speciem sui, quam ingerunt sensibus, quando proferuntur, faciunt audientem venire in notitiam illius rei, ad quam significandam sunt imposita, at non respiciunt deindè ullam aliam temporis differentiam, pro quâ consignificent: Hæc verba, *Amavi Amabo* v. gr. non solùm tunc, quando proferuntur, faciunt venire in cognitionem actionis amativæ, sed insuper alterius differentiæ temporis, pro quâ proferuntur, & quam dicuntur consignificare: *Amavi* scilicet præter actionem amativam, quam significat, cum profertur, consignificat differentiam temporis præteriti, pro quâ profertur, & cujus cognitionem inducit simul cum cognitione actionis amativæ; Idem dicito de *Amabo*, respectu differentiæ temporis futuri. Hinc fit, ut in propositionibus de præterito, aut de futuro tempus per verbum, seù copulam significatum semper sit diversum à tempore consignificato, at in propositionibus de præsenti utrumque in unum cojncidat, quantum est ex vi verbi, seù copulæ. Hanc doctrinam latè tradit Scotus *præcit. quæst.* 2. à medio ferè ad finem, & cum aliis Scotistis Lauræa *disp.* 19. *art.* 6. *num.* 160. eamdem attingunt ex Thomistis Cajetanus *quæst.* 78. *art.* 5. ex Recentioribus Amicus *disp.* 24. *sec.* 5. *num.* 168.

Nomina dumtaxat significant. Verba significant simul, & consignificant.

187 Adverto tertiò, quod verbum, sicuti, quando profertur incomplexè, & se solo, non significat, nec consignificat in initio, aut in medio prolationis, sed in fine, ità dum profertur modo complexo, ut in propositione existens, & ut copula uniens prædicatum cum subjecto, non significat, nec consignificat in initio propositionis, quando profertur subjectum, nec in medio, quando profertur ipsummet verbum, quod est copula, sed in fine, quando profertur ultima syllaba prædicati; ità enim se habent partes verbi ad significationem verbi, sicuti partes

Sicut verbum, ità propositio significat, & consignificat quando definit, & ultimò perficitur.

propositionis ad significationem propositionis, si igitur partes verbi omnes significant tunc solum, quando perficitur prolatio partis ultimæ, etiam partes propositionis &c. Ratio à priori est, quia nequit intelligi significatio propositionis, antequàm intelligatur propositio, neo propositio, antequàm intelligantur omnia ipsius constitutiva, ex quibus unum esse supponitur ultima pars.

188 *Definit autem intrinsecè, & ultimò perficitur in parte temporis determinata.*

Adverto quartò, verba consecratoria, propositionesque ex ipsis consurgentes compleri perfici, ac desinere eo modo, quo complentur, perficiuntur, ac desinunt sacramenta, quæ (si Eucharistiam excipias) in successivo consistunt sicut verba, ipsorumvè prolatio: Per nos autem sacramenta complentur perficiuntur, ac desinunt intrinsecè in parte temporis determinatâ, brevissimâque morulâ modo explicato in tractatu de Sacram. in gen. *lib. 2. cap. 4. §. 4. num. 69.*, & seqq.: proportionaliter igitur in simili parte, ac morulâ complentur perficiuntur, & intrinsecè desinunt verba consecratoria, propositionesque ex ipsis consurgentes, & in eâdem parte, ac morulâ censeri debent habere ea, quæ ipsis conveniunt, ut perfectis, & completè prolatis, cujusmodi sunt significatio, veritas, & causalitas, quâ transubstantiationem, & Christi præsentiam efficiunt: Quidquid multi alii aliter sentiant, pro ut aliter senserunt de sacramentis, quæ putarunt compleri, perfici & gratiam causare in ultimo instanti, vel intrinseco, vel extrinseco, vel in tempore indeterminato, quemadmodum distinctè retulimus nuper *cit. §. 4. num. 64.*, & 65.

189 Assert. 2. Verba consecratoria sunt in toto rigore vera neque in principio, neque in progressu, seù in medio, sed in fine prolationis: Intelligo autem per finem prolationis partem determinatam temporis, morulamque brevissimam, cui indivisibiliter correspondet prolatio ultimæ syllabæ talium verborum: Quò ad has postremas particulas habemus plures Adversarios, quos tamen opus non est in præsenti referre, aut refellere sufficit ex tract. *de Sacram. in gen.* recolere, & huc proportionaliter transferre ea, quæ *praced. num.* insinuavimus. Quò ad reliqua assertum recipitur communiter, & valdè expressè traditur à Scotistis præsertim, ac Recentioribus, & signanter à Mastrio *disp. 3. quæst. 9. art. 1.* Lauræa *disp. 19. art. 6.* Herinex *disp. 2. quæst. 9. num. 84.* Suario *disp. 58. sec. 3.* Vasquio *disp. 202. cap. 1.* Arriagâ *disp. 40. sec. 8. subsec. 3*, & 4. &c.

Verborum consecratorium veritas habetur in fine prolationis, nō in principio, aut in progressu.

Probatur, quia ex unâ parte in fine prolationis verè corpus, & sanguis Christi existunt sub speciebus, ut per verba consecratoria affirmantur existere, non existunt autem sub iisdem in principio, neque in progressu, seù in medio: ex aliâ parte ut aliqua propositio affirmativa de præsenti, cujusmodi sunt illæ, quæ ex verbis consecratoriis coalescunt, sit in toto rigore vera, non requiritur, quod objectum ei coexistat in principio, aut in medio, sed solum in fine prolationis, ergo verba consecratoria habent neque in principio, neque in progressu illud, quod requiritur, & sufficit, ut in toto rigore vera sint, habent autem in fine: ergo neque in principio, neque in progressu, sed in fine sunt in toto rigore vera. Confirmatur, Propositio non est vera, nisi sit significativa, & quando est significativa est vera, si res sit, sicut significatur, aut consignificatur: atqui propositio ex verbis consecratoriis consurgens, neque in principio, neque in progressu prolationis est significativa, sed in fine, & in hoc verè res est, sicut significatur, & consignificatur, quia ex una parte in hoc verè corpus Christi existit, & ex alia parte in propositionibus de præsenti significatio, & consignificatio in unum, idemque tempus coincidunt, in illud scilicet, in quo talium propositionum prolatio finitur, & ultimò perficitur, ut mox in animadversionibus explicatum est: ergo propositio ex verbis consecratoriis consurgens, verbaque ipsa consecratoria sunt in toto rigore vera, neque in principio neque in progressu &c.

190

191 Dices: Quod verbum, seù copula *Est* in propositionibus consecratoriis significet, & consignificet in fine propositionis, ultimâque morulâ, quâ propositionis prolatio perficitur, vel provenit ex communi, & primariâ vocum ad significandum impositione, vel ex peculiari institutione Christi, & intentione Sacerdotis verba, ut sunt à Christo instituta, proferentis; atqui neutrum dici potest: ergo nec dici potest, quod copula *Est* solùm in tali fine significet, & consignificet, in eodemque solùm sit vera: Probatur minor quò ad primam partem, quia, ut nos ipsi observavimus *praced. num. 186.* quælibet dictio, sivè nomen sit sivè verbum, significat cum profertur, & quia verbum in propositionibus de præsenti, cujusmodi sunt propositiones consecratoriæ, respicit idem tempus pro consignificatione, quod pro significatione, sequitur, quod verbum, seù copula *Est* in propositionibus consecratoriis ex communi, & primariâ impositione significet, & consignificet, cum profertur, adeòque in medio, non in fine, propositionis: Probatur eadem minor quò ad secundam partem, quæ videtur esse adversùs Scotum *præcis. quæst. 2. §. Aliter ergo. Versic. Potest ergo* probatur inquam ex eo, quia sequeretur verba consecratoria secundùm suam communem, & primariam significationem, seù ad significandum impositionem, secundùm quam copula *Est* deberet significare, quando profertur, falsa esse; quod, licèt tùm Scoto, tùm etiam Gabrieli, Marsilio, & Majori tribuat Suarez *præcit. sec. 5.* in principio, in re tamen durissimum est; & semel admittendo non reliquisse Christum verba consecratoria in suâ antiquâ, & communi significatione, inefficaciter ad probandam contrà Hæreticos realem, & substantialem Christi præsentiam in sacramento, contendimus verba consecratoria non debere metaphoricè intelligi, minùs quippè est ea in metaphoricâ, quàm in novâ significatione intelligere. Sed contrà: Quidquid videatur sensisse

192

Copula est in verbis consecratoriis significat secundùm communem, & primariam impositionem.

sensisse Scotus loco citato, ubi tamen problematicè magis quàm resolutoriè loquitur, imò *ead. quæst. in Reportatis* cum communi sententiâ resolvit, ut notat Herinex *præcis. num.* 84., cum istâ dico in verbis consecratoriis copulam *est* vi suâ, & ex communi, ac primariâ vocum impositione significare, & consignificare in fine propositionis, ultimâque morulâ &c.

Ad probationem in oppositum distinguo quælibet dictio secundum se; & incomplexè sumpta significat eum profertur, concedo; ut existens in propositione, & faciens complexum cum aliis partibus propositionis, nego; hâc enim ratione significat aliquid complexum, in cujus notitiam non venit audiens, nisi in fine propositionis, ut jam attigimus *num.* 187.

Urgebis, quælibet dictio habet idem significatum, sivè secundum se, & extrà propositionem, sivè ut in propositione existens proferatur; ergo etiam sivè extrà propositionem, sivè in propositione proferatur, eodem tempore, & eum profertur significat.

193 Sed contrà: Transeat antecedens distinguo consequens, nam sicut in propositione, & extrà propositionem non eodem modo profertur, sed in propositione complexè, & cum connexione ad alias dictiones, extrà propositionem incomplexè, & sine connexione ad alias dictiones, ità nil mirum, quod extrà propositionem significet statim non expectatâ ullius alterius dictionis prolatione, in propositionem verò significationem suam quasi suspendat, usque quo proferantur aliæ dictiones, cum quibus connectitur, quod est dicere usque ad propositionis finem: Porro cum verba consecratoria sint talia non ut incomplexè, & solitariè, sed ut complexè, & in propositione prolata, debet ipsorum significatio hoc secundo modo considerari ideò &c.

194

Verba consecratoria causant ut vera, radicali tamen, non formali veritate.

Assert. 3. Verba consecratoria causant transubstantiationem, & præsentiam Christi ut vera veritate practicâ, & radicali; non speculativâ, & formali. Ità D. Thomas *hic quæst.* 78. *art.* 5. *in c.* Cajetanus, Nugnus, Sylvius, & alii Thomistæ *eod. art.* Amicus *disp.* 24. *sec.* 5. Suarez *disp.* 58. *sec.* 6. §. *Addo denique* Arriaga *disp.* 40. *sec.* 8. *subsec.* 4. *num.* 64., & plures alii contrà Scotum *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. §. *Aliter ergo. Versic. Propter hoc dico.* Mastrium *disp.* 3. *quæst.* 9. *art.* 2. Herinex *disp* 2. *quæst.* 9. *num.* 83 Lauræam *disp.* 19. *art.* 5 *num.* 138. & 139. aliosque, Scotistas communiter, ex Recentioribus item Vasquium *disp.* 202. *cap.* 2., aliosque nonnullos. Prætereà assertum singillatim, quatenus negat verba causare ut vera veritate speculativâ, & formali, est contrà Sotum *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 5. & Coninchum *hic quæst.* 78. *art.* 5. qui tamen ex diverso fundamento procedunt, Sotus scilicet ex eo, quod putet verba ut vera posse esse simul priora, & posteriora transubstantiatione, priora in genere causæ efficientis, posteriora in genere causæ objectivæ, & quasi formalis; Coninchus ex eo, quod duplicem veritatem formalem distinguat, unam de objecto præsenti, alteram de objectó exituro; At contra istos duos Auctores consentiunt inter se illi etiam, qui in reliquo asserto sibi adversantur, quosque mox tùm pro, tùm contrà retulimus.

195 Probatur primò prima asserti pars, quod scilicet verba consecratoria transubstantiationem causent ut vera. Ex consecratoriorum verborum veritate Tridentinum infert per consecrationem panis, & vini fieri conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis, quæ conversio convenienter transubstantiatio est appellata, ergo verba consecratoria transubstantiationem causant ratione veritatis, seù ut vera: Antecedens constat perlegenti Concilium *sess.* 13. *cap.* 4. neque in eo dissentiunt Adversarii, imò inter istos Vasquez *disp.* 180 *cap.* 4. post Concilii illationem Patrum sententiis corroboratam *num.* 43. concludit *Concilium non solum veritatem ipsam, sed fundamentum ejus ità apertè definire, ut qui assereret nihil panis, & vini in hoc sacramento remanere, id tamen ex verbis Christi* (quibus scilicèt Christus corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dicit) *non colligi, eodem modo hæreticus esset, ac si articulum ipsum negaret.* Consequentia probatur, quia bonitas illius illationis supponit utique aliquam infallibilem connexionem inter veritatem verborum, & transubstantiationem, atqui hujusmodi connexio non est inter veritatem tamquam effectum, seù quid posterius, & transubstantiationem tamquam causam; seù quid prius; ergo vice versâ est inter veritatem tamquam causam, & quid prius, transubstantiationem tamquam effectum, & quid posterius, adeoque illatio, quæ in tali connexione fundatur, est ex veritate verborum à priori, seù tamquam ex causâ, est ex verbis, quæ supponuntur causare ut vera.

196 Minor negatur absolutè à Vasquio *disp* 202. *cap.* 2. *num* 15. aliisque Adversariis dicentibus Concilii illationem esse à posteriori, & ab effectu, vel non ab aliâ causâ, quàm finali, quæ non facit ad rem nostram, nam sola illatio à causâ efficiente aut quasi efficiente à priori censetur, & nos nunc intendimus verba consecratoria efficienter, non finaliter causare ut vera: Impugnantur igitur Adversarii, & probatur nostra minor propositio, quia illatio à priori potior, & validior est, detrahitur igitur Concilio, si existimetur fecisse à posteriori illationem, quæ potest sustineri facta à priori, cum præcipuè alterius illationis, quæ per Adversarios potest à priori ex verborum consecratoriorum significatione fieri Concilium ipsum non meminerit: Scio Adversarios contendere, quod illatio transubstantiationis ex veritate verborum non possit esse à priori; at mox illicò impugnantur, ideò

197 Probatur secundò secunda asserti pars, quod scilicet verba consecratoria causent ut vera veritate practicâ, & radicali; hincque remanebunt pariter probatæ ultimæ asserti particulæ, scilicet ly *Non speculativâ, &*

forma-

Auctoritas D. Thomæ pro verbis consecratoriis causantibus, ut veris.

formali: Probatur, inquam, secunda pars auctoritate D. Thomæ loco jam citato dicentis *Sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed facit eam; ità veritas hujus locutionis* (subintellige consecratoriæ) *non præsupponit rem significatam, sed facit eam, sic enim se habet Verbum Dei ad res factas per verbum*. Huic adeò expressæ auctoritati Adversarii dupliciter occurrunt, dicunt scilicet in eo, quod S. Doctor ait veritatem locutionis consecratoriæ facere rem significatam, vel sumpsisse *facere* pro quomodocumque causare, & voluisse veritatem facere rem significatam, quatenus hanc causat finaliter, non quatenus causet effectivè; vel potuisse veritatem pro significatione, & hoc deducunt ex eo, quod *eod. art. 5. arg. 3.* & *art. præced. ad 3.* habetur *verba consecratoria suâ significatione efficere conversionem, & vim conversivam, quæ est in formis horum sacramentorum significationem consequi*.

198

Sed primus modus occurrendi, & intelligendi textum pro nobis adductum impugnatur ex eo, quia nimis impropriè, & præter omnem, sivè ipsius S. Doctoris, sivè aliorum Scholasticorum usum causa finalis dicitur facere illud, quod finaliter causat, & prætereà in verbis adductis cum ly *facit eam* ponatur primâ vice pro *causat efficienter* non benè salvo præcedentium ad subsequentia contextu, intelligitur secundâ vice poni pro *causat finaliter* potius quam pro *causat efficienter*: Secundus etiam modus impugnatur, quia S. Doctor ibi comparat locutionem conceptioni, conceptioni autem convenit veritas non significatio, sub eâ igitur comparatione non benè intendisset ponere locutionis significationem; nec benè intelligitur veritatem pro significatione posuisse; & cum ea, quæ S. Doctor dicit in corpore articuli, soleant esse magis ex professo, & magis definitivè dicta, potius in aliis locis intelligendus est posuisse significationem pro veritate, quàm in nostro veritatem pro significatione; fortè etiam modò unam modò aliam posuit, quia censuit verba consecratoria secundum utramque rationem esse conversiva, seù transubstantiationis causativa.

199

Ratio, & paritas pro eodem intento.

Sic rejectâ Adversariorum intelligentiâ; observo verba D. Thomæ esse pro nostro intento efficacia, non solùm quatenùs exprimunt ipsius mentem pro nobis stare, sed etiam quia continent rationem, & paritatem probantem, quod intendimus; undè sic formo argumentum, Conceptio intellectus practici, & scientia practica Dei causant, ut vera, seù ratione veritatis, practicæ utique, & radicalis, atqui verba consecratoria causant sicut conceptio intellectus practici, & scientia practica Dei, ergo causant ut vera veritate practicâ, & radicali; Major patet, quia conceptio intellectus, & scientia Dei sunt actus interni, qui non possunt causare, ut significativi, seù ratione significationis, causant igitur ut veri, seù ratione veritatis: Minor probatur, tùm quia continet comparationem desumptam ex D. Thomâ, tùm quia difficultas, quæ est in eo, quod verba consecratoria possint causare, ut vera, est pariter in eo, quod possit causare ut vera scientia Dei, nam sumo v. gr. scientiam Dei de futuritione Antichristi, & sic discurro; Verba consecratoria per Adversarios non possunt causare transubstantiationem, seù Christi præsentiam, ut vera, quia illa istam essentialiter supponunt, & ex eo, quod ista sit, illa vera sunt, adeòque si illa istam causarent, ut vera seù ratione veritatis, dareur mutua causalitas, quâ præsentia Christi causaret veritatem verborum, & veritas verborum causaret præsentiam Christi: Potest autem eodem planè modo dici scientiam Dei, ut veram non posse causare futuritionem Antichristi, quia illa istam essentialiter supponit, & ex eo, quod ista sit, illa vera est, adeòque si illa istam causaret, ut vera seù ratione veritatis, daretur mutua &c. Porrò sicut in ordine ad scientiam Dei resolvitur difficultas distinguendo duplicem scientiam alteram practicam, alteram speculativam; seu alteram veram veritate practicâ, alteram veram veritate speculativâ; & dicitur Antichristum v. gr. esse futurum, quia scitur à Deo, loquendo de scientiâ practicâ; sciri à Deo, quia est futurus, loquendo de scientiâ speculativâ, ut suppono ex tractatu de Deo Uno *lib. 3. cap. 5. §. 1.* præsertim *num. 23.* ità in proposito similis difficultas benè resolvetur, distinguendo proportionaliter duplicem, ut in asserto distinximus, veritatem, & dicendo fieri transubstantiationem; & existere Christum sub speciebus, quia verba consecratoria sunt vera intelligendo de veritate practicâ; verba consecratoria esse vera quia facta est transubstantiatio, & Christus sub speciebus existit, intelligendo de veritate verborum speculativâ.

200

201

Dices: Illud Aristotelis lib. 1. Perhiermen. cap. 9. *Ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*, debet intelligi de veritate etiam practicâ non de speculativâ tantùm; ergo ab eo, quod Christus sub speciebus existit, & transubstantiatio facta est verba consecratoria dicuntur vera etiam practicè, non speculativè tantùm; ergo neque etiam ut practicè vera possunt Christi sub speciebus existentiam, & transubstantiationem efficere sine mutuâ causalitate: Nec fortè est ad rem paritas scientiæ practicæ Dei, nam aliud est, quod in eâ sit rebus scitis prior ratio practici, aliud quod sit iisdem prior ratio veri, imò cum per nos *ex præcis. §. 1.* Scientia Dei sit practica per hoc, quod habeat actum voluntatis adiunctum, videtur in ipsâ ad rationem veri impertinens ratio practici, sicuti est ad rationem veri impertinens, quidquid se tenet ex parte voluntatis. Antecedens probatur, quia quod est de ratione genericâ veri, convenit cuicumque vero, sivè practico sivè speculativo, est autem de ratione genericâ veri dici ab eo, quod res est, cum Aristoteles genericè, & indefinitè loquatur, & prætereà veritas ex genere suo consistat in conformi-

tate

tate conceptus mentalis ad rem conceptam, vel enunciationis verbalis ad rem enunciatam, omnis autem conformitas supponit rem, ad quam est conformitas, & ex eo quod res sit, sicut concipitur, vel enunciatur, resultat illa conformitas, in quâ consistit veritas conceptus, vel enunciationis; ergo illud Aristotelis debet intelligi de propositione verâ in genere, & veritati etiam practicæ convenire. Sed contrà: ly *res est*, *vel non est* supponere potest, aut indifferenter pro fieri, & facto esse, aut solùm pro facto esse; si supponit solùm pro facto esse, dico ab eo, quod res est, vel non est propositionem dici veram, vel falsam solùm speculativè; si supponit indifferenter etiam pro fieri, dico ab eo quod res est, vel non est propositionem esse veram, vel falsam etiam practicè; Sicque concedi potest axioma aristotelicum procedere de vero, & falso omninò in genere, adeòque omne prorsus verum dici ab eo, quod res est, at tunc ly *Res est* debet intelligi, vel in facto esse, vel in fieri, in facto esse respectu veri speculativi, in fieri respectu veri practici, non quod propositio practicè vera supponat, sed quod vi suâ ponat illud, quod enunciata sicuti causa dicitur à suo actu secundo causans, non quia ut causans supponat, sed quia ut causans ponat actum secundum; undè etiam propositio vera speculativè dicitur ab eo, quod res est tamquàm ab aliquo priori, propositio vera practicè ab eo, quod res est tamquam ab aliquo posteriori, quod tamen vi ipsius propositionis infallibiliter ponitur.

202 Pronomina *Hoc*, & *His* in verbis consecratoriis aliquid significant.

Urgebis dicendo nos hâc ratione sustinere, quod verba consecratoria causent, & præcedant transubstantiationem, & Christi existentiam sub speciebus ut verificativa sui potius, quàm ut in se vera, item ut vera in actu primo potius quam ut vera in actu secundo; quod est propriè & in rigore verba causare ut vera sint, & in genere causæ finalis, potius quàm quia vera, seù ut vera sunt, & in genere causæ efficientis, sicque, velimus, nolimus, relabimur in sententiam, quam conamur rejicere. Sed contrà: In ordine ad veritatem formalem, & speculativam fateor verba consecratoria causare ut verificativa sui potius quam ut in se vera, item ut vera in actu primo potiùs quam ut vera in actu secundo; secùs verò in ordine ad veritatem radicalem, & practicam, nam hoc ipsum, quod est esse verificativum sui, & verum in actu primo veritate formali, & speculativâ, importat esse verum in se, & in actu secundo veritate radicali, & practicâ, sicuti hoc ipsum, quod est ignem esse calefactivum, & in actu primo calefactionis transeuntis respectu subjecti extrinseci, importat ipsum esse in se, & in actu secundo calidum calefactione, seù calore immanente. Quod si dicant Adversarii, nos ab ipsis solo vocum dissidio dissentire, dicam ego, & ipsos solo vocum dissidio dissentire à nobis, quatenus verò res ità sit, præsumptio, & præponderantia stat pro nostro modo loquendi ut potè qui ex *praced. num.* 195. & 195. conformior, & favorabilior est Concilio Tridentino ex veritate verborum consecrationis inferenti transubstantiationem.

203 Verba consecratoria causant, tùm ut in se vera, tùm ut verificativa sui sub diversa ratione.

204

Dices aliter. Verba consecratoria causant ut sunt sacramentalia, seù forma sacramenti, atqui sunt talia ut significativa non ut vera, ergo ut significativa, non ut vera, causant; Major patet, Minor probatur, ratio sacramentalis, seù sacramenti propria est significatio, non veritas; ratio signi, non ratio veri; & sacramentum in genere signi est non in genere veri, ergo. Confirmatur, aliæ sacramentorum partes non causant suos effectus, nisi sub ratione signi; ergo pariter sub hâc solâ ratione verba consecratoria causant transubstantiationem, & præsentiam Christi: Accedit, quod sacramenta communiter dicuntur efficere, quod significant; ergo efficiunt, & causant ut significativa non ut vera, ratione significationis, non ratione veritatis. Sed contrà: Instantia benè probat verba consecratoria causare ut significativa, neque hoc ego improbo, sed contendo causare simul ut vera. Si dicas: Ratio significativi, seù signi est ex genere suo prior, quam ratio veri, cum signum abstrahat à vero, & falso, & neutrum sit ad utrumque ut loquitur Scotus; ergo eo ipso, quod verba consecratoria causant in ratione significativi, non possunt amplius causare in ratione veri, cum in hâc ratione, inveniant effectum jam causatum per rationem significativi. Si, inquam, sic dicas adverto signum ex institutione, seù ad placitum, quod solum huc pertinet, aliud esse humanum, aliud divinum; seù aliud ex institutione humanâ, aliud ex institutione divinâ; quod dicitur rationem signi esse priorem ratione veri, abstrahere à vero, & falso, esse neutram ad utrumque, benè procedit de signo ex institutione humanâ, at non de signo ex institutione divina, cujusmodi est signum sacramentale, Deus enim sicut neque materialiter potest falsum dicere, ità nec potest signum falsum, aut falsificabile instituere, sed eo ipso quod instituit aliquam rem ad significandum, simul & æquè primò ipsam instituit ad significandum verè veritate radicali, quæ etiam dici potest veritas infallibilitatis, seù infalsificabilitatis.

205 Causant etiam ut significativa.

Signum nõ quodcumque non divinum, sed dumtaxat humanum abstrahit à vero, & falso, & est neutrum ad utrumque, sed prius utroque.

Ad confirmationem dico veritatem sicut etiam falsitatem propriè, ac rigorosè solis conceptibus mentis, & vocibus seù verbis manifestativis conceptuum convenire, & ex hoc capite in sacramentis sola verba propriè, ac rigorosè loquendo causare, ut vera; cæterùm eo modo quo veritas, & falsitas possunt etiam rebus tribui, dico etiam alias sacramentorum partes, & non solùm verba, seù voces habentes rationem formæ, sed etiam res habentes rationem materiæ causare, ut vera: Ad illud, quod additur, dico sacramenta efficere, quod significant non ut cumque, sed verè, adeoque efficere, & causare ut significativa verè, quod est efficere, & causare ut significativa simul, & ut vera,

206 Veritas propriè est in conceptibus, & in vocibus, non in rebus.

vera: Hęcque satis superque sint pro difficultate, quæ tandem, ut mox *nu*.203. attigimus, vix potest non desinere in quæstionem de nomine; & pro complemento deducito verba consecratoria causare, nec ut tantùm significativa, nec ut tantùm vera, sed ut significativa simul, & vera.

---

§. X.

An aliquid, & quid significent in verbis consecratoriis pronomina Hoc, & Hic?

207

ASSERT. I. Pronomina *Hoc*, & *Hic* dum in verbis consecatoriis proferuntur aliquid significant. Ità Scholastici communiter contrà paucos nonnullos *praced. num* 168. relatos pro sententiâ docente verba consecratoria proferri solum recitativè, quod est idem, ac dicere, non proferri significativè, quantùm est ex parte proferentis, ut ibidem explicuimus *nu*.161.

Pronomina Hoc, & Hic in verbis consecratoriis aliquid significant.

Probatur facilè ex eo, quia reliqua verba consecratoria per nos significativè proferuntur, adeòque ut à Sacerdote consecrante prolata aliquid significant; ergo idem sentiendum de pronominibus *Hoc*, & *Hic* quæ cum unam, eamdemque cum reliquis verbis consecratoriis, propositionemque, orationemque constituant, debent omninò in eodem cum reliquis sensu proferri, alioqui propositio consecratoria esset æquivoca, aut mutila; quod certè inconveniens vitari debet, magis quàm difficultas explicandi talium pronominum significationem; nec tùm hanc difficultatem, tùm illud inconveniens vitant Auctores præmemorati pro recitativâ omnium verborum consecratoriorum prolatione, nam isti, ut inter ipsos observat, & admittit Durandus *in* 4. *dist*. 8. *quæst*. 2. *num*. 19. saltem difficultatem non evacuant in primâ consecratione factâ à Christo, de quo dici nequit, quod omnia verba consecratoria purè recitativè protulerit, nec per ipsa quidquam significare, aut enunciare intenderit.

208

Difficilè explicatur quid? & variæ circà id sententiæ benè reducuntur ad tres classes,

Porrò difficultas explicandi significationem, seù significatum pronominum *Hoc*, & *Hic* in verbis consecratoriis consistit potissimum in eo, quod ex unâ parte talia pronomina solent significare, seù demonstrare aliquid singulare præsens, & existens, quando proferuntur; ex aliâ parte propter veritatem verborum consecrationis, seù enunciationis consecratoriæ, cujus sunt subjectum, debent significare aliquid, de quo rectè prædicentur corpus, & sanguis Christi tamquàm ejusdem enunciationis consecratoriæ prædicatum. Hinc variæ à variis de illorum pronominum significatione sententiæ, recensentur, quatuor scilicèt ab Amico *disp*. 24.*sec*.3., quinque à Suario *disp*.58.*sec*.7., & à Lauræa *disp*. 19.*art*. 4. *num*. 109., ab aliquibus aliis etiam plures; omnes verò ad tres classes benè reducuntur à Vasquio *disp*. 201. *num*.1. à quo postea singulæ classes per plura capita explicantur.

209

Prima classis complectitur sententias docentes *Hoc*, & *Hic* significare substantias panis, & vini; *Hoc* scilicet in formâ corporis substantiam panis, *Hic* in formâ sanguinis substantiam vini, vel intransitivè, idest remanentes in propriâ entitate, & naturâ absque ullo in aliam substantiam transitu, vel transitivè, idest transeuntes in substantias corporis, & sanguinis. Prior sententia de substantiis panis, & vini intransitivè significatis est prorsùs hæretica, nam vel negat substantialem Christi præsentiam in sacramento, vel in isto ponit substantiam Christi, substantiis panis, & vini unitam, aut accidentaliter, aut hypostaticè: Errat etiam singillatim circà verba consecratoria, ipsorum veritatem, proprietatemque non salvando, sed intelligendo ly *Hoc est corpus meum*. *Hic est sanguis meus* verificari solum, aut figuraliter, & simbolicè, aut accidentalitèr, aut per communicationem idiomatum; hujus sententiæ, ac hæresis originem, seriem, & Auctores recole *ex praced. cap*. 4. §. 1. Sententia posterior de panis, & vini substantiis significatis transitivè catholica, aut certè Catholicorum est, nimirùm Alensis 4 *part. quæst*. 10 *memb*.4. *art*.2. §.3., & Bonaventuræ *in* 4 *dist*.8 *par*.2. *art*.1 *quæst*.1 convenientium in eo, quod consecrationis pronomina demonstrent substantias panis, & vini, ut transeunt in Christi corpus, & Sanguinem, dissidentium tamen deindè in assignandâ significatione copulæ *Est*, in quâ Alensis vult salvare significationem identitatis, & facit propositionem consecratoriam huic æquivalere *Signatum hoc signo, quod est panis transubstantiandus in Corpus meum, est corpus meum*; Bonaventura non salvat in ly *est* significationem identitatis, sed actionis vel transitus, adeò ut supponat pro *fit*, vel *transit*, & sensus propositionis consecratoriæ sit *Hæc substantia panis fit corpus Christi*, vel *transit in corpus Christi*, & hæc Bonaventuræ sententia etiam Ochamo, & Holcot tribuitur à Suario *pracit.sec*.7. §. *Prima sententia*. Eodem autem modo intelligitur proportionaliter propositio consecratoria sanguinis, quod pariter pro sequentibus supponendum est, ne cogamur semper utrumque pronomen, & utramque consecrationis formam repetere.

210

211

Secunda classis complectitur sententias docentes illa pronomina significare substantias corporis, & sanguinis Christi, vel pro ut existunt in propriâ specie intendendo, quod prolatis verbis incipiant existere sacramentaliter sub panis, & vini accidentibus, & hunc sensû indicant Major *in* 4. *dist*.8. *quæst.un.in resp.ad* 2.*dub*.4. & Ochamus *quodlib*. 2. *quæst. ult*. Vel pro ut existunt in fine prolationis verborum in sacramento, in quo sensu duplex est sententia, quæ utraque convenit in eo, quod pronomina *Hoc* & *Hic* nihil significent, seù nihil præsens demonstrent antè finem prolationis aliorum verborum propositionem, seù formam consecratoriam

cratoriam constituentium; differt verò una sententia ab alterâ, in eo quod una velit illa pronomina sumi adjectivè, & totam suam significationem habere ex parte prædicati, nec quidquam ab ipsis significari, aut per ipsa subintelligi ex parte subjecti; altera velit sumi substantivè, & per ipsa etiam ex parte subjecti subintelligi aliquid, de quo prædicatum enuncietur, quamvis illud ipsum exercitè non significent, nisi in fine prolationis prædicati; Sub hâc posteriore sententiâ laboratur, & dissidetur non modicum in assignando eo, quod ex parte subjecti subintelligatur, ut constabit ex iis, quæ mox sub tertiâ classe dicentur, ex quibus simul innotescet, quosnam habeat eadem posterior sententia Auctores, & Sectatores. Sententiam verò priorem acriter sustinet Vasquez *disp.* 201. *cap.* 4. & refert pro eâ Claudium Sainctes *repetition.* 7. *de Euchar. cap.* 7. Maldonatum *in cap.* 26. *Matth.* Majorem *in* 4. *dist.* 8. *quæst. un.* §. *Secundò arguitur versic. Secundo dico*, aliosque nonnullos, quibus accedit ex Recentioribus Amicus *disp.* 24. *sec.* 3. *num.* 103. & favet Suarez *præcit. sec.* 7. §. *Quarta ergo opinio* ubi post relatos alios pro eâdem sententiâ Auctores, & explicatum modum eam defendendi ait esse valdè probabilem.

212

Tertia classis complectitur sententias docentes illa pronomina significare, seù designare, nec panis, & vini, nec corporis, & sanguinis substantias, sed aliquid utrisque commune, & quidem si sermo sit de aliquo communi realiter, quod scilicèt initio consecrationis in pane existens, consecratione peractâ realiter remaneat in Christi corpore, potest sub hâc classe recenseri sententia Aureoli *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *art.* 2. dicentis illis pronominibus designari panis, & vini accidentia, seù species; si verò sermo sit de aliquo communi non realiter, & secundum rem, sed denominativè, & secundum rationem, duo potissimum pro tali tertio communi à diversis assignantur, nimirum vel contentum sub speciebus vagè, & indefinitè, quod sit quasi individuum vagum substantiæ abstrahentis à pane, & corpore, à vino, & sanguine; vel singulare, seù individuum entis, & non alterius minus universalis, quàm ens: Primum assignant D. Thomas *hic quæst.* 78. *art.* 5. *in c.* & *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. *ad* 1. Durandus *eâd. dist. quæst.* 2. *num.* 21. (quamvis ipse loquatur solum de verbis, quibus consecravit Christus, non quibus nos consecramus, eo quod senserit illa solum, non ista significativè proferri) Paludanus *eâd. dist. quæst.* 3. Capreolus *quæst. un. art.* 3. *ad* 1. Sotus *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 5. Ferrariensis 4. *cont. Gent. cap.* 63. Joannes à S. Thoma *hic disp* 19. *art.* 1. Gonetus *disp.* 7. *art.* 4. §. 3. *num.* 74. Suarez *disp.* 58. *sec.* 7. Valentia *disp.* 6. *quæst.* 6. *punc.* 2. Aversa *quæst.* 6. *sec.* 4. Madernus *quæst.* 5. *art.* 4. & reliqui, tùm Thomistæ communiter, tùm Recentiores majori ex parte. Secundum idest singulare entis assignant, Scotus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. §. *Alster ergo*, *Versic. Et tunc est decima conclusio.* Mastrius *disp.* 3 *quæst.* 8. *art.* 2. Gavatius *disp* 8. *quæst.* 7. Lauræa *disp.* 19. *art.* 4. & cæteri Scotistæ communiter, quibus favent Recentiores non pauci, quatenus docent hanc Scotisticam sententiam à Thomisticâ, quam mox sub istâ eâdem classe retulimus, tantum quo ad modum loquendi, non quo ad rem differre; ità tradunt in primis Suarez *præcit. sec.* 7. in fine, & Herinx *disp.* 2. *quæst.* 9. *num.* 79. idemque insinuant, qui utramque hanc sententiam confundunt in unam, quam tùm Thomistis, tùm Scotistis tribuunt, ità præstant Lugus *disp.* 11. *sec.* 7. *num.* 154. & Madernus *præcit. art.* 4. *num.* 2. Porrò isti omnes, qui per pronomina, de quibus agitur, volunt significari singulare entis, vel substantiæ, videntur talia pronomina substantivè sumere, ut nos ipsi insinuavimus *præced. num.* 212. Nihilominus etiam quo ad hoc Madernus nuper *cit. num.* 2. Arriaga *disp.* 40. *sec.* 8. *subsec.* 1. *num.* 47. & aliqui alii putant esse de solo modo loquendi, seù de nomine dissidium, & hinc fortè Lugus quamvis *disp.* 7. *sec.* 4. *nu.* 74. docuerit pronomen *Hoc* in verbis consecrationis adjectivè sumi, adhuc posteà mox *cit. num.* 174. docuit significare individuum vagum entis, vel substantiæ.

213

214

Ecce ad suas classes, seù ad sua capita redactam totam sententiarum diversitatem circà pronomina *Hoc* & *Hic* in verbis consecrationis, magnam quidem, sed non adeò magni momenti, quia non modicâ sui parte desinit in quæstionem de nomine; Antequam verò ulterius procedamus, censeo duo debere breviter expediri; ex quibus firmius simul, & facilius possit aliquid de re concludi: Primum est, Utrùm talia pronomina significent etiam in principio consecrationis, cum primum ipsa pronuncientur, an solum in fine, cum totius formæ prolatio, seù pronunciatio perficitur? Secundum, Utrùm in re debeant de facto sumi adiectivè, an substantivè?

215

216 Pronomina *Hoc* & *Hic* in verbis consecrationis in aliquo sensu significant etiá cum primum pronunciantur, in aliquo non.

Ad primum dico talia pronomina sumi posse, vel ut sunt termini simplices, & significant incomplexè; vel ut sunt extrema, & partes alicujus propositionis, & integrant cum aliis ejusdem propositionis partibus unam totalem, & complexam significationem: Primo modo significant in principio consecrationis, cum primum pronunciantur; Secundo modo solum in fine cum totius formæ prolatio perficitur: Hoc secundum habetur ex §. *præced.* præsertim *num.* 187. & 192. Primum probatur, quia pronomina etiam ipsa sunt ex genere suo voces significativæ, & ad significandum institutæ, ergo etiam ipsa cum primum pronunciantur, aliquid significant; & quamvis dicantur pronomina quasi tenentia locum nominum, & à Logicis syncategoremata, eo quod petant nominibus, & aliis vocibus ad significandum adiici, id non est, quia non habeant aliud, quam nomina significarum, nec quidquam ex se incomplexè significent; sed quia non significant aliquid determinatum; Sic v. gr. pronomen, seù syncategorema *Hoc* cum primum profertur, significat, seù facit

intelligi ex ſe præcisè rem præſentem ſingularem, ſed indeterminatam, & iſtud aliud ſyncategorema *Omnis* ſignificat ex ſe præcisè aliquam, ſed indeterminatam multitudinem. Porrò ſi pronomina, & ſyncategoremata ex genere ſuo incomplexè ſignificant, cum primò proferuntur, non eſt cur non etiam ſic ſignificent pronomina *Hoc* & *Hic* in enunciatione conſecratoriâ? imò habent ſpecialem ſignificandi titulum, quia in tali enunciatione ſunt ſubjectum, nequit autem vera, & propria enunciatio conſtare ſubjecto ſecundum ſe non ſignificativo.

217 Ad ſecundum, difficultas ſumendi ſubſtantivè oritur potiſſimum ex formâ calicis affectâ pronomine *Hic* maſculini generis, quod videtur non poſse, aut ſaltem non ſolere ſubſtantivari, ſeù ſubſtantivè ſumi. Et licèt Janſenius *cap.* 131. concordiæ evangelicæ doceat formam calicis debuiſse ex textu græco verti per pronomen *Hoc* neutrum, potius quam per *Hic* maſculinum; imo de facto in verſione, quâ utimur *Hic* poni pro *Hoc*, quod ait non eſse in aliquibus aliis locutionibus infrequens: Nihilominus iſta Janſenii doctrina tamquam frivola, & ſingularis impugnatur ex profeſso à Vaſquio *diſp.* 201. *cap.* 4. & communiter rejicitur etiam à ſuſtinentibus pronomina conſecratoria ſubſtantivè ſumi, qui propterea potius contendunt non ſolum genus neutrum, ſed maſculinum quoque, ac fœmininum ſubſtantivari poſse, & ſubſtantivari de facto, quoties per ſe ponuntur nulli ſubſtantivo copulata, ità inter alios Maſtrius *pracit. art.* 8. *num.* 192. idque intelligit de ſolâ copulatione expreſſâ, & contrà Lauræam *pracit. art.* 4. *num.* 129. putat ſubſtantivationem non impediri per copulationem implicitam, quâ à proferente adjiciantur alicui ſubſtantivo

218 mente concepto. In his, & ſimilibus non poſſum non agnoſcere aliquid vocalis, & grammaticalis diſſidii, ideò juxtà regulam generalem loquendi, & ſentiendi cum pluribus, ubi vocaliter, & de ipſo modo loquendi diſſidetur, cenſeo in primis adjectiva, & pronomina rectè ſubſtantivari ſolum quo ad genus neutrum, non quo ad maſculinum, aut fœmininum, cui conſonat, quod ſuprà *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. §. 3. & 4. agentes de modo loquendi in divinis dicebamus aliud non alius, alterum non alter, idem neutraliter non idem maſculinè, abſolutè per ſe, & ſubſtantivè ſupponere, ſeù ſignificare. Cenſeo conſequenter in formâ ſanguinis pronomen *Hic* ut potè maſculini generis debere adjectivè ſumi, & ad ſervandam unius formæ cum alterâ proportionem, ac quaſi univocationem debere pariter adjectivè ſumi pronomen *Hoc* in formâ corporis, adeò ut neutraliter ponatur non ut ſubſtantivetur, ſed ut concordet cum ly *Corpus*, quod neutrius generis eſt. Huic ſenſui eximiè favet, quod Lugus *pracit. num.* 74., & ex Lugo Arriaga *pracit. ſubſec.* 1. *num.* 46. obſervant ly *Hoc eſt corpus meum* linguâ hiſpanicâ, in quâ pronomen maſculinum habet diverſam terminationem à neutro, & corpus maſculini generis eſt, linguâ inquam hiſpanicâ verti per pronomen maſculinum, non per neutrum; dici ſcilicet *eſte*, non *eſto es mi cuerpo*; quod ſignum eſt, latinè poni pronomen *Hoc* neutraliter, non ut ſubſtantivetur, ſeù ſubſtantivè ponatur, ſed ut concordetur cum ly *Corpus*, quod in Latinâ linguâ neutralis generis eſt.

Eadem pronomina melius dicuntur ſumi adjectivè, quâ ſubſtantivè.

219 Aſsert. 2. Pronomen *Hoc* in verbis conſecrationis, cum primum profertur, ſeù ſimul, atque profertur, ſignificat indeterminatè, confusè, & quaſi vagè ſubſtantiam ſingularem, prout ſecundum rationem conſenti ſub accidentibus materiæ, quæ conſecratur, eſt aliquid commune pani, & corpori Chriſti: Cum deindè perficitur aliorum verborum prolatio, ſignificat determinatè ipſam ſubſtantiam corporis Chriſti. Idem proportionaliter intellige de pronomine *Hic* reſpectu ſubſtantiæ vini, & Chriſti ſanguinis. Ità Auctores præmemorati *num.* 213. à quibus parùm, aut quo ad rem nihil diſcrepant Scotiſtæ, de quibus *ibid. ſeq. num.* 214. contrà Auctores aliarum ſententiarum, quarum meminimus ſub primâ, & ſecundâ claſse, item ſub initio tertiæ; inter quas quidem ſententias ad mox aſsertam magis accedit, & majori præ cæteris probabilitate gaudet illa, quam propugnat Vaſquez cum aliis relatis *num.* 212.

Pronomen Hoc in verbis conſecrationis, cum primùm profertur,

Probatur aſsertum, quia nullum aliud aſſignabile illorum pronominum ſignificatum poteſt rectè ſuſtineri ſalvâ veritate, & efficaciâ verborum conſecrationis; benè verò ſic ſuſtinetur ſignificatum, quod aſseritur; ergo benè aſseritur, ac per conſequens pronomen *Hoc* in verbis conſecrationis, cum primùm profertur, ſeù ſimul atque profertur &c. Antecedens conſtat duplici parte, quarum altera negativam, altera poſitivam probationem, explicationemque requirit, & in primis.

220 Probatur quò ad primam, diſcurrendo per alia in aliis ſententiis aſſignata illorum pronominum ſignificata, ut retulimus à *num.* 209. ad 213., & primò, non poteſt ſuſtineri, quod ſignificatum pronominis *Hoc* ſit ſubſtantia panis ſumpta intranſitivè, quia ſubſtantiam panis remanere in ſacramento, nec tranſire in corpus Chriſti hæreticum eſt, & contrà veritatem, tùm tranſubſtantiationis, tùm verborum, tùm ſubſtantialis præſentiæ Chriſti ſub ſpeciebus. Secundò, non quod ſit ſubſtantia panis ſumpta tranſitivè, quia copula *eſt* pronomini *Hoc* adveniens, vel denotaret corpus Chriſti eſse in Sacramento ſolùm tamquàm ſignatum in ſigno, non ſubſtantialiter, & per ſe ipſum; vel non importaret identitatem, ſed tranſitum, & ſupponeret pro *tranſit*, ſeù *fit*. Primum autem deſtruit ſubſtantiam ſacramenti, ſecundum deprimit verba conſecratoria ad ſenſum improprium, nec ipſa intelligit modo accomodato ad explicandam propriam Euchariſtiæ rationem ſitam in eo, quod ſit Sacramentum permanens. Tertiò, non quod ſint panis accidentia, quia de his certè nequit prædicari corpus Chriſti, ſi

Nec ſignificat ſubſtantiam panis ſumptam intranſitivè;

Nec eamdem ſumptam tranſitivè;

221 *Nec panis accidentia;*

copula

copula *Est* sumatur propriè, & ut importat identitatem; quod si ly *Est* sumatur pro significat, vel continet, & ut importat significationem, vel continentiam; jam sumitur nimis impropriè, & denotat Christum esse in sacramento tamquàm in signo potius, quàm substantialiter, & per se ipsum: Præterea pronomen *Hoc* ex propriâ conditione, dum aliquid ad sensum designat, significat quidem accidentia sensibilia, at in obliquo, ut id sub quo aliud continetur, non in recto; & tamen nos modò quærimus illius pronominis significatum in recto: Quartò, non substantia corporis Christi, ut existentis in propriâ specie, quia Christus ut existens in propriâ species non est de facto præsens Sacerdoti consecranti, adeò ut possit ab ipso designari pronomine *Hoc*, & quando sic designaretur, forma consecrationis hunc sensum redderet, Corpus Christi existens in Cælo est idem cum eo, quod incipit existere, seù existit sacramentaliter sub speciebus; at hoc impertinens est ad trãsubstantiationem, conversionemvè panis in corpus Christi, adeòque ista non fieret ex vi, & significatione verborum consecrationis, nec salvaretur præsens talium verborum institutio, veritas, & efficacia.

Nec substantiam corporis Christi, ut in propria specie existentis.

222

Nec eamdem substantiam, ut sacramentaliter existentem in fine prolationis verborum.

Quintò, non substantia corporis Christi pro ut sub speciebus sacramentaliter ponitur in fine prolationis verborum, quia sic omninò suspenderetur pronominis demonstrativi significatio, quia cum primùm profertur, non esset adhùc præsens illud, quod ponitur per ipsum significari, & demonstrari. Deindè propositio consecratoria non importaret ex parte subjecti aliquid diversum ab eo, quod importat, & significat ex parte prædicati. Nec sufficit dicere, quod licèt importet idem, importet diverso modo, nimirum confusè ex parte subjecti, clarè ex parte prædicati; Non sufficit, inquam, quia id salvat ad summum propositionem consecratoriam non esse identicam, & prorsùs ineptam logicè, aut metaphysicè loquendo, at non salvat, quod eadem propositio sit conversiva, & efficiat, quod significat, non efficit quippè, quod corpus Christi acceptum confusè fit corpus Christi acceptum clarè. Tandem licèt hic modus dicendi possit utcumque sustineri, & suâ, ut ultrò admisimus, probabilitate non careat, modus tamen alius à nobis assertus præferendus est tamquàm melius omnia ad rem præsentem spectantia explicans, ut confestim ostendo.

223

Sed vagè, & confusè substãtiam singularem secundùm rationem contenti sub panis accidentibus.

Probatur idem primum antecedens quò ad secundam partem, quia pronomina *ex præced. num.* 216. etiam, ut sunt termini simplices, & incomplexi adeòque cum primùm proferuntur, habent aliquod significatum aliqualiter tamen suspensum, & non omninò determinatum; est autem tale, ut perspicuum est consideranti, significatum à nobis assertum, & tributum pronomini *Hoc* cum primùm in consecratione profertur. Rursùs hujusmodi significatum egregiè salvat enunciationem consecratoriam constare subjecto propriè dicto, & aliquid ex parte sui significante; salvat item copulam *Est* tali subjecto advenientem importare identitatem, ratio enim communis pani, & corpori Christi utique potest cum corpore Christi identificari, sicque hujusmodi significatum optimè salvat, tùm ex parte subjecti, tùm ex parte copulæ proprietatem, & veritatem enunciationis, seù propositionis consecratoriæ.

224

Tandem ex eo, quod significetur aliquid commune substantiæ panis, & substantiæ corporis Christi, denotatur utramque substantiam ad consecrationem pertinere, & secundùm rationem communem contenti sub accidentibus materiæ, quę consecratur, substantiam, quæ antè consecrationem, & in consecrationis initio erat panis, esse in fine consecrationis corpus Christi, in quo elucet efficacia, & efficientia verborum, ista enim, ut ait D. Thomas præcit. art. 5. in c. *non faciunt, quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, fit corpus Christi, & ideò signanter non dixit Dominus, Hic panis est corpus meum, neque Hoc corpus meum est corpus meum, sed in generali Hoc est corpus meum nullo nomine apposito à parte subjecti, sed solo pronomine, quod significat substantiam in communi sine qualitate idest formâ determinatâ.* Hoc totum ex S. Doctore libenter protuli, quia est totius præsentis doctrinæ medulla, nec potest quidquam, aut clarius aut efficacius, tùm pro opinione à nobis assertâ, tùm contrà duas præcipuas opiniones adversas afferri.

225

Dices primò: Pronomen *Hoc* in verbis consecrationis debet sumi propriè, & ex *præced. num.* 218. adiectivè potius, quàm substantivè; atqui juxtà significatum à nobis assertum, nec satis sustinetur ipsius proprietas, nec congruè sumitur adiectivè potius quàm substantivè; ergo. Probatur minor quò ad primam partem, quia significatum à nobis assertum est singulare vagum, non determinatum; & tamen de propriâ ratione prominis *Hoc* est significare singulare determinatum, præsertim quando per ipsum, ut in casu nostro, fit demonstratio ad sensum, cui certè nequit demonstrari, seù ostendi aliquid vagum, & indeterminatum: Probatur eadem minor quò ad secundam partem, quia juxtà significatum à nobis assertum pronomen *Hoc* non adiacet prædicato, & cum ex parte ipsius, seù subjecti nullum habeat substantivum, cui adiaceat, consequens est, quod absolutè, ac per se stando, & substantivè potius, quàm adiectivè significet. Sed contrà: Nego utramque partem minoris propositionis; ad probationem primæ dico in primis pronomen *Hoc* ex suâ propriâ ratione significare singulare determinatum secundùm significationem complexam, & perfectam, non secundùm incomplexam, & imperfectam, quam solam habet, cum primùm profertur in consecratione: Deindè dico satis sustineri proprietatem pronominis, & demonstrationem ad sensum ex eo, quod significetur singulare

226

Pronomen *Hoc* in verbis consecrationis quomodò faciat demonstrationem ad sensum.

determinatum indirectè, & in obliquo, ut verè significatur per pronomen *Hoc* in casu nostro, ratio enim substantiæ contentæ sub speciebus, quamvis sit vaga ex parte recti, seù ex parte sui, est determinata ex parte obliqui, seù ex parte specierum, sub quibus continetur, & ratione quarum sub sensum cadit, continetur scilicet sub his determinatis numero speciebus; sicut, cum quis dicit *hæc herba nascitur in horto meo*, ly *Hæc* sufficienter retinet suam proprietatem significando herbam præsentem, & numero determinatam indirectè, quamvis deindè directè significet aliam indeterminatam huic similem: Ex quo corruit fundamentum Scotistarum contendentium pronomen *Hoc* in verbis consecrationis significare individuum singulare entis potius quam substantiam sub ratione, seù conceptu communi contenti sub accidentibus; aliundè autem melius assignatur substantia, seù individuum substantiæ, quam individuum entis, quia significatio substantiæ est aptior ad denotandam transubstantiationem.

227 Ad probationem secundæ partis ejusdem minoris propositionis dico, ly *Hoc*, pro ut in fine prolationis verborum habet significationem complexam, & perfectàm, dici posse adiacere corpori Christi, quod tunc determinatè significat, ac demonstrat, pro ut verò cum primùm profertur, habet significationem imperfectam, & incomplexam, adiacet alicui substantivo subintellecto, & mente concepto sub ratione substantiali communi pani, & corpori Christi; puta sub ly *Hoc* implicitè concipitur edulium, individuum substantiæ, ens substantiale, & proportionaliter in formâ Sanguinis sub ly *Hic* subintelligitur Potus, liquor, calix.

Dices secundò. Substantia singularis, quã per nos significat, & demonstrat pronomen *Hoc*, cũ primùm profertur, vel existit tunc realiter à parte rei, vel solùm objectivè in intellectu loquentis, & pronomen proferentis. Si primum, illa substantia est determinatè substantia panis, ut potè quæ sola sub speciebus realiter existit ante finem prolationis verborum, & cum primum profertur pronomen: Si secundum, ergo per pronomen fiet demonstratio ad intellectum, non ad sensum; & corpus Christi prædicabitur de substantiâ objectivè tantùm, non realiter existente; ergo cum neutrum ex his rectè dicatur, neque etiam rectè dicitur per pronomen *Hoc* cum primum profertur significari substantiam singularem, pro ut secundum

228 rationem contenti &c. Sed contrà: Dico substantiam singularem, quam per nos significat &c. pro eo tunc existere solum objectivè, seù existere solum conceptum objectivum, non aliquid entitativum, & physicum substantiæ singulari; ad impugnationem repeto solutionem præcedentis instantiæ, & dico adhuc demonstrationem fieri ad sensum, tùm ratione ejus, quod significatur in obliquo, tùm quia, quod demonstratio sit ad sensum, vel ad intellectum, debet attendi penes perfectam, & complexam, non penes imperfectam, & incomplexam significationem: Ad illud, quod additur, distinguo, Corpus Christi prædicabitur de substantiâ objectivè tantum, non realiter existente in principio prolationis verborum, & dum significatio subjecti est adhuc imperfecta, incomplexa, & confusa concedo; in fine prolationis, & cum significatio subjecti est perfecta, complexa, & determinata, seù explicata per prædicatum nego; jam enim tunc substantia, quæ existebat in conceptu purè objectivo, invenitur existere realiter in corpore Christi, & de hoc invenitur verificari ratio substantiæ contentæ sub speciebus.

Ex dictis constat, quid respondendum sit quærenti, Utràm in formis consecratoriis loco pronominis possit poni particula demonstrativa *Ecce* adeo ut validè consecraret Sacerdos dicens *Ecce corpus meum*. *Ecce sanguis meus*: Item utrùm in formâ calicis possit poni *Hoc* neutraliter pro *Hic* masculinè, adeò ut fiat valida consecratio dicendo *Hoc est sanguis meus*. Respondendum scilicet est priorem consecrationem esse validam juxtà sententiam docentem pronomina in formis consecratoriis nihil significare ex parte subjecti, sed esse purè putè demonstrativa prædicati: Esse item validam posteriorem consecrationem, juxta sententiam docentem in iisdem formis pronomina substantivè, non adiectivè sumi. Nos verò, qui utramque hujusmodi sententiam rejecimus, possemus fortè absolutè negare utriusque propositæ consecrationis valorem. Nihilominùs quia suam in illâ utràque sententiâ probabilitatem agnovimus, & congruentius potius quàm omninò necessarium duximus illa pronomina, tùm aliquid significare ex parte subjecti, tùm sumi adjectivè, possumus permittere, quod absolutè loquendo sit in potestate Sacerdotis illa usurpare modo minus congruo, & vel purè demonstrativè, vel substantivè, sicque possumus utrique propositæ consecrationi etiam in nostris principiis relinquere aliquam probabilitatem valoris; pro quâ vide Vasquium *disp.* 201. *num.* 41. & 49. Lugum *disp.* 11. *num.* 155. Arriagam *disp.* 40. *num.* 46. & Gasparem Hurtadum *disp.* 3. *difficult.* 10.

229 Quid de valore harum formarum; *Ecce corpus meũ. Ecce sanguis meus. Hoc est sanguis meus*,

§. XI.

Quid ponatur sub speciebus formaliter, & vi verborum, quid concomitanter? Ubi quid in verbis consecratoriis veniat nomine Corporis?

230 ASSERT. I. Formaliter, & vi verborum sub speciebus panis ponitur solum Christi corpus, sub speciebus vini solus Christi sanguis. Est assertum inter Catholicos incontroversum, & solâ terminorum explicatione indigens, præsertim postquam

Tri-

Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 3. ità definiit *Semper hac fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie manâ cum ipsius animâ, & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum tamen corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem ejus cum corpore, & animâ hypostaticam unionem.*

231 Quid sit poni sub speciebus formaliter, & vi verborum.

Probatur, & explicatur: Illud ponitur sub speciebus formaliter, & vi verborum, quod per se primò per verba consecratoria exprimitur, & cujus positio omninò requiritur ad talium verborum veritatem, efficacemque significationem, & se habet ut terminus formalis, ad quem transubstantiationis, quam eadem verba causant, & significant; hæc enim omnis synonyma sunt, & in idem recidunt; atqui illud, quod per se primò per verba consecratoria exprimitur, & cujus positio omninò requiritur &c. est respectu specierum panis solum Christi corpus, respectu specierum vini solus Christi sanguis; nam per verba consecratoria panis significatur, demonstratur, affirmatur, & tamquam presens, ac existens de contento sub speciebus panis prædicatur solum Christi corpus, eâdemque ratione respectu specierum vini solus Christi sanguis, ut facilè perspicuum est consideranti essentiales utriusque consecrationis formas, in quibus præter pronomen demonstrativum, & copulam nihil aliud profertur, nisi ly *Corpus meum*, & *Sanguis meus*; ergo. Neque assertum sub eâ, sub quâ positum est, universalitate, majori explicatione, aut probatione indiget, cum nec patiatur apud Catholicos controversiam, & sententiarum varietatem.

Taliter ponitur sub speciebus panis solû corpus, sub speciebus vini solus sanguis.

232 Benè verò deindè magna occurrit sententiarum varietas in stabiliendo, quænam sint ea, quæ veniunt nomine Corporis, & Sanguinis, quæque intelliguntur poni sub speciebus per formalem, & præcisam positionem corporis, & sanguinis, seù ex propriâ significatione istorum nominum *Corpus* & *Sanguis*. Porrò solemnior, ac celebrior est circà corpus difficultas, & licèt suppositis ex philosophiâ in humano corpore formis substantialibus partialibus possit nunc breviter, leviterque expediri: Nihilominùs, ut res theologicè tractetur, non est abstinendum à peculiari examine, quo tùm formæ partiales in proposito ostendantur principiis theologicis cohærere, tùm aliæ contrariæ sententiæ argumentis theologicis impugnentur, & isto quidem examine circà corpus peracto, nullo negotio innotescent ea, quæ ad sanguinem proportionaliter pertinent.

In difficultate igitur, & controversia de eo, quod veniat nomine corporis in verbis consecrationis, cum in istis corpus per ly *meum* determinetur ad corpus Christi veri hominis constat sermonem esse de corpore non mathematico, aut metaphysico, sed humano, quod physicum, & hominis compositi physici pars. Tria verò sunt circà ipsum, ipsiusvè significationem sententiarum capita: Primum est, nihil substantiale importare, seù significare præter materiam; Secundum, importare aliquid aliud substantiale, at non distinctum in corpore vivo ab animâ rationali, in corpore mortuo à formâ cadaveris; Tertium, importare aliquid aliud substantiale, idque distinctum, & diversum, tum ab animâ rationali, tùm à formâ cadaveris, si quæ datur animæ rationali succedens.

Quid veniat nomine corporis sententiæ variæ ad tria capita reducuntur.

233 Sub primo capite continentur duo dicendi modi.

Sub primò capite duplex occcurrit dicendi modus: Primus est, quod corpus importet materiam omninò nudam, & sine aliquo alio. Ità Gabriel *lect.* 42. *in Can.* & *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 1. Major *dist.* 10 *quæst.* 5. & Marsilius *dist.* 11 *quæst* 8. *art.* 2. Secundus est, quod importet materiam cum modo quodam accidentali, ex quantitate, & aliis accidentibus relicto, ipsique materiæ tribuente extensionem, & etherogeneitatem partium, ratione cujus reddatur corpus organicum; Ità referuntur sensisse Ægidius *theorem.* 28. 29., & 30. item Argentinas *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. & 4. Indistinctè deindè, & non explicando, utrùm materiam nudam, an aliquo acccidente affectam ponant pro termino formali conversionis, & significationis verborum; sub hoc capite sentiunt Sylvius *hic quæst.* 76. *art.* 1. *quæsit.* 4. Aversa *quæst.* 4. *sec.* 1., & aliqui alii, qui contenti sunt dicere nomine corporis per verba consecratoria expressi non venire aliquam formam substantialem: Tandem sub hoc capite vix ab Ægidii sententiâ discrepat Arriaga *disp.* 36. *sec.* 3. *subsec.* 4. docens nomine corporis, quod vi verborum sub speciebus ponitur, significari materiam primam cum organizatione accidentali; idem ex parte sentit Lugus afferendus *seq. num.* 235.

234 Sub secundo capite duo partèr præcipui modi.

Sub secundo capite duo etiam præcipui modi possunt assignari. Primus est, quod per corpus in verbis consecrationis importetur materia prima, & anima ut præcisè dans esse corporeum, non ut dans aliquem gradum inferiorem puta viventis, sensitivi, hominis; & quia esse corporeum potest haberi ab aliâ formâ substantiali æquè, ac ab animâ, & de facto in corpore mortuo habetur à formâ cadavericâ, docet hic modus, per corpus Christi, quod mortuum supponatur, importari materiâ, & formam cadavericâ etiam ipsam ut præcisè dantem esse corporeum. Ita sentiunt Durandns *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 2. *nu.* 6. Chartusianus *dist.* 11. *qu.* 1. Ferrariensis 4. *com. Gent. cap.* 64. §. *Considerandum tertio*. Cajetanus *quæst.* 75. *art.* 6. Suarez *disp.* 50. *sec* 4. Gonetus *disp.* 5. *art.* 1. & aliqui alii, tùm Thomistæ, tùm Recentiores. Secundus est, quod importetur materia prima, & aliqua forma substantialis, quæ sit indefinitè, & subdisjunctò, vel anima, vel forma cadaverica; Ità Vasquez *disp.* 186. *cap.* 3.

num.

num. 38. cum aliquibus aliis, & hunc dicendi modum Lugus *disp.* 8. *sec.* 4. *num.* 77. ait sibi cum aliquo addito non displicere; Moneo tamen Vasquium id non assignasse tamquam totum significatum hujus nominis, *corpus*, nam *disp.* 187. *cap.* 4. docet nomine corporis in verbis consecrationis significari etiam, & importari formaliter organizationem accidentalem. Ad alterum ex his duobus dicendi modis reducuntur Sotus *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 1. Ledesma *quæst.* 17. *art.* 1. *dub.* 3. & Palatios *dist.* 8. *disp.* 4. *dub.* 4. docentes nomine corporis importari quamdam communem rationem formæ substantialis, at in obliquo, & tamquam quid connotatum, non in recto, & tamquam ipsius corporis partem, ut magis explicat Vasquez *præcit. disp.* 186. *cap.* 2. *num.* 15. & 16.

235 Sub tertio tres.

Sub tertio capite potest primò recenseri modus dicendi quorumdam Recentiorum nomine corporis intelligentium materiam cum organizatione quâdam substantiali proveniente non à diversis formis substantialibus, sed à diversis unionibus ad eamdem formam substantialem, sivè hæc anima sit, sivè forma cadaveris: Ità ex parte Lugus *præcit. sec. num.* 79. quatenùs talem organizationem substantialem à diversis unionibus provenientem admittit tamquàm sufficientem ad tribuendam materiæ rationem corporis; at vult etiam sufficere organizationem purè accidentalem provenientem à diversis formis accidentalibus, adeò ut nomine corporis humani veniat materia cum organizatione, vel substantiali, vel accidentali indefinitè, & subdisjunctò. Secundus, aut potius duplex alius sub hoc eodem capite modus est, quod per corpus importetur materia cum formâ substantiali, quam vocant corporeitatis, item mixti, seù mixtionis, & ab aliquibus ponitur simpliciter una, homogenea, & materiæ coæva, ab aliis pluribus etherogenea, conflata ex multis, & diversis formis substantialibus partialibus de potentiâ materiæ, pro ut ad animam successivè disponitur, successivè eductis: Prior modus tribuitur Henrico *quodlib.* 3. *quæst.* 6., & 8, item *quodlib.* 9. *quæst* 8., & 9. Aureol. *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 4. *art.* 1. Mayroni *quæst.* 17. Richardo *art.* 1. *quæst.* 2., nec videtur discrepare Scotus *eâd. dist.* 11. *quæst.* 3. §. *de secundo articulo dico*. *Versic. Alias*, & *Versic. Præterea*. Nihilominùs *eâd. quæst.* §. *Ad rationes*. *Versic Quantum ergo*. Magis favet

236

posteriori modo, pro quo etiam stant Laurea *disp.* 21. *art.* 8. *num.* 172. Hetinex *disp.* 3. *quæst.* 3. *num.* 41., & alii Scotistæ magis communiter, ex Recentioribus verò Amicus *disp.* 19. *sec.* 3. *num.* 48. Coninchus *quæst.* 76. *art.* 2, Madernus *quæst.* 4. *art.* 3. Aresius *disp.* 2. *de Generat. quæst.* 10. *sec.* 3., & reliqui formarum partialium in tractatu de Animâ Propugnatores, quos ibi sequutus sum, & nunc iterum sequor. Ideò sit

Assert. 2. Nomine corporis in verbis consecratoriis venit materia prima cum formis substantialibus partialibus, ex quibus constituuntur caro, ossa, nervi, cartilagines, & alia composita substantialia partialia tamquàm partes corporis substantialiter organici. Ità Auctores nuperrimè relati contrà alios pro aliis dicendi modis adductos antecedenter *num.* 233. 234., & 235.

Eligitur sententia nomine corporis intelligens materiam primam, & formas substantiales partiales.

Probatur, quia formæ substantiales partiales in homine sunt, tùm in nostris principiis philosophicis omninò admittendæ, tùm in hâc quæstione theologicâ valde accommodatæ ad salvanda ea omnia, quæ de positione, & existentiâ Christi sub speciebus Theologia magis communiter tradit; Ipsæ scilicet ut simul cum materiâ primâ significatæ per ly *Corpus* in verbis consecrationis optimè salvant, primò, quod Christi corpus,

237

sivè vivum, sivè mortuum sit idem numero, & eodem nomine rectè significetur, seù ex ejusdem nominis significatione sub speciebus formaliter ponatur: Secundò, quod transubstantiatio eucharistica terminetur formaliter ad substantiam, seù formalis terminus actionis transubstantiativæ substantialis sit. Tertiò, quod talis terminus sit determinatus, & realis, & per veram actionem realem ponibilis à parte rei: Quartò, quod anima ponatur simul cum corpore sub speciebus solum concomitanter; Quæ, & similia in nullo alio dicendi modo salvantur omnia æquè bene, ac in asserto de formis partialibus, ut statim ostendo discurrendo breviter per singulos modos præcedentes.

Impugnantur alii dicendi modi

238 Et primò nomine corporis intelligens materiam primam nudè acceptam.

In primo modo docente nomine corporis venire, vel per corpus importari materiam primam omninò nudè, & præcisè acceptam, non salvatur significatio, quam Christus intendit conformiter ad promissionem, quâ *Jo.* 6. dixerat suam carnem verè esse cibum, & se daturum eam ad manducandum; hinc quippè consequens est, carnem poni formaliter in Eucharistiâ, & significari nomine corporis in formâ consecrationis positi, & tamen materia prima, etiamsi posset dici corpus, certè non potest se solâ dici caro. Deindè juxtà hunc dicendi modum corpus esset synonymum cum materiâ primâ, adeòque posset fieri valida consecratio dicendo *Hæc est mea materia prima* quod, ut puto, nullus admittet.

239 Secundò intelligens ipsam cum organizatione accidentali,

In secundo modo docente per corpus importari materiam primam cum organizatione accidentali, sivè hæc à peculiari modo ex quantitate relicto, sivè à quantitate ipsâ, alisque accidentibus immediatè proveniat, non benè salvatur in conversione Eucharisticâ terminus substantialis, imò esset accidentalis, quia illud formale, quod ultrà materiam primam per corpus importaretur, esset accidentale; sicque contra Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 4. tota substantia panis non converteretur in substantiam corporis Christi, & actio transubstantiativa, quæ per nos *ex præced. num.* §. 3. omninò datur, esset partim substantialis, partim accidentalis; non substantialis simpliciter. Ratio utriusque est, quia quidquid sub speciebus ponitur vi verborum, sicuti est formalis termi-

nus

rius efficaciæ, & efficentiæ eorumdem, itá etiam conversionis, & actionis, per quam verba efficaciam, & efficientiam suam exercent; mihi autem imperceptibile est, quod accidentia sint, quamvis solum partialiter, formalis terminus conversionis, & actionis substantialis.

240 Tertiò intelligens eamdem cum anima ut dante gradum corporeú.

In tertio modo docente per corpus importari materiam primam, & animam ut præcisè dantem esse corporeum, & secundum rationem communem formæ constituentis corpus, quæ licèt secundum se abstrahat ab animâ, & formâ cadaveris, in re tamen semper sit illa, vel ista. In isto inquam dicendi modo malè salvatur, primò, quod anima simpliciter, & absolutè ponatur sub speciebus panis solum concomitanter, ut statuit Tridentinum relatum *præced. num.* 230. Malè salvatur secundo, quod corpus, seù significatum corporis ponatur sub speciebus per conversionem, & actionem realem, quæ non apparet, quomodò possit terminari præcisè ad gradum communem, & conceptum abstractum, cum præsertim talis conversio, & actio proveniat à verbis consecratoriis, quæ non sunt causæ liberæ, sed suo modo naturales, & determinatæ ad unum: Malè salvatur tertiò, quod ly *Corpus* eamdem habeat significationem, dum modo importat materiam ut constitutam per gradum corporeitatis provenientem ab animâ, si verò esset in propriâ specie mortuum importaret materiam ut in ratione corporis constitutam per gradum corporeitatis provenientem à formâ cadavericâ.

241 Quartò intelligens eamdem cum anima, vel forma cadaverica subdisjunctò.

In quarto modo docente per corpus importari materiam primam, & animam, vel formam cadavericam indefinitè, ac subdisjuncto, ferè eadem, quæ in præcedenti, malè salvantur, & signanter malè salvatur, quod corpus possit esse terminus conversionis, & actionis realis, quæ sicuti non potest terminari præcisè ad rationem aliquam communem, & genericam formæ, itá nec ad formam in individuo, sed vagè indefinitè, & subdisjuncto. Et certè satis per se difficile est, quod verba consecratoria, quorum proprium est causare id, quod significant, difficile inquam est, quod significent indefinitè formam, quam non possunt causare, nisi determinatè: Neque dicas, vovens recitare psalmum v. gr. obligatur ad recitandum psalmum aliquem indefinitè, quem non potest recitare, nisi determinatè, cur ergo verba nequeunt significare indefinitè formam, quam non possint, nisi determinatè causare. Contrà enim ex hoc jam sequitur verba operari aliquid, quod non significant, quod licèt concedatur à Lugo *præcit. sec.* 4. *num.* 87. videtur malè cohærere communi sensui Theologorum docentium sacramenta, & verba sacramentalia esse causas solùm eâ ratione, quâ sunt signa, nec causare, nisi ratione significationis, aut veritatis significationem ut à Deo impositam consequentis; Quidquid verò de hoc sit, vix percipio deductionis vim, & facilius disparitatis, quàm paritatis rationem agnosco, quia vovens recitare psalmum est causa libera respiciens plura, & potens pro libito ad unum, vel aliud se determinare, & modo unum, modo aliud operari, verba consecratoria sunt causa suo modo naturalis, & necessaria, ipsorumque significatio, & efficacia est ad unum, & semper ad idem determinata.

242 Quintò intelligens eamdem cum organizatione substantiali sita in diversis cum anima, aut forma cadaverica unionibus.

In quinto modo docente per corpus importari materiam primam, & organizationem substantialem sitam in diversis cum animâ, vel formâ cadavericâ unionibus, recurrit difficultas salvandi certum, & determinatum conversionis, & actionis realis terminum, eademque multo magis recurrit contrà Lugum volentem importari, vel talem organizationem substantialem, vel etiam aliam solum accidentalem, & quatenus iste Auctor putat hanc ad rationem corporis sufficere, impugnatur etiam ex impugnatione secundi modi positâ *num.* 239. Prætereà organizatio substantialis proveniens à diversis cum formâ substantiali unionibus gratis excogitatur à suis Auctoribus, rectè improbatur ab Arriaga *disp.* 36. *sec.* 3. *subsec.* 3., & singillatim locum non habet in nostris de unione in solo complexo sitâ principiis.

243 Sextò intelligens eamdem cum forma corporeitatis una, & homogenea.

In sexto modo docente per corpus importari materiam primam, & formam corporeitatis, quæ una, homogenea, & coæva materiæ sit, vix quidem ulla peculiaris ex præsenti theologicâ quæstione, & Eucharistiæ mysterio; at mihi est ex philosophiâ omninò falsum talis formæ suppositum, nec in ullo corpore datur; specialique titulo non datur in corpore humano, cujus organizatio, & partium etherogeneitas nequit in formam, quæ una, & homogenea sit, benè refundi. Possent hic etiam quinque priores dicendi modi argumentis ex philosophiâ petitis impugnari, sed cum contrà ipsos theologicæ, & hujus loci propriæ impugnationes non defuerint, à philosophicis supersedeo; sicuti etiam tamquam non hujus loci proprias omitto solutiones rationum, quæ possunt ab Adversariis contrà formas partiales huc ex philosophiâ transferri.

244 Nomine sanguinis in forma consecratoria vini intelligitur materia prima, & peculiaris forma substantialis.

Sic peracto variarum sententiarum examine, & facto verioris sententiæ delectu circà significationem hujus nominis *corpus* in formâ consecratoriâ panis, facile est, ut *num.* 232. præmonui, eamdem proportionaliter significationem assignare respectu hujus nominis *Sanguinis* in formâ consecratoriâ vini; sicuti enim corpus per nos vi suæ formalis significationis importat materiam primam, & varias formas substantiales partiales juxtà varias partes, ex quibus organizatur, & componitur; itá sanguis, qui est una ex partibus corporis, importat propriam materiam, & peculiarem formam substantialem (quæ partialis ne dicenda sit, an non? potest, ut mox attingetur, esse quæstio de nomine) constitutivam illius compositi, quod absolutè, & simpliciter Sanguis nominatur. Neque illicò inferas,

ergo

ergo corpus ex vi suæ formalis significationis sicuti importat formas substantiales aliarum partium suarum, ita & formam substantialem Sanguinis, sanguinemque ipsum, qui propterea adversus supradicta, & adversus Tridentinum ponetur formaliter, & vi verborum sub speciebus panis. Contrà enim; Sanguis est pars corporis vivi, & animati, non mortui, & ab animâ separati, in quo per accidens est, quod sanguis reperiatur; corpus autem in formâ consecratoriâ abstrahit à vivo, & mortuo, & significat vi suâ solas partes in utroque requisitas, ideò non ponit formaliter, & vi suæ significationis sanguinem. Contrà insuper potest absolutè negari sanguinem esse partem corporis, dicendo per corpus importari solas partes solidas, fluidas verò in corpore existentes appellari proprio nomine humores, nec facere unum cum partibus solidis, cum sint ab ipsis discontinuæ; undè etiam in vulgari sermone solemus carnem, & sanguinem, seu corpus & sanguinem contradistinguere; imò peculiari ratione videntur omninò contradistinguenda in sacramento, ubi corpus est per modum cibi, sanguis per modum potus, cibus autem propriè constat solum ex solidis, potus solum ex fluidis.

245 Ejusdem nomine, quid ab aliis intelligatur?

Placet hic doctrinæ gratiâ aliquid proferre circà significationem sanguinis in sententiâ negante formas partiales, ut constet non solum quid à nobis juxtà propria principia sentiendum sit, sed etiam quid cæteri juxtà sua diversa principia sentiant: Adverto igitur secundùm aliquos sanguinem in corpore vivo vivere, & informari animâ; secundùm alios, quibus nos suo loco adhæsimus, non item; Isti, ne in animali vivente admittant aliquam partem materiæ sine omni substantiali formâ, tenentur sanguini concedere propriam formam substantialem, quæ deindè, utrùm in sanguine intrà corpus vivum existente eadem sit, ac in eodem effuso, aut remanente intrà corpus mortuum, an diversa? in quæstione est, & diversa potiùs quàm eadem censetur à Suario *disp.* 52. *sec.*4. §. *Secundò ex prædictis*, talis etiam permittitur à Lugo *disp.* 8. *sec.* 5. *num.* 106. Porrò qui putant sanguinem animari, nec informari aliâ formâ substantiali quam animâ, dum est in corpore vivo, & formâ cadavericâ, aut cadavericæ simili, dum est extrà corpus, aut in corpore mortuo, sentiunt consequenter nomine sanguinis in verbis consecrationis venire, vel propriam ipsius materiam nudè acceptam, vel camdem cum solis sanguinis accidentibus, vel cum animâ secundùm gradum communem formæ corporeæ, vel cum eâdem, & formâ cadavericâ subdisjunctò, vel cum organizatione substantiali proveniente à substantiali unione cum animâ.

246

Qui putant sanguinem non animari, sed habere peculiarem formam substantialem, si unam ponant in sanguine, ut ità dicam, vitali, aliam diversam in sanguine cadaverico, sanguinis nomine intelligunt propriam ipsius materiam, & vel gradum illi utrique formæ communem, vel illam utramque formam subdisjunctò; si ponant in sanguine vitali, & cadaverico formam eamdem, hanc solam determinatò cum propriâ sanguinis materiâ sanguinis nomine intelligunt; & hoc est id, quod nos quoq; intelligimus, undè isti Auctores, inter quos Vasquez *disp.*187.*cap.*3.*nu.*28., & Lugus mox *cit. sec.* 5. in re quo ad hoc idem, quod nos, sentiunt, & solum discrepant in eo, quod sicuti alias formas substantiales partiales in corpore non admittunt, ità formam substantialem sanguinis partialem non appellant; de quâ non appellatione præcisè vix cum ipsis contendam, nam in homine formæ propriè partiales subordinantur animæ, & simul cum propriâ materiâ ab animâ informantur, per me autem ab animâ non informatur materia, & forma substantialis sanguinis, hæc propterea non est partialis eo modo, quo formæ partium solidarum corporis, sed dumtaxat minus propriè, quatenus informat partem materiæ hominem constituentis, in quo sensu nuper memorati Auctores, ut arbitror, non recusabunt partialem appellare substantialem formam sanguinis; & ecce quæstionem de nomine, cujus suspicionem insinuavi *præced. nu.*244., & quæ potest eâdem ferè ratione contingere in eo, quod sanguis dicatur, vel non dicatur pars hominis, quam corporis ipsius.

247 Verùm substantialis forma sanguinis dicenda sit partialis? potest esse quæstio de nomine.

Assert. 3. Neque quantitas aliqua, aut aliquod aliud accidens corporis Christi ponitur formaliter, & vi verborum sub speciebus panis: Neque unio hypostatica, aut subsistentia Verbi existit formaliter, & vi verborum sub speciebus, tùm panis, tùm vini: Prima pars, quamvis videatur inprimis contrà eos, quorum *num.* 233. meminimus pro sententiâ docente nomine corporis venire præcisè materiam primam cum modo, vel organizatione accidentali, nihilominus cum contrà illos Auctores jam fuerit probata, remanet quod pro nunc sit potissimè contrà Vasquium *disp.* 187. *cap.* 4. ubi contendit nomine corporis humani præter materiam, & formam substantialem venire quantitatem, & aliqua alia accidentia, sine quibus putat non posse intelligi rationem organici humano corpori essentialem; quantitatem, inquam, & aliqua alia accidentia non determinata in individuo, sed hæc, vel illa, quam indeterminationem subdisjunctò ponit, quia censet quantitatem, & accidentia quantitatem consequentia non esse in corpore vivo, & mortuo eadem numero. Secunda asserti pars est contrà Nugnum *hic quæst.*76.*art.*1. Aversam *quæst.*4. *sec.*1. Bellarminum in Controu. *lib.*4. *de Euchar. cap.*23. in fine, aliosque nonnullos, contrà quos, sicut & contrà Vasquium assertum totum tradunt D. Thomas *hic quæst.*76. *art.* 1. *ad* 1. *&* *art.*4. *in c.*, Thomistæ, Scotistæ, & Recentiores magis communiter.

248

Probatur primò prima pars, tùm philosophicè, quia ratio organici humano corpori essentialis non est accidentalis, quæ provenit à quantitate, aliisvè accidentibus,

249

sed

Nec quantitas, nec aliud accidens corporis Christi ponitur vi verborũ sub speciebus panis.

sed substantialis proveniens à formis substantialibus partialibus; tùm theologicè, quia conversio, & actio transubstantiativa, quæ habetur vi verborum, non potest per se nequidem tamquam ad terminum partialem terminari ad aliquid accidentale indeterminatum, ut sunt quantitas, & accidentia hæc, vel illa subdisjunctò. Neque probatio postulat hic ulterius urgeri, nam quatenus philosophicè procedit, supponitur *ex tract. de Animâ*, quatenus verò procedit theologicè, sufficienter deducitur repetendo suprà dicta *num.* 239. & 241. Solum moneo nos in hâc parte consultò loqui de solâ quantitate corporis, quia quo ad quantitatem sanguinis etiam opinio, quam nunc singillatim impugnamus, admittit non poni vi verborum sub speciebus vini, ut videre est apud Vasquium *præcit. cap.* 4. *num.* 21. ubi etiam assignat disparitatis rationem, at ipsius dumtaxat, non nostris principiis cohærentem.

250 Probatur secundò secunda pars singillatim quo ad subsistentiam Verbi (& hinc remanebit simul probata quo ad unionem hypostaticam, utpotè quæ per nos Verbi subsistentiam includit, & in ipsius cum naturâ complexo consistit, non in aliquo tertio distincto) probatur inquam quo ad subsistentiam Verbi, quia ista à nullo verbo consecratorio per se primò exprimitur, & ad nullius veritatem, significationemvè salvandam necessariò requiritur, ut partim deduci potest ex jam dictis; partim magis ostendo solvendo rationes, quibus aliqui à nominibus *Corpus, Sanguis*; aliqui à pronominibus *Meum, Meus* contendunt subsistentiam Verbi per se primò exprimi, & formaliter importari.

Dices igitur primò: Corpus, & sanguis in verbis consecratoriis per se exprimunt, & significant aliquid subsistens; non aliâ subsistentiâ, quàm Verbi, ergo per se exprimunt, & significant subsistentiam Verbi: Major probatur, quia corpus, & sanguis sunt nomina suppositorum significantia naturam in concreto non corporeitatem, & sanguineitatem in abstracto, natura autem non est in concreto, seù non est concretum substantiale, nisi per subsistentiam. Confirmatur, ex parte termini à quo sub speciebus desinit formaliter, & vi verborum non solum natura, sed & subsistentia panis, & vini, ergo eodem modo ex parte termini ad quem sub speciebus existit non solum natura, sed & subsistentia corporis, & sanguinis; alioqui non servaretur proportio unius termini ad alterum, & panis, ac vini subsistentia anihilaretur, nec desineret in aliquid termini, si pro termino formali conversionis ipsius alia subsistentia sub speciebus non existeret.

251 *Corpus, & Sanguis nõ sunt suppositorum nomina, nec significant naturam in concreto, saltem suppositali.*

Sed contrà: nego majorem, nego item corpus, & sanguinem esse nomina suppositorum, suppositum enim appellat totum, & substantiam completam, non partem, cui non convenit subsistere, nisi in toto, & ratione totius; undè etiam suo loco cum communi sententiâ absolutè diximus Verbum assumpsisse corpus, & sanguinem, quod male diceretur, si corpus, & sanguis essent nomina suppositorum, seù importantia suppositum. Quod significent naturam in concreto, vel potest absolute negari: vel distinguendum est dicendo concretum substantiale aliud esse tale præcisè, & esse, quod constat ex materia, & formâ substantiali; aliud esse substantiale suppositale, & esse, quod constat naturâ, & subsistentiâ: primo, non secundo modo corpus, & sanguis significant naturam in concreto. Corporeitas, & sanguineitas sunt voces parùm usitatæ, nec tàm significantes naturam non subsistentem, quam gradum aliquem metaphysice abstractum, & pluribus corporis, ac sanguinis naturis communem. Ad confirmationem concedo absolutè antecedens, de quo nonnihil amplius *num.* 280 nego consequentiam, ad probationem dico proportionem unius termini ad alterum non debere procedere in omnibus, & subsistentiam panis, ac vini desinere in aliquid termini per hoc, quod desinat in corporis, & sanguinis naturam etsi non in subsistentiam, imò fortè hoc neque esse possibile, cùm valdè controversum sit, utrùm in aliquid divinum, ut est subsistentia corporis, & sanguinis Christi, possit aliquid creatum, ut est subsistentia panis, & vini, desinere, seù converti.

252 *Meum, & Meus in verbis consecrationis utrùm referant humanã Christi naturã, an divinam ejusdem subsistentiam.*

Dices secundò: Meum, & Meus in iisdem verbis in personâ Christi prolatis per se significant, & exprimunt corpus, & sanguinem, quibus adjiciuntur, esse Christi propria, & ad Christi personam pertinere; atqui sunt Christi propria per unionem, quam habent cum Christi personalitate, quæ est Verbi subsistentiâ; ergo per se significant, & exprimunt unionem hypostaticam, & Verbi subsistentiam: Probatur minor, tùm ex D. Thomâ infrà *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 4. dicente *Per hoc pronomen meum exprimitur persona Christi*, tùm ex eo, quod idem D. Thomas *quæst.* 76. *art.* 1. *ad* 1. refert ex Concilio Ephesino *t. in Epist. ad Nestor.* hæc verba: *Participes efficimur corporis, & sanguinis Christi, non ut communem carnem percipientes, nec viri sanctificati, & Verbo conjuncti secundam dignitatis unitatem, sed verè vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam*; Similia habet Cyrillus *lib.* 4. *in Joan. cap.* 23. ubi de Eucharistiâ loquens ait *Corpus Christi vivificare, quia non est corpus cujusvis hominis, sed vitæ Auctoris, & in quo habitat divinitatis plenitudo*: Ecce his utrisque insinuatur corpus, sicut, & sanguinem in Eucharistiâ esse Christi propria, non utcumque, sed ut Verbum, & vitæ Auctor est, quâ certè ratione, nequeunt esse Christi propria aliter, quam per unionem hypostaticam cum Verbi subsistentiâ.

253 Sed contrà: Lugus *hic disp.* 8. *sec.* 6. Arriaga *disp.* 36. *sec.* 3. *subsec.* 6., & aliqui alii contentione non modicâ disputant, utrùm pronomen *Meum*, & *Meus*, aut *Mei* referant, & exprimant suppositum, an naturam? eâque in contentione docentes referre naturam facilè se expediunt ab instantiæ difficultate, quia corpus, & sanguis, ut ponuntur sub

ſpeciebus vi verborum, verè referunt aliquid Naturæ humanæ Chriſti; Huic dicendi modo videtur cohærere, quod in tract. de Incarnat. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.*50. dicebamus hominis nomine magis explicitè, & magis principaliter ſignificari bumanitatem, quàm ſubſiſtentiam.

Alii quidam inſtantiam tamquam impertinentem eludunt dicendo pronomen *meum*, aut *meus*, nec cum naturâ, nec cum ſubſiſtentiâ loquentis ullam pbyſicam unionem, aut ſimultatem referre, nam rectè quis dicit *Hæc eſt vinea mea*, *Hic eſt equus meus* abſque eo, quod vineæ, & equo per propriam naturam, aut ſubſiſtentiam uniatur, ſatis eſt, quod ad vineam, & equum habeat prælationem, connexionemque moralem, quæ dominium, ſeù poſseſſio dicitur.

254 Verùm in rigore redit magnâ ex parte difficultas in explicando, utrùm talis prælatio, & connexio moralis poſseſsori, ſeù Domino conveniat ratione naturæ, an ratione ſubſiſtentiæ? & pro ut ratione unius, vel alterius dicetur convenire, unam, vel alteram inferetur exprimere pronomen poſseſſivum. Et licet dici poſſit, hanc connexionem moralem nou requirere, quod res connexæ ſint ſimul tempore, & loco, ut patet ex eo, quod Petrus exiſtens Mediolani poteſt rectè dicere de equo exiſteute Romæ *Eſt equus meus*, vel de equo ſui Patris defuncti *Eſt equus Patris mei*: Hincque benè explicetur ly *Meum* & *Meus* in verbis conſecrationis, etiam dato, quod formaliter exprimant ſubſiſtentiam Verbi, non exprimere ipſam ut ſimul cum corpore, & ſanguine ſub ſpeciebus exiſtentem, quod ſufficit ut talis ſubſiſtentia non exiſtat ſub ſpeciebus vi verborum. Nihilominùs Laureæ *diſp.* 21. *art.* 10. *num.* 245. durum videtur, quod ſubſiſtentia, ſeu Perſona ſignificetur in conſecratione formaliter, & vi verborum, etſi nou ſub ſpeciebus.

255 Utraque teſponſio meo videri ſufficiens eſt, nec ulli doctrinæ à nobis alibi traditæ diſsonans: Si primam mavelis, ad D. Thomam dicito ipſum eo loco, ſolum velle, quod ly *Meum* ſufficienter exprimat eſse perſonam Cbriſti, quæ loquitur, quod verificatur, etiamſi importet perſonalitatem ſpecificativè, & concomitanter, non reduplicativè, & formaliter; ad verba Concilii dicito aliud eſse, quod corpus, & ſanguis in Sacramento ſint propria Verbi, aliud, quod ut talia formaliter exprimantur per ly *Meum*, & *Meus*. Si ſecunda magis placeat, concedere poteris per ly *Meum*, & *Meus* ſignificari formaliter perſonam Chriſti, & ſubſiſtentiam Verbi, at non ut formaliter exiſtentem ſub ſpeciebus; item ſignificari corpus, & ſanguinem ut ratione ſubſiſtentiæ propria Verbi, at ad hoc ſufficere, quod Verbum importetur alibi, aut aliàs corpori, & ſanguini unitum, non requiri, quod ſit unitum ſub ſpeciebus hic, & nunc; nec neceſse eſt tibi, & aliis durum videri, quod tale Laureæ viſum eſt: Eligito igitur alterutram pro tuo libito reſponſionem.

Dices tertiò: Tridentinum in verbis recitatis *num.*230. ait Divinitatem exiſtere ſub ſpeciebus propter admirabilem ejus cum corpore, & animâ hypoſtaticam unionem; ergo ex mente Tridentini divinitas quidem exiſtit ſub ſpeciebus concomitanter, & propter aliud, at unio hypoſtatica, & verbū exiſtunt ſub iiſdem per ſe formaliter, & vi verborum; probatur conſequentia quo ad unionem hypoſtaticam, quia hæc eſt ratio, propter quam exiſtit ſub ſpeciebus concomitanter divinitas, ergo ipſa exiſtit formaliter, & per ſe; eſt enim per ſe tale id, propter quod aliud eſt tale, alioqui abiretur in infinitum; probatur item quo ad verbum, tùm quia per nos eſt partiale conſtitutivum unionis, exiſtit igitur ſub ſpeciebus formaliter eo ipſo, quod ſic exiſtit unio, tùm inſuper, quia ſi Verbum exiſteret ſub ſpeciebus concomiranter ſicut divinitas non eſt, cur Concilium non feciſset illius, ſicut fecit iſtius mentionem. Sed contrà: Ibidem Concilium ait animam ſub ſpeciebus exiſtere vi unionis, ſeù propter unionem cum corpore, nec proptereà unio animæ ad corpus eſt ſub ſpeciebus formaliter, alioqui in triduo, in quo talis unio ſicut in re non extitiſſet, ità non fuiſſet poſita ſub ſpeciebus, verba conſecratoria non habuiſsent idem ſignificatum formale: Concedo igitur inſtantiæ antecedens, nego conſequentiam, & dico inter duo, quorum utrumque exiſtat ſub ſpeciebus concomitanter, unum poſſe eſse rationem alterius, quoties unum ſit altero immediatiùs connexum cum eo, quod exiſtit ſub ſpeciebus formaliter, ut verè cum corpore, & ſanguine immediatius connectitur unio hypoſtatica, quàm divinitas, ſicuti etiam corpori eſt ſuo modo immediatior unio naturalis, quàm anima; Nec ſemper eſt per ſe tale illud, propter quod aliud eſt tale, alioqui non darentur reſpectu finium media propinquiora, & remotiora.

256 Ad illud, quod additur de Verbo, illatio in primis ut potè merè negativa eſt parùm valida: Deindè melius dico divinitatem ibi ſupponere pro Verbo magis, quàm pro naturâ divinâ præcisè, cum Verbum non natura divina immediatè terminet hypoſtaticam unionem, adeoque ſuprà Verbum non ſuprà naturam præcipuè cadat ratio ibi aſſignata; ibi igitur Concilium ſub divinitatis nomine fecit etiam mentionem Divini Verbi, ut magis explicat Suarez *diſp.*51. *ſec.*6. §. *In contrarium autem*.

257 *Epilogus eorum, quæ ponuntur, ſeù exiſtunt formaliter ſub ſpeciebus.*

Ex dictis omnia ſtrictim in unum colligo, & dico ſub ſpeciebus panis poni formaliter, & vi verborum ſolam materiam primam unitam formis ſubſtantialibus partium humani corporis ſolidarum, & corpori vivo, ac mortuo communium; ſub ſpeciebus vini ſolam pariter materiam primam unitam propriæ formæ ſubſtantiali ſanguinis.

§. XII.

§. XII.

Reliqua ad praecedentem titulum, & ad vim, efficacitatemque verborum praesertim respectu sanguinis pertinentia?

Quaenam existant sub speciebus concomitanter?

ASSERT. I. Sub speciebus panis existit concomitanter Christi sanguis, sub speciebus vini existit concomitanter Christi corpus. Sub utrisque existunt concomitanter, tùm Verbum, & Natura divina, Personae item Patris, & Spiritus Sancti; tùm Christi anima, & quantitas, omnia item animae, & quantitatis accidentia, si ea, quae affixa, seù posteriora loco sunt, excipias, & hujus exceptionis rationem habes ex supra dictis partim *cap.* 4. §. 7. *num.* 88. partim *cap.* 5. §. 3. Hoc assertum, licet quo ad omnia valdè receptum, & quo ad multa ex fide certum, non paucos patitur Adversarios, inter se tamen discordes, & diversâ imò oppositâ contrà ipsum viâ procedentes; quae scilicet in asserto affirmantur sub speciebus existere concomitanter, negantur sic existere ab aliquibus, eo quod putentur existere formaliter, ab aliis, eo quod putentur existere nullo modo, & ab illis plus quam concomitanter, ab istis nequidem concomitanter in sacramento esse agnoscuntur.

258

Et quomodò malè aliqui plura ex illis ponant existere sub speciebus, formaliter, seù plus quàm concomitanter?

Juxtà priorem viam asserto adversantur illi, qui formaliter, & vi verborum sub speciebus collocant, aut animam saltem secundum aliquem sui gradum, aut quantitatem, & organizationem accidentalem, aut unionem hypostaticam, aut personam Verbi: Sed quia hos dicendi modos cum suis Auctoribus §. *praeced.* sparsim retulimus, & rejecimus, non est, cur actum agendo, nunc quidquam repetamus, nisi fortè circà animam placeat obiter advertere Auctores, qui illam quo ad gradum dantis esse corporeum collocant sub speciebus vi verborum, & tamquam terminum formalem conversionis, perperam pro se afferre D. Thomam *quaest.* 75. *art.* 6. *ad* 2. ubi postquam dixit animam esse formam corporis dantem ei esse, & esse corporeum, & esse animatum, infert, *Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum non autem secundum quod dat esse animatum tali animâ*, nam cum S. Doctor alibi nimirum *quaest.* 76. *art.* 1. *ad* 1. *& quaest.* 81. *art.* 4. *ad* 3. *&* 4. *cont. Gent. cap.* 64. expressissimis verbis, & absolutè doceat conversionem panis, & vini non terminari ad Christi animam, & hanc poni sub speciebus ex reali concomitantiâ, debet etiam in priore loco ly *Convertitur* intelligi indirectè, impropriè, & quasi concomitanter, nec refert, quod hâc ratione conversio fiat in animam etiam secundum quod dat esse animatum; non refert, inquam, quia non fit ità propinquè, ut in ipsam, secundum quod dat esse corporeum, & hoc solum insinuat ly *Non autem* &c. ut exponit Sylvius *hic quaest.* 76. *art.* 1. *quaest.* 4.

259

Alii, iique deteriores eorumdem concomitantiam negando ponant nullo modo sub speciebus existere.

Juxtà posteriorem viam, quae longè deterior, & in errores declivior est, assertae veritati adversantur, primò, Sacramentarii, qui Christum in Eucharistiâ non nisi tamquàm in signo, & imagine agnoscentes consequenter sentiunt reperiri sub singulis speciebus illud solum, quod per singulas significatur, idest sub speciebus panis solùm praecisè corpus, sub speciebus vini solum praecisè sanguinem, & omnem concomitantiam irrideat, hujus erroris Auctores repetendi sunt ex dictis *cap.* 4. §. 1. Adversantur secundò, Heshusius, Hamelannus, & aliqui alii Lutherani, qui licèt admittant Christum esse in Sacramento substantialiter praesentem, volunt tamen taliter esse sub speciebus panis solum quò ad corpus, solùm quò ad sanguinem sub speciebus vini, caeteri Lutherani, sicut & Lutherus ipse, concomitantiam aliquando rident, aliquando approbant, aliquando dissimulant, ut refert Bellarminus *lib.* 4. *de Euchar. cap.* 21. Adversantur tertiò, aut saltem ab aliquibus, quibus tamen Vasquez *disp.* 185. *cap.* 1. *num.* 2. non consentit, censentur adversari Haeretici dicti *Intinctores*, eo quod species panis intinctas speciebus vini ad communionem darent, hincque suspicio sit, quod existimaverint sub singulis speciebus seorsim non sumi totum Christum. Adversatur quartò quò ad divinitatem, & unionem hypostaticam Nestorius, qui sicuti in propriâ specie ità multò magis in sacramento illam utramque Christo negavit. Adversatur quintò quò ad animam quidam Krelius Calvinista, arbitratus Christum in sacramento mortuum non vivum sumi, ut jam retulimus *cap.* 4. §. 7. *num.* 101. Adversatur sextò quò ad quantitatem ex Catholicis Durandus *in* 4. *dist.* 10. *quaest.* 2. *num.* 7. qui cum sentiat illam non posse esse sine impenetratione, & occupatione loci, sentit consequenter corpus, & sanguinem sub speciebus, sub quibus penetrantur, & locum non occupant, propriâ extensione carere: Cum Durando recensentur ab aliquibus etiam Nominales, sed isti negarunt corpori Christi in Eucharistiâ modum aliquem, & effectum quantitatis non quantitatem ipsam; negarunt illud esse quantum, at non negarunt, nec negare potuerunt habere quantitatem, cum hanc posuerint cum re, cujus est quantitas, identificatam, ut expendunt Suarez *disp.* 51. *sec.* 2., & Vasquez *disp.* 187. *cap.* 1. Contrà haec omnia, ut potè deducta ex principiis falsis, alibi impugnatis, & majori ex parte damnatis, non est, cur in praesenti sua singillatim argumenta urgeantur, ideò assertum, quatenùs contrà ista procedit universim dumtaxat.

260

261

Probatur: Totus & integer Christus existit sub speciebus panis, totus item, & integer existit sub speciebus vini, habet igitur tùm sub illis, tùm sub istis etiam disjunctim, & seorsim sumptis, quidquid habet in se, & in propriâ specie; atqui de facto, ut in se,

& in propriâ specie existens habet de facto corpus, sanguinem, Verbum & naturam divinam, animam & quantitatem &c. ergo de facto eadem omnia habet sub speciebus panis, & sub speciebus vini etiam seorsim, & disjunctim sumptis: Major definita est in Conciliis Constantiensi *sess.* 13. Florentino *in decreto Fidei*, Tridentino *sess.13.cap.3.*, & *sess. 21. cap. 3.*, & consequitur realem, ac substantialem Christi in Sacramento, de quâ plura suprà *cap.* 4. Minor deducitur ex duobus principiis fidei, nimirum ex eo quod Christus est persona Verbi in duabus naturis humanâ divinâque subsistens, & de facto redivivus in Cælum ascendit, & in propriâ specie existit non amplius moriturus, nec habiturus umquàm sanguinem effusum, aut corpus exanime, & exangue: Ex his subsumo, At Christus sub speciebus panis, & sub speciebus vini sejunctim non est totus, & integer, & cum omnibus prædictis formaliter, & vi verborum, ut §. *praced.* ostensum est, & taliter singillatim non existit quò ad corpus sub speciebus vini, quo ad sanguinem sub speciebus panis, & nec sub illis, nec sub istis quò ad Verbum naturam divinam, animam, quantitatem &c. ergo quò ad ista omnia existit, tùm sub speciebus panis tùm sub speciebus vini concomitanter, ut tradit etiam ferè in terminis Tridentinum *pracit. cap. 3. ex sess.* 13. reddens pro ratione unionem connexionemque istorum omnium cum iis, quæ existunt sub quâlibet specie formaliter, quam quidem rationem magis explico, & simul confirmo assertam veritatem sic,

262 *Explicatur existentia in sacramento per concomitantiam, & assertur concomitantiæ ratio,*

Quæ inter se uniuntur & connectuntur in ordine ad constituendum, aut perficiendum aliquod totum, ità se habent, ut ex vi illius naturalis unionis, & connexionis unum comitetur alterum, & petat existere, ubicumque existit alterum; atqui omnia in asserto enumerata uniuntur, & connectuntur cum corpore, & sanguine in ordine ad constituendum, ac perficiendum Christum; ergo ex vi talis unionis, ac connexionis comitantur, tum corpus, & sanguinem, & petunt existere ubicumque alterutrum istorum existit; cum igitur formaliter existat corpus sub speciebus panis, sanguis sub speciebus vini, consequens quod sub alterutris, seù utrisque disjunctim speciebus, illa omnia existant ex vi unionis, & connexionis, quod est existere per concomitantiam, ut magis constabit occurrendo aliquibus instantiis. Ideò

Dices primò: Nec corpus, nec Anima habent ullam physicam unionem cum sanguine, ergo si concomitantia unionem consequitur, nec corpus nec anima sunt per concomitantiam sub speciebus vini, sub quibus est per se sanguis; probatur antecedens quò ad corpus, quia istud est solidum, sanguis est fluidus, solidum autem, & fluidum sicut inter se non continuantur, ità nec tamquam partes aliquod totum integrantes uniuntur; probatur item quo ad animam, quia hæc per nos non animat, nec informat sanguinem, non igitur sanguini unitur. Sed contrà: Corpus, Anima, & sanguis quamvis non habeant inter se physicam rigorosam unionem, habent physicam connexionem, ratione cujus petunt simul esse, quia nisi simul sint, nec sanguis, nec corpus, nec anima unita corpori habent statum perfectum, & sibi connaturalem, quem tamen certè exigunt. Deindè sanguis est in corpore tamquam in continente, & tamquàm in vase, ut ità dicam, occluso; subordinatur animæ tamquàm instrumentum ipsi necessarium ad operandum in corpore, quæ autem ità se habent, habent sufficientem pro concomitantiâ connexionem.

263 *Sustinetur singillatim concomitantia animæ, & corporis ad sanguinem*

Dices secundò: Ex eo, quod Verbum, & Christi humanitas uniantur, non est nec exigit esse per concomitantiam humanitas, ubicumque est Verbum; ergo ex eo, quod duo uniantur inter se, non benè infertur comitantia, & exigentia utriusque ad existendum, ubi existit alterutrum; & sicuti de facto Verbum non humanitas Verbo unita est in aere, ità, quantum est ex vi unionis præcisè, humanitas non Verbum ei unitum; vel corpus, non anima corpori unita erit in sacramento: Sed contrà: concedo antecedens, distinguo consequens, non benè infertur comitantia ad existendum, ubi existit alterutrum secundùm præsentiam inadæquatam, quæ scilicet non possit se solâ manere ablatis aliis concedo; secundum adæquatam, quæ possit se solâ manere, nego; Verbum autem est in aere secundùm præsentiam inadæquatam, cum præsentia Verbi in aere nequeat conservari sine præsentiâ in aliis locis; Christi humanitas, vel Christi corpus est in sacramento imo in qualibet parte sacramenti secundùm præsentiam adæquatam, & sufficientem ad manere se solâ sine aliis præsentiis, ideò &c. Cur deindè ex vi unionis unum sequatur alterum, ubi secundùm adæquatam, non ubi secundùm inadæquatam præsentiam existit? Ratio esse potest, quia res debet existere secundùm se totam, & perfectè, ubi existit secundùm præsentiam adæquatam potiùs quàm, ubi solùm secundùm inadæquatam; habetur hæc ratio apud Lugum *disp.8. sec. 1. num.6.*

264 *Item Verbi ad humanitatem, vel humanitatis partes,*

265

Dices tertiò: Pater & Spiritus in nostro asserto recensentur inter ea, quæ existunt concomitanter sub speciebus, & tamen nullam habent unionem, aut connexionem cum iis, quæ existunt sub speciebus formaliter, nec pertinent ad Christum constituendum, aut perficiendum; ergo vel malè assignavimus rationem concomitantiæ, vel malè asseruimus per hanc existere sub speciebus etiam Patrem, & Spiritum Sanctum; Probatur antecedens; quia quæ pertinent ad Christum perficiendum, aut constituendum, debent esse sub unitate suppositi, cum hoc in Christo unicum sit, & quæ se tenent ex parte Dei, non aliter quam ratione unionis hypostaticæ uniuntur, & connectuntur cum termino formali conversionis, seù cum iis, quæ existunt sub speciebus formaliter,

nam

nam eam solam rationem pro divinitatis concomitantiâ assignat Tridentinum in verbis relatis *praced. num.* 230. Pater autem, & Spiritus, nec ullo modo terminant unionem hypostaticam, nec pertinent ad Christum in unitate suppositi. Sed contrà: licèt propter hujus instantiæ rationes Gonetus *disp.* 5. *art.* 1. *num.* 17. cum pluribus aliis Thomistis negent Patrem, & Spiritum Sanctum esse sub speciebus per concomitantiam sacramentalem, nihilominus hoc affirmant Suarez *disp.* 51. *sec.* 6. in fine Vasquez *disp.* 185. *cap.* 2. *num.* 17. Amicus *disp.* 19 *sec.* 4. *nu.* 83. Madernus *quæst.* 4. *art.* 5. *num.* 11., & alii magis communiter, cum quibus asserui, & iterùm assero Patrem, & Spiritum Sanctum esse sub speciebus per sacramentalem concomitantiam: Ratio est, quia ex unâ parte sacramentalis concomitantia non consistit in indivisibili, sed in aliquibus ex magis, in aliis ex minùs immediatâ, & propinquâ connexione oritur, sic v. gr. est per immediatiorem concomitantiam quantitas, quam alia accidentia materialia inhærentia quantitati, anima, quam ejus potentiæ, præsertim si ab ipsâ realiter distinguantur; ex aliâ parte certum est Personas Patris, & Spiritus Sancti habere peculiarem connexionem tùm cum divinitate propter identitatem, quam cum eâ habent, tùm cum Personâ Verbi propter mutuam unius divinæ Personâ in aliâ existentiam, de quâ sub nomine *Circuminsessionis* in tract. *de Deo trino* actum est, cum igitur tùm divinitas tùm Persona Verbi sint in Sacramento per concomitantiam; consequens esse per eamdem licet minus immediatam, & minùs propinquam etiam Personas Patris, & Spiritus, quas cum Adversarii ipsi concedant esse sub speciebus speciali modo, quo illis intimè præsentes forent, etiamsi non existerent in rebus omnibus per immensitatem, videtur ab iisdem solum cum quæstione de nomine negari posse, quod sint sub speciebus per concomitantiam.

266 — Item Patris, & Spiritus Sancti, ad humanitatem seù corpus, & sanguinem; mediatè tamen, & minùs propinquè,

267 — Ad instantiam, & rationem in oppositum dico, Patrem, & Spiritum Sanctum habere cum iis, quæ sunt speciebus formaliter connexionem mediatam, & aliquantisper remotam quamvis non immediatam, & simpliciter proximam, Ad Christum item perficiendum mediatè non immediatè pertinere; tandem cum termino formali conversionis connecti ratione unionis hypostaticæ mediatè, idest ratione connexionis, quàm habent cum unionis hypostaticæ termino, qui est persona Verbi: Quod dicebatur, pertinentia ad Christum perficiendum debere esse sub unitate suppositi, intelligito vel de pertinentibus immediatè, vel de existentibus sub unitate suppositi etiam solum connexivè quamvis, nec formaliter nec per identitatem; Pater autem, & Spiritus Sanctus connectuntur inseparabiliter cum supposito Verbi, quamvis nec formaliter, nec identicè sint idem cum Ipso: Hinc habes obiter esse concomitanter in sacramento omnes prorsus divinas perfectiones, sivè absolutas, sivè relativas, omnes enim consequuntur, aut ad divinam naturam, aut ad tres Personas.

Urgebis: Pater, & Spiritus neque etiam mediatè terminant unionem hypostaticam, alioqui dici possent mediatè incarnati, sicuti, ut attigimus in tract. de Incarnatione *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. rectè dicitur mediatè incarnata natura divina, quæ mediatè idest mediante subsistentia Verbi unionem hypostaticam terminat; ergo Pater, & Spiritus Sanctus neque etiam mediatè, seù per concomitantiam mediatam sunt ratione unionis hypostaticæ in Sacramento; nam connexio Patris, & Spiritus Sancti cum Verbo, qualiscumque sit, si non sufficit ad mediatam unionis hypostaticæ terminationem, nec sufficiet ad mediatam in sacramento concomitantiam ex unione hypostaticâ provenientem. Confirmatur ex eo, quod dicta connexio non sufficit, ut Pater, & Spiritus dicantur in sacramento manducati, sicuti dicitur manducari Verbum, & quidquid sub speciebus, vel formaliter, vel concomitanter existit, ergo. Sed contrà: concedo antecedens, nego consequentiam, nam Personæ Patris, & Spiritus Sancti, licèt nullatenus unionem hypostaticam terminent, habent aliquam cum unionis hypostaticæ termino, & consequenter cum unione ipsâ connexionem, quod sufficit, ut ratione ipsius sint per mediatam concomitantiam in sacramento: Nec (ut videtur instantia supponere) tanta requiritur connexio ad mediatam concomitantiam, quanta ad mediatam terminationem, ratio est, quia terminatio unionis hypostaticæ importat cum iis, quæ sunt sub speciebus formaliter, connexionem per unionem, ad quam connexionem non restringitur concomitantia, ut patet ex dictis de concomitantiâ animæ, & corporis cum sanguine *num.* 263. Ad confirmationem Vasquez *præcit. cap.* 2. *num.* 18. admittit sicut divinam essentiam, & Verbum, ità Patrem, & Spiritum Sanctum à manducante species manducari; sed est locutio à Lugo *disp.* 8. *sec.* 6. *num.* 126. aliisque communiter rejecta, imò à Turriano in Censuris theologicis *cent.* 1. *dub.* 4. graviter censurata, certè est saltem valdè impropria, quia manducatio importat motum localem, quo res trajiciatur ab ore in stomachum, motus autem localis benè potest per communicationem idiomatum cum humanitate convenire Verbo, at non Patri, aut Spiritui Sancto, imò nec divinæ naturæ, quia Pater, Spiritus Sanctus, & divina natura non participant communicationem idiomatum: Concedo igitur Patrem, & Spiritum Sanctum sub speciebus non manducari, at dico hoc non requiri ad esse sub speciebus per concomitantiam, ut patet in divinâ naturâ, quæ per nos dici nequit per communicationem idiomatum manducari, sicuti nec pati, mori &c., ut colligitur ex regulâ traditâ in tract. de Incarnatione *lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *num.* 37.

268 — Pater, & Spiritus Sanctus, sicut, & natura divina, quàmvis sit concomitanter sub speciebus, non rectè dicuntur manducari à manducante species.

269 — Assert. 2. De facto ponitur, tùm formaliter

liter vi verborum sub speciebus vini, tùm concomitanter sub speciebus panis, totus & solus sanguis existens in corpore Christi glorioso. Ly *meus* est contrà nonnullos innominatos Auctores, qui docuerunt sanguinem, quem nunc habet Christus in Cælo, non fuisse in passione effusum totum, & non poni de facto sub speciebus nisi eum, qui effusus fuit. Ly *solus* excludit ab existentiâ sub speciebus illas sanguinis particulas, quas Christus in terris etiam sub propriâ (ut in tract. de Incarnatione *lib.*1. *cap.* 5. §.5. *nu* 112. aliqualiter probabile censuimus) sanguinis formâ reliquit; multoque magis illum sanguinem, quem Christus in vitæ decursu aliquando habuit, sed fuit vi caloris naturalis conversus in carnem, vel aliter consumptus. Tradunt hoc assertum Suarez *disp.*51. *sec.*3. §. *Dico secundò*, Vasqnez *disp.*185. *cap.*3. *num.*25. Amicus *disp.* 19. *sec.* 3. *num.* 66. & 67. Lugus *disp.*8. *sec.*5. Arriaga *disp.*36. *sec.* 3 *subsec* 5. Laurea *disp.*21. *art.*9. *num.*204. Gonetus *disp.*5. *art.*1. *num.*10. Madernus *quæst.* 4. *art.*3. *num.*26., & alii communiter, qui quidem ità sentiunt, etiam dato quod Christus non effuderit in passione totum sanguinem, quem nunc habet in Cælo, etsi alioqui totum effudisse probabilius censeatur, ut supponit Suarez loco citato, & Vasquez *nu.*26. deducit ex eo, quod sanguis, qui poterat esse in Christi corpore residuus, ex perforato post mortem latere simul cum aquâ exiverit.

Sanguis, qui nunc est in corpore Christi glorioso, probabile est, quod fuerit totus in passione effusus.

270

Sivè autem fuerit effusus totus, sivè non, totus de facto ponitur sub speciebus, ponitur item is solus.

Probatur assertum universim, quia de facto Christus ponitur sub speciebus vini formaliter vi verborum cum illo toto, & solo sanguine, qui significatur per ly *sanguis meus* in formâ consecrationis, significatur autem de facto totus, & solus sanguis existens in ipsius corpore glorioso, cum is totus, & solus nunc terminetur Christi subsistentiâ: Ponitur verò sub speciebus panis concomitanter cum illis omnibus, & solis (si corpus excipias) partibus, ac perfectionibus, quas habet in propriâ specie, & in præsentia naturali, quoad sanguinem autem habet sic de facto illum totum, & solum, qui in corpore glorioso existit, ut ex ipsâ terminorum intelligentiâ constat; ergo de facto ponitur, tùm formaliter &c. Confirmatur ex eo, quod nulla est necessitas, nullaque sufficiens ratio, aut excludendi à speciebus aliquam talis sanguinis partem, aut sub iisdem admittendi aliquem alium, puta illum, qui à Christo resurgente relictus est in terris adhærens instrumentis passionis; ergo ex primo capite sub speciebus ponitur is totus, ex secundo is solus, qui in glorioso Christi corpore nunc existit.

Matth. 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

Dices primò impugnando primam partem de eo sanguine toto: Ly *Sanguis meus* in verbis, quibus Christus in ultimâ cænâ consecravit apud Matthæum, Marcum, & Lucam, limitatur ad sanguinem *Qui effundetur*, & per consequens in verbis, quibus nos consecramus ad sanguinem, qui effusus fuit; atqui non totus sanguis nunc existens in Christi corpore glorioso fuit in passione effusus, aliquis enim in jecoris, & venis corporis emortui remansit; ergo per ly *Sanguis meus* in formâ consecrationis non significatur totus sanguis nunc existens in Christi corpore glorioso, & est necessitas excludendi à speciebus aliquam talis sanguinis partem: Nec sufficienter occurritur, dicendo, ly *Qui effundetur* non esse de essentiâ formæ; Nam licet de essentiâ formæ non sit, debet verificari, cum ad quamdam formæ integritatem pertineat, & semper verbis formæ essentialibus adjiciatur. Sed contrà corruit in primis tota instantia, si negetur minor propositio, ut jure potest cum magis piâ, & magis probabili opinione negari; quidquid tamen de eâ sit, ad majorem propositionem dico ly *Qui effundetur* non adjici ad limitanda priora verba, sed ad commendandam utilitatem, efficaciam, & memoriam sanguinis in illis expressi, quæ quidem utilitas, efficacia, & memoria, nostram redemptionem respicit, & ex effusione maximè provenit: Ad verificandum igitur sanguinem sub speciebus existentem esse illum, qui tempore cænæ erat effundendus, & nunc effusus fuit; non requiritur, quod tunc esset effundendus, & nunc sit effusus totus; nam ly *Qui effundetur* ut potè non exclusivè, seù limitativè appositum benè per synecdochem, tunc verificabatur, & nunc verificatur de toto sanguine in corpore existente, etiamsi nec totus tunc foret effundendus, nec totus tunc fuerit effusus.

271

Dices secundò impugnando secundam partem de eo sanguine solo; Ly *Sanguis meus* importat etiam sanguinem, quem Christus in terris reliquit, non illum solum, quem nunc habet in Cælis in corpore glorioso; ergo etiam prior sanguis, non solus posterior per verba consecratoria significatur, & ipsorum vi ponitur formaliter sub speciebus vini; probatur antecedens, quia ex unâ parte probabile nobis est, sanguinem à Christo in terris relictum retinere propriam formam substantialem, quam simul cum propriâ materiâ importat ly *Sanguis* in formâ consecrationis; ex aliâ parte juxtà supradicta *num.*254. & 255. ly *Meus* & *Meum* vel non referuntur ad subsistentiam, vel saltem non requirunt ipsam ut unitam, & simul existentem cum eo, suprà quod cadunt, dummodò talis unio alibi sit, vel aliàs fuerit, sanguis igitur in terris relictus, quamvis fuerit ab hypostaticâ unione dimissus, quia tamen aliàs fuit Christo hypostaticè unitus, benè potest importari per ly *Meus* in Christi nomine prolatum: Nec valet respondere, esse non solum dimissum ab unione hypostaticâ, verum etiam discontinuum, & distantem à reliquo sanguine. Non valet inquam, quia infrà *num.* 286. dicetur discontinuitatem unius partis sanguinis ab alterâ non obstare, ne utraque pars ponatur sub speciebus, formaliter, & significetur per ly *Meus* in formâ consecrationis. Sed contrà: Sanguis à Christo in terris relictus ità est dimissus ab increatâ subsistentiâ Verbi, ut sit terminatus subsistentiâ creatâ,

273

nulla

De ſanguine à Christo in terris relicto non verificatur ly *Sanguis meus* in forma conſecrationis.

nulla quippè eſt neceſſitas excogitandi miraculum, quo ſine omni ſubſiſtentiâ conſervetur, ideò eſt ſuppoſiti creati proprius, & quod ratione unionis hypoſtaticæ præteritæ poſſit dici proprius Verbi, verificatur ſolum quouſque non eſt factus per unionem cum aliâ ſubſiſtentiâ proprius alterius ſuppoſiti. Hinc Amicus *præcit. ſec.* 3. *num.* 68. docet, quod in triduo mortis Chriſti fuiſſet valida conſecratio etiamſi corpus, & ſanguis ſine unione ad Verbum remanſiſſent, dummodò nec habuiſſent ullam aliam ſubſiſtentiam, secùs ſi amittendo unionem ad increatam ſubſiſtentiam Verbi aquiſiviſſent aliquam ſubſiſtentiam creatam. Quod dictum eſt de ſanguine in terris relicto quo ad non poni vi verborum ſub ſpeciebus vini, extendito ad præputium, ſi in terris conſervatur, quo ad non poni vi verborum ſub ſpeciebus pania: Et quia in tract. de Incarnat. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 110. dicebamus partes corporis, & ſanguinis in terris relictas fuiſſe dimiſſas à Verbo, ſtatim, ac fuerunt à corpore ſeparatæ non verò ſolum in corporis reſurrectione, conſequens eſt hujuſmodi partes, inter quas præputium, & fortè etiam ſanguis in præputii abſciſſione effuſus, neque etiam fuiſſe ponendas ſub ſpeciebus in triduo mortis, ſi tunc fuiſſet facta conſecratio, imò præputium, & ſanguinem in ipſius abſciſſione effuſum, neque fuiſſe poſita ſub ſpeciebus ab ipſo met Chriſto in ultimâ cœnâ conſecratis,

274 Sic expeditis partim in præſenti, partim in præcedenti §. præcipuis difficultatibus circa ea, quæ vel formaliter vi verborum, vel ſolum concomitanter ſub ſpeciebus exiſtunt, ſuperſunt ad pleniorem eorumdem notitiam nonnulla dubia minoris momenti, quorum primum ſit, formaliter ne, an concomitanter ponantur ſub ſpeciebus vini alii tres humores, qui in venis miſcentur ſanguini; item ſub ſpeciebus panis, unguea, dentes capilli, & aliæ hujuſmodi partes integrantes ſecundariæ? Secundum, quânam efficaciâ, ſeù efficientiâ ponantur ſub ſpeciebus ea, quæ ſub ipſis exiſtunt concomitanter, non vi verborum? Tertium, utrùm ea, quæ ponuntur ſub ſpeciebus vi verborum, cauſentur à verbis phyſicè, an moraliter tantùm? Quartum, Utrùm de fide ſit, non ſolum Chriſtum eſſe totum ſub qualibet ſpecie, ſed etiam eſſe ſub qualibet partim formaliter, partim concomitanter? Quintum, Utrùm, ſicut ſub ſpeciebus exiſtit, partim formaliter, partim concomitanter ſubſtantia Chriſti Domini, ità deſinat ſub iiſdem partim formaliter, partim concomitanter ſubſtantia panis, & vini; an tota formaliter, & vi verborum?

275 Verſimile eſt poni formaliter ſub ſpeciebus vini etiâ alios tres humores ſanguini in venis mixtos.

Ad primum, quamvis nomen ſanguinis ſtrictiſſimè acceptum ſupponat pro peculiari humore contradiſtincto à reliquis id eſt à bile, phlegmate, & pituitâ, nihilominus juxtà communem, & humanum loquendi modum ſignificat totam ſubſtantiam fluxibilem, quæ rubro colore prædita diſcurrit in venis, & ab Anatomicis nuncupatur *Maſſa ſanguinea* ut obſervat Lauræa *diſp.* 18. *art.* 5. *num.* 104. *&* *diſp.* 21. *art.* 9. *num.* 202. Si contendas, aut etiam ex tuo proprio ſenſu intendas in formâ conſecrationis ly *ſanguis* primo modo ſumi, dicito alios tres humores ſub ſpeciebus vini poni concomitanter; dicito verò poni formaliliter, ſi mavelis ly *ſanguis* ſumi ſecundo modo, quod mihi veriſimilius eſt, nam verba in formis conſecrationis debent ſumi in communiori modo, & intelligi in uſitatiore ſenſu. Quo ad ungues, dentes, & capillos ſub ſpeciebus panis, certius eſt poni formaliter, & corporis nomine ſignificari, ut potè quod abſolutè prolatum ſupponit pro corpore perfecto, & integro perfectione, & integritate etiam ſecundariâ, & ad quemdam intrinſecum ornatum pertinente; ad quam certè perfectionem, & integritatem in quolibet humano corpore, ſivè vivo, ſivè mortuo, ſivè glorioſo, ſivè non glorioſo requiruntur ungues, dentes, & capilli: Diverſa eſt ratio de ſpiritibus vitalibus, & animalibus, qui ſunt proprii corporis viventis, item de quibuſdam partibus puriſſimi aeris, aut alterius nobilioris ſubſtantiæ propriis corporis glorioſi, & in iſto ſubrogatis ad implendas cavitates cibo, fæcibus, & excrementis in corpore mortali repletas; Diverſa inquam eſt ratio, & ponuntur hujuſmodi ſpiritus, & partes ſub ſpeciebus ſolum concomitanter, quia corpus in formâ conſecrationis ſignificatur, & formaliter ponitur, nec ut vivum, nec ut mortuum, nec ut glorioſum, nec ut non glorioſum, ſed ſolum ſecundum ea, quæ ſunt corpori vivo, & mortuo, glorioſo, & non glorioſo communia. Nullatenus autem, & neque formaliter, neque concomitanter ponuntur ſub ſpeciebus res quædam extrinſecè, vel per accidens ad corpus ſe habentes, ut eſſent in corpore Chriſti viatoris veſtes, lacrymæ, ſudores, & partes purè excrementitiæ, de quibus aliquid diximus in tract. de Incarnat. *præcit. cap.* 5. *num.* 113., & per conſecrationem in nocte cœnæ factam non fuiſſe nequidem concomitanter ſub ſpeciebus poſita notarunt Sotus, & Ledeſma apud Suarium *hic diſp.* 51. *ſec.* 1. in fine,

Certius poni formaliter ſub ſpeciebus panis ungues, dentes, capillos.

276 Concomitanter ea, quæ ſunt corporis, aut vivi, aut glorioſi propria.

Neque formaliter, neque concomitanter, veſtes, lacrymæ, ſudores, & ſimilia in ſacramento exiſtunt,

Ad ſecundum, adverto ex iis, quæ ſub ſpeciebus concomitanter exiſtunt, alia eſſe increata, ut Perſona Verbi, & natura divina alia creata, ut corpus relatè ad ſpecies vini, ſanguis relatè ad ſpecies panis, anima quantitas, & accidentia tùm animæ, tùm quantitati inhærentia relatè ad speciea utraſque: Quò ad increata, cum non poſſint de novo produci, nec ullam efficientiam terminare, & per mutationem non in ſe, ſed in Chriſti corpore, & ſanguine factam ſpeciali modo in ſacramento exiſtant, non eſt ſingillatim inquirendum, quam efficaciam, ſeù efficientiam terminent, quia propriè & per ſe nullam terminant: Quò ad creata, concomitanter ponuntur ſub ſpeciebus, eo quod reproducantur, ſicut per nos reproducuntur ea, quæ ponuntur ſub ſpeciebus formaliter: Utrùm verò ſicut iſta, ità illa reproducantur

27[illegible]

ſuo

ſuo modo à verbis conſecratoriis? Affirmant Sylvius *hic quæſt.76.art.4.* in fine Gonetus *diſp. 5. art. 1. num.15.* Suarez *diſp. 51. ſec.4. §. Quartum argumentum*, & aliqui alii præſertim ex ſcholâ thomicâ dicentes aliud eſse poni ex vi verborum, aliud poni ex eorumdem actione, efficacitate, & efficientiâ; & primo modo poni, quæ formaliter, ſecundò quæ concomitanter; undè etiam dicunt illa poni ex verborum ſignificatione, & ex virtute directâ, ac primariâ; iſta non ex ſignificatione, & ex virtute indirectâ, ac ſecundariâ. Alii, inter quos Vaſquez *diſp. 181. cap.7. num. 77.*, & Amicus *præcit. ſec. 3. num. 40.* vim verborum non diſtinguunt ab ipſorum efficacitate, & efficientiâ; docentque ea, quæ ſunt in ſacramento per concomitantiam, ſicut non ex vi ità, nec ex efficacitate verborum poni, ſed cauſari immediatè à Deo ad exigentiam eorum, quæ ponuntur in ſacramento formaliter. Hic dicendi modus magis placet, quia melius & in toto rigore ſalvat verba conſecratoria facere ſolum id, quod ſignificant: Deindè facilis eſt, & expeditus, non ſic prior modus, in quo debet poni quaſi duplex inſtitutio, & duplex elevatio; altera primaria & directa in ordine ad terminum formalem, altera ſecundaria, & indirecta in ordine ad terminum concomitantem: difficile autem aſsignatur inter utramque, ſicut etiam inter vim, & efficacitatem verborum diſcrimen, niſi voluntarium.

Quæ ponuntur concomitanter ſub ſpeciebus, cauſantur immediatè à Deo.

278 Ad tertium ſolent Scholaſtici ſentire conformiter ad id, quod ſentiunt de cauſalitate phyſicâ, vel morali ſacramentorum in gratiam, cum igitur nos *lib.2. de Sacram. in gen. cap.4. §.3.* tribuerimus ſacramentis cauſalitatem phyſicam gratiæ, cohærenter nunc tribuemus verbis conſecratoriis cauſalitatem, ſeù efficacitatem phyſicam reſpectu corporis, & ſanguinis Chriſti, ſic enim meliùs ſalvatur talium verborum excellentia, vis, & efficacitas; melius explicatur ipſa cauſare, & efficere propriè, quod ſignificant: Et ſicut in aliis ſacramentis formæ verbales ſimul cum materiâ cauſant phyſicè gratiam, quam ſimul cum materia ſignificant, ità in Sacramento Euchariſtiæ formæ verbales ſe ſolis cauſent phyſicè corpus, & ſanguinem, cum ſe ſolis corpus, & ſanguinem ſignificent; nec contrà hanc phyſicam cauſalitatem corporis, & ſanguinis à verbis in Euchariſtiâ militet aliqua difficultas, quæ non militet pariter contrà phyſicam cauſalitatem gratiæ à rebus, & verbis in aliis ſacramentis; imò in iſtis ſit potiùs aliqua difficultas major, quia quoties ſunt valida, & informia, ideſt cum obice ſuſcepta, carent cauſalitate phyſicâ, & cauſant deindè gratiam ſolum moraliter, cum tamen in Euchariſtiâ nulla ſit umquàm neceſsitas tribuendi verbis in corpus, & ſanguinem ſolam cauſalitatem moralem, quia numquàm validè prolatis verbis ſuſpenditur poſitio corporis, & ſanguinis ſub ſpeciebus. Recole, quæ dicebamus *præcit. §. 3.*, & *ſeq.*

Vis, & efficacitas verborum in corpus, & ſanguinem eſt phyſica

279 Ad quartum, aliqui Recentiores apud Vaſquium *diſp. 185. cap. 2. num. 19.* putarunt diſtinctionem eorum, quæ ſunt ſub ſpeciebus vi verborum, & eorum, quæ per concomitantiam, à Tridentino *ſeſſ.13. cap.3.* tradi tamquam probabiliorem doctrinam, non tamquam ad dogma fidei pertinentem, & fore temerarium non hæreticum, qui talem diſtinctionem negaret dummodò abſolutè fateretur Chriſtum eſse totum ſub qualibet ſpeciei parte, totum ſub qualibet ſpecie, & tantumdem ſub alterutrâ, quantum ſub utrâque, quod ſolum exiſtimant Concilium intendiſse definire, & inferunt ex eo, quod poſteà *can. 3.* & *4.* non fiat illius diſtinctionis mentio, & anathematizentur negantes præſentiam totius Chriſti ſub qualibet, aut ſpecie, aut ſpeciei parte, non ſic negantes illam diſtinctionem. Nihilominus hæc illatio toleranda non eſt, quia conſtat Concilium multa alia deffinijſse de fide, quorum nullam mentionem fecit in Canonibus, in quibus ſolum videtur expreſſiſse hæreſes, quæ in Eccleſia fuerunt, ut obſervat Vaſquez *eod. cap. 2. num. 20.* Sentiendum igitur diſtinctionem eſse de fide, tùm quia definitur à Concilio *cit. cap. 3.* quàmvis oppoſitum in nullo canone anathematizetur, tùm quia evidenter deducitur ex totius Chriſti ſub quâlibet ſpecie exiſtentiâ, quam eſse fidei dogma præmemorati Recentiores non inficiantur.

De fide eſt Chriſtum, tùm eſse ſub qualibet ſpecie totum, tùm eſse ſub qualibet partim formaliter, partim concomitanter

280 Ad quintum, dico ſubſtantiam panis, & vini ſub ſpeciebus deſinere totam formaliter vi verborum; non partim formaliter, partim concomitanter; ex dictis enim ſuprà §. 4., & alibi ſparſim ad ſalvandam veritatem, & ſignificationem verborum conſecrationis neceſse eſt nihil ſubſtantiale panis, & vini ſub ſpeciebus remanere, tota igitur ſubſtantia panis, & vini deſinit ex neceſſitate ſalvandi verborum veritatem, & ſignificationem, atqui hoc eſt deſinere formaliter verborum vi, ſicuti ex eâdem neceſsitate poni eſt formaliter verborum vi poni; ergo verè ſubſtantia panis, & vini non partim formaliter, partim concomitanter, ſed tota formaliter verborum vi ſub ſpeciebus deſinit, tota eſt terminus formalis *à quo* converſionis euchariſticæ, quàmvis non ſit terminus formalis ad quem ejuſdem tota ſubſtantia Chriſti, Dixi *ſub ſpeciebus deſinit*, nam utrùm formaliter vi verborum deſinat etiam ſimpliciter in rerum naturâ, non eſt difficultas hùc pertinens, & de eâ nos aliquid attigimus *præcit. §.4. num. 73.*, de eâdem aliquid attingit in præſenti Lugus *diſp. 8. ſec. 4. num. 104.* Pro nunc ſufficiat modaliter dicere ſubſtantiam panis, & vini eâ ratione, quâ vi verborum deſinit, deſinere vi verborum totam, ſivè ſolùm ſub ſpeciebus, ſivè etiam in rerum naturâ vi verborum deſinat. Hinc habetur in particulari ſubſiſtentiam panis, & vini ſaltem ſub ſpeciebus deſinere, & converti vi verborum, quidquid in contrarium ſentire videantur Suarez *diſp 49. ſec. 4. §. Dico primò. Verſic. Neque contrà.* Amicus *diſp. 19. ſec. 4. num. 77.*, & nonnulli alii.

§. XIII.

§. XIII.

An aliquid, & quid in triduo mortis Christi extitisset, vel in aliquâ aliâ hypothesi existeret sub speciebus?

281 In triduo mortis Christi potuisset fieri valida consecratio.

ASSERT. I. In triduo mortis Christi potuisset fieri etiam secundùm præsentem Eucharistiæ institutionem valida consecratio, vi cujus aliquid sub speciebus extitisset. Ità supponunt Scholastici communiter partim, dum agunt de dependentiâ præsentiæ sacramentalis à naturali, partim alibi sparsim contrà nonnullos opinatos Eucharistiæ sacramentum saltem secundum præsentem institutionem pendere à Christo, ut vivo; meminit hujus opinionis suppresso Auctorum nomine Arriaga *disp.* 33. *sec.* 2. *num.* 16. Silet etiam Auctores, in opinionem tamen ipsam valde propendet, & nobis adversatur Herinex *disp.* 3. *quæst.* 5. *num.* 61.

Tùm absolutè,

Dixi *secundùm præsentem Eucharistiæ institutionem*, nam absolutè, sicuti potuit Eucharistia institui, & fieri independenter à Christo alibi existente, ut suppono ex dictis *cap.* 4. §. 7., ità à fortiori independenter ab eodem existente alibi vivo, & cum animâ corpori unitâ.

282 Probatur assertum: Ut secundùm præsentem institutionem consecratio sit valida, & aliquid vi ipsius existat sub speciebus, non requiritur quod Christus in propriâ specie vivat; ergo in triduo mortis Christi potuisset fieri &c. consequentia patet, probatur antecedens, primò quia ex nuper *cit.* §. 7. *num.* 112. ad id non requiritur, quod Christus habeat actu in propriâ specie præsentiam naturalem, ergo neque quod habeat actu vitam, seù vivat: Secundò, quia Christo etiam non vivo possunt existere, & in triduo mortis existebant omnia, quæ sunt de necessitate significationis, & veritatis verborum, quibus fit secundum præsentem institutionem consecratio, ut patet ex sparsim dictis duplici §. *præced.* ergo: Tertiò, quia si secundùm præsentē institutionem pro consecratione validâ omninò præsupponitur Christus vivus, non posset nisi vivus sub speciebus existere, sicque nec posset salvari, quod anima sub illis existeret solùm concomitanter, & non ex necessitate sacramenti, ut statuit Tridentinum, nec quod in triduo mortis consecrationem retinuisset species, quæ antecedenter à Christo consecrata, asservata fuisset, ut est communis Scholasticorum sensus.

Tùm etiam secundùm præsentem Eucharistiæ institutionem.

283 Dices: Ut secundùm præsentem institutionem consecratio sit valida, debet fieri à Sacerdote, ut à Christi Ministro, in Christi personâ, in Christi nomine: atqui non potest sic fieri, nisi Christus vivat; ergo secundùm præsentem institutionem consecratio, ut sit valida, pendet à Christo vivo, nec in triduo mortis valida esse potuit: Minor probatur, quia Christus nisi vivat non est homo, Sacerdos autem est Minister ipsius, ut hominis, & in ejusdem ut hominis personâ, ac nomine consecrat; imò simul cum Sacerdote conficit Eucharistiam, & consecrat Christus Dominus tamquàm Sacerdos æternus, & Minister principalis; at non apparet, quomodò Christus in se mortuus possit loqui per os Sacerdotis, dum loqui non posset ore proprio; & conficere cum alio Sacerdote Eucharistiam, quam non posset conficere per se solum. Confirmatur, Christi humanitas de facto elevatur, ut instrumentum physicum ad reproducendum proprium corpus, & sanguinem sub speciebus, debet igitur existere, ut talis reproductio, & consecratio fiat; humanitas autem est natura hominis vivi, & appellat corpus animæ unitum; ergo. Sed contrà. Concedo majorem, nego minorem, ad cujus probationem dico, quod sicuti ex tract. de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 2. §. 1. Christus non ut homo præcisè, sed etiam ut Deus sacramenta instituit, ità Sacerdos ipsa, & signanter Eucharistiam conficit tamquàm Minister Christi etiam ut Dei, non præcisè ut hominis, & quamvis Christus mortuus, seù in triduo mortis non esset in toto rigore homo præcisè, erat tamen homo, aut saltem homo Deus, quantùm sufficit, ut Sacerdos posset tamquam ipsius Minister, & ipsius nomine operari, tùm propter unionem animæ, & corporis ejus in eodem tertio, scilicet in eodem supposito divino quàmvis non inter se, tùm propter ad breve tempus factam ipsius animæ, & corporis separationem. Ad Cõfirmationem, dato quod Christi humanitas de facto elevetur, ut instrumentum &c. dico in triduo mortis fore elevandam, aut animam, aut animam simul, & corpus quamvis ab invicem separata, & posse minùs rigorosè humanitatem denominari, tùm animam tamquam partem potiorem, tùm animam simul, & corpus ab invicem separata propter brevitatem separationis, & unionem in tertio mox insinuatam. Aliquid aliud ad rem hanc pertinens habere potes *ex præcit.* §. 7. præsertim *num.* 114. & 116.

284 Secundùm quam Sacerdos consecrat, ut Christi Minister, & in Christi persona.

Assert. 2. Sub speciebus consecratis in triduo mortis Christi extitisset formaliter vi verborum idem, quod existit sub speciebus consecratis nunc; concomitanter non item. Est assertum consequens ad jam dicta §. 11. & 12. quo ad ly *concomitanter non item* recipitur ab omnibus, quo ad priorem partem adversantur Auctores, quorum meminimus §. 11. *num.* præsertim 234., & 245. pro sententiâ docente corpus humanum mortuum à se ipso vivo, & sanguinem effusum, aut in corpore mortuo existentem à se ipso existente in corpore vivo, differre substantialiter, adeoque ly *Corpus*, & *Sanguis* in verbis consecrationis non idem vi suâ significare, & sub speciebus efficere, quando Christus in propriâ specie est mortuus, ac quando est vivus: Nihilominus ex opposito fundamento.

285 Probatur prima asserti pars: Formalis terminus significationis verborum conse-

In triduo mortis fuisset positū sub speciebus vi verborū idem, quod ponitur nunc.

cratoriorum; & transubstantiationis Eucharisticæ fuisset idem in triduo mortis, qui est nunc; ergo sub speciebus consecratis in triduo &c. consequentia patet, antecedens probatur; talis terminus nunc est sub speciebus panis sola materia prima cum formis substantialibus partialibus propriis corporis humani sub speciebus vini sola pariter materia prima cum propriâ formâ substantiali sanguinis, atqui hoc utrumque fuisset sub utrisque speciebus idem in triduo, quia utrumque fuisset tunc idem in se ipso, & utriusque sub speciebus existentia tunc æquè ac nunc requireretur, & sufficeret ad salvandam significationem, & veritatem verborum consecratoriorum, ut luculentius patere potest recolenti ferè totam doctrinam positam *præced.* §.11. ergo.

Dices: Sub speciebus consecratis in triduo mortis non fuisset positus totus sanguis, qui ponitur sub speciebus, quæ consecrantur nunc; ergo quod extitisset tunc sub speciebus vini, non est idem saltem adæquatè cum eo, quod existit nunc; probatur antecedens, quia ponitur sub speciebus sanguis solum quo ad partes continuas, & unitas; sicuti quo ad easdem solum ponitur sub speciebus corpus, à quo propterea, si abscissus sit, & sejunctus digitus v. gr. non ponetur iste, neque formaliter, neque concomitanter cum reliquo corpore sub speciebus, atqui non totus sanguis, qui nunc habet partes continuas, & unitas in Christi corpore glorioso, habebat partes continuas, & unitas in triduo, sed major massa sanguinis, quæ tunc remansit in aliquo loco simul unita, erat multo minor ea, quæ fuit resumpta in resurrectione, & reunita in corpore glorioso; ergo.

286

Sed contrà: Inprimis quidquid sit, utrum in triduo mortis fuisset positus sub speciebus totus sanguis, qui ponitur nunc, sivè non; satis est, quod tunc fuisset positus totus sanguis, qui erat sanguis Christi tunc; sicuti nunc ponitur totus sanguis, qui est sanguis Christi nunc; jam enim tunc, & nunc poneretur sub speciebus idem sanguis moraliter, quamvis forsan non physicè; sicuti in quolibet vivente est pro toto vitæ decursu idem moraliter solum non physicè, tùm sanguis, tùm etiam corpus.

Fuisset positus sanguis totus etiam quo ad partes discontinuas, & diffusas.

Verum his omissis, quantum pertinet ad intentum, & probationem instantiæ, nego absolutè antecedens, nego item poni sub speciebus sanguinem solum quo ad partes continuas, & unitas; & quidquid sit de corpore, de quo aliquid *seq. num.* 293. dico diversam esse rationem de sanguine, quia iste est substantia homogenea, illud etherogenea; in homogeneis autem, non in etherogeneis quælibet pars etiam sejuncta à reliquis sortitur denominationem totius, & totius nomine significatur; quælibet pars aquæ est aqua, quælibet pars vini est vinum; non quælibet pars arboris, aut Civitatis, est arbor, aut Civitas, ità quælibet pars sanguinis est sanguis, non quælibet pars corporis est corpus, ex quo fit corpus in ratione corporis potius quam sanguinem in ratione sanguinis importare posse continuationem, & unionem suarum partium inter se; & illud ex vi verborum consecrationis poni sub speciebus solum quo ad partes continuas, & unitas, istum etiam quo ad discontinuas, & separatas; quod abundè sufficit pro præsenti instantiâ.

287

Probatur secunda asserti pars, quod scilicet sub speciebus consecratis in triduo non existeret concomitanter idem, quod existit sub speciebus consecratis nunc, nam sub illis non existerent concomitanter anima, accidentia inhærentia animæ, perfectiones propriæ corporis, tùm vivi, tùm gloriosi, existunt verò hæc sub speciebus consecratis nunc, & ratio est, quia uniuntur, & connectuntur cum corpore, & sanguine existentibus vi verborum in sacramento nunc, non sic connecterentur cum eodem corpore, & sanguine], quæ ponerentur vi verborum in triduo; Nec propterea negamus in isto omnem concomitantiam, sed ex parte increatorum admittimus eorumdem, quorum nunc, concomitantiam, nimirùm naturæ divinæ, Personæ Verbi, Patris æterni &c. ex parte creatorum agnoscimus pro tunc concomitantiam quantitatis, aliorumque accidentium corpori glorioso, & non glorioso, vivo, & mortuo communium: Utrum verò corpus ipsum foret tunc per concomitantiam sub speciebus vini, & sanguis sub speciebus panis? pendet ab eo; quod in emortuo Christi corpore aliquis sanguis remanserit necne?

Fuissent posita sub speciebus concomitanter omnia increata, quæ nunc; ac non omnia creata,

288

Hinc Amicus *disp.* 19. *sec.* 5. supponens ut probabilius aliquem sanguinem remansisse, putat quod posito sub speciebus vini formaliter tali sanguine fuisset positum sub iisdem concomitanter corpus, & ex adverso sub speciebus panis posito formaliter corpore fuisset positus concomitanter ille sanguis, quamvis non sanguis alius effusus, & distans, aut etiam superfusus extrinsecæ superficiei emortui corporis; At verò, qui, ut retulimus *num.* 269. potius existimant sanguinem fuisse in passione effusum totum, nihilque ipsius post apertum lanceâ latus intrà corpus superfuisse, docent consequenter, & benè, nec corpus sub speciebus vini, nec quidquam sanguinis sub speciebus panis fuisse per concomitantiam ponendum, eo quod nihilo sanguinis intrà corpus remanente, nulla remaneat inter corpus, & sanguinem unio, seù connexio, adeoque nulla ratio concomitantiæ.

Non sub speciebus vini concomitanter corpus, nec sub speciebus panis concomitanter sanguis.

Dices: Corpus, & sanguis in tali hypothesi adhuc remanent hypostaticè unita Verbo, ergo adhuc retinent unionem mediatam, & in tertio, atqui *ex præced. nu.* 266. unio mediata, & in tertio est sufficiens ratio concomitantiæ, ergo in tali hypothesi adhuc sub speciebus vini, dum poneretur formaliter sanguis, poneretur per concomitantiam mediatam corpus, ut potè connexum cum Verbo, & mediante Verbo cum sanguine, eâdemque concomitantiâ mediatâ poneretur sub panis speciebus sanguis, imo etiam sub utrisque anima.

289

Sed contrà: Connexio cum Verbo, aut mediante Verbo,

Vnio mediata est sufficiens ratio concomitantiæ, si adæquata; secus si inadæquata sit.

bò, nisi sit adæquata (qualis est illa, quam cum Verbo habent Pater, & Spiritus Sanctus, non corpus, sanguis, anima) non est sufficiens ratio concomitantiæ, ut nos jam tradidimus *num.* 264. & in proposito tradit Amicus *præcit. sec.* 5. *num.* 95. ideò ad instantiam concessis reliquis distinguo subsumptum, unio mediata, & in tertio est sufficiens ratio concomitantiæ, quando est adæquata, concedo: quando inadæquata, ut in casu argumenti, nego subsumptum, & consequens ipsius.

Dubitatur hic primò: Utrùm factâ consecratione in triduo fuisset vi verborum positus sub speciebus vini sanguis continuus, an discontinuus? Ratio dubitandi pro discontinuitate est, quia tunc sanguis in se, & extrà species fuisset discontinuus, & per diversa loca diffusus, atque dispersus; Pro continuitate verò, quia in formâ consecrationis sanguis significatur per modum unius, quem modum habet solus sanguis continuus: Deinde sub speciebus qualibet pars sanguinis per consecrationem fit loco indistans ab alterâ, res autem liquidæ, & homogeneæ (ut experientia constat) eo ipso, quod sunt loco indistantes, continuantur: Propter posteriorem hanc rationem dubitandi Suarez *disp.* 51. *sec.* 3. §. *Sed quæres ulter* censet sanguinem quamvis discontinuum extrà sacramentum exiturum continuum in sacramento; Sed in contrarium sentiunt Amicus *disp.* 19. *sec.* 3. *num.* 69. Lugus *disp.* 8. *sec.* 5. *num.* 110. & Arriaga *disp.* 36. *sec.* 3. *subsec.* 5. *num.* 40. quibus adhæreo, & approbo

290

priorem rationem dubitandi, ad posteriorem oppositam dico ly *Sanguis* in formâ consecrationis significare totum sanguinem Christi, nec importare majorem unitatem, quam quod uno, eodemque supposito Christi, scil. Verbi terminetur. Ad illud, quod additur, dico res liquidas, & homogeneas, eo ipso, quod sunt loco indistantes, continuari, si, ut regulariter evenit, eodem modo se habeant in ordine ad se, quo in ordine ad locum, at corpus, & sanguis Christi in Sacramento non eodem modo se habent, ut colligi potest *ex præced. cap.* 4. §. 8. *num.* præsertim 121. & 126. Accedit, quod indistantia localis, quâ positâ res liquidæ, & homogeneæ continuantur, est indistantia per contactum, & juxtà positionem extremorum, non per penetrationem omnium partium inter se, qualis est ea, quam habet sanguis Christi in sacramento, etiam quando supponitur discontinuus, & dispersus extrà sacramentum. Hinc proportionaliter fit sanguinem Christi de facto non habere majorem continuitatem in sacramento, quam intrà Christi corpus in venis, quamlibet scilicet talis sanguinis partem continuari alicui alii, at non quamlibet cuilibet, etsi qualibet cuilibet sit localiter indistans. Quod si (ut de cujuslibet hominis sanguine videntur sensisse aliqui apud Laurzam *disp.* 21. *art.* 9. *num.* 211.) sanguis intrà ipsum Christi corpus in Cœlo haberet de facto aliquam discontinuitatem, eamdem propter allatas rationes haberet etiam de facto sub speciebus, sub quibus, quod nunc sit totus continuus, non est ex vi verborum, & sacramenti, sed ex eo, quia totus continuus est in propriâ specie, & in Cœlo.

Sanguis non habet majorem continuitatem in Sacramento, quàm intrà Christi corpus in propria specie.

Dubitatur secundò: Utrùm pro tempore tridui potuisset fieri valida consecratio? & quid sub panis speciebus extitisset in hypothesi, quod Christi corpus fuisset tunc non solum mortuum, & ab animâ separatum, sed etiam ex Judæorum perfidiâ membratim concisum, aut combustum, & in cineres Deo permittente redactum. Utrùm scilicet tunc extitissent in sacramento membra concisa, & saltem concomitanter cineres ipsi.

291

Ad primam dubii partem respondeo affirmativè, dico scilicet in datâ hypothesi potuisse fieri validam consecrationem; & quidem abstrahendo à modo præsentis institutionis constat ex eo, quod suprà *cap.* 4. §. 7. asseruimus non repugnare aliam Eucharistiæ institutionem, secundum quam præsentia sacramentalis nullatenùs supponat naturalem, & fiat valida consecratio, etiamsi Christus nullibi prorsùs extiterit, aut existat in præsentiâ naturali, multò magis igitur in nostrâ hypothesi, in quâ Christus habuisset simpliciter, & haberet adhuc, dum consecratio fieret, præsentiam naturalem saltem secundum animam. Sistendo autem in præsenti institutione, secundum quam consecratio, ut sit valida, debet fieri in personâ, & nomine Christi, res non est ità constans; nihilominus si ad operandum, & consecrandum nomine Christi sufficit, quod existat ipsius anima, & quod animæ nomine consecratio fiat, non incongruè dicitur in hypotesi, de quâ agitur, potuisse fieri validam consecrationem etiam stante præsenti institutione; atque ità in terminis probabile censet Lugus *disp.* 5. *sec.* 8. *num.* 199. & ferè sequitur ex mox dictis *num.* 284.

Dices: Quidquid sit de corpore membratim conciso, saltem, in hypothesi, quod esset combustum, & redactum in cineres, non daretur Christi corpus in rerum naturâ; ergo non posset à Christi animâ, aut à Sacerdote ipsius nomine verè dici *Hoc est corpus meum*; ergo in hypothesi corporis in cineres redacti non posset juxtà præsentem institutionem verificari forma verborum, & fieri valida consecratio; consequentia probatur, quomodò enim Christi anima, aut alius nomine ipsius verè diceret esse corpus suum, si nullum in rerum naturâ daretur corpus, quod Christi animæ, aut nunc uniretur, aut fuisset aliàs unitum, aut eâdem, quâ Christi anima, subsistentiâ subsisteret. Sed contrà: Concedo antecedens, nego consequentiam, nam licet homo, vel anima, quando habet corpus de præsenti, verè non possit appellare corpus suum, nisi illud, quod de præsenti existit, non ullum aliud, quod in rerum naturâ non detur; Nihilominùs, quando nullum corpus habet de præsenti, adhuc potest in rigore appellare

292

corpus ſuum illud, quod ultimò habuit tempore mortis; ſicque in hypotheſi corporis Chriſti redacti in cineres, ly *corpus meum* in nomine animæ Chriſti prolatum verificaretur, & referretur in ordine ad corpus, quod ultimò fuit eidem animæ unitum.

293 Si Chriſti corpus eſſet in propria ſpecie membratim conciſum, tale de facto poneretur in ſacramento.

Ad ſecundam ejuſdem ſecundi dubii partem dico, quod extitiſſent vi verborum ſub ſpeciebus membra ipſa conciſa, ità ſupponit Amicus *diſp.* 19. *ſec.* 3. *num.* 69., & magis ex profeſſo tradit Arriaga *præcit, ſubſec.* 5. *nu.* 36., Ratio utriuſque eſt, quia licet de nullo membro conciſo ſeorſim, & ſolitariè verificetur *Hoc eſt corpus*, verificatur tamen de omnibus membris conciſis collectivè, & de quolibet ſimul cum aliis, nec aliquid amplius requiritur, ut omnia & ſingula membra conciſa ponantur vi ſignificationis, & veritatis verborum, alioqui neque tali vi ponerentur membra unita, nam etiam de nullo membro unito ſeorſim, & ſolitariè ſumpto verificatur, quod ſit corpus: Hincque inferas obiter, non ſolùm ſanguinem, de quo ſuprà *num.* 286., ſed & corpus poni poſſe vi verborum ſub ſpeciebus quo ad partes diſcontinuas, puta quo ad digitum, quem haberet in propriâ ſpecie abſciſſum. Quò ad corpus, quod combuſtum ſupponeretur, & in cineres redactum, utique vi verborum non poneretur ſub ſpeciebus ſic redactum in cineres, quemadmodum poneretur membratim conciſum: non enim de materia ſub formâ cinerum ullo modo verificatur eſſe corpus Chriſti, quemadmodum dictum eſt verificari de membris conciſis: Nec refert, quod Sanctorum Martyrum cineres appellemus ipſorum corpora, dicamuſque jacere corpus alicujus Martyris, ubi exiſtunt ipſius cineres. Non refert inquam, quia eſt locutio impropria, ac metaphorica, locum non habens in conſecratione, in quâ verba formæ ſumenda ſunt ſecundùm ſignificationem propriam, ac rigoroſam: Poneretur igitur tunc ſub ſpeciebus panis vi verborum materia prima, quæ eſſet ſub formâ cinerum, at cum illis formis ſubſtantialibus partialibus, quibus informabatur, dum ultimò extitit animæ unita, juxtà doctrinam mox traditam *num.* 292.

294 Si eſſet in cineres redactum, poneretur in ſacramento quale extitit, dum ultimò fuit animæ unitum.

Utrùm deindè forma ipſa cinerum propter connexionem, & unionem, quam haberet cum materiâ poſitâ ſub ſpeciebus vi verborum, poneretur ſub iiſdem per concomitantiam: an verò ne per concomitantiam quidem poneretur, eo quod veritas verborum conſecrationis videatur exigere, quod ſub ſpeciebus conſecratis non exiſtat aliqua ſubſtantia, quæ non ſit ſubſtantia Chriſti? Problematicus eſt Lugus *præcit. ſec.* 8. *n.* 196. Affirmat Arriaga *diſp.* 32. *ſec.* 2. *num.* 18., & ait veritati verborum ſufficere, quod exiſtat ſub ſpeciebus verum Chriſti corpus, nec obeſſe quòd ſit ſimul aliqua alia ſubſtantia; at hoc ſic abſolutè prolatum malè cohæret doctrinæ à nobis poſitæ ſuprà *num.* 72., & alibi: fortè tamen ex alio capite poteſt ſuſtineri, quod forma cinerum in caſu noſtro ſub ſpeciebus exiſtens non obſit veritati verborum, nimirùm ex eo ipſo, quod ſupponatur poni per concomitantiam, quod eſt indirectè cauſari à verbis, aut ſaltem (ut nobis ſuprà *num.* 277 magis placuit) ad exigentiam ejus, quod à verbis ut veris cauſatur; Quomodò autem poteſt obſtare veritati verborum illud, quod aut à verbis ipſis indirectè cauſatur, aut ab iiſdem ut veris mediatè idest mediante eo, quod ut vera cauſant, exigitur?

Forma ſubſtantialis cinerum fortè poneretur concomitanter.

295

Ex his habes, quid ſentiendum de conſecratione, & præſentiâ ſacramentali ſub ſpeciebus, ex ſuppoſitione, non ſolum quod Chriſtus non vivat, ſed etiam quod ipſius corpus Deo permittente fuiſſet, aut in fruſta diſſectum, aut in cineres reſolutum, aut aliter penitus deſtructum: Moneo tamen ferè omnia, quæ in hiſce hypotheſibus dicta ſunt, debere intelligi & accipi non tamquàm certa, aut certitudini proxima, ſed tamquàm probabilia, & ſuam nec admodum inæqualem relinquentia oppoſitis dicendi modis probabilitatem. Tale eſt primò, quod ſtante præſenti inſtitutione poſſit à Sacerdote tamquàm à Chriſti Miniſtro conſecrari validè Euchariſtia proferendo verba conſecratoria nomine animæ Chriſti ſeparatæ. Secundò, quod de facto in emortuo Chriſti corpore nihil ſanguis remanſerit, hincque conſecratione in triduo factâ, nec corpus ſub ſpeciebus vini, nec ſanguis ſub ſpeciebus panis concomitanter extitiſſet. Tertiò, quod ſub ſpeciebus panis poneretur cum reliquo corpore vi verborum digitus, manus, vel aliud membrum, quod ſupponeretur abſciſſum, Quartò, quod ſi Chriſti corpore in cineres redacto fieret conſecratio, poneretur ſub ſpeciebus panis concomitanter ſubſtantialis forma cinerum &c.

CAPUT. VIII.

De Unitate Sacramenti Euchariſtiæ.

1 Ratio agendi de Euchariſtiæ unitate in hoc poſtremo Capite

OMnes ferè Scholaſtici, & in primis D. Thomas de unitate Euchariſtiæ agunt in totius tractatus limine; nec immeritò, cum enim ens & unum vix diſtinguantur, & aliquâ ratione convertantur, ad quæſtionem *An ſit* revocatur, & proximè ſequitur quæſtio *An ſit unum, vel multiplex*: Nihilominùs quia unitas præcipuè conſideranda in Euchariſtiæ ſacramento eſt unitas ſpecifica, de quâ vix poteſt quidquam rectè ſtatui non perſpectâ priùs ejuſdem ſacramenti eſſentiâ, idcircò nonnullis breviter in primo hujuſce libri capite traditis de *An ſit*, & inſtitutione Euchariſtiæ, reliqua omnia capita circà eſſentiam, ſeù eſſentialia conſtitutiva inſumpſimus, & in præſens poſtremum caput reſervavimus ſpecificam, formalemvè unitatem, aut multiplicitatem ex ipſis eſſentialibus conſtitutivis deducendam: Occaſione deindè unitatis ſpecificæ, & formalis ſubiiciemus quoque pertinentia ad

unita-

unitatem numericam, & materialem, de quâ solent pariter Auctores agere in tractatus initio:

2 Unitas, vel multiplicitas specifica sacramenti Eucharistiæ considerari potest tum comparativè ad quâlibet speciem seorsim,

Porrò quærendo, Utrùm Eucharistia sit unum unitate specificâ sacramentum, an multiplex? fieri potest comparatio, vel ad quaslibet species panis, & vini seorsim, vel ad utrasque simul: loquuntur sub primâ comparatione, qui Eucharistiam dividunt in tria Sacramenta, quorum alterum sint species ipsæ panis, vel vini Christum continentes, alterum Consecratio, alterum Sumptio, ità refertur sensisse Gabriel, & nos retulimus *præced. cap. 3. num. 3.*, ac subsequenter rejecimus *num. 9.* & 21. probando nec sumptionem, nec cosecrationem esse peculiaria sacramenta distincta à sacramento Corporis, & Sanguinis, undè non est amplius à nobis examinanda, sed supponenda, unitas specifica sacramenti Eucharistiæ sub primâ comparatione: loquuntur verò sub secundâ comparatione reliqui communiter, qui consentientes in eo, quod nec consecratio, nec sumptio sint ex se sacramentum, adhùc dissentiunt, & disputant, utrùm in Eucharistiâ, sicut dantur duæ formæ consecratoriæ, & duæ materiæ consecrabiles, ità dentur duo sacramenta specificè diversa, alterum ex speciebus panis, & Christi corpore, alterum ex speciebus vini, & Christi sanguine cum propriâ respectu utriusque formâ verborum: Quo in puncto unitatis æquè, ac diversitatis specificę assertores varios ineuntes modos explicandi, & sustinendi propriam sententiam, pro ut ex variis principiis desumunt unitatem, diversitatemque specificam, tùm universim cujuslibet, tùm singillatim eucharistici Sacramenti; pro ut item latiùs, vel strictiùs, aut specificæ unitatis, & diversitatis, aut sacramenti vocabula usurpant; ex quibus omnibus sicut in progressu suboriri facilè possunt quæstiones, aut alterius indaginis, aut de nomine, ità utrisque occurro & lucem aliquam præfero supponendo, & recolendo nonnulla partim ex tract. de Sacram. in gen. partim ex præcedentibus in hocce tractatu Capitibus.

Tum comparativè ad utramque simul.

3 Undè sumenda sit unitas specifica Sacramentorum?

Præmitto igitur, & suppono primò, nova sacramenta discriminari ab invicem, & contradistingui potissimum ex fine, ad quem ex Christi institutione ordinantur, ordinantur autem ad perfectionem nostræ vitæ spiritualis, quæ per Baptismum regeneratur, per confirmationem augetur, per Eucharistiam nutritur, per alia sacramenta aliter perficitur ut cum D. Thomâ attigimus in tract. de Sacram. in gen. *lib. 1. cap. 2.* §. 4. & iterum in præsenti tractatu *cap. 1.* §. 1. Cum igitur in quâlibet re unitas, & diversitas specifica sit unitas, & diversitas potissima; Non potest illa in Eucharistiæ sacramento melius aliundè sumi, quàm ex unitate, aut diversitate finis, nimirum ex eo, quod sub speciebus panis, & sub speciebus vini eodem, vel diverso modo, eâdem, vel diversâ nutritione spiritualem hominis vitam perficiat: Hinc displicent, tùm Bonaventura *in 4. dist. 8 art. 2. quæst. 2.*, & Alensis *4 par Sum. quæst.* 10. *memb. 3. art. 1.* qui ex unitate institutionis, tùm Scotus *eâd. dist. quæst. 1.* Aureolus *eâd. quæst. 1. art. 2.* & alii Scotistæ, qui ex unitate rei sub speciebus contentæ desumunt specificam unitatem sacramenti Eucharistiæ: Displicent inquam; quia pro unitate, & specificatione hujus sacramenti non utuntur eâdem proportionaliter regulâ, & ratione, quâ pro unitate, & specificatione aliorum. Deindè institutio se tenet ex parte causæ efficientis, quæ non est apta specificare. Res contenta sumpta formaliter, quâ maximè ratione deberet habere rationem specificativi, una non est, cum sub speciebus panis contineatur formaliter solum corpus, sub speciebus vini solus sanguis; sumpta abstrahendo à continentiâ materiali, & formali est quidem una, at numero æquè, ac specie, est scilicet idem numero Christus, à quo Eucharistia deberet sumere esse unum numericè æquè, ac specificè sub quibuscumque panis, & vini speciebus sacramentum.

Et signanter Eucharistiæ.

4 Supponitur duplex sacramentorum acceptio, & compositio.

Præmitto secundò, & ex tract. de Sacram. in gen. *lib. 2. cap. 1. num 1. &* §. 4. in novis sacramentis duplicem dari compositionem, unam ex rebus, & verbis, alteram ex re significante, & significatione: ita tamen ut una compositio quodammodo substernatur alteri, & compositum ex rebus, & verbis sit pars compositi ex re significante, & significatione, sit scilicet res significans. Hincque possit sacramentum sumi, vel omnino adæquatè, pro ut rem significantem, & significationem complectitur, & ex utrâque constituitur; vel non ità adæquatè, pro ut importat solam rem significantem, seù substratum significationis, & constituitur ex rebus, & verbis.

5 Assignantur Eucharistiæ constitutiva, & importata in recto

Præmitto tertiò, & suppono ex suprà dictis partim *cap. 2.* §. 8. & 9. partim *cap. 3.* §. 3. & 4. Eucharistiam sicut alia nova sacramenta ex rebus, & verbis tamquàm ex partibus intrinsecis, seù tamquàm ex materiâ, & formâ componi; quatenùs verò sic componitur importare, tùm essentialiter, tùm etiam in recto ex unâ parte verba vini consecratoria, ejusdem vini accidentia, & Christi sanguinem; ex aliâ verba consecratoria panis, accidentia ejusdem panis, & corpus Christi; adèò ut Eucharistia præter communem aliis sacramentis compositionem ex rebus, & verbis, habeat in rebus ipsis compositionem peculiarem ex accidentibus vini, & Christi sanguine, ex accidentibus panis, & Christi corpore: & hæc quoque compositio sit tamquàm ex materiâ, & forma, ut singillatim observavimus *præcit.* § 4 *num. 67.* & magis explicuimus *præcit. cap. 2. num.* 188. & 189. His præmissis sit

§. I.

§. I.

An, & quomodò Eucharistia Sacramentum sit specie unum?

6 Euchari stiam esse Sacramentum simpliciter, & absolutè unum non potest negari sine censura,

ASSERT. I. Euchatistia verè est aliquo modo unum Sacramentum simpliciter, & absolutè. Itá communiter omnes Catholici Doctores, & quamvis aliqui Theologi dixerint Eucharistiam esse simpliciter plura Sacramenta, & unum secundum quid, nihilominus Suarez *hic disp. 39. sec.3.* in principio monet ipsos, si attentè legantur, in assertam veritatem descendere, quam Sotus *in 4.dist.8.quæst.un. art.2.* ait esse amplectendam ut Ecclesiæ confessionem, & oppositam Nugnez *hic quæst.73.art.3.* appellat erroneam, & errori proximam; quæ censura videtur quidem nimis rigida Amico *disp.15.sec.2.num.44.* At in eâ unitatis latitudine, in quâ assertum procedit, talis non est, &

Probatur: Sacramentum novæ legis sunt simpliciter, & absolutè septem, ergo Eucharistia est Sacramentum simpliciter, & absolutè unum; antecedens est veritas fidei antiquissimâ Ecclesiæ traditione, & definitionibus Conciliorum Florentini, ac Tridentini firmata, ut ostensum est *lib.1.de Sacram. in gen. cap.2.* §. 4. Consequentia probatur, quia Concilia, & Patres inter reliqua novæ legis Sacramenta Eucharistiam ut unum sacramentum enumerant, & illa, ut facile patet consideranti essent plura, quam septem, si hæc esset simpliciter plura Sacramenta, non unum. Confirmatur ex

7

eo, quod in Catechismo Pii V. habetur. *Non plura, sed unum Eucharistiæ Sacramentum Ecclesiæ auctoritate docti confitemur*: Habetur hoc inquam in Catechismo *par.2.cap.4.* & anteà etiam Gelasius *De consecratione dist.2.cap.Comperimus* Eucharistiam absolutè vocaverat *unum Mysterium, seu Sacramentum*; Quin non leviter quoque unitas Eucharistici Sacramenti suadetur ex Apostolo *1. Cor.10.* dicente *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*. Nec refert, quod aliquando etiam Concilia, Canones, & Patres, quin & Ecclesia in Missæ collectis de Eucharistia pluraliter loquantur, eamque in plurali. Sacramenta vocent: Non refert inquam, quia id præstant, vel ratione pluralitatis mysteriorum, quæ repræsentat, & continet, vel ratione pluralitatis fidelium, quibus distribuitur; vel intelligendo de pluralitate in ratione Sacramenti non desunt varii sensus, quibus Eucharistia, salvâ secundum varios dicendi modos unitate simpliciter, & absolutè dictâ, sit secundum quid, partialiter, materialiter, aliâvè simili ratione plura Sacramenta, ut confestim innotescet ex iis, quæ de assertæ unitatis modo, & specificatione subjicio.

Quomodò sint intelligendæ auctoritates, quibus dicitur plura Sacramenta?

Adverto igitur primò non esse simpliciter, & absolutè unum illud, quod est tale unitate solùm genericâ, alioqui Homo, leo, Equus v. gr. dicerentur simpliciter, & absolutè esse unum animal, imò unum vivens, unum ens, quod est contrà omnem loquendi modum, æquè ac contrà rationem, genus enim ut tale sivè remotum sit, sive proximum, & speciebus infimis immediatum, sicuti prædicatur in quid incompletè itá est quid incompletum, quæ igitur sunt unum unitate solum genericâ, sunt unum unitate incompletâ, adeoque sunt unum imperfectè, & secundùm quid, non absolutè & simpliciter. Hinc præcluditur aditus dicendi quodliber ex septem sacramentis esse unum, at aliqua ut Extremam Unctionem, Ordinem, Eucharistiam esse unum dumtaxat gnere; Præcluditur inquam aditus, quia hoc est dicere aliqua sacramenta non esse unum simpliciter; Vel certè si ad denominationem unius simpliciter unitas generica sufficeret, non esset cur omnia septem sacramenta non appellarentur simpliciter unum novæ legis sacramentum. Est etiam incompleta, & secundùm quid unitas speciei subalternæ, nam hæc itá est respectu gradus superioris species, aut sit respectu inferiorum genus; inferiora igitur, quæ sunt unum solâ unitate speciei subalternæ, sunt in re unum solâ unitate generis, solùm secundum quid.

8 Esse unum solâ unitate generis, aut speciei subalternæ, non est esse unum absolutè, & simpliciter

9 Est unum simpliciter solum, quod est tale unitatè speciei infimæ.

Adverto secundò, & ex præcedenti animadversione deduco esse simpliciter absolutèque unum unitate essentiali, de quâ agitur, illud, quod est unius speciei athomæ, seù infimæ; cujus proprium est non continere sub se alias species subintelligè totales, & non subordinatas, quas respiciat tamquàm partes subjectivas, & ad quas se habeat tamquàm totum potentiale; cæterùm species utcumque infima, & specialissima non excludit species alias partiales, & subordinatas, ex quibus tamquàm ex partibus constitutivis componatur, quas tamquàm constitutivas respiciat, & ad quas tamquàm totum actuale se habeat, sic quodliber compositum physicum constat materiâ, & formâ specie diversis, & corpus humanum constat tot diversis specie partibus quot formis substantialibus partialibus; sic in artificialibus domus constat calce, lignis, lateribus, item parietibus, tecto, cubiculis; quę omnia in genere artificiali differunt specie partiali, & ad domum se habent, ut partes non subjectivæ, sed constituentes, & integrantes. Hinc unitas speciei athomę à Scholasticis ad mentem D. Thomæ *hic quæst. 73. art. 2.* & Scoti *in 4. dist. 8. quæst. 1.* dividitur in duplicem, quarum alteram simplicitatis, & indivisibilatis, alteram integritatis & perfectionis vocant: Prior unitas reperitur in rebus simplicibus, & indivisibilibus, aut divisibilibus solum in partes homogeneas; Posterior in compositis substantialibus, & totis integralibus etherogeneis, sivè physica, sivè moralia, sivè artificialia sint. Porrò Sacramentum ex genere suo, ut sæpiùs in pro-

Et hæc unitas alia est simplicitatis, alia integritatis.

10

prio

prio tractatu attigimus, est quoddam compositum, & quidem etherogeneum morale, ac artificialibus simile, undè benè potest esse unum specie athomâ, & continere sub se plures species partiales; at de aliquibus, & signanter de Eucharistiâ peculiaris difficultas est, utrùm contineat sub se plures species partiales tamquàm partialia sacramenta, Utrùm scilicèt accidentia vini, sanguis Christi, & propria forma verborum ex unâ parte; accidentia panis, Corpus Christi, & propria pariter forma verborum ex aliâ, differant ab invicem specie non utcumque, sed in ratione sacramenti, adeò ut sint duo sacramenta diversa specie licèt partiali; & ad hoc punctum reducitur summa quæstionis, prout modò inter Scholasticos agitatur, inter quos sustinent partem affirmativam Lugus *disp. 2. sec. 1. num. 5.* Arriaga *disp. 29. sec. 1. subsec. 1.* & aliqui alii Recentiores; sustinent verò negativam cæteri magis communiter agnoscentes in partibus Eucharistiam constituentibus diversitatem specificam physicam solum, & materialem, non moralem, & sacramentalem; nec volentes accidentia vini, sanguinem, & verba; accidentia panis, corpus, & verba esse duo quàmvis partialia diversæ speciei sacramenta; saltem sumpto sacramenti nomine in sensu magis proprio, & magis rigoroso, in quo importat constitutum ex re significante, & significatione.

11

Eucharistia est sub utrisque speciebus sacramentum unum unitate speciei athomæ.

Assert. 2. Eucharistia sub utrisque speciebus, seù sub panis & vini accidentibus est sacramentum unum, nec solâ unitate generis, nec solâ unitate speciei subalternæ, sed unitate speciei athomæ. Ità D. Thomas *hic quæst. 73. art. 2.* & *in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2.* Scotus *ead. dist. quæst. 1.*, & tùm utriusque Doctoris Schola, tùm Suarez *disp. 39. sec. 3.* Vasquez *disp. 168. cap. 1.* Lugus *disp. 2. sec. 1.* Arriaga *disp. 29. sec. 1. subsec. 1.* Madernus *quæst. 1. art. 5.*, & reliqui Recentiores communissimè, adeò ut præsens assertum sit ferè æquè receptum, aut etiam æquè certum, ac præcedens, undè Gavatius *disp. 1. quæst. 2.* contendens simul sustinere, quod Eucharistia sit sacramentum unum simpliciter, & quod sit unum unitate speciei subalternæ non athomæ, à Mastrio *hic quæst. 2. num. 34.* notatur tùm ut inter Scotistas singularis, tùm ut inconsequenter locutus.

12

Probatur: Nec solâ unitate generis, nec solâ unitate speciei subalternæ, quod idem est, ac dicere, nec solâ unitate generis remoti, nec solâ unitate generis proximi, sed unitate speciei athomæ aliquid est simpliciter, & absolutè unum; atqui Eucharistia est, & quidem sub utrisque speciebus sacramentum simpliciter, & absolutè unum, ergo est sub utrisque speciebus unum, nec solâ unitate generis, nec solâ &c. Major, & minor propositio habentur ex jam dictis hoc ipso §., à quibus tamen abstrahendo potest à priori formari aliud pro asserti probatione argumentum sic. Illud est unum in specie athomâ, seù unitate speciei athomæ, quod habet unum in specie athomâ specificativū, atqui Eucharistiæ sacramentum habet sub utrisque speciebus unum in specie athomâ specificativum, ergo Eucharistia est sub utrisque speciebus unum in specie athomâ, seù unitate speciei athomæ sacramentum: Major patet, minor probatur, Eucharistia sicut, & quodlibet aliud Sacramentum habet pro specificativo finem, ad quem ex Christi institutione ordinatur, & hujusmodi finis respectu Eucharistiæ est refectio, & nutritio vitæ spiritualis, ut *praced. num. 3.* præmissum est; atqui una, seù unius speciei athomæ refectio, & nutritio ab Eucharistiâ sub utrisque speciebus habetur; nam vel quælibet species non minus, quàm utraque spiritualiter reficit, ac nutrit per modum cibi, & potus; & sic perspicuum est esse unius, ejusdemque speciei athomæ spiritualem refectionem, quæ ab Eucharistiâ sub utraque specie habetur; Vel si spiritualiter eâdem proportione, quâ corporaliter una species reficit dumtaxat per modum cibi, altera dumtaxat per modum potus, adhuc sicut ex cibo, & potu corporali tamquam ex refectionibus partiali specie diversis habetur unica species athoma refectionis integræ, & totalis; ità ex cibo, & potu eucharistico, seù ex Eucharistia sub utrâque specie habebitur tamquam ex duabus refectionibus partiali specie diversis unica species athoma refectionis integræ, & totalis in ordine ad vitam spiritualem: In re autem, quânam ex his duabus viis procedendum sit, ad sustinendam unitatem speciei athomæ in refectione spirituali, quæ per Eucharistiam habetur, seù ad quam tamquam ad finem specificativum Eucharistia ordinatur statuetur *seq. num. 16.* & clariùs *num. 20.*

13

Et est una unius speciei athomæ refectio, ac nutritio spiritualis, ad quam tamquam ad finem ex institutione ordinatur.

Dices primò totam hanc probationem niti falso supposito, & finem, ad quem Eucharistia, vel aliud Sacramentum ordinatur ex institutione, non posse esse, & falsò supponi specificativum, cum sit finis extrinsecus, sicuti extrinseca est ipsa institutio. Deindè sacramenta sunt in genere signi, debent igitur specificari à significatione, aut à termino significato; non à fine, ad quem ex Christi institutione ordinantur. Sed contrà: In genere moris finis extrinsecus optimè potest esse specificativus, ut patet in actibus humanis, qui quoad bonitatem, & malitiam moralem à finibus etiam extrinsecis specificantur: Cum igitur sacramenta sint in genere moris, & composita moralia, benè possunt specificari à fine, quem habent ex institutione extrinsecâ, quamvis talis finis sit ipsis entitativè, & physicè consideratis extrinsecus. Ad illud, quod additur, dico sacramentum esse in genere signi, sed ad placitum, respectu cujus terminus significatus nihil aliud est, quam finis, ad quem ab institutore, seù ex institutione ordinatur; ideò dicere, quod sacramentum ab hoc fine specificetur, est dicere, quod specificetur à termino significato, seù ab habitudine ad ipsum, quæ est significatio; Sicque ex eo, quod instantiæ addebatur, confirmatur non impugnatur nostra de Eucharistiæ specificativo doctrina.

14

In signis ad placitū, ut sunt Sacramenta, terminus significatus, & finis ad quem ordinantur, coinci dant.

Dices

15 Dices secundò probando directè Eucharistiam esse unum sacramentum solâ unitate speciei subalternæ. Sacramentum Eucharistiæ sub accidentibus panis est specie totali diversum à se ipso sub accidentibus vini, ergo Eucharistia est sub utrisque accidentibus unum sacramentum solâ unitate speciei subalternæ respicientis sacramentum sub accidentibus panis, & sacramentum sub accidentibus vini tamquam duas species athomas; consequentia patet, antecedens probatur; Sacramentum Eucharistiæ sub speciebus panis est sacramentum totale, idest habens totam suam perfectionem essentialem, alioqui non esset essentialiter totum Sacramentum illud, quod in Sacrario asservatur, ad infirmos defertur, à Laicis sumitur; ergo si à se ipso sub accidentibus vini est diversum specie, est diversum specie totali; Atqui verè est diversum specie, ut evincitur ex eo, quod accidentia panis, & accidentia vini, ut sunt in genere signi, & sacramenti, habent diversam specie significationem, & respiciunt diversum specie significatum, nam Christi corpus, quod significant accidentia panis, est specie diversum à Christi sanguine, quem significant accidentia vini. Deindè panis, & vinum, seù cibus, & potus, specie differunt in ratione alimenti corporalis; ergo etiam accidentia panis, & vini specie differunt in ratione alimenti spiritualis, seù Sacramenti Eucharistici, quod per rationem alimenti spiritualis specificatur. Sed contrà: Negandum est absolutè antecedens, utrùm verò ratio negandi sit etiam ly *specie*, an solum ly *specie totali* traditur in sequentibus, ex quibus etiam facilè deducitur, quid ad antecedentis probationem secundùm utramlibet negandi rationem responderi possis.

16

Eucharistiæ Sacramentum secundum acceptionem magis propriam non admittit in sua specie athoma duas species partiales.

Assert. 3. Eucharistiæ sacramentum secundum acceptionem magis propriam, & magis formalem, secundum quam constituitur ex re significante, & significatione ità est in specie athomâ unum, ut nequidem duas species partiales admittat, & sub accidentibus panis specie nequidem partiali differat à se ipso sub accidentibus vini. Dixi *secundum acceptionem magis propriam, & magis formalem, secundum quam* &c. nam secundum acceptionem materialem, & minus propriam etsi magis usitatam, secundum quam constituitur ex rebus, & verbis, supponitque pro solâ re significante, facilè concedam Eucharistiæ Sacramento diversitatem specificam partialem. In hoc asserto sic modificato, seù limitato mihi videntur Scholastici (si Lugum, & Arriagam *praced. num.* 10. relatos, aliosque paucos excipias) consentire, dum indistinctè loquendo, accidentia eucharistica panis, & accidentia eucharistica vini, aliquando appellant unum præcisè sacramentum, aliquando duo sacramenta partialia.

17 Probatur assertum. Significatio sacramentalis, quam habet Eucharistia sub accidentibus panis, nequidem specie partiali differt à significatione, quam habet sub accidentibus vini; ergo secundum acceptionem magis propriam, & magis formalem, secundum quam &c. Eucharistiæ sacramentum sub accidentibus panis nequidem specie partiali differt à se ipso sub accidentibus vini: Consequentia patet, quia Eucharistiæ sacramentum, ut constituitur ex re significante, & significatione, habet pro formâ significationem, nec potest habere diversitatem specificam, quod est idem, ac dicere formalem majorem, quàm habeat significatio: Antecedens probatur, significatio specificatur à termino significato, nec potest illa habere majorem, quàm iste habeat specificam diversitatem, atqui terminus significatus per significationem, quam habet Eucharistia sub accidentibus panis, nequidem specie partiali differt à termino significato per significationem, quam eadem habet sub accidentibus vini, nam utrobique terminus significatus est gratia ut nutriens, & reficiens spiritualiter, hæc autem est eadem respectu significationis, & causalitatis, quam Eucharistia habet sub utrisque accidentibus, ut enim *lib. seq. cap. 5. §. 6.* cum veriore opinione dicetur, Eucharistia sub utrisque accidentibus non causat per se loquendo gratiam, aut diversam, aut majorem, quam causet sub alterutris solis; ergo. Adverte hic obiter præsens ratiocinium dednctum ex significatione, & termino significato coincidere proportionaliter cum illo, quod in præcedentis asserti probatione deducebamus ex fine, ad quem Eucharistia ex institutione ordinatur; & in hoc ipso relucet connexio, & cohærentia doctrinæ jam insinuata *num.* 14.

18 Confirmatur assertum argumento negativo ex regulâ generali, non multiplicandi, nec diversificandi entitates sine necessitate, nullam autem esse necessitatem diversificandi specie quamvis partiali Eucharistiæ sacramentum sub speciebus panis à se ipso sub speciebus vini ostendo, solvendo, quin etiam positivè refellendo instantias, & rationes ab Adversariis pro tali necessitate excogitatas: Ideò

Dices primò: In Eucharistiâ præter gratiam accidentalem significatur gratia substantialis, nimitum substantia Christi Domini, & hæc est diversæ speciei respectu accidentium panis, & vini, nam ab Eucharistiâ sub accidentibus panis significatur substantia Corporis, sub accidentibus vini substantia sanguinis; ergo etiam sumendo diversitatem specificam à significatione, & termino significato, necesse est diversificare specie saltem partiali sacramentum sub speciebus panis à sacramento sub speciebus vini, probatur hæc consequentia, primò, quia, gratia substantialis est Eucharistia significatum principalius, & immediatius, ab ipsa igitur potius quam à gratiâ accidentali debet sumi unitas, vel diversitas specifica eucharistici sacramēti: Secundò, quia ex diversitate gratiæ substantialis resultat diversitas in significationem gratiæ accidentalis, nam ex speciebus panis, & Christi corpore significatur gratia accidentalis per modum cibi,

& ut

& ut vires confirmans, ac roborans; ex speciebus vini, & Christi sanguine significatur gratia accidentalis per modum potus, & ut exhilarans, irrigans, refrigerans; ergo. Sed contrà: Distinguo antecedens, significatur significatione non sacramentali, aut ad summum materialiter tali, gratia substantialis concedo, significatur significatione formaliter sacramentali nego, & datis reliquis, nego consequentiam; Non enim quæcumque significatio in sacramentis reperta est sacramentorum specificativa, sed ea solum, quæ est ex genere suo omnibus sacramentis communis, & quæ cum re significante componit tamquàm forma, hujusmodi autem non est in sacramento Eucharistico significatio gratiæ substantialis, ideò non est specificativa, & formaliter sacramentalis, undè etiam non habet pro termino significato finem extrinsecum, & effectum sacramenti, sed ipsius sacramenti imò rei significantis partem. Ad primam consequentiæ probationem, dico gratiam substantialem esse Eucharistiæ significatum principalius, & immediatius, at respectu partis dumtaxat, non respectu totius rei significantis, item in linea significati materialiter, non formaliter sacramentalis. Ad secundam probationem distinguo, resultat diversitas extrinseca, & se tenens præcisè ex parte rei significantis concedo, intrinseca & ex parte ipsius gratiæ significatæ; nego: Ratio est, quia ut ex Patribus etiam, & Scripturis colligit Bellarminus *lib. 4. de Euchar. cap. 22. §. Utraque autem* cibus; & potus spiritualis non sunt duæ res, nec duo entitativè diversa alimenta, ut cibus & potus corporalis, sicuti pariter fames, & sitis spiritualis non sunt diversi diversarumvè rerum appetitus, ut fames, & sitis corporalis: Gratiam igitur eucharisticam habere modum cibi, & potus spiritualis est ipsam præstare duo munera similia iis, quæ præstant cibus, & potus corporalis, à quibus significatur; at non est esse duplicem entitatem, nec duplicem partialem speciem, aut gratiæ significatæ, aut significationis, ideo &c.

19 Significatio Corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia nō est propriè, & formaliter sacramentalis.

20 Cibus, & potus, fames, & sitis in spiritualibus non differunt sicut in corporalibus.

21 Aliundè etiam aliqui salvant eamdem gratiam significari per accidentia panis, & corpus, ac per accidentia vini, & sanguinem, nimirum ex eo quod sub accidentibus panis sit simul cum corpore sanguis, sub accidentibus vini simul cum sanguine corpus, licet diverso modo, hincque utrobique significetur gratia per modum cibi, & potus, sive hæc sit una, sivè duplex. Verùm minus placet hic dicendi modus, quia, quod sub accidentibus panis sit sanguis, & sub accidentibus vini corpus, est quasi per accidens, non de essentiâ & ratione sacramenti, dependenter autem ab eo, quod per accidens se habet, non benè explicatur specificativum. Deindè accidentia panis sanguinem, & accidentia vini corpus continent quidem, at non significant, quomodò autem possunt illa ratione sanguinis significare gratiam per modum potus, ista ratione corporis significare gratiam per modum cibi, si neque illa significant sanguinem, neque ista corpus? Sed quidquid sit de hoc.

Urgebis, impugnando allatam antecedenter à nobis instantiæ solutionem, & simul probationem asserti. Ad unitatem sacramentalis significationis non sufficit unitas gratiæ significatæ, ergo ex eo quod hæc sit una in specie, non benè infertur eadem unitas in significatione sacramentali, & in ipso sacramento eucharistico; probatur antecedens, quia potest diversificari significatio etiam ratione rei significantis, sicuti potest diversificari visio etiam ratione subjecti videntis, ratione cujus est v. gr. diversæ speciei in equo, & leone, etiamsi terminetur ad idem objectum puta ad eamdem albedinem. Sed contrà: Nego antecedens, ad cujus probationem dico rem significantem, cum ad significationem materialiter se habeat, posse ad summum diversificare illam materialiter, & numero, nullatenus formaliter, & specie, nec ullus censet specie diversam imaginem Cæsaris v. gr. ex eo, quod auro, vel ligno insculpta. Quod dicitur de visione ejusdem objecti diversâ specie ex eo, quod fit in diverso subjecto puta in equo, & leone; in controversiâ est, & negatur à multis, ac fortè magis communiter hujuscemodi visionis specifica diversitas; Quatenùs tamen hæc detur, erit ex propriâ conditione actus vitalis, qui sicuti est essentialiter à principio intrinseco habente simul rationem subjecti, ità potest peculiariter à tali subjecto simul, & principio specificari. Deindè quænam in proposito paritas inter visionem, quæ est entitas physica absoluta, & significationem, quæ est moralitas relativa.

22 Significatio sacramentalis specificatur solùm à re significata.

Dices secundò: Ubi dantur diversæ materiæ, & diversæ formæ sacramenti, necesse est dari diversa sacramenta; atqui in Eucharistiâ dantur duæ, tùm materiæ, tùm formæ specie saltem partiali diversæ; una scilicèt materia sunt accidentia panis, & Christi corpus, alia accidentia vini, & Christi sanguis; una forma sunt verba consecratoria panis, alia verba consecratoria vini; & has quidem materias, ac formas specie saltem partiali differre constat, tùm ex eo, quòd differant notabiliter, tùm ex eo, quod variarentur essentialiter, & nihil fieret, si una materia, aut una forma pro alterâ poneretur, & proferretur suprà panem forma consecratoria vini, aut ex adverso; ergo in Eucharistiâ necesse est dari duo specie saltem partiali diversa sacramenta. Sed contrà: distinguo majorem, dantur diversa sacramenta secundùm eam rationem, secundùm quam tales diversæ materiæ, & diversæ formæ sacramentum componunt, concedo; secundùm omnem rationem, nego; atqui in Eucharistia sunt duæ &c. componentes sacramentum sumptum secundùm acceptionem materialem, & minus propriam concedo; formalem & magis propriam, nego minorem, & sub eadem distinctione nego consequentiam. Breviter instantia concludit dari duplex specie partiali

23 Eucharistiæ sacramentum minùs propriè, & in ratione rei, significantis admittit in sua specie schema duas species partiales.

tiali

ttali diversum sacramentum sumptum præcisè pro re significante, & substrato significationis, quod nos ipsi in asserto insinuavimus, & ultrò tradidimus *num. 16.* at cum hoc stat omnimoda unitas specifica ejusdem sacramenti sumpti magis formaliter, & magis adæquatè pro composito ex re significante, & significatione, seù ex materiali sacramenti, & sacramentalitate.

Urgebis: In proposito sicut datur duplex res significans, ità & duplex significatio, ergo duplex sacramentum etiam sumptum pro composito ex re significante, & significatione: Probatur antecedens, quia licèt *lib. 2. de Sacram. in gen. cap. 1. §. 4.* dixerimus universim significationem sacramentalem esse in rebus, & verbis unicam, & indivisibilem, id maximè procedit in aliis sacramentis, in quibus unica est ex rebus materia, & unica forma verborum; cæterùm in Eucharistiâ, in quâ hujusmodi tùm materia, tùm forma est duplex, licèt partialis, duplex esse debet partialis significatio; & evincitur ex eo, quod si utriusque materiæ, ac formæ significatio esset unica indivisibilis, alterutrâ sublatâ significatio tota deficeret, ac per consequens Eucharistia sub solis panis, aut vini accidentibus nullam posset significare, nullam conferre gratiam, & nullatenùs esset Sacramentum. Sed contrà: fateor non convenire Eucharistiæ eamdem, quæ reliquis sacramentis unitatem, & indivisibilitatem sacramentalis significationis, & cum hæc in reliquis nequidem in duas partiales sit divisibilis, benè sic divisibilis est in Eucharistiâ propter peculiarem rationem in ipsâ instantiæ instauratione allatam; At dico hujusmodi duas partiales significationes solo numero differre; & ad argumentum directè distinguo antecedens, sicut datur duplex res significans ità, & duplex significatio diversa solo numero concedo, diversa specie quamvis partiali nego; ergo duplex sacramentum etiam sumptum pro composito ex re significante, & significatione, duplex inquam diversum numericè, seù solo numero concedo; diversum specificè, seù specie, quamvis partiali, nego.

24 In Eucharistiæ sacramento sunt duæ significationes partiales, & solo numero diversæ.

Urgebis adhùc: Sint duo Eucharistiæ sacramenta, unum sub accidentibus panis, alterum sub accidentibus vini; Sint duo alia, utrumque sub accidentibus panis: Tunc sic, duo illa priora sacramenta habent significationes magis diversas, quàm hæc duo posteriora; atqui duo hæc posteriora habent significationes diversas numero; ergo duo priora magis quàm numero, adeòque specie saltem partiali; ergo in Eucharistiâ, ubi diversæ sunt species partiales res significantes, diversæ pariter sunt specie partiali significationes, & resultant specie partiali diversa sacramenta etiam, ut composita ex re significante, & significatione. Sed contrà: Diversitas numerica admittit latitudinem, & bene potest aliquid magis differre ab uno, quàm ab alio, etsi ab utroque differat solo numero, ut perspicuum est in rebus etherogeneis, sic in sententiâ

25

sustinente etherogeneitatem graduum unius primus gradus differt solo numero, tùm ab alio primo, tùm à secundò, & tamen ab isto, cum quo est etherogeneus, differt magis quàm ab illo, cum quo est homogeneus: Ad argumentum igitur concessâ majore, & minore negari potest consequentia; nisi mavelis absolutè negare majorem, eo quod, ut infertur *ex num. 20.* duo priora sacramenta non significent magis diversas gratias, quàm duo posteriora.

Urgebis tandem: Ex totâ hâc doctrinâ, quâ unitatem significationis sacramentalis, & sacramenti ex gratiæ significatæ unitate desumimus, sequitur, omnem sacramentalem significationem, & omnia sacramenta, ut ex sacramentali significatione constant, esse unius infimæ speciei, cum sit unius infimæ speciei gratia habitualis sanctificans, quæ ab omnibus sacramentis significatur, & causatur. Sed contrà: Gratia sacramentalis addit gratiæ habituali sanctificanti aliquid morale, ratione cujus gratiæ diversorum sacramentorum sunt diversæ speciei moralis quamvis non physicæ, ut suppono *ex lib. 2. de Sacram. in gen. cap. 2. §. 5.* præsertim *num. 86. & 99.* Sufficit autem diversitas speciei moralis ad specificandum significationem sacramentalem, quæ est moralitas, & sacramenta, quæ sunt entia moralia.

26 Gratiæ Sacramentales differunt ab invicem specie morali.

Dices tertiò: Unitas speciei athomæ (ut nos ipsi animadvertimus *num. 9.* alia est simplicitatis, seù indivisibilitatis, alia integritatis, seù perfectionis, & hæc posterior unitas habetur, cum species athoma constat diversis speciebus partialibus; atqui D. Thomas, & Scotus locis *cit. num. 9.* citatis, & consequenter utriusque Scholæ Discipuli docent Sacramentum Eucharistiæ esse unum unitate integritatis, & perfectionis; ergo sentiunt Eucharistiam esse sacramentum unum in specie athomâ, at admittente, non excludente duas species partiales, ut nos excludimus, qui propterea *num. 16.* immeritò supposuimus asserto nostro duas diversas species partiales in Eucharistiâ neganti paucissimos contraire. Sed contrà: D. Thomas, & Scotus, ac fere etiam omnes alii Scholastici, dum Eucharistiæ sacramento tribuunt solam unitatem perfectionis, & integritatis, loquuntur de ipso secundum acceptionem usitatiorem, secundum quam supponit pro composito ex rebus, & verbis; non secundum acceptionem formaliorem, & propriorem, secundum quam supponit pro composito ex re significante, & significatione; nec nos secundum priorem, sed dumtaxat secundum posteriorem acceptionem species partiales ab Eucharistia excludimus, & simplicitatis, ac indivisibilitatis potius quàm integritatis, ac perfectionis unitatem ei tribuimus; ideò jure existimamus nos cum D. Thomâ, & Scoto, aliisque magis communiter hâc in re sentire.

27

Dices quarto: Si hostia consecrata, & calix consecratus in ratione sacramenti formaliter,

maliter, & propriè accepti non differunt specie partiali, sed solo numero, sequitur tùm hostiam sine calice, tùm calicem sine hostia esse in prædictâ ratione sacramentum integrum, & totale: At hoc dici non potest, primò, quia nec hostia sine calice, nec calix sine hostiâ, idest nec cibus sine potu, nec potus sine cibo est integrum, & totale convivium; Eucharistia autem ut potè per modum convivii instituta, non est integrum, & totale sacramentum, nisi eâ ratione, quâ est integrum, & totale convivium: Secundò, quia Sacerdos sumens hostiam simul, & calicem sumeret duo integra, & totalia sacramenta. Tertiò, quia nihil detraheretur integritati, & perfectioni sacramenti, si consecraretur hostia sine calice, aut calix sine hostia, non appareret igitur cur non posset una species sine aliâ consecrari: Sed

28 contrà: Concedo libenter, imo etiam vehementer approbo sequelam majoris, ut potè quæ continet aliquid valdè consonum communi sensui fidelium existimantium integrum, & totum sacramentum communione Laicâ sumi, asservari in Sacrario, gestari in Processionibus &c. Ad primam probationem in oppositum dico Eucharistiam habere dupliciter modum convivii; Primò, quatenus continet corpus, & sanguinem, de quibus Christus ipse Jo. 6. dixit *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: Secundò, quatenus significat, & causat mediâ gratiâ habituali refectionem, & nutritionem spiritualem animæ. Sub primâ ratione concedo hostiam sine calice, vel calicem sine hostiâ nec esse integrum convivium, nec integrum sacramentum; at eâ ratione Eucharistiæ sacramentum sumitur pro re significante, & composito ex rebus (quæ sunt species, & Christi substantia) & verbis. Sub secundâ ratione, sub quâ Eucharistia verè sumitur pro composito ex re significante, & significatione, nego hostiam sine calice, vel calicem sine hostiâ non esse integrum, & totale convivium spirituale; Rationem negationis attigimus jam *praced. num.* 20. & attingemus iterùm infrà *lib. seq. cap. 5. num.* 101.

Eucharistia in aliquo sensu est sub unica specie integrum convivium, in aliquo alio non.

29 Ad secundam probationem, *ex §. seq.* constabit Sacerdotem tunc propter moralem simultatem hostiæ, & calicis sumere unicum etiam numero Sacramentum, ut cùm sumit simul duas hostias.

Ad tertiam, in primis detraheretur perfectioni, & integritati sacramenti materialiter, & in ratione rei significantis, quamvis non formaliter, & in ratione significationis: certè autem Sacerdos in consecratione tenetur etiam de materiali sacramenti nihil detrahere: Deindè ratio, & necessitas non consecrandi hostiam sine calice, aut è contrà habetur in Eucharistiâ ex ratione sacrificii magis, quàm sacramenti, ut infrà.

30 Mitto hic aliquas alias instantias solitas deduci ex Sacramentis Extremæ Unctionis, & Ordinis, de quibus non est hujus loci disquirere, an & quomodò in suâ specie athoma constent pluribus partialibus speciebus: Duo tantùm obiter moneo: Primum, non esse contrà septenarium novorum sacramentorum numerum, quod aliquod ipsorum plura sacramenta partialia etiam diversæ speciei contineat: Secundum, quod si sub sacramento extremæ unctionis, vel ordinis detur specierum partialium diversitas, erit hæc ex ratione, & necessitate peculiari, quam quilibet simul cum hucusque dictis nonnihil considerans statim inveniet non militare pro sacramento Eucharistiæ, & præsto aderit disparitas pro qualibet illatione ab extremâ unctione, vel ordine contrà rem præsentem deductâ.

---

§. II.

An, & quomodò Eucharistia Sacramentum sit numero multiplex?

31 ASSERT. I. Eucharistiæ sacramentum sub pluribus speciebus ejusdem rationis, quæ scilicet sint, aut omnes panis, aut omnes vini, potest esse numero multiplex solum secundum quid: Sub pluribus diversæ rationis, quarum quædam sint panis, quædam sint vini potest esse numero multiplex (subintellige duplex) etiam simpliciter. Assertum istud est consectarium eorum, quæ de Eucharistiæ constitutivis, & ab eodem in recto importatis nuper *num.* 5. rememoravimus *ex cap.* 2. §. 8. & 9. unde eosdem, quos ibi, patimur hic quoque præsertim quoad primam asserti partem Adversarios, ut in progressu recitabo. Interim

Probatur, & explicatur totum assertum: Multiplicatur res aliqua numero per hoc, quod multiplicentur talis rei constitutiva in recto importata, & prout talia constitutiva multiplicantur, vel omnia, vel aliqua tantum, multiplicatur res constituta, vel adæquatè, & simpliciter, vel inadæquatè, & secundum quid: Porrò per nos, tùm Christi corpus, & species panis, tùm Christi sanguis, & species vini sunt constitutiva in recto importata respectu sacramenti Eucharistiæ; & quando istud est sub pluribus speciebus ejusdem rationis, sunt quidem multiplicatæ, seù multæ numero species, at corpus sub ipsis existens est, ubique numero idem; est pariter numero idem sanguis, si sacramentum supponatur sub pluribus speciebus vini: quando verò est sub pluribus speciebus diversæ rationis, non solùm sunt multæ numero ipsæ species, sed etiam sunt multæ, idest duæ, entitates numero distinctæ Christi corpus, & Christi sanguis; consequenter eucharistiæ sacramento existente sub pluribus speciebus ejusdem rationis multiplicatur aliquod tantum, non omne, illius constitutivum importatum in recto, multiplicatur verò omne sacramento existente sub pluribus speciebus diversæ rationis: ergo tandem in priore hypothesi ipsum Eucharistiæ sacramentum potest esse nume-

ro multiplex, at solum secundum quid, in posteriore potest esse numero multiplex (subintelligendo duplex) etiam simpliciter; nec quidquam amplius asseruimus.

32 Quinam doceant Eucharistiam sub speciebus ejusdem rationis esse simpliciter unum numero Sacramentum.

Ex hâc probatione, & explicatione innotescit assertam à nobis sententiam esse alligatam nostris de Eucharistiæ constitutione principiis, & aliter de Eucharistiæ constitutione opinatos, debere quoque aliter de numericâ ejus unitate; & multiplicitate opinari. Hinc in primis, qui eucharistiam putant habere pro constitutivo importato in recto solum Christi corpus, & sanguinem, jure astruunt ipsam, ubicumque, & quomodocumque existat, esse sub speciebus ejusdem rationis unum numero sacramentum, & ità expressè sentit Lugus *disp.2.sec.2.* nec fortè sibi admodum cohæret Sylvius *hic quæst.73.* ubi *art.1.conc.2.* probabilius censet Eucharistiæ sacramentum propriè dictum esse verum Christi corpus, & sanguinem non species, posteà verò *art.2.* in fine ait omnes fideles recipere solum quâdam ratione, non simpliciter idem numero sacramentum. Ex adverso deindè, qui pro Eucharistiæ constitutivo importato in recto assignant solas species, sub pluribus speciebus quamvis ejusdem rationis jure astruunt illam esse multiplex numero sacramentum, non secundum quid tantum, sed absolutè, & simpliciter, & ità sentiunt Scotus, & Bonaventura *in 4. dist.8. quæst.1.* Mastrius *disp.3. quæst.2.art.3.* Lauræa *disp.17.art.ult.* Gonetus *disp.2. art.3.* & aliqui etiam ex illis, qui admittunt ab Eucharistiâ importari tamquam constitutivum, & in recto etiam corpus, & sanguinem, adhuc Eucharistiam simpliciter per solas species multiplicant, ut Vasquez *disp.168.cap.2.* Suarez *disp.39.sec.4.* quin hoc adeò verum putat Valentia *disp. 6. quæst. 1. punc.4. §. Ego verò.* ut dicat se valdè dubitare, an possit censeri probabilis sententia tribuens Eucharistiæ numericam unitatem ratione unius numero corporis, & sanguinis Christi? Nihilominus cùm probabilia, ut insinuatum est, principia consequatur, non est, cur de ejus probabilitate dubitetur?

33 Quinam esse simpliciter numero multiplex.

34 Quinam esse partim & secundum quid unū; partim & secundum quid multiplex, ut à nobis asseritur.

Stant tandem contrà omnes memoratos Auctores pro præfixo asserto expressè, & directè Arriaga *disp.29. sec.1. subsec.2.* Aversa *quæst.1. sec.3.* Faber *disp. 28. cap. 1.* Madernus *quæst.1.art.5. num.12.* nec possunt salvâ cohærentiâ doctrinæ non consentire, quicumque sentiunt, nec per solas species, nec per solum corpus, & sanguinem Eucharistiam in recto constitui, quamvis ipsorum aliqui, ut nuper attigimus, cōtendant adversari fortè tamen in modo loquēdi magis, quam in re.

Dices primò probando sacramentum Eucharistiæ sub pluribus, quibuscumque speciebus ejusdem rationis, puta panis, esse dumtaxat numero unum, & nequidem partialiter, seù secundum quid multiplex: Corpus Christi, si non est totale, est saltem magis principale constitutivum, & rectum sacramenti Eucharistiæ; ergo juxtà regulam generalem sumendi denominationem à potiori, seù principaliori, ab ipso non à speciebus debet sumi in sacramento Eucharistiæ denominatio unius, vel multiplicis; atqui ipsum est sub pluribus quibuscumque panis speciebus dumtaxat numero unum, ergo dumtaxat numero unum debet denominari sacramentum.

35 Confirmatur: Unum numero subjectum habens plures albedines est unum numero album, & unum numero suppositum assumens, & sustentans plures humanitates est unus numero homo, ut nos ipsi ex professo tradidimus *lib. 1. de Incarnatione cap. 4. §. 5.* ergo unum numero corpus habens, & sustentans suo modo plures species sacramentales est unum numero sacramentum: Nec desunt pro tali unitate auctoritates, nam in primis ex verbis 1. *Cor.10. Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus* non incongruè infertur, quod sicuti omnes fideles constituunt unum numero corpus Ecclesiæ, ità sit unum numero sacramentum sub speciebus panis, unum itidem sub speciebus vini, de quo omnes participant: Deindè ex eo, quod Ambrosius *in cap. 10. ad Heb.* ait *Unam esse hostiam, & non multas, quam Christus obtulit, & quam omnes Sacerdotes offerunt*, infertur esse idem numero sacrificium quod quotidiè in Ecclesia offertur; atqui sumitur ut sacramentum, quod offertur ut Sacrificium; ergo est idem numero sacramentum, quod quotidie in Ecclesiâ sumitur.

36 Occurritur fundamentis omnimodæ unitatis numericæ Sacramenti Eucharistiæ.

Sed contrà: Duplex est potissima ratio cujuslibet novi sacramenti, nimirum esse signum sensibile, & esse causativum gratiæ; respectu eucharistiæ transeat corpus Christi esse principalius constitutivum sub posteriore ratione, sub priore principalius se habent species, ideò tanta est ratio, quod denominetur multiplex à multiplicitate specierum, quanta, quod denominetur unum ab unitate corporis: Accedit, quod dici potest denominationes formales, & specificas desumi à potiori; at materiales, & numericas desumi à totâ entitate rei, & ab omni eo, quod ex parte ipsius importatur in recto, sivè magis, sivè minus principaliter importetur.

37 Ad confirmationem dico concretum accidentale importare in recto solum subjectum non etiam formam, sicut tamen per nos sacramentum Eucharistiæ importat in recto etiàm species, nil igitur mirum, si album unum numero ratione unitatis subjecti non dicatur partialiter multiplex ratione multiplicitatis albedinum, Sacramentum verò numero unum ratione unitatis corporis dici debeat partialiter multiplex ratione multiplicitatis specierum. Ad aliud confirmationis membrum de uno supposito assumente plures humanitates, dico ideò esse unum numero hominem; quia homo, & alia id genus concreta substantialia, ut plurificentur, requirunt saltem tamquam conditionem pluralitatem suppositorum, nec solent dici etiam secundum quid multa, quoties suppositum est unum: Porrò sacramentum non est concretum substantiale, in quo Christi corpus se habeat ut supposi-

tum,

tum, non valet igitur paritas, seù illatio, quâ deducitur debere esse omninò stante unitate corporis, & ne quidem secundum quid multiplex, quamvis sint multæ sacramentales species.

28 Auctoritatibus ex Paulo, & Ambrosio desumptis non est difficile occurrere; nam ex verbis Pauli satis est deducere unitatem specificam panis, & vini in ratione sacramenti, vel unitatem etiam numericam, sed inadæquatam, & secundum quid, idest secundum corpus sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini, quotcumque, & ubicumque sint contentum, non secundum ipsas omnes panis, aut vini species. Ex verbis Ambrosii habetur unitas numerica sacrificii solum secundum quid, idest secundum rem oblatam, hæc quippè sola venit nomine hostiæ, inferetur igitur proportionaliter unitas sacramenti ad summum secundum quid, & secundum Christi corpus, quod est in Sacrificio hostia, nec excludetur propterea secundum aliquid aliud multiplicitas.

Dices secundò probando sacramentum Eucharistiæ sub pluribus speciebus ejusdem rationis esse simpliciter numero multiplex, nullatenùs unum; seù non partim multiplex, partim unum: Sub pluribus speciebus ejusdem rationis, puta panis, habentur plura individua realiter omninò distincta, & participantia eamdem rationem specificam sacramenti; ergo habetur sacramentum Eucharistiæ simpliciter, & omninò numero multiplex; quid enim est aliquid esse simpliciter numero multiplex, quàm habere individua simpliciter distincta participantia eamdem rationem specificam? Probatur antecedens, species sacramentales, quas Petrus v. gr. sumit hodiè Romæ, & illæ, quas Paulus à decem annis sumpsit Mediolani, sunt duo individua realiter omninò distincta, non possunt enim non censeri talia, quæ tàm diverso loco, & tempore existunt, sunt etiam participantia eamdem rationem specificam sacramenti, quia, ut supponitur, tum Petrus sumit Romę, tùm Paulus sumpsit Mediolani verum, & idem

39 specie sacramentū. Si respondeatur hujusmodi individua esse simpliciter omninò distincta quo ad species panis, non quò ad corpus Christi, quod non obstante diversitate locorum, & temporum est idem numero sub speciebus, quas Petrus sumit Romæ, & quas Paulus sumpsit Mediolani, ideò in ratione sacramenti per corpus æquè, ac per species constitui non esse distincta adæquatè, & simpliciter. Impugnabitur responsio, quia ad multiplicandum simpliciter, & distinguendum ab alio aliquod totum, seù compositum, cujusmodi est sacramentum, sufficit multiplicari, & distingui unam partem essentialem ipsius, nam multiplicatâ unâ parte multiplicatur unio, seù compositio, & hâc multiplicatâ multiplicatur totum, seù compositum. Præter quod, ut unum sit simpliciter, & adæquatè distinctum specie ab altero, non est necesse, quod habeat quodlibet suum prædicatum specie distinctum à prædicatis alterius, ergo ut sit simpliciter adæquatè distinctum numero, non est necesse, quod habeat quamlibet suam partem essentialem numero distinctam à quâlibet parte essentiali alterius.

40 Sed contrà. Optima est responsio instantiæ interposita, ad impugnationem falsum est multiplicatâ unâ parte essentiali, multiplicari numero totum simpliciter, & adæquatè, nec, ut puto, Adversarii concedent duas animas rationales in uno corpore esse simpliciter, & adæquatè duos numero homines. Ad illud, quod dicitur, multiplicatâ unâ parte essentiali multiplicari unionem, nos, qui unionem ponimus in complexo, illicò respondebimus unionem ipsam multiplicari inadæquatè dumtaxat, & secundùm quid; ponendo vero unionem in simplici entitate, & admittendo multiplicari simpliciter negandum erit multiplicatâ simpliciter unione, & non multiplicatâ quâlibet parte essentiali, multiplicari simpliciter totum, hujus enim unitas, & multiplicitas magis debet attendi penes quamlibet partem essentialem se habentem, ut *quod*, quàm

Occurritur fundamentis omnimodæ multiplicitatis numericæ ejusdem sacramenti.

41 penes unionem se habentem, ut *quo*. Ad illud aliud, quod additur, concedo antecedens, nego consequentiam, distinctio enim & diversitas specifica, ut jam *num.* 36. attigimus, desumitur dumtaxat ab eo, quod est in re formale, & principalius, numerica desumitur à tota entitate rei, ideò ista, ut sit simpliciter talis, debet esse adæquata, illa non item.

Urgebis ex Valentia *præcit. punc.* 4. §. *Ac posses*; Idem numero corpus in duobus locis replicatum, si utrobique habeat duo alia corpora sibi propinqua, constituet utrobique ternarium, & consurgent duo corporum ternarij simpliciter, & absolutè distincti numero, æquè ac si corpus, quod supponitur utrobique replicatum idem numero, esset utrobique multiplicatum entitativè, & numero diversum; ergo ad multiplicandum simpliciter, & absolutè aliquod totum aggregatum ex multis non est necesse, quod multiplicetur quælibet ipsius pars, & benè potest Sacramentum esse in multis locis simpliciter numero multiplex, etiamsi habeat aliquam partem, idest corpus Christi in talibus locis replicatam dumtaxat non multiplicatam numero.

42 Sed contrà: In datâ hypothesi esset quidem utrobique ternarius simpliciter dictus, at unus ternarius non esset simpliciter adæquatè distinctus ab alio, quod esset concludendum pro intento argumenti; non esset, inquam, unus ternarius adæquatè distinctus ab alio, ut constat ex eo, quod si uterque ternarius simul poneretur, non consurgeret senarius corporum numerus, sed quinarius dumtaxat. Neque dicas, imò benè est, quod senarius non consurgat, cum ut ex Aristotele circumfertur *Bis tria non sunt sex*. Contrà enim; Bis tria sumpta seorsim non sunt sex, ceterùm quod non sint sex sumpta simul, est ex terminis falsum, & imperceptibile, & tale similiter est, quod ex duobus

duobus ternariis adæquatè distinctis, si simul ponantur, senarius non consurgat, quoties igitur iste ex illis simul positis non consurgit, ut in casu nostro, constans est illos non adæquatè distingui.

43

Diversitas opinandi circà modum sumendi pluralitatem numericam sacramenti Eucharistiæ à pluralitate numerica specierum.

Ex his remanet optimè ostensum non solùm Eucharistiæ sacramentum habere aliquam etsi non totalem numericam multiplicitatem, sed insuper eam multiplicitatem, quam habet, desumere à multiplicitate specierum; inquirendum modo est, à quânam, seù quali harum multiplicitate, physicâ ne an morali? absolutâ ne, an relatâ ad sumptionem desumat? Desumit à multiplicitate specierum physicâ secundùm Vasquium *disp.* 168. *cap.*2. Arriagam *disp.* 29. *sec.*1. *subsec.*2. *num.* 10. Mastrium *disp.*3. *quæst.*2. *art.*3. *num.*63. Lauræam *disp.*17. *articulo.nu.*92. & tùm aliquos alios Recentiores, tùm Scotistas communiter docentes tot esse sacramenta, quot sunt species consecratæ disjunctæ, & discontinuæ physicè: Desumit à multiplicitate specierum morali secundùm Sotum *in* 4. *dist.* 8 *quæst. un. art.*2. Ledesmam 1. *part. quarti quæst.*14. *art.*2. Gonetum *disp.* 2. *art.*3. *num.*69. Valentiam *disp.*6. *quæst.*1. *punc.*4. §. *Per quam doctrinam*. Amicum *disp.*15. *sec.*3. *num.* 57., & tùm plures alios Recentiores tùm Thomistas communiter docentes Eucharistiæ sacramentum esse numero unum, vel multiplex pro morali unitate, vel multiplicitate specierum; hanc verò licet non omnes eodem modo explicent, videntur tamen omnes explicare cum aliqua proportione, & aliquo ordine ad unitatem, vel multiplicitatem sumptionum, seù refectionum.

44

Utramque sententiam aliqui conciliant, aut potius in unum complectuntur, distinguendo in ipso Eucharistiæ sacramento unitatem, & multiplicitatem numericam, aliam physicam, aliam moralem, & dicendo quando multiplicitas specierum est dumtaxat physica, esse plura numero sacramenta dumtaxat physicè, quando est etiam moralis, esse plura numero sacramenta etiam moraliter: Ità Suarez *disp.* 39. *sec.*4. in fine Maderinus *quæst.*1. *art.* 5. *num.* 12. & 13. Item Lugus *disp.* 2. *sec.* 3. ubi loquens contrà propriam sententiam, & ex suppositione quòd species ab Eucharistiâ importentur in recto, nunc uno, nunc alio modo videtur sentire de ejusdem pluralitate numericâ ex pluralitate specierum, vel sumptionum desumendâ, quod & præstant aliqui alii Auctores.

45

Potest talis pluralitas cum proportione sumi à pluralitate specierum tùm physica, tùm morali; absolutè tamen meliùs à morali.

Assert. 2. Eucharistiæ sacramentum, quatenùs potest esse numero multiplex, potest esse tale, vel physicè, vel moraliter, pro ut possunt, vel physicè vel moraliter multiplicari numero species consecratæ. Simpliciter verò, & absolutè loquendo meliùs dicitur numero multiplex juxtà moralem, quàm juxtà solam physicam pluralitatem numericam specierum. Ità Auctores mox citati *num.* 44. nec admodùm dissentiunt reliqui antecedenter adducti præsertim ex Scholâ thomisticâ, nec non Valentia, & Amicus ex Recentioribus.

Probatur, quia ex unâ parte, cùm ostensum sit Sacramentum Eucharistiæ esse numerò multiplex ex eo, quod sint numero multæ species, debet istud in suâ multiplicitate numericâ servare proportionem ad species; ex aliâ parte species, sicuti possunt considerari, ut numero multæ, & plurificatæ, vel physicè in ratione entis, vel moraliter in ratione cibi, & potus, ità debent utrumque plurificationis numericæ modùm sacramento, quod constituunt communicare, quia tamen sacramentum ipsum magis attenditur, ut est compositum, & ens morale, quàm ut est compositum, & ens physicum, debet etiam magis attendi, ut est multiplex moraliter, quàm ut est multiplex physicè, ut est multiplex juxtà moralem, quàm ut est multiplex juxtâ physicam pluralitatem numericam specierum.

46

Et ecce explicatum, ac probatum utcumque quò ad omnes suas partes assertum, quod præstereà confirmatur argumento negativo, ex eo quod pluralitas numerica Eucharistiæ, sivè physica, sivè moralis aliundè haberi nequeat, & signanter neque ex pluralitate consecrationum, neque ex pluralitate sumptionum, subintelligendo actualium seù in actu exercito. Non primum, quia pluralitas numerica aliorum sacramentorum non habetur à pluralitate formarum, & sicuti possunt unicâ formâ plures simul baptizari, vel absolvi, ità possunt sine pluralitate formæ poni plura numero sacramenta baptismi, vel pœnitentiæ; ergo pluralitas numerica Eucharistiæ non habetur à pluralitate numericâ consecrationum; & nisi aliud obstet, plures species unicâ formâ consecratæ possunt esse plura numero Eucharistię sacramenta. Non secundum, quia unitas vel pluralitas numerica, sivè physica, sivè moralis convenit sacramento Eucharistiæ antè omnem actualê sumptionem, imò etiamsi numquàm sumatur, nam antè omnem actualem sumptionem, & etiamsi numquam sumatur, quod est idem, ac dicere, permanenter, & independenter ab usu, existit à parte rei in ratione sacramenti, sivè physicè, sivè moraliter perfecti, quidquid autem existit à parte rei, est singulare, & individuum, adeòque est unum, vel plura individua, est numero unum, vel multiplex.

Possent hic plura objici contrà assertum modum explicandi numericam multiplicitatem sacramenti Eucharistiæ, sed quia nec pauciora militant contrà aliam quamcumque ejusdem multiplicitatis, vel unitatis explicationem; nec illa tàm ad aliquid vi pertinent, quam ad modum loquendi, & quæstionem de nomine, imò etiam hanc intrà genus quæstionis de nomine valdè exigui momenti, ut observat Arriaga *præcit. subsec.*2. in fine, non moror in illis singillatim expendendis, & expediendis, sed ea cuique relinquo, vel eruenda, ac solvenda ex dictis, vel petenda ex Auctoribus, qui fusiùs de tali re scripserunt ut præstitere inter cæteros Mastrius, Lauræa, Amicus, & Lugus.

II.

LIBER SECVNDVS.

De iis, quæ accidentalia sunt, & extrinseca Eucharistiæ ut Sacramento.

EVcharisticam hucusque mensam instruximus; Panem theologico ratiocinio fregimus, & in fractione cognovimus adesse Christi substantiam; Dilutum vinum calici infudimus, & reperimus in liquorem quovis mero longè pretiosiorem transiisse: Mirati sumus latere sub tenui apparatu solemne convivium, & quamlibet panis particulam, quemlibet calicis haustum, referre saporem omnigenum, conferre robur eximium, præbere spiritualis, ac propè divinæ vitæ incrementum. Adestote jam, ut mensæ inserviatis, Ministri; Adestote, ut assideatis, Convivæ. Adestote Levitici ordinis Proceres, Antiquis Levitis, meliori sorte suffecti, novi Sacerdotii charactere consecrati, & sanctè sancta peracturi *manum* (sicut Chrysostomo in votis est) *nullo solari radio non splendidiorem afferte* ad dividendam Angelorum escam, ad propinandum vinum germinans Virgines: Adestote fidelis populi genus electum, gens sancta, filii adoptionis, & ad Agni nuptias, epulasque vocati non finite nuptialem gratiæ vestem præclarioribus virtutum ornamentis intextam desiderari linguam Seraphico probatam calculo candidissimæ buccellæ substernite, *Christo ferè concorporei, & consanguinei*, ex Cyrilli sententia, mox futuri Christi spiritum, Christi mores induire: Os à corporis alimento jejunum jejunus à corporis affectibus animus comitetur, & nihil non sublime, non cæleste, non divinum, aut esuriat, aut sitiat, quisquis optat ad Agni cænam frequens accedere, & à quo semel copiosam hausit redemptionem, copiosiorem sæpiùs refectionem haurire, proprioque in Redemptore sub panis, & vini specie suscepto omnem famem, omnem sitim, satiare simul, & excitare, adeò ut mirum in modum alternatim succedat fami jucunda satietas, satietati fames jucundior, donec utraque in æternæ, cujus Eucharistia pignus est, gloriæ felicitate absorbeatur: Ego interim pro Convivarum æquè ac Ministrorum commodo, sicut priore libro mensam instruxi, ità hocce posteriore conditiones inservientium, dispositiones accumbentium, utrorumque prærogativas exponam; ac tandem quasi apponam mensæ bellaria suaviores mystici convivii effectus, & fructus proferendo.

Chrysostomus *homil. 60 ad Pop. Antioch.*

Cyrillus Hierosolymitanus.

CAPUT I.

De Ministro conficiente, seù consecrante Eucharistiam.

CUM de sacramentis in genere ageremus expeditis *lib. 2. cap.* 1. novorum sacramentorum constitutivis essentialibus, & causis intrinsecis, cap. 2. proposuimus eorumdem causas extrinsecas, quas diximus esse efficientem, finalem, & materialem, intelligendo, nomine efficientis Institutorem, & Ministrum; Nomine finalis effectus, ad quos præcipuè ordinantur; nomine materialis personas, à quibus, & in quibus sacramenta ipsa, vel ipsorum effectus recipiuntur. Hinc de Sacramento Eucharistiæ in particulari eâdem proportione, quâ de sacramentis in communi discurrentes, postquam primo libro latè hucusque explicata sunt illius essentialia constitutiva, & prædicata intrinseca, hoc secundo libro, quem de accidentalibus, & extrinsecis inscribimus, erunt præcipuè explicandæ tres præmemoratæ causæ extrinsecæ, & primo loco efficiens, sub quâ tamen nihil est de institutore repetendum, nam quæ spectant ad institutionem, ut de facto à Christo peractam habentur *præced. lib. cap.* 1. quæ spectant ad eamdem ut à purâ creaturâ ex commissione, & dispensatione divinâ factibilem, facilè deduci possunt partim *ex præcit.*

præcit. cap. 2. de Sacram. in gen. §. 2. partim ex eo, quod *præced. lib. cap.* 4. §. 7. dicebamus non fuisse Eucharistiæ essentiale, quod institueretur à Christo, imò potuisse institui absolutè loquendo antè Verbi Incarnationem, & Christo non præexistente. Pro nunc igitur circà efficientem Eucharistiæ causam occurrit dumtaxat agendum de Ministro, & quia, ut *eod. cap. 2. §. 3. num* 29. observavimus, Eucharistiæ sicut peculiariter convenit esse sacramentum permanens, & non perfici, ut reliqua sacramenta in usu, ità quoque eidem peculiare est respicere duplex ministerium, alterum quo perficitur in esse, alterum quo ponitur in usu; seù alterum quo conficitur, & consecratur, alterum quo distribuitur, & dispensatur; Utrumque ministerium, & utrumque Ministrum exponemus; secundum quidem sequenti primum præsenti capite, cui propterea præfiximus titulum non de Ministro absolutè, sed de Ministro conficiente, seù consecrante.

2 In Eucharistia non in reliquis Sacramentis ministerium conficiendi distinguitur à ministerio distribuendi; & cur?

---

§. I.

An solus, & omnis Sacerdos possit Eucharistiam conficere, seù consecrare.

ASSERT. I. Solus Sacerdos ritè ordinatus potest validè Eucharistiam conficere. Est veritas catholica ab initio Ecclesiæ tradita, & semper habita de fide, licet progressu temporis Vvicleffus cæperit dubitare, & pro re valdè mirâ, ac incertâ habere non posse bonum laicum circà Eucharistiam præstare id, quod potest malus Sacerdos, posteà verò Lutherus apertè affirmaverit in casu necessitatis posse Eucharistiam etiam à Laico quocumque validè confici, & solum ad servandam quamdam disciplinam, confusionemque vitandam requiri quosdam peculiares Ministros ad id deputatos, & vocatos, quos quidem Sacerdotes appellari non admodum Lutherani repugnant, at contendunt potestatem sacerdotalem reperiri in omnibus Laicis, quatenus omnes possunt ad quodcumque Ecclesiasticum ministerium obeundum deputari, nec agnoscunt potestatem illam esse spiritualem cum characteris impressione collatam in aliquâ sacrâ ordinatione, sicque præsentis asserti cum Lutheranis controversia est, præcipuè quo ad ly *ritè ordinatus*, & quo ad ly *validè* nec refragantur in eo, quod solis Sacerdotibus liceat regulariter Eucharistiam conficere, ut ex Kemnitio observat Valentia *hic disp. 6. quæst. 10. punc. 1.* Quo ad ly *ritè ordinatus* assertæ veritati adversantur etiam Calvinus, & reliqui Sacramentarii, quatenus, sicut Lutherani, sacram ordinationem, quâ character, & spiritualis potestas conferatur, pro Ministris Eucharistiam conficientibus non requirunt, undè tùm ex hoc capite, tùm ex eo, quod sicut iidem Lutherani sentiant verba sacramentalia operari solùm excitando fidem, & movendo animos audientium, valdè inconsequenter ad assertam veritatem accedunt quò ad ly *validè* dicendo Eucharistiam (quod & dicunt de baptismo, ut retulimus *præcit.* §. 3. *de Sacram. in gen. num.* 28.) numquam posse ab alio quàm à publico Ministro validè confici, & in hâc re Bellarminus *in controvers. lib. 4. de Sacram. Euchar. cap.* 16. ait mirandum esse ipsos à Lutheranis dissentire. Verum quidquid sit de istâ Sacramentariorum inconsequentiâ, quam notat etiam Vasquez *hic disp.* 218. *cap.* 1. *num.* 5. certè in puncto hujus loci proprio, qui est an ad validè conficiendam Eucharistiam requirantur aliqui determinati Ministri? (nam controversia de modo determinandi, & ordinandi tales Ministros spectat ad tractatum de Sacramento Ordinis) Catholicorum negotium, ut *cap. præce.* Bellarminus præmonuit, non est cum Sacramentariis, sed cum Lutheranis, quorum Antesignanus *lib. de Missâ privatâ, & de Unctione Sacerdotum* ausus est dicere fore validum Eucharistiæ sacramentum, quamvis ab ipso diabolo conficeretur.

3 Errores Sectariorum circà Ministros consecrationis Eucharistiæ.

4

Probatur assertum: Is solus potest validè Eucharistiam conficere, qui est ad id à Christo designatus, seù deputatus; atqui hujusmodi est solus Sacerdos ritè ordinatus & peculiarem potestatem ad id consecutus; ergo iste solus potest validè &c. Major supponitur ex eo, quod *præcit.* §. 3. *de Sacram. in gen. num.* 30. probatum est, Ministrum validè sacramentum aliquod conficientem esse illum solum, quem Christus designavit, quod maximè procedit in sacramento Eucharistiæ, in quo conficiendo Minister maximè operatur in Christi personâ, & nomine; operatio autem, & locutio unius nomine alterius, præsertim eo rigore quo ab Eucharistiæ Ministro habetur, nequit censeri valida, & legitima nisi per designationem ab altero factam, & potestatem ab altero datam, ut benè ratiocinatur D. Thomas *hic quæst.* 82. *art.* 1. *in c.* Minor probatur, quia Christus designavit Ministros, & contulit potestatem conficiendi Eucharistiam, quando post hanc à se confectam, & institutam protulit verba illa relata Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; atqui verba ista dixit solis Apostolis, & hos solos tunc ordinavit primos novæ legis Sacerdotes, & Eucharistiæ Ministros; ergo imposterum tales fuerunt sunt, & erunt soli Apostolorum successores, hujusmodi autem sunt soli Episcopi, & Præsbyteri ritè ordinati; Hinc Canon III. Apostolorum præscribens quid in altari sit offerendum, id præscribit solis Episcopis, & Præsbyteris: Hinc Lateranense relatum cap. *firmiter.* De summâ Trinitate de eucharistiâ ait *Hoc sacramentum nemo potest conficere nisi solus Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus*; & in solâ Sacerdotum ordinatione non aliàs proferuntur ab Episcopo verba illa *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, & defunctis:* Hinc tandem idem colligitur ex aliis Conciliis præ-

5 De fide est Ministros validæ consecrationis Eucharistiæ esse solos Sacerdotes ritè ordinatos.

præsertim Niceno, Florentino, & Tridentino; ex perpetuâ traditione, & praxi Ecclesiæ, ex decretis Summorum Pontificum, & innumeris ferè sententiis Sanctorum, ut videre est apud Bellarminum *præcit. cap.* 16. Estium *in* 4. *dist.* 13. §. 1. Gonetum hic *disp.* 10. *art.* 1. & alios Auctores passim, vel in præsenti vel in tractatu de Sacramento ordinis, apud quos etiam invenies Sectariorum evasiones, ego interim ex his solum unam, vel alteram breviter subjicio.

7

Respondent igitur Sectarii illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, quamvis solis Apostolis, seù Discipulis (quia ipsi soli tunc aderant) dicta, non fuisse tamen dicta pro ipsis solis ipsorumque Successoribus, sed pro omnibus fidelibus etiam laicis, & ad omnes pertinere; quod deducunt primò à pari ex eo, quia *Matth. ult.* solis pariter Discipulis Christus dixit *Ite ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. & tamen pro omnibus dixit, omnibusque per talia verba contulit potestatem validè baptizandi: Secundò ex eo, quia ly *Hoc facite* refertur etiam ad actionem sumendi Eucharistiam, seù manducandi panem, & bibendi vinum consecratum, undè in actione bibendi exemplificat Paulus 1. *Cor.* 11. dicens *Hoc facite quotiescumque biberis in meam commemorationem*; atqui ly *Hoc facite* quatenùs refertur ad actionem sumendi, pertinet ad omnes fideles, ergo ad eosdem omnes pertinet, quatenùs refertur ad actionem conficiendi. Sic intellectis verbis illis *Luc.* 22. inferunt Sectarii omnes alias auctoritates à Catholicis, aut malè intelligi, aut malè fundari in designatione Ministrorum ab ipso Christo factâ, imò ex hâc deduci omnes saltem fideles habere potestatem conficiendi Eucharistiæ sacramentum, nec aliud ad id requiri, aut dari Sacerdotium, quàm illud, quo bonorum operum sacrificia Deo offeruntur, & ratione cujus aliquando in Scripturis omnes Christi fideles Sacerdotii prærogativâ, & Sacerdotum nomine insigniuntur, sic de fidelibus omnibus procedunt verba illa 1. Pet. 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*: Item illa Apocal. cap. 1. *Fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo*. Item cap. 5. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes*. Verùm ex jugi traditione, & consensu Ecclesiæ ex præmemoratis testimoniis abundè innotescente, remanet jam præclusus aditus toti huic Sectariorum responsioni, & nimis temerè excogitatæ ampliationi verborum Christi *Luc.* 22.

8

Occurritur fundamentis, & evasionibus Sectariorum.

Ad primum fundamentum in oppositum, permitto sistendo præcisè in verbis Christi non apparere disparitatem, at nos aliter docet traditio, & praxis Ecclesiæ, nec sine magnâ ratione disparitatis desumptâ ex diversâ necessitate, & dignitate utriusque sacramenti quamvis non ex diversitate verborum, quibus Christus utrique Ministros designaverit; cum enim baptismus sit maximæ ad salutem necessitatis, at minoris dignitatis; Eucharistia sit maximæ dignitatis, at minoris necessitatis; jure Ecclesia divinitùs inspirata, & ab Apostolis edocta censet Christum quò ad Ministerium Eucharistiæ loquentem solis Apostolis fuisse etiam locutum pro ipsis solis; sic quippe in paucioribus, & insignioribus Ministris magis elucet Eucharistiæ dignitas, & major ei reverentia servatur; ex adverso quò ad Ministerium baptismi censet Christum quamvis similiter loquentem solis Apostolis, non tamen pro ipsis solis, sed pro omnibus fidelibus fuisse locutum, sic quippè, & non aliter benè consulitur ipsius necessitati, & summæ indigentiæ, quam de ipso habemus ad salutem.

9

Ad secundum fundamentum: Benè est ly *Hoc facite* referri etiam ad actionem sumendi, nam antequàm Christus ipsum protulerit, verè Eucharistiam non solù confecerat, sed & sumpserat, quâvis Lucas, qui solus inter Evangelistas verba illa retulit, sumptionis non meminerit, solumque præmiserit *Accepit panem, benedixit, & dedit dicens Hoc est corpus meum*, quod cum Bellarmino præcit. cap. 16. libenter observo, ne quis fortè propter verba ex Paulo adducta contendat ly *Hoc facite* referre ad solam sumptionem: Ad argumentum igitur secundi fundamenti concedo majorem, & minorem, nego consequentiam; Ratio autem, cur *Hoc facite* quatenus refertur ad actionem conficiendi, sit prolatum pro solis Apostolis, quatenus ad actionem sumendi pro omnibus fidelibus, est ferè eadem, quæ pro baptismo nuper adducta est, est scilicet major sumendi, quàm conficiendi necessitas; undè idem Christus non solis Apostolis, sed omnibus, qui eum ibi auscultabant, loquebatur dum, *Jo.* 6. de Eucharistiæ sumptione dixit *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c.

10

Sacerdotiū duplex, aliud improprium, & omnibus fidelibus cōveniens; aliud proprium conveniens solis Ecclesiæ Ministris ritè ordinatis.

Hinc perspicuum est Sectarios nimis abuti verbis ex Lucâ relatis, dum ex illis conantur aliquid eruere pro potestate conficiendi Eucharistiam omnibus fidelibus ab ipso met Christo concessâ, aut pro Sacerdotio non alio quàm iisdem omnibus commune, quod quidem licèt detur, & de ipso procedant textus ex Epistola Petri, & Apocalipsi Joannis adducti, non est tamen Sacerdotium unicum imò, nec propriè dictum, sed improprium, metaphoricum, & mysticum ut loquitur D. Thomas *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 1. respondens, *quod omnis bonus homo dicitur esse Sacerdos mysticè, quia scilicet mysticum sacrificium Deo offert, se ipsum scilicet hostiam viventem Deo.* Omninò verò admittendum est pro Eucharistiæ sacramento, & Sacrificio aliud Sacerdotium proprium, & excellentius, sicut & dabatur antiquitùs, licèt non ità excellens pro longè minus perfectis antiquæ legis sacramentis, & sacrificiis.

11

Occurritur aliquibus casibus, qui afferuntur pro Eucharistiæ consecratione facta à non Sacerdote.

His pro assertæ veritatis confirmatione accedit, nullum casum fide dignum afferri, in quo aliquis non Sacerdos (subintellige propriè dictus, & ritè ordinatus) consecraverit, ac confecerit Eucharistiam; nam quod aliqui de D. Laurentio Diacono id in-

ferant ex Ambrosio *lib.* 1. *Officior. cap.* 41. inducente ipsum irâ locutum ad Sixtum Pontificem *Experire, utrùm idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?* procedit ex pravâ intelligentiâ verborum Ambrosii, quæ quo ad ly *Dominici sanguinis consecrationem* habent sensum transitivum, & significant Dominici sanguinis consecrati dispensationem, ut insinuat ipsa Ecclesia, dum in divino officio pro consecratione dispensationem ponit; quo ad ly *consummandorum consortium sacramentorum* significant consortium ministerii in Missæ celebratione, appellatum etiam à D. Leone in serm. de S. Laurentio *consortium sacramentorum* absolutè sine ly *consumandorum*. Quod deindè aliqui alii ex Prato spirituali *cap.* 25. referunt de quodam pane, super quem Monachus non Sacerdos verba consecrationis protulerat, Angelum revelasse esse verè consecratum, pro apocrypho, & commentitio habetur; & quando pro vero admitteretur, fuisset id peractum valdè extraordinario miraculo, non potestate ordinariâ illius Monaci. Quod tandem apud Collyridianos etiam Mulieres tortam quamdam panis B. Virgini sacrificarent, impertinens est ad hunc locum, quia ut notat Vasquez *disp.* 218. *cap.* 1. *num.* 2. talem tortam non consecrabant, nec pro Eucharistiâ habebant, sed tantum pro quodam sacrificii genere offerebant, quamvis & in hoc ipso erraverint turpissimè, tùm propter novitatem sacrificii non ritè instituti, tùm propter admissionem mulierum ad munus sacrificandi, quod est virorum proprium, & respectu Eucharistiæ nequidem B. Virgini tot aliundè privilegiis insignitæ fuisse concessum testatur ex D. Epiphanio Gonetus *præcit. art.* 1. *num.* 5. idemque retulerat Bellarminus *præcit. cap.* 16. post medium.

12 Assert. 2. Omnis Sacerdos ritè ordinatus, quantumcumque malus, etiamsi sit hæreticus ab Ecclesiâ præcisus, schismaticus, excommunicatus, degradatus, vel aliter extrà Ecclesiam ejectus, aut ab Ecclesiâ Sacerdotali ministerio fungi prohibitus, potest validè Eucharistiam conficere, dummodò in ipso, neque ex parte intentionis, neque ex parte formæ verborum aliquid desit. Est veritas fidei jam *lib.* 2. *de Sacram. in gen. cap.* 2. §. 4. universim tradita contrà plures Sectarios *ibid.* relatos requirentes ad Sacramentorum valorem fidem, & probitatem Ministri; & in præsenti, quo ad eos, qui ab Ecclesiâ præcisè, & ejecti sunt ab aliquibus putatur esse singillatim contrà Magistrum *in* 4. *dist.* 13. & Gratianum in cap. *Quod quidam* 1. *quæst.* 1. Hocque licet Herincx *hic disp.* 5. *qu.* 1. *nu.* 4. putet solum improbabiliter dictum, meliùs Estius *in* 4. *dist.* 13. §. 3. ait non posse ab errore vindicari: Certè totum assertum tradunt D. Thomas *hic quæst.* 82. *art.* 8. *& in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 4. Scotus *eâd. dist. quæst.* 2. Bonaventura pariter *eâd. dist.* & reliqui communissimè.

De fide est omnes Sacerdotes ritè ordinatos esse Ministros validè consecrationis Eucharistiæ.

13 Probatur repetendo *ex præcit.* §. 4. & applicando Eucharistiæ argumenta ibi pro quolibet sacramento adducta. Confirmatur singillatim ex eo, quod confectio, seù consecratio eucharistiæ est actus potestatis ordinis, non potestatis jurisdictionis, versatur enim dumtaxat circà corpus Christi verum circà quod non datur jurisdictio; ergo ut validè exerceatur, sufficit potestas ordinis: atqui Sacerdos semel ritè ordinatus, sicut retinet inamissibiliter ordinis characterem; ità saltem in hâc vitâ ordinis potestatem, etiamsi per degradationem extrà Ecclesiam constituatur. Neque dicas non bene argui à charactere ad potestatem, cum ille istam sibi non identificet, & sit quidem istius signum, at possit esse sine suo significato, ut patet in animâ separatâ retinente ordinis characterem non potestatem. Contrà enim fateor absolutè loquendo ordinis characterem esse separabilem ab ordinis potestate, at dico saltem in hâc vitâ (ut abstraham pro nunc ab animabus separatis, aut proprio corpori in aliâ vitâ reunitis, de quibus *præcit. cap.* 2. *de Sacram. in gen.* § 3. *num* 32.) talem de lege ordinariâ non esse, quod tùm ab auctoritate, tùm à ratione deduco. Auctoritatem desumo ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 4. ubi *Quoniam in Sacramento Ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, meritò Sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere; ac semel ritè ordinatos iterùm Laicos effici posse.* Rationem habeo ex eo, quod regulariter loquendo potestas ab eo solum potest auferri, à quo confertur, atqui potestas ordinis Sacerdotibus confertur principaliter à solo Deo, ministerialiter à solo Episcopo ex Dei commissione: ergo potest à solo Deo principaliter, ab aliquo alio ex solâ Dei commissione ministerialiter auferri: atqui ex nulla traditione, ex nullo Concilio, ex nullâ auctoritate habetur, quod aut Deus principaliter auferat, aut aliquis alius ex Dei commissione possit pro aliquo casu ministerialiter auferre à Sacerdote ritè ordinato hanc vitam agente potestatem ordinis: ergo.

14. Ecclesia non potest à ritè ordinato auferre potestatem ordinis.

15 Dices: Quidquid sit, Utrùm possit Ecclesia auferre Sacerdoti ritè ordinato ordinis potestatem? certè potest impedire ipsius actum quo ad validè conficiendam Eucharistiam, & de facto impedit in illis saltem, quos per denunciationem hæresis, excommunicationem, degradationem extrà se ipsam constituit, primò, quia ex multis canonibus, & sententiis summorum Pontificum colligitur, & quasi pro axiomate circumfertur *Non esse extrà Ecclesiam sacramenta, nec dari locum veri Sacrificii*; Quomodo autem hoc subsistit, si extrà Ecclesiam constitutus potest Eucharistiam, quæ sacramentum simul, & sacrificium est, conficere. Secundò, quia pro Eucharistiæ sic confectæ invaliditate reperiuntur peculiares, & valdè formales auctoritates Sanctorum Patrum ut Cypriani *Epist. contra hæret.* dicentis *Constat*

Eucha-

Eucharistiam fieri apud illos non posse, ubi nulla spes est, & fides falsa: Gregorii *lib. 3. Dialog. cap. 31.* appellantis *Sacrilegam communionem* Eucharistiam confectam, & oblatam ab Arriano: Pelagii Pontificis *cap. Schisma 24. quæst. 1.* dicentis *Non est corpus Domini, quod Schismaticus conficit:* Hieronymi *in cap. 3. Sophoniæ* docentis *impium esse putare Eucharistiam solum fieri verbis, & non meritis Sacerdotum;* Quomodò autem fit meritis Sacerdotis pravi, Schismatici degradati? Tandem Bernardi *serm. 66. in cantica* expressè negantis *hæreticos habere potestatem corporis, & sanguinis Christi consecrandi.* Sed contrà:

16

Nec reddere illius actum invalidum.

Ad eum solum spectat per se loquendo impedire actum, ad quem auferre potestatem, imò potestas ipsa expedita, & proxima aufertur per hoc, quod actus impediatur; nego igitur Ecclesiam impedire de facto, aut impedire posse actum validæ consecrationis in iis, quos extrà se ipsam constituit: Ad primam probationem in oppositum, dico vel ly *extrà Ecclesiam* idem sonare, ac extrà formam in Ecclesiâ adhibitam, aut extrà intentionem ab Ecclesiâ requisitam, vel ly *non esse Sacramenta, nec locum sacrificii* intelligi quoad licitè, & ex Ecclesiæ approbatione; undè etiam cap. *Quod quidam* habetur *Quidam recedentes ab integritate fidei, potestatem acceptam Sacramento tenùs retinent, effectu verò* (idest executione licitâ) *suæ potestatis privantur.*

Benè verò illicitum.

17

Occurritur auctoritatibus pro invaliditate consecrationis factæ ab hæretico &c.

Ad auctoritates pro secundâ probatione allatas dico, Cyprianum forte loqui de hæreticis, apud quos, aut non servatur forma, & ritus Ecclesiæ, aut Sacerdotes non sunt ritè ordinati, vel si absolutè loquitur, erravit, licet materialiter, & sine pertinaciâ, ut & in aliis sacramentis, quo ad hoc errasse retulimus *præcit. §. 4. de Sacram. in gen. num. 52.* Gregorius vocat sacrilegam communionem non eucharistiam ipsam ab hæretico confectam, sed eucharistiæ susceptionem hæretico porrigente, eo quod, qui eucharistiam ab hæretico suscipit, cum hæretico in sacris communicet, ut similiter in aliis sacramentis dicebamus *cit. §. 4. num. 51.* Pelagius Pontifex agit de corpore Christi mystico, ut repeti potest ex mox *cit. nu. 51.* Hieronymus non loquitur de Eucharistiâ ut sacramento; sed de ipsâ juxtà etymon vocabuli sumptâ pro gratiarum actione, ut notat Estius *in 4. dist. 1. §. 26.* Bernardus tandem negat potestatem corporis, & sanguinis Christi consecrandi quibusdam hæreticis, qui se nominabant Apostolorum successores, nec tamen erant veri, & ritè ordinati Sacerdotes.

18

Superest, ut aliquid dicamus ad fundamentum Magistri *præcit. dist. 13.* ubi partim ratione, partim auctoritate utens pro invaliditate Eucharistiæ à constituto extrà Ecclesiam consecratæ, sic discurrit. Nemo, licet Sacerdos sit, dicit in ipsâ consecratione *Offero,* sed *Offerimus,* quasi in personâ Ecclesiæ; & ideò cum alia sacramenta extrà Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur; Quod etiam Augustinus *in serm. de Corp. Christi* tradere videtur dicens *recolite nomen, & advertite veritatem:* Missa enim dicitur eo, quod Ecclesiæ nuncius ad consecrandum vivificum corpus adveniat juxtà dictum Sacerdotis dicentis *Omnipotens Deus jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum* &c. Idcircò nisi Angelus venerit, missa nequaquam jure vocari potest. Numquid si hoc mysterium hæreticus ausus fuerit usurpare, Angelum de Cælo mittit Deus oblationem ejus consecrare? &c. Hucusque Magister: At primum nil concludit, quia, quod dicatur ly *Offerimus,* non est de essentia consecrationis, nec requiritur ad valorem Sacramenti, aut sacrificii eucharistici, nil igitur indè inferri potest pro hujus invaliditate: Nec majoris est roboris secundum, quia per ly *Ecclesiæ Nuncius* significatur ipse met Sacerdos, qui etiam rectè dici potest Angelus, pro ut Angelus est nomen officii, non naturæ. Quod si in ly *per manus Sancti Angeli tui,* & in ly *Nisi Angelus venerit* Angelus sit nomen naturæ, neutrum spectabit ad essentiam consecrationis, & valorem sacramenti: & quod infert Magister *Numquid si Hæreticus hoc mysterium ausus fuerit usurpare, Angelum de Cælo mittit Deus oblationem ejus consecrare;* Videtur tribuere Angelo consecrandi potestatem, quam nullam habet.

Occurritur fundamentis Magistri pro eadem invaliditate.

19

Possent hic aliquæ aliæ, tùm auctoritates, tùm rationes objici, sed militant, aut contrà quodlibet sacramentum, aut contrà aliquod aliud ab Eucharistiâ, non contrà istam singillatim, contrà quam præterea si aliquid aliud afferatur, facile potest ex dictis solvi, præsertim si simul attentius repetantur ea, quæ dicebantur semel, & iterum *cit.* §. 4. de Sacram. in gen. ex quibus etiam, & ex nunc positis perspicuum, cuique est Eucharistiæ consecrationem factam ab existente in peccato, & multo magis à præciso ab Ecclesia quamvis validam, esse illicitam, & sacrilegam.

---

§. II.

Quânam necessitate quilibet Sacerdos teneatur Eucharistiam sub utrâque specie consecrare?

20

Consecratio utriusque speciei respectu Eucharistiæ non est de necessitate Sacramenti.

ASSERT. I. Consecrare Eucharistiam sub utrâque specie non est ipsi de necessitate sacramenti, ut præcisè, & formaliter sacramentum est: *Ut præcisè,* inquam, *& formaliter Sacramentum est,* quia cum in Eucharistiâ præter rationem sacramenti detur ratio sacrificii, non intendo pro nunc quidquam definire circà consecrationis sub utrâque specie necessitatem, quam habere potest Eucharistia ut sacrificium, vel ut sacramentum connexum cum sacrificio:

Moneo interim, quod, quomodocumque Eucharistia consideretur, certum est posse aliquo modo validè consecrari unam speciem sine alterâ, quoties ex occulto v. gr. materiæ defectu alterutra verborum forma invalidè profertur; sicque præsens assertum continet aliquid ad fidem pertinens, & ut in terminis observat Arriaga *disp.50. sec.7. num.* 44. esset plane hæretica doctrina, quæ absolutè traderet numquam unicam speciem posse validè consecrari, quod tamen tradendum esset affirmando absolutè consecrationem sub utrâque specie esse de necessitate sacramenti: Est igitur præsens assertum saltem ex hoc capite receptissimum, nec aliquis Scholasticus, quod sciam, contradicit.

Probatur: Quod est de necessitate Sacramenti, ità est necessarium, ut sine ipso sacramentum semper, & in quocumque casu nullum sit, & invalidum, atqui consecrare sub utraque specie non est taliter necessarium Eucharistiæ, & formaliter sacramentum est: ergo consecrare sub utrâque specie non est ipsi de necessitate &c. Major patet, Minor probatur: De facto aliquando habetur, aut certè haberi facilè potest verum, & validum Eucharistiæ sacramentum (subintellige semper ut præcisè, & formaliter tale) per consecrationem sub unicâ specie; ergo consecrare sub utrâque specie non est taliter necessarium, ut sine eo Eucharistiæ sacramentum semper, & in quocumque casu nullum sit, ac invalidum: Probatur antecedens, quia de facto una species consecratur prius tempore, quàm altera, & remanet consecrata, etiamsi postea, vel ex ignorantiâ, vel ex oblivischentiâ, vel ex malitiâ non consecretur altera; primum patet ex eo, quod de facto una species statim, ac est consecrata, & antequam consecretur altera, proponitur adoranda tamquam Christum Dominum continens; Secundum item patet, quia species semel consecrata non aliter amittit consecrationem, nec aliter definit esse sub ipsâ Christus, quàm per ipsius corruptionem, & est veritas, de quâ non licet dubitare *ex lib. præced. cap.6. §.6.* ergo de facto aliquando habetur, aut certè haberi facilè potest verum, & validum &c. Ratio à priori horum omnium est, quia quælibet species habet propriam verborum formam, quæ sicuti habet suam significationem, & veritatem independenter ab alterâ, ità debet statim independenter ab alterâ habere effectum, quem ut significativa, & vera causat, & hic quidem effectus, idest Christus Dominus, sicuti, ut ponatur sub unâ specie, non pendet ab eo, quod ponatur sub alterâ, ità nec ut conservetur; sivè de specie panis, sivè de specie vini sermo sit, nam licet propter ordinem, qui de facto servatur, & ex Christi exemplo, Ecclesiæq; usu servari debet, independentia unius consecrationis ab alterâ melius appareat respectu speciei panis, quàm respectu speciei vini; Nihilominus ratio independentiæ est respectu utriusque eadem, nec ordo, ille est de necessitate sacramenti: undè si post utramque speciem consecratam, inveniatur invalida consecratio panis, erit de novo panis consecrandus, sicque habebitur consecratio vini antecedens consecrationem panis, & tamen utraque consecratio erit valida.

> 21 Et per consecrationē sub unica specie facilè haberi potest sacramentũ verum, & validum.

> 22 Quod consecratio fiat sub specie panis priusquam sub specie vini non est de necessitate Sacramenti.

Dices: Benè est consecrationem unius speciei non pendere à consecratione alterius in executione, & posse per accidens unius positionem, aut valorem impediri sine detrimento alterius, at cum hoc stat unam consecrationem pendere ab aliâ in intentione, nec posse Sacerdotem validè consecrare sub unicâ specie absolutè intendendo consecrare sub ipsâ solâ, & non simul intendendo consecrare sub alterâ; quamvis deindè nil obsit, si Sacerdos vel ex subtractione materiæ, vel ex mutatione propriæ voluntatis, post consecratam unam speciem nequeat, aut nolit consecrare alteram. Sed contrà: Scio aliquos hâc viâ procedendo sustinere, non posse Sacerdotem per se, directè, & ex propriâ intentione, consecrare validè unam speciem sine alterâ; at necessitatem intendendi consecrare sub utrâque specie deducunt ex eo, quod utraque species sit de essentiâ sacrificii, & intentio consecrandi, seù conficiendi Eucharistiam, ut sacramentum, sit essentialiter connexa cum intentione sacrificandi, seù offerendi Eucharistiam, ut sacrificium: Undè isti Auctores ponunt consecrationem sub utrâque specie esse de necessitate Eucharistiæ ut Sacrificii, aut ut Sacramenti connexi cum Sacrificio, de quo punctò nos deliberabimus *lib. seq. cap.2. §.4.* Interim pro ut nunc agimus de Eucharistiâ præcisè, & formaliter ut sacramento, nego absolutè unam consecrationem pendere essentialiter ab aliâ in intentione, quod Suarez *disp. 43. sec. 2. §. Dici tamen posset* ait verum esse, & præter sensum Ecclesiæ; Ratio negationis est, quia intentio essentialiter requisita ad conficiendum aliquod sacramentum non est necesse, quod extendatur ultrà id, quod est de essentiâ talis sacramenti, atqui de essentiâ Eucharistiæ, ut est sacramentum, non est consecratio utriusque speciei, & est sacramentum sub unâ specie independenter à consecratione sub alterâ, ut probatum est; ergo intentio essentialiter requisita ad Eucharistiam ut sacramentum non est necesse, quod extendatur ad consecrationem utriusque speciei, & quod intentio consecrandi sub unâ specie dependeat ab intentione, seù sit simul cum intentione consecrandi sub alterâ.

> 23

> 24 Non est item de necessitate Sacramenti, quod consecrans unam speciē intendat etiam consecrare alteram.

Dices aliter. Sub unâ specie non habetur totale, & integrum Eucharistiæ sacramentum: ergo consecratio utriusque est de necessitate Eucharistiæ ut sacramenti saltem totalis, & integri: Probatur antecedens, primò, quia Eucharistia est sacramentum institutum per modum convivii, non est igitur integrum, & totale sacramentum, nisi eâ ratione, quâ est integrum, & totale convivium; atqui non est sub unâ specie

specie integrum, & totale convivium, de hujus quippe essentiâ est constare cibo, & potu; Eucharistia autem sub unâ specie habet rationem, aut solius cibi, aut solius potus; ergo. Secundò, quia forma verborum, quibus una species consecratur, solet appellari forma partialis, constituit igitur solum partiale sacramentum, nec effectum habet, nisi quando in prolatione alterius formæ, & consecratione alterius speciei ponitur sacramentum totale, & integrum; sicut in extrema unctione, in qua pariter dantur plures partiales formæ verborum, solùm in prolatione ultimæ formæ habetur aliarum formarum partialium effectus, & Sacramentum perficitur. Sed contra: Illud,

25

quod est de necessitate Sacramenti solùm, ut integri, & integraliter totalis, non est de necessitate Sacramenti absolutè, adeò ut sine ipso Sacramentum non sit validum, quemadmodum exemplificari potest in satisfactione respectu sacramenti Pænitentiæ: Verum hoc omisso dico Eucharistiam esse sub unâ specie sacramentum totale, & integrum juxtà doctrinam traditam *lib. praced. cap. 8. §. 1.* præsertim *num. 28.* ideò nego absolutè antecedens, & ex ibid. dictis nego minorem primæ probationis, dicendo Eucharistiam, ut componitur ex re significante, & significatione, habere etiam sub unâ quâlibet specie rationem cibi, & potus, adeoque integritatem convivii; ad summum hanc non habet sub unâ specie ex parte rei significantis, & ut componitur ex rebus, & verbis, at hâc ratione Eucharistia, sicut est sacramentum minus propriè, & minus adæquatè, itâ non est necesse, quod rigorosè, & propriè habeat convivii integritatem: Ad secundam probationem dico formam verborum, qua consecratur una species, appellari & esse formam partialem respectu Eucharistiæ, ut componitur ex rebus, & verbis, at non respectu ejusdem, ut componitur ex re significante, & significatione; nam hâc ratione verba sunt materia non forma; significatio verò, quæ est forma, est in utrâque specie ejusdem rationis, & in unâ quâlibet totalis, ut deduci facilè potest *ex pracit. §. 1. num. 17., & seqq.*

Eucharistia est sub una specie sacramentum totale etiá per modú convivii.

26

Ad illud, quod additur de extremâ unctione, dico in quæstione esse, utrùm totus ipsius effectus conferatur, & sacramentum conficiatur solùm in prolatione ultimæ formæ, an verò in quâlibet unctione, & partialis formæ prolatione conferatur proprius partialis effectus, & conficiatur partiale sacramentum? Hoc posterius tradit Scotus *in 4. dist. 23. ad 2.*; & in hâc opinione instantia procedit ex falso supposito, quatenùs ex paritate extremæ unctionis intendit probare consecrationem unius speciei non habere effectum sine consecratione alterius: Verùm detur in extremâ unctione quidquid Adversarii intendunt, retorquetur inprimis illatio in Sacramento Ordinis, quatenùs ex extremæ unctionis paritate inferretur solum in sacerdotio ipsum confici, & ipsius effectum conferri. Deindè assignatur extremæ unctionis comparatæ ad Eucharistiam, sicut & ad ordinem, disparitas ex diversitate institutionis nobis innotescentis ex traditione, usu, & auctoritate Ecclesiæ: Adest insuper aliqua ratio disparitatis ex eo, quod in formis partialibus extremæ unctionis verba sunt deprecatoria, quæ ex vi suæ significationis, & veritatis non postulant statim operari, ut postulant verba indicativa, qualia sunt ea formarum partialium consecrationis; hanc rationem disparitatis magis explicat, & aliam prætereà ex parte effectus assignat Suarez *pracit. sec. 2. §. Obiici verò potest.*

Eucharistiæ, Extremæ unctionis, & ordinis comparatio quò ad singulorú formas partiales.

27

Assert. 2. Consecrare Eucharistiam sub utrâque specie est de necessitate præcepti non solùm ecclesiastici, sed etiam divini. Itâ Paludanus *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1.* Cajetanus *hic quæst. 80. art. 2.* Gonetus *disp. 3. art. 6. §. 2.* Mastrius *disp. 3. quæst. 5. art. 5.* Laurea *disp. 24. art. 3.* Herinex *disp. 2. quæst. 7.* Suarez *disp. 43. sect. 3.* Vasquez *disp. 223. cap. 1.* Amicus *disp. 16. sec. 4. num. 161.* Madernus *quæst. 8. art. 4. num. 4.*, & tùm reliqui Recentiores tùm Thomistæ, & Scotistæ communiter ad mentem suorum Doctorum non quidem omninò expressam, insinuatam tamen à Doctore Angelico *hic quæst. 74. art. 1. ad 2.* & *quæst. 80. art. 12. ad. 3.*, à Doctore Subtili *in 4. dist. 8. quæst. 3.* circâ medium. Contrà Majorem *in 4. dist. 9. quæst. 3. §. Tertiò arguitur.* Adrianum *quæst. 6. de Eucharistiâ.* Claudium Sainctes *repetit. 10 de Euchar. cap. 3. §. ex Adversariis.* Alensem *lib. 6. compendii theologia.* aliosque nonnullos; inter quos tamen non sunt indifferenter recensendi, quicumque sentiunt præceptum consecrandi sub utrâque specie posse à Summo Pontifice, & Ecclesiâ dispensari, aliqui enim itâ sentiunt non ex ratione præcepti existimati Ecclesiastici, sed ex eo quod censeant Pontificem, & Ecclesiam posse etiam in præceptis divinis aliqualiter dispensare, interpretando in aliquo casu jus divinum non obligare.

28

Probatur, & quidem necessitas præcepti Ecclesiastici habetur ex perpetuâ Ecclesiæ consuetudine, & exprimitur *dist. 2. de Consecrat.* Cap. *Comperimus*, Ubi præcipitur Sacerdotibus, ut *integra sacramenta percipiant*, adeoque à fortiori, ut integra conficiant, nam Sacerdos regulariter non sumit nisi sacramenta, quæ conficit, & de confectione magis, aut certè non minus quàm de perceptione procedit ratio, quæ ibi affertur *Quia divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Necessitas deindè præcepti divini habetur ex eo, quod Christus utramque speciem in ultimâ cænâ consecravit, quando Apostolis, & omnibus Sacerdotibus Apostolorum successoribus præcepit id ipsum facere illis verbis *Hoc facite in meam commemorationem*; Undè Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* expressè docet Christum per hæc verba præcepisse Apostolis, ut corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri offerrent, additque *Uti semper Ecclesia Catholica intellexit.* Neque dicas ly *offerrent* spectat ad Eucharí-

Consecratio utriusq; speciei est de necessitate præcepti ecclesiastici;

Et simul divini.

charistiam, ut sacrificium, hoc enim est quod offerri dicitur, ergo pariter solùm ad Eucharistiam, ut sacrificium pertinet ex præcepto divino consecratio sub utraque specie, & tamen nos nunc agimus de Eucharistiâ, ut sacramento. Contrà enim: aliud est præceptum, aliud ratio, seù finis præcepti, præceptum benè potest magis extendi quàm ipsius finis, & ratio; & quamvis fortè, Christus propter rationem sacrificii magis quam propter rationem sacramenti præceperit utriusque speciei consecrationem, præceptum tamen ipsum non limitavit ad solum sacrificium, sed protulit pro totâ actione, quâ confecerat sacrificium simul, & sacramentum: Deindè illis verbis præcepit etiam, quod sacramentum non fieret sine sacrificio, adeòque si ex præcepto illis verbis expresso conficiendum, seù offerendum est sub utrâque specie Eucharistiæ sacrificium, ex eodem offerendum est sub utrâque specie Eucharistiæ sacramentum.

29 Confirmatur prætereà ex præcisâ sacramenti ratione, nam quod est de alicujus sacramenti integritate, est de præcepto, & jure divino, atqui consecratio sub utrâque specie est de integritate Eucharistiæ etiam sub præcisâ ratione sacramenti sumpti pro re significante, quamvis non similiter sumpti pro re significante, & significatione, ut insinuavi *præced. num.* 25. ergo.

Dices: Non post ambas species consecratas, sed post singulas semel, & iterùm Christus protulit verba illa *Hoc facite in meam commemorationem*, ut colligitur *ex Luc.* 22. & expressiùs habetur 1. *Cor.* 11. ergo illis verbis Christus tradidit facultatem consecrandi sigulas species, vel simul vel seorsim, potiùs quâ præceptum consecrandi ambas, seù utrasque simul; corruit igitur potissimum nostræ probationis fundamentum pro consecratione utriusque speciei ex præcepto divino. Confirmatur ex eo, quod Christus post resurrectionem sub unicâ specie in Castello Emmaus consecravit *Luc.* 24. id autem incongruè, & cum proprii præcepti violatione præstitisset, si anteà utriusque speciei consecrationem præceperat.

30 Sed contrà. Verba illa *Hoc facite* licèt repetita continent unicum præceptum repetitione ipsâ magis explicatum, aut quasi per partes traditum, & præceptum posterius consecrandi species vini non tollit præceptum antecedens consecrandi species panis, sed cum ipso coniungitur; de quo quando aliqua ex constructione videretur esse posse ratio dubitandi, censeri hæc deberet omninò sublata ex prælaudatâ auctoritate Tridentini, undè Vasquez *præcit. disp.* 223. *cap.* 3. *num.* 27. ait valdè mirandum esse post Tridentinum viros Catholicos, & pios non dubitasse asserere ex illis verbis Christi minimè colligi præceptum consecrandi corpus, & sanguinem simul. Ad confirmationem jam aliàs dictum est, non constare, quod Christus in Emmaus consecraverit, nec quod consecraverit sub unicâ specie, utroque autem dato non tenebatur ipse proprio præcepto, vel certè ex plenitudine potestatis potuit secum, sicut posset cum aliis dispensare, nec deesse ei poterat justa causa, ideò &c.

31 Assert. 3. Consecrare Eucharistiam sub utrâque specie est de necessitate præcepti, nullatenùs & ex nullâ causâ dispensabilis à Summo Pontifice, aut ab Ecclesiâ. Ità Sylvester *verb. Eucharistia* 1. *quæst.* 5. Armilla item *verb. Eucharistia num.* 10. Nugnus *hic quæst.* 74. *art.* 1. Gonetus *præcit.* §. 2. *num.* 88., & tùm Mastrius, Herinex, Suarez, Vasquez, Amicus, Madernus, ferè iisdem locis, quibus ipsos retulimus *num.* 27. tùm alii, sivè Summistæ, sivè Scholastici magis communiter. Contrà eos in primis, quos *ibid.* retulimus pro præcepto consecrationis sub utrâque specie solùm ecclesiastico, & insuper (ex concedentibus tale præceptum esse divinum) Paludanum *præcit. quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 5. Gabrielem *lect.* 53. *in Can. dub.* 3. & alios non ità multos, quibus tamen favent Sotus *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 1. nec non ex Auctoribus jam citatis Armilla, Herinex, Suarez, & Amicus, quatenùs nostrum assertum tradunt quidem, ut probabilius, at simul aliquantulum inclinant in oppositum, putando etiam probabile, quod ex gravissimâ publicâ causâ possit Pontifex consecrationem sub unicâ specie concedere.

32 Probatur. Summus Pontifex, aut Ecclesia neque auctoritativè, & directè, neque interpretativè, & indirectè potest dispensare in præcepto consecrandi sub utrâque specie, etiamsi urgeat publica necessitas, & causa gravissima; ergo tale præceptum nullatenus, & ex nullâ causâ est dispensabile à Summo Pontifice, aut ab Ecclesiâ: Probatur antecedens quò ad primam partem, quia tale præceptum ex dictis est divinum non dumtaxat ecclesiasticum, Pontifex autem, & Ecclesia potest auctoritativè, & directè dispensare in solo præcepto Ecclesiastico, non in divino, cum hoc superius sit, & in lege superioris nequeat saltem auctoritativè, & directè inferior dispensare, ut quasi pro axiomate habetur, & statuunt Summi Pontifices Urbanus II. cap. *Sunt quidem qu.* 1. & Zosimus cap. *Contrà Statuta*. Neque dicas. Ecclesia potest dispensare in eo, ad quod tenemur tantum ex more ipsius ecclesiæ, & in cujus opposito præter talem morem fit, atqui solùm hâc ratione tenemur ad consecrandum sub utrâque specie, ut videtur colligi ex D. Thomâ *in* 4. *dist.* 11. *qu.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 4. docente eum, qui non haberet utramque speciem, debere desistere à consecratione potius quàm conficere *præter morem Ecclesiæ* in unâ tantum. Contrà enim: Mos ecclesiæ alius est purè talis, & solâ ecclesiæ auctoritate inductus, alius est institutus à Deo, & deductus ex jure divino; in illo, non in isto potest ecclesia dispensare; & tamen de isto debet intelligi ly *præter morem Ecclesiæ* in verbis D. Thomæ, in quibus nulla est particula taxativa, quamvis Suarez *præcit. sec.* 3. in principio videatur

Præceptū cōsecrandi sub utraq; specie nequit à Summo Pontifice dispensari auctoritativè, & directè.

in

in illis supponere particulam *tantùm*, hincque malè inferat S. Doctorem talibus verbis indicare præceptum consecrandi sub utrâque specie esse tantùm ecclesiasticum.

33 Nec item interpretativè, & indirectè.

Probatur idem primum antecedens quò ad secundam partem, in quâ est major ratio dubitandi: probatur, inquam, quia dispensatio præcepti interpretativa, & indirecta fit potissimùm duobus modis, nimirum vel interpretando mentem legislatoris, qui etsi potuerit, non voluerit in aliquo particulari casu obligare, vel ex impossibilitate, sivè physicâ, sivè morali, observandi in talibus particularibus circumstantiis præceptum, deducendo quòd in tali particulari casu non obliget juxtà regulam generalem, secundum quam nemo obligatur ad impossibile: Posterior hic modus non facit ad rem, quia per ipsum quilibet vir doctus, & prudens potest legem interpretari: Prior modus respectu Dei, respectu cujus nullius futuri eventus ignorantia præsumi potest, non habet locum, nisi de mente ipsius nolentis in tali casu obligare constet ex divinâ revelatione, aut saltem ex communi consensu Doctorum; neutro igitur modo haberi potest præcepti, de quo agitur dispensatio licèt interpretativa, & indirecta, saltem quæ sit Ecclesiæ, & Summi Pontificis propria, ut benè ratiocinatur Vasquez *disp. 223. cap. 3. num. 25.*

34 Addi potest tertius dispensationis interpretativæ modus ex parte materiæ, quatenùs Pontifex materiam, seù fundamentum obligationis præcepti ità mutat, ut non censeatur amplius sub obligationem cadere, obligationemvè fundare, hâc ratione dispensat Pontifex in votis juramentis, matrimonio rato, & aliis hujusmodi, quorum obligatio & modus obligationis pendet ab actionibus humanis, & actibus voluntatis eorum, qui se obligant, & quia à Christo Pontifex habet peculiare jus super omnium fidelium voluntates, ideò potest quodammodò ipsas interpretando mutare, & obligationes promissionum, ac contractuum ex ipsarum actibus ortas quasi dispensatione quadam relaxare. Verum neque iste modus accomodari potest præcepto consecrandi sub utrâque specie, quia istius obligationis materia, natura, & modus est à solo Deo, nec pendet à voluntate humanâ, ut pendet in voto, juramento & matrimonio rato; hincque in istis, non verò in materiis, & actibus ad sacramenta pertinentibus habet Ecclesia aliquod jus: Ex hoc capite Gonetus *præcis. art. 6. num. 101.* & Mastrius *præcis. art. 1. nu. 125.* distinguunt duplex jus divinum, alterum purè, & absolutè tale; alterum fundatum in actionibus humanis, & quasi mixtum ex humano, & divino; & in isto, non in illo dicunt posse Summum Pontificem, aut Ecclesiam, quasi mutando obligationis materiam, ac fundamentum, dispensare.

35 Dices primò. Tridentinum *sess. 21. cap. 2.* *Declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesiâ fuisse, ut in sacramentorum dispensatione salvâ illorum substantiâ ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seù ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*; ergo, cum consecratio sub unâ tantùm specie fiat salvâ Eucharistiæ substantiâ, potest ecclesia illam concedere, & præceptum consecrationis sub utrâque licèt divinum aliquâ ratione dispensare, ubi id postulat magna suscipientium utilitas, eo quod secùs v. gr. tota aliqua Provincia, in quâ vinum non nascatur, nec aliundè delatum diù conservetur, deberet quasi perpetuò carere eucharistiæ sacramento; quâ ex causâ fuisse de facto cum Norvegis ab Innocentio VIII. dispensatum, ut apud ipsos tantùm sub panis specie consecraretur, referunt Raphael Volaterranus *lib. 7. Geographia cap. 4.*, & Onuphrius Panvinus *in Chronic. sub anno 1490.*

36 quin & eamdem cum iisdem dispensationem ab Innocentio IV. factam memorat Claudius Sainctes *præcis. cap. 3.* Sed contra: In primis Vasquez *præcit. cap. 3. num. 23.* putat Concilium per ly *salvâ illorum substantiâ* intelligere etiam *salvo quocumque divino præcepto*: deindè est de substantia non solum, quod est de essentiâ, sed etiam quod est de integritate; est autem de Eucharistiæ, saltem ut est sacramentum pro re significante supponens, integritate consecratio sub utrâque specie, adeòque non potest sub unâ confici *salvâ substantiâ*. Tandem (& est solidior responsio) Concilium ibi loquitur de potestate Ecclesiæ pro iis, quæ pertinent ad dispensationem, seù distributionem, & usum Eucharistiæ; at consecratio sub utrâque specie pertinet ad Eucharistiæ confectionem, non ad distributionem tantùm, & usum.

37 Quid de quadam historia, qua narratur Summũ Pontificem Norvegis concessisse cõsecrationẽ sub sola specie panis.

Ad historiam ex Volaterrano, Panvino, & Claudio Sainctes relatam dico totam ipsius fidem esse penes Volaterranum, ex quo eam sumpserunt Panvinus, & Claudius; hincque Vasquez *præcit. cap. 3. num. 27.* suspicatur Claudium ex errore, & calami subreptione scripsisse Innocentium IV. pro Innocentio VIII., de quo solo Volaterranus loquitur: Cæterum de ipso Innocentio VIII. historia falsa est, ut colligitur primò ex phrasi, & modo loquendi Volaterrani dicentis *Norvegia Innocentii VIII. Pontificis concessione permissum sine vino calicem sacrificare*; sacrificare autem calicem sine vino, est consecrare in ipso aliquem alium liquorem, non consecrare solum panem sine aliâ specie, seù sine calice; quòad consecrationem autem alterius liquoris à vino, nullus eorum, cum quibus nunc agitur, contendit fuisse dispensatum, aut posse dispensari. Colligitur secundò ejusdem historiæ falsitas ex insubsistentiâ rationis, quam affert ibi Volaterranus dicens, quod *vinum in Norvegia non crescat, aliundè importatum citò acescat* est autem hoc vix credibile, cum nunc ibi vinum potui, ac per consequens consecrationi aptum abundet, adeò ut ipsi laici nolint sine vini specie communicare; Accedit quod vini penuria non est sufficiens ratio prætensæ dispensationis, alioqui similis

dispen-

dispensatio fuisset facienda pro pluribus aliis Regionibus, in quibus vinu, aut etiam triticum, modicissimum, & solum à longè cum magnâ difficultate importatum habetur. Colligitur tertiò eadem falsitas afferendo ipsius originem, quam verisimile est duxisse ex eo, quod circa tempus historiæ, de quâ agitur quidam pessimè Sacerdotes sparserint per illas regiones plura falsa Pontificis diplomata, inter quæ fortè illud de consecrando sub solâ specie panis, ut Gonetus *pracit. art.6.§.2.num.91.* observat ex Bzovio ad annum 1490.

38 Porrò, quod falsa sit historia concessionis de cõsecrando sub unicâ specie factæ Norvegis ab Innocentio, nec reperiatur facta, aut aliquibus aliis, aut ab alio Pontifice ulla similis concessio, est non leve argumentum, quod præceptum consecrandi sub utrâque sit divinum, idque indispensabile ab Ecclesia, si enim esset ecclesiasticum, aut aliquâ ratione dispensabile licèt divinum, fuisset aliquando dispensatum, neque enim in consecratione, quæ in magnâ universi parte quotidiè conficitur, verisimile est posse occurrere aliquam dispensationis causam, quæ aliàs hucusque non occurrerit. Accedit huic argumento, & omnibus hucusque dictis multa vis, si verum est, quod Armilla verb. *Eucharistia num.* 10. refert Alexandrum ultimum, qui tunc erat Alexander VI. voluisse in eo, de quo agitur, dispensare, & declaratum fuisse eum non posse; si, inquam, verum est, nam Vasquez *pracit. cap. 3. num.* 20. ait illud, suprà quod cecidit illa declaratio, non fuisse, quod consecratio fieret sub unicâ specie, sed quod consecraretur calix sine vino, & cum alio liquote loco vini. Adverte tamen obiter esse opportunam hanc declarationem contrà præcedentem historiam eo modo, quo à Volaterrano referri ex ipsius Volaterrani verbis *praced. num.* notavimus.

Quid de quadam declaratione circà consecrat'onē facta tempore Alexandri VI.

39 Dices secundò: Dantur aliqui casus, in quibus licet per se, & directè sub unicâ specie consecrare, ergo quia consecrare sub utrâque, aut non est de jure divino, aut est de jure divino dispensabili: Probatur antecedens: Primus casus esse potest, si occurrat necessitas communicandi infirmum in articulo mortis, nec adsit opportunitas consecrandi sub utraque specie, tunc enim præceptum communionis in mortis articulo prævalet præcepto consecrationis sub utrâque specie, quia alioqui istud vergeret in perniciem non in salutem animarum, & prætereà certius est illud, quàm istud esse divinum. Secundus casus; si aliquis Sacerdos consecratâ hostiâ statim deficiat, Sacerdos alius succedens debet solum calicem consecrare ex Concilio Toletano VII. *can.* 2. & XI. *can.* 14. Tertius casus in missâ feriæ sextæ hebdomadæ majoris, in quâ vinum non adhibetur; quin & eodem ritu, vinoque non adhibito ferè per totam quadragesimam Græcos celebrare refert Lugus *hic disp.19. sec.8. num.121.* Sed contrà: In nullo

40 ex allatis casibus invenitur, aut assignatur ulla alicujus Pontificis dispensatio, & aliundè, quam ex Pontificis dispensatione liceret sub unicâ specie consecratio, si in aliquo ex ipsis liceret, at in nullo licet; & ad prim um dico præceptum communionis in articulo mortis, etsi divinum, ex eo, quod versetur circà bonum maximè necessarium ad salutem, non obligare, nisi quando potest à Ministro servari modus, & ritus sacramento debitus, undè non prævalet præcepto Ecclesiastico jejunii, non licet scilicet Sacerdoti non jejuno consecrare, & celebrare ad communicandum infirmum, ex quo capite obiter moneo etiam in sententiâ docente præceptum consecrandi sub utrâque specie esse ecclesiasticum, melius dici non licere ad ministrandum viaticum sub unicâ specie consecrare, quidquid contrà senserit Major *pracit. quæst.* 3. Ad secundum dico Sacerdotem succedentem integrare unum sacrificantem, unum sacrificium, adeòque pariter unam consecrationem cum præcedente, & hâc ratione rectè dici consecrare utramque speciem, non unicam, & solum calicem: Deindè quamvis ipse in rigore utramque non consecret, ex parte tamen speciem utraque consecratur, quod est præcipuum præcepti divini intentum. Ad tertium dico in missa, aut potiùs ceremoniâ illâ non fieri ullam consecrationem, nec proferri verba consecratoria; & sumi quidem à Sacerdote solas species panis, at non consecratas solas tunc, sed præconsecratas simul cum speciebus vini die antecedente.

Non est licitum consecrare sub unica specie ad ministrandum viaticum moribundo.

Dices tertiò: Jus divinum non magis obligat ad consecrandam utramque speciem in sacramento Eucharistiæ, quam ad ungendos quinque sensus in sacramento extremæ unctionis, & ad faciendam confessionem integram in sacramento Pænitentiæ; atqui aliquando licet in isto confessionem dimidiare, in illo unicam unctionem facere, ergo pariter licet aliquando in Eucharistiâ unicam speciem consecrare. Sed contrà; In primis non est ex dispensatione Pontificis, quod aliquando liceat unica infirmi unctio, aut confessionis dimidiatio, ideò ex iis nihil infertur pro dispensatione obligationis consecrandi sub utrâque specie: Deindè singillatim quoad confessionem dico aliquando licere ipsam dimidiare materialiter, non formaliter; esse autem de jure divino, quod sit formaliter, non etiam quod sit materialiter integra. Tandem extrema unctio, & pænitentia sunt principaliùs instituta ad remissionem peccatorum, Eucharistia ad Dei cultum; illa sunt majoris, quam ista, ad salutem necessitatis; ideò Deus rationabiliter præsumitur non ità strictè, aut potius non ità universaliter, & pro quocumque casu in illis, ut in istâ, obligasse ad servandam omnem sacramenti integritatem, & perfectionem.

41

Major est obligatio servandi omnem integritatem Eucharistiæ, quam extremæ unctionis, aut Pænitentiæ; Et cur?

42 Ex dictis habetur, obligationem, quâ quilibet Sacerdos tenetur consecrare sub utrâque specie, ità esse strictam, & universalem, ut nulla prorsùs dispensatione, aut interpretatione humanâ relaxari possit; & in nullo

nullo prorsùs casu liceat Sacerdoti inchoare consecrationem, quam aut directè intendat, & velit, aut certè sciat, & videat se posse, solùm in unicâ specie conficere; quamvis deindè si post consecrationem cum debitâ intentione inchoatam, & in unâ specie peractam superveniat impotentia consecrandi alteram, facta unius consecratio remaneat valida, & non consecratio alterius evadat licita, non propter dispensationem, aut interpretationem præcepti consecrandi sub utrâque, sed propter ipsius transgressionem materialem, & inculpabilem, ortam ex impotentiâ physicâ, aut morali ipsum implendi; est autem impotentia physica, si post unam speciem consecratam Sacerdos vitam, aut loquelam amittat; est impotentia moralis, si post unam speciem consecratam nequeat consecrari altera, nisi cum gravissimo detrimento puta vitæ periculo, ex eo, quod v.gr. post consecrationem hostiæ, aut inveniatur vinum esse venenatum, nec aliud moraliter suppetat, aut aliundè mors immineat, si in calice consecrando immoretur.

43 Præceptū consecrandi sub utrâque specie est sub diversa ratione affirmativum simul, & negativum.

Habetur insuper, præceptum obligans ad consecrandum sub utrâque specie esse affirmativum, quia actum positivum præcipit, nec potest sine actu positivo impleri, at simul habere vim præcepti negativi, quatenus in quocumque casu, seù semper, & pro semper obligat ad non inchoandam consecrationem sine voluntate, & potestate consecrandi utramque speciem, undè rectè dici potest affirmativum simul, & negativum sub diversâ ratione, ut in terminis insinuant Suarez *disp.43.sec.4.* §. *Dico quartò*, & Mastrius *disp.3.quæst.5.art.1.num.125.* Reliqua de indispensabili, & juris divini obligatione in ordine ad consecrationem sub utrâque specie sunt propria Eucharistiæ ut sacrificii, & tradentur *lib.seq. cap.2.* §.4.

§. III.

An, & quomodo plures Sacerdotes possint simul eamdem materiam consecrare, eamdemque Eucharistiam conficere.

ASSERT. I. Plures Sacerdotes, qui singuli totam consecrationis formam simul proferant, possunt validè, & aliquando etiam licitè, totam eamdem materiam simul consecrare, eamdemque Eucharistiam conficere. Dixi *totam consecrationis formam* item *totam eamdem materiam*, quia si plures Sacerdotes proferant quidem omnes simul totam formam, at singuli solum aliquam partem, unus unam, alius aliam; consecratio est prorsus invalida, quia verborum forma dimidiata, & divisa sensum, significationemque suam non retinet: Item si singuli proferant totam formam super eamdem hostiam v. gr. at solum omnes simul intendant totam consecrare, singuli verò intendant consecrare diversas ipsius partes, puta unus unam, alius aliam medietatem; consecratio (coherenter ad ea, quæ diximus *lib. præced. cap.2.* §.6. *num.123.*) erit valida, vel invalida, prout quilibet intendet designatam, vel vagam hostiæ partem consecrare, at non apparet, quomodò possit umquam licitè, & ex ullâ rationabili causâ sic fieri, & quidquid sit, non de pluribus Sacerdotibus sic consecrantibus titulus procedit, sed de pluribus, qui & singuli proferant simul, eodemvè tempore totam formam, & singuli intendant consecrare totam hostiam, seù totam materiam præsentem, quæ sit respectu omnium, & singulorum una, & eadem.

44 Varii modi, quibus dubitatur, an plures Sacerdotes possint simul consecrare eamdem materiam.

45 Possunt id validè, & aliquando licitè, si suprà totam materiam proferant simul singuli totam formam.

Assertum ità positum, & expositum tradunt D. Thomas *hic quæst.82.art.2.* & Scotus *in 4.dist.6. quæst.2.* ubi licet non agat in terminis de Eucharistiâ, rectè colligitur, quid de hâc sentiat ex eo, quod proportionaliter docet de baptismo; Cum utroque Doctore, Sancto, & Subtili, assertæ veritati subscribunt, ut passim in sequentibus referemus, utriusque Scholæ Discipuli, & reliqui Scholastici communissimè; nec quo ad validè legi fuisse umquam de eâ dubitatum, quoties verba formæ, quæ à pluribus Sacerdotibus proferuntur, simul, & eodem instanti à pluribus absolvuntur; Verùm quia, si valdè multi Sacerdotes ad eamdem materiam simul consecrandam conveniant, ex unâ parte difficillimum est talia verba ab omnibus simul absolvi in eodem instanti, & ex aliâ parte videtur sequi aliquod grave inconveniens, si non ab omnibus simul absolvantur, dubitarunt aliqui quo ad licitè, præsertim ubi de valdè multis Sacerdotibus simul consecrantibus agatur: Hinc Durandus *in 4. dist.13. quæst.3. num.10.* improbat (si, ut ipse ait, in aliquibus locis fit) tamquam periculosam, & magis abolendam, quam servandam consuetudinem, quâ Sacerdotes in suâ ordinatione simul cum Episcopo ordinante verba consecrationis proferunt, & *num. 14.* commendat, quod abolita sit consuetudo, quâ olim omnes Cardinales Præsbiteri summo Pontifici celebranti adstantes concelebrabant cum ipso, & verba consecratoria simul proferebant, dicit autem fuisse abolitam, quia visum fuit periculum, quod aliqui proferrent verba consecratoria suprà materiam jam consecratam, propter quod periculum improbaverat etiam relatam consuetudinem Sacerdotum, qui ordinantur. Verum, quidquid sit de ratione posterioris consuetudinis abolendæ, quæ facilè potuit aliundè haberi, Durandus, in eo, quod ausus fuerit utramque prædictam consuetudinem reprehendere, non levis temeritatis notatur, & gravius adhuc offenderet, qui id nunc auderet, postquam prior consuetudo jam ab omnibus Episcopis servatur ex præcepto Clementis VIII. expresso in Pontificali Romano ipsius jussu edito; Nec Durando suffragatur, quod aliqui pro ipsius sententiâ referant Gabrielem, Alensem, Angelum, Sotum, & fortè etiam non-

46 Censura opinionis oppositæ quo ad licitè.

nullos alios. Non suffragatur, inquam, quia nullus istorum idem in re sensit, quod Durandus, ut colligitur ex Vasquio *disp.* 219. *cap.* 2. *num.* 18. quod si quis idem sensit eâdem, quâ Durandus, dignus est notâ, aut etiam majore.

47 Probatur jam prima asserti pars quò ad validè: Plures formæ simul prolatæ possunt omnes habere suum effectum, & efficere, quod significant, ergo possunt omnes esse validæ, ac per consequens plures Sacerdotes, qui singuli totam consecrationis formam simul proferant, possunt validè totam eamdem materiam simul consecrare; probatur antecedens, quia ex pluribus formis simul prolatis una non impedit efficaciam, & activitatem alterius, & cum non sit major ratio, quod una quàm altera effectum habeat, habebunt omnes ex æquo; Utrùm deindè singulæ per propriam actionem totalem, adeò ut tot sint actiones totales, quot formę, quæ proferuntur, an verò singulæ per actionem partialem, adeò ut actio totalis sit unica à singulis formis simul prolatis partialiter dependens, & ex tot actionibus partialibus coalescens, quot sunt formæ? Sustinet primum Durandus *præcis. quæst.* 3. *num* 16. & 17. Hæret ferè problematicus Suarez *hic disp.* 61. *sec.* 4. §. *Dico tertiò*: Docent verò secundum Vasquez *præcis. cap.* 2. *num.* 15. Esparza *lib.* 10. *quæst.* 68. *ad* 1. Mastrius *disp.* 3. *quæst.* 9. *art.* 2. *num.* 212., & alii magis communitèr, quibus

48 *Plures Sacerdotes simul consecrantes, consecrant singuli, ut causæ totales, & totali actione.*

adhæreo, quia forma consecrationis causat, & conficit sacrameneum ex divinâ institutione, sicuti igitur quælibet causat actione totali, quando causat se solâ, ità & quando causat in consortio aliarum, nam neque est in potestate Sacerdotis variare institutionem, neque est fundamentum excogitandi unum divinæ institutionis modum, quando forma est unica, & ab uno solo Sacerdote profertur, alium diversum quando forma est multiplex, & profertur simul à pluribus. Nec refert, quod per nos forma, seù verba consecratoria causent physicè: Non refert, inquam, quia per nos pariter possunt plures causæ, etiam physicæ, totaliter & multiplici actione totali producere eumdem effectum: Præterea forma, & verba consecratoria, si sunt causæ physicæ, sunt causæ instrumentales; sententia verò astruens repugnantiam plurium causarum totaliter, & actione totali producentium eumdem effectum physicè, procedit de pluribus causis principalibus, non de instrumentalibus, quæ licèt in propriâ ratione sint plures, operantur in virtute unius, ejusdemque causæ principalis, in quâ, ut ità dicam, adunantur, & unum sunt.

49 Dices: Si plures Sacerdotes simul possent validè consecrare, possent simul validè consecrare utendo hâc formâ *Hoc est corpus nostrum*, nam ista verba prolata à pluribus simul sunt synonyma illis *Hoc est corpus meum* prolatis ab uno solo; atqui non possunt validè consecrare utendo formâ *Hoc est corpus nostrum*, ergo nec possunt validè consecrare plures simul. Si respondeatur ex vi præsentis institutionis determinari formam in singulari prolatam. Impugnabitur responsio, quia determinatur pariter singularis Minister, determinatur scilicet ut una materia, una forma, unus Minister unum conficiant sacramentum, ergo si hoc non obstante potest forma validè proferri à pluribus Ministris, poterit etiam validè proferri in plurali; vel si, ut in plurali validè proferretur, requireretur alia institutio, etiam quod plures Ministri simul validè consecrarent, esset ex vi alterius institutionis, cujus tamen nullum est vestigium, & nulla à nobis hucusque facta est mentio; imò si ex vi alterius institutionis loquamur, ad rem non loquimur, & fregimus non solvimus quæstionem. Sed contrà: Verba consecratoria prolata in singulari, & prolata in plurali ad summum sunt synonyma, quando proferuntur in plurali propter dignitatem personæ, & propter morem, quo Primates & Principes viri solent singuli pluraliter loqui; at non prolata in plurali ex eo, quod proferantur simul à pluribus; ratio est, quia dum in plurali à pluribus simul proferuntur, ipsorum significatum tribuitur singulis proferentibus solum partialiter, & cuilibet solum simul cum aliis; decem v. gr. simul dicentibus *Hoc est corpus nostrum* significatur corpus esse singulorum quò ad decimam circiter partem, & quilibet intendendo efficere, quod verba significant, intendit solùm partialiter, & simul cum aliis novum corpus efficere, non sic quando à pluribus profertur in singulari *Hoc est corpus meum*; habetur igitur in prioribus verbis essentialis variatio formæ; ut colligi luculentiùs potest ex iis, quæ Mastrius *disp.* 2. *de baptismo quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 71. & *seqq.* tradit de formâ baptismi, quæque à fortiori procedunt de formâ Eucharistiæ; ego interim juxtà mox dicta nego absolutè instantię sequelam, & sequelę probationem; nego item illud, quod additur, nimirùm ex vi præsentis institutionis esse pro Eucharistiâ determinatum singularem Ministrum, & dico institutionem abstrahere ab eo, quod sacramentum conficiatur ab uno Ministro, vel à pluribus; utrum sacramentum requirere quidem unum Ministrum, at admittere etiam plures; Christum ministros designantem ad singularitatem non devenisse, imò locutū fuisse in plurali, & favisse pluralitati, dicendo pro Eucharistiâ *Hoc facite. Hæc quotiescumque feceritis*: pro baptismo *Euntes, docete, baptizantes* &c. ut notat Lauræa *disp.* 24. *art.* 4. *num.* 52.

50 *Plures simul non consecrarent validè dicendo: Hoc est corpus nostrū*

51 Probatur secunda asserti pars quò ad licitè, in eâ autem dixi *aliquando*, quia extrà particulares casus ab Ecclesiâ approbatos, quod plures simul consecrent, sicuti est contra communem ritum, ità est illicitum, ut propter eamdem rationem est illicitum, quod duo aut plures simul conficiant aliquod aliud Sacramentum matrimonio excepto: Quòd deindè in aliis sacrmentis nequidem pro aliquo casu liceat, ut licet in Eucharistiâ, est quia in solâ Eucharistiâ non

in aliis

Casus, in quibus licet de facto pluribus sacerdotibus simul consecrare eamdem materiam,

in aliis sacramentis, aliquos ad id faciendum casus approbavit, vel induxit; nam, ut omittam, tùm consuetudinem abolitam, quâ olim Præsbyteri Cardinales consecrabant simul cum Summo Pontifice; tùm morem proprium Ecclesiæ Græcæ, in quâ Episcopo celebranti semper adest alius Præsbyter simul cum ipso super eamdem materiam proferens verba consecratoria; duo hujusmodi casus vigent de facto in Ecclesiâ Latinâ; primus est in ordinatione Præsbyterorum, secundus in consecratione Episcoporum; in primo omnes Præsbyteri, qui ordinantur simul cum Episcopo ordinante, in secundo Episcopus, qui consecratur simul cum Episcopo consecrante super eamdem materiam verba consecratoria proferunt; nec fas est ambigere, quin licitè, cum præcipuè in primo casu, in quo res est difficilior, sit id ab Ecclesiâ non toleratum tantum, aut permissum, sed *ex præced. num. 46.* præceptum; nefas autem esset suspicari, quod Ecclesia, aut Summus Pontifex aliquid illicitum præcipiat. In primo, inquam, casu res est difficilior, quia in ipso solo valde multi simul consecrant, & ut supponit (quamvis fortè non sine ordinandorum injuriâ) Durandus *præcit. quæst. 3. nu. 10.* multi sunt parum scientes) & parum discreti, nec unus alium expectat in dicendo verba consecratoria, nec ista dicuntur in alto, ut unus possit alium audire, & se ei conformare, sicque contingit aliquos absolvere verba consecrationis antè alios; & illos solos consecrare, istos alios proferre verba suprà materiam jam consecratam, adeòque invalidè, illicitè, sacrilegè: Quod inconveniens facilius vitatur in secundo casu, in quo (sicut & in duplici aliâ præmemoratâ consuetudine) valdè pauci, iique doctiores, & prudentiores simul consecrant: Si igitur difficultas, & ratio dubitandi solvatur pro tali primo casu, erit à fortiori soluta pro alio quocumque.

52

Ratio dubitãdi pro casu, in quo Sacerdotes, qui simul ordinantur simul consecrant cum Episcopo ordinante.

Porrò circà modum vitandi in novis Sacerdotibus simul cum Episcopo ordinante verba consecratoria proferentibus, præcedens inconveniens, quod apparet adhuc gravius, si contingat aliquem ex novis Sacerdotibus antè Episcopum verba perficere, ac per consequens Episcopum ipsum, qui est principalis celebrans, incassum, & super materiam jam consecratam proferre formam consecrationis: Circà talem modum, inquam, Doctores, tùm Scholastici, tùm Morales (est enim res utrisque communis, aut fortè etiam Moralium magis propria) in varias abiere sententias, quarum

53

Prima sit, quod in ordinatione solus Episcopus ordinans intendat proferre verba enunciativè, & formaliter ut consecratoria; Præsbyteri, qui ordinantur nonnisi recitativè, & materialiter, sic docent Richardus *in 4. dist. 13. art. 2. quæst. 1.* Cajetanus *3. part. qu. 81. art. 2.* Augelus *verb. Eucharistia* Suarez *disp. 61. sec. 3. in fin.* qui omnes asserunt Sacerdotes, qui ordinantur, neque debere habere intentionem consecrandi, neque non consecrandi, sed præcisè proferendi ea verba cum ea intentione, qua debent. Sed nihil roboris habet hæc sententia, tùm quia frustratoria esset illorum verborum prolatio, si animum non haberent consecrandi; tùm quia hoc est directè contra Pontificalem, in quo præcipitur Episcopis ordinantibus, ut clara, & distincta voce proferant verba consecratoria, ut ordinati possint simul dicere, ibique redditur ratio, quia etiam isti consecrant; quomodo autem possunt valide consecrare, si intentionem non habent consecrandi? nec illa præcisio intentionis ad consecrandum, vel non consecrandum potest aliquid prodesse, quia requiritur positiva intentio, nec sufficit merè præcisiva.

54

Secunda, quod omnes Sacerdotes simul cum Episcopo tunc consecrent, quatenus omnes intentionem consecrandi referant ad unum, atque idem instans, hocque instans regulariter intelligunt esse illud, pro quo Episcopus ordinans perficit formam consecratoriam, quod si aliquis præveniat, intendat materialiter solummodo illa verba proferre Innocentius *lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 25.* D. Thomas *3. part. quæst. 82. art. 2. in corp.* Paludanus *in 4. dist. 13. quæst. 4. art. 2.* Lauræa *de Eucharistia disp. 24. art. 4. num. 51.* Silvester *verb. Eucharistia num. 2.* atque juxtà hanc opinionem Paludanus vult, quod quando Sacerdotes simul cum Episcopo verba consecratoria proferunt, habeant intentionem absolutam consecrandi; alii verò, quod non habeant intentionem consecrandi, nisi in illo instanti, in quo ultimus, vel Episcopus perficit.

55

Tertia asserit, quod Sacerdotes concelebrantes, & Episcopus habeant intentionem saltem conditionatam consecrandi, & non recitandi solum materialiter illa verba, & hoc ob eam rationem, quia nemo certus esse potest, dum ultimam sillabam consecrationis profert, an illam proferat supra materiam consecratam, an super adhuc non consecratam. Lugus *disp. 11. sect. 8. num. 172.* Amicus *disp. 24. sec. 7.*

56

Non valde dissimilis est huic sententia Suarez *disp. 61. sec. 4. in fin.* Coninchi *quæst. 81. art. 2.*, qui volunt Sacerdotes concelebrantes debere habere intentionem conditionatam, seù disjunctam, aut scilicet consecrandi simul cum Episcopo, aut si absolvant verba prius, aut posterius, quam Episcopus, non consecrandi, nisi materialiter; hocque asserunt ad evitanda dubia, quæ inde oriri possent.

Quarta sententia docet, quod omnes moraliter habeant rationem unius ministri, & omnes consecrent una moraliter consecratione, quatenus omnes quamvis distincti in ratione personæ, in ordine tamen ad illam actionem consecratoriam ex propria intentione, & ex dispositione Ecclesiæ concurrant per modum unius principii moralis; atque in hac sententia conveniunt Sotus (licet non ita expresse)

in 4. dist. 13 quæst. 1. art. 2. Vasquez *hic disp.* 218. *cap.* 4. Arriaga *disp.* 40. *sec.* 9. *num.* 68. Esparza *lib.* 10. *quæst.* 68. *in resp. ad* 3. *art.* 5. & ex Nostris Madernus *quæst.* 5. *art.* 5. *num.* 11. Marchinus *trac.* 2. De Ordinibus in particulari *par.* 9. *cap.* 10. *num.* 10. aliique nonnulli; Quin

57

fortè etiam Innocentius III. & D. Thomas pro secundâ sententiâ præcitati ab hâc quartâ in re non discrepant, & in tantum docent omnes Presbyteros de novo ordinatos debere referre intentionem consecrandi ad idem instans, sivè sit illud, in quo ab ultimo Concelebrante, sivè (ut aliquibus talis sententiæ Auctoribus, & ipsimet Innocentio III. in verbis relatis à Lauræa *disp.* 24. *art.* 4. *num* 51. magis placet) in quo ab Episcopo ordinante verba absolvuntur; fortè, inquam, in tantum id docent, in quantum sumunt tale instans moraliter, adeò ut illi Presbyteri dicantur referre intentionem ad idem instans eo modo, quo posteà juxtà quartam hanc sententiam dicuntur omnes simul, & eodem instanti moraliter, quamvis non physicè, consecrare: Ità ferè in terminis Lauræa nuper *cit. num.* 51. & apud ipsum Alensis *quæst.* 10. *memb.* 5 *art.* 2. §.8.

58

Quinam intentionis modus præ dictis Sacerdotibus præsertim rudioribus consulendus in praxi sit?

In totâ hâc difficultate, & sententiarum varietate censeo in primis pro praxi, præsertim apud rudiores, valdè opportunum consilium Cajetani, à Suario, & aliquibus aliis approbatum, quod nimirum Presbiteri, qui ordinantur, solliciti non sint de hoc, vel illo modo intentionis habendæ, ut licitè verba consecratoria simul proferant, sed intendant ea proferre meliori modo, quo possunt, seu eâ intentione, quam habere debent, & quam intendit Ecclesia: hic quippè prolationis modus ex una parte est absolutus, & sufficiens ut quilibet simul cum aliis validè consecret, sicuti est sufficiens, ut quilibet validè consecret se solo: ex aliâ parte ut potè abstrahens à scholarum subtilitatibus, & contentionibus, est facilè à quolibet perceptibilis, ac in usum deducibilis.

59

Censeo deindè pro explicando in scholis, & apud doctiores modo, quo iisdem Presbyteris liceat simul proferre verba consecratoria, primam ex quatuor relatis sententiis esse tribus reliquis improbabiliorem, & omninò rejiciendam; Ratio est, quia in Pontificali edito jussu Clementis VIII. novi Sacerdotes dicuntur cum Episcopo ordinante celebrare, seù concelebrare, seriò monentur eum eodem verba absolvere, quod ut facilius præstare possint, Episcopo ipsi commendatur tarde, & altè verba proferre, & pro ratione redditur *Quia consecrant*: Est igitur contrà Pontificalis præscriptum, & Ecclesiæ intentum, quod novi Sacerdotes non consecrent, & verba consecratoria materialiter proferant: Nec refert, quod in antiquo Pontificali novi Sacerdotes monerentur dicere omnia, quæ sunt in Missali *sicut si celebrarent*, quod videtur indicare, quod reverâ non celebrent: Non refert, inquam, quia hunc non esse sensum Pontificalis antiqui ex Pontificali novo deducitur: ly igitur *sicut*, vel nullam improprietatem, diminutionemque importare, vel in ly *celebrarent* subintelligitur *solitariè*. Censeo tandem pro eodem modo explicando esse reliquis probabiliorem, & omninò præferendam quartam sententiam. Ideò sit

60

Melior modus explicandi in Scholis, quod prædictis Sacerdotibus liceat simul consecrare.

Assert. 2. Melior modus salvandi, & explicandi, quod plures Sacerdotes, & singillatim illi, qui ordinantur licitè, & sine ullo inconvenienti simul proferant verba consecratoria, & simul consecrent, est, dicendo, quod omnes habeant moraliter rationem unius Ministri, & omnes consecrent unâ moraliter consecratione. Ità Auctores relati pro quartâ sententiâ, & forte nonnulli ex relatis pro secundâ contrà cæteros relatos pro primâ, & tertiâ, nec non saltem majori ex parte eos, qui pro secundâ.

Probatur comparando hunc modum ad alios duos positos in secundâ, & tertiâ sententiâ, & tùm istorum impugnatione, tùm modi mox asserti explicatione ostendendo hujus ad illos præponderantiam, melioremque doctrinam: Modum in primâ sententiâ positum non repero, quia jam est impugnatus, & cum non salvet plures simul consecrare, intentionemve consecrandi habere, non facit ad rem; nec ulla est difficultas, aut ratio dubitandi in eo, quod liceat pluribus simul verba consecratoria proferre purè materialiter: Hoc igitur nunc omisso

61

Non habetur per hoc, quod omnes intentionem consecrandi referant ad unum, idemque instans.

Impugnatur primò modus positus in secundâ sententiâ *num.* 54. quia ex ipso sequitur, eos, qui verba absolvunt (ut facilè contingere potest aliquos absolvere) antè instans, ad quod relata est omnium intentio, quodcumque illud sit, suspendere usque ad tale instans verborum effectum; at hoc non est in Ecclesiæ, aut Ministri potestate, cum sit ex institutione Christi, & de necessitate veritatis verborum, quod forma consecratoria significet, & causet in ultimo suæ prolationis instanti: Quod si in aliquo alio sacramento contingit aliquantulum differri, & suspendi ultrà hujusmodi instans formæ effectum, est ratione materiæ nondum applicatæ, at hoc non potest contingere in Eucharistiâ, in quâ forma verborum semper supponit, & ad sui verificationem requirit materiam præsentem: Igitur ut omnes consecrent, & vitetur inconveniens formæ, quæ ab aliquo proferatur suprà materiam jam consecratam, inane, & inutile est omnes ad idem instans, quodcumque istud sit, verba dirigere. Est prætereà contrà praxim, quatenus Sacerdotes recentes in suâ ordinatione de tali intentionis directione, nec cogitare solent, nec moneri.

62

Nec per hoc, quod habeant intentionem conditionatam, aut disjunctam.

Impugnatur secundò modus positus in tertiâ sententiâ *num.* 55. quia in sacramentis conficiendis non licèt habere intentionem conditionatam, aut disjunctam sine necessitate, & causâ gravissimâ, quæ in sacramentis characterem non imprimentibus vix potest occurrere, & in casu nostro nulla occurrit,

sit; quia modo mox explicando vitatur cum intentione absolutâ omne inconveniens, ad quod vitandum Auctores, cum quibus agitur, putant esse necessariò recurrendum ad intentionem conditionatam; quæ prætereà in proposito videtur esse contrà mentem Ecclesiæ, ut infertur tùm negativè ex eo, quod nullibi talem intentionem præscribit, nec jubet ordinandos de eâ habendâ admoneri, tùm positivè ex eo, quod per Archidiaconum, vel cæremoniarum Præfectum sollicitè curat, ut sacerdotes, qui ordinantur, in prolatione verborum consecrationis non præveniant Episcopum ordinantem; quod parùm referret, nec esset tam sollicitè curandum, si Ecclesia supponeret ipsos habere intentionem conditionatam, vel disjunctam de quâ agitur. nam cum istâ, etiamsi quis præveniret Episcopum in prolatione verborum, non preveniret ipsum in consecratione, sed ratione conditionis, disjunctionisve appositæ adhùc materia remaneret inconsecrata, & ab Episcopo consecranda.

63

Sed per hoc, quod omnes sint moraliter unus Minister, & moraliter omnium, ac singulorum consecratio sit semper valida.

Explicatur jam modus positus in asserto, & in quartâ sententiâ *num.* 56. cujus quidem sensus non est, omnes, qui ordinantur, constituere unum Ministrum indivisibiliter, unamque indivisibiliter esse omnium intentionem adeò, ut si unus vel unius intentio deficiat, reliqui non sint ampliùs sufficiens minister, aut non habeant ampliùs sufficientem intentionem ad consecrandum. Nec item sensus est, quod omnes sint eadem numero persona, & omnium intentio idem numero actus; nam in primo sensu cujuslibet ministerium, & cujuslibet intentio deberet esse dependens à ministerio, & intentione omnium aliorum; in secundo deberent omnes esse unus Minister, & esset una omnium intentio physicè, non moraliter. Sensus est igitur, quod omnes sint unus Minister, & una sit omnium intentio æquivalenter, quatenùs omnes curant, quantum moraliter possunt, suum ministerium accomodare uni, Episcopo scilicèt ordinanti, tamquàm celebranti principali, cum quo intendunt unam, eamdemque Eucharistiam conficere, nec in re plus conficiunt omnes simul, quàm conficeret unus solus, & in quocumque instanti fiat consecratio, quilibet prudenter se existimat, & ab aliis existimatur consecrasse non minus quàm, si verba consecratoria protulisset ipse solus, sicque quilibet moraliter, & in prudenti hominum existimatione consecrat validè. Hic porrò modus sic explicatus duobus præcedentibus præponderat, & melior est, quia in ipso nec illa, quæ in præcedentibus, nec ulla inconvenientia sequuntur, ut quò ad primum recolenti nuper dicta, quò ad secundùm consideranti statim dicenda, facilè innotescet.

Dices: Stante morali unitate ministerii, & intentionis, moralique valore omnium, & singularum consecrationum, adhùc si quis tardiùs aliquo alio verba perficiat, physicè non consecrat, consecrationemque physicè invalidam facit, ergo adhùc stat; quod quilibet sicut se exponit periculo proferendi verba tardiùs aliquo alio, ità se exponat periculo faciendi consecrationem physicè invalidam; atqui est illicitum huic periculo se exponere, sicuti est illicitum consecrationem ipsam physicè invalidam facere; ergo modus à nobis assertus, & explicatus non salvat licere pluribus sacerdotibus, qui ordinantur, proferre licitè verba consecratoria cum intentione absolutâ consecrandi, nec vitat inconveniens alicujus prolationis eorumdem verborum suprà materiam jam consecratam. Sed contrà: dico non esse illicitum facere consecrationem physicè invalidam, quando fit valida moraliter, & consequenter, nec esse illicitum se exponere periculo illius consecrationis faciendæ, cum præsertim periculum ipsum respectu cujuslibet in particulari sit physicum dumtaxat non morale, idest non volitum, non prævisum; imò quilibet habeat absolutam intentionem, & moralem certitudinem proferendi, & perficiendi verba simul cum aliis, non tardiùs; adeòque non incurrendi inconveniens, quod ex tali periculo potest physicè imminere: Ratio à priori totius responsionis est, quia in rebus moralibus non habetur ratio ejus, quod in actione est physicum, quando est diversum, & oppositum ei, quod est morale, ut argumentatur Esparza *in præcit. resp. ad 3. art. 6.*

64

Urgebis stante totâ hâc doctrinâ adhùc saltem non salvatur, quod Ecclesia potuerit præcipere (ut tamen ex dictis præcepit) omnes, qui ordinantur, simul consecrare; enimverò consecratio physicè invalida est peccatum, seù sacrilegium materiale quàmvis non formale, & imputabile ad culpam; ergo illud, ex quo talis aliqua consecratio aliquoties, imò multoties sequitur, quemadmodum sequitur ex eo, quod omnes, qui ordinantur, simul consecrent, non potest ab Ecclesia præcipi; probatur hæc consequentia, quia præceptum ipsum esset illicitum, nam cum illicitum sit inducere, aut allicere aliquem ad peccatum materiale, puta ebrium ad patrandum in ebrietate homicidium, multo magis illicitum erit præcipere aliquid, ex quo peccatum seù sacrilegium materiale multoties sequatur. Sed contrà. Lauræa *præcit. art. 4. num. 55. resp. 2.* ait neque materiale peccatum dici posse, eo quod neque post factum à faciente, aut ab alio cognoscibilis sit ullius consecrationis invaliditas; quia tamen non sine quæstione de nomine contendetur ad peccatum materiale requiri, quod ut tale ab aliquo, saltem post factum, cognoscatur, permitto consecrationem dumtaxat physicè invalidam fore materiale peccatum, & dato antecedente, nego consequentiam, tùm quia malè supponit consecrationem physicè invalidam multoties sequi, cum potius vix umquàm sequatur, attento enim modo quo nunc in ordinatione paulatim, & altè verba consecratoria proferuntur, vix umquàm potest contingere non perfici ab omnibus simul:

65

Consecratio physicè, non moraliter invalida, sitne dicenda peccatum, seù sacrilegium, materiale?

simul: tùm multò magis, quia illicitum est præcipere aliquid, ex quo sequatur peccatum materiale, quando ex vi præcepti, & intentione præcipientis tale peccatum sequitur in aliquâ determinatâ persona, ut in exemplo inducentis ebrium ad homicidiū, secùs quando sequitur per accidens, præter præcipientis intentionem, & vagè in aliquo ex multis; est quippè ferè de quolibet præcepto multoa obligante inevitabile, quin aliquis ipsum saltem materialiter transgrediatur, & peccatum materiale ipsius occasione committat.

66

Quomodò novis Sacerdotibus sacrificantibus cum Episcopo liceat non sumere sub utraque specie?

Modus assertus, & hucusque explicatus, ac propugnatus est reliquis præcedentibus melior etiam ex alio titulo, nimirùm ex eo quod melius quàm reliqui salvet, quod Sacerdotibus simul cum Episcopo ordinante consecrantibus sub utrâque specie, & sacrificantibus, liceat communicare, & sumere, ut semper de facto communicant, & sumunt sub unicâ, & solâ specie panis; melius inquam salvat, quia eo ipso quod constituunt moraliter unum Ministrum cum Episcopo tamquàm cum Capite, ut ita dicam, & celebrante principali, in personâ Episcopi sumunt omnes moraliter etiam sub specie vini; & præterea in quolibet Sacrificio Eucharistico debet quidem utraque species sumi, at satis est quod sumatur à Ministro, & celebrante principaliore, etsi non ab alio quocumque, quando sunt plures; Quomodò deindè independenter ab hâc doctrinâ possit aliundè præsertim ex Ecclesiæ dispensatione sustineri licitus ritus, quo novi Sacerdotes sub unicâ specie in ordinatione communicant, colligi poterit ex dicendis *lib. seq. cap. 3. § 6.*

67

Cur Ecclesia statuerit novos Sacerdotes cōsecrare, & sacrificare simul cū Episcopo?

Duo in præsenti supersunt breviter expedienda; Primum est, cur Ecclesia statuerit omnes Sacerdotes recèns ordinatos consecrare simul cum Episcopo ordinante? Secundum, cur non statuerit omnes, sed solum Episcopum sumere sub utrâque specie?

Quo ad primum respònderi solet, & responsionem innuit D. Thomas *præcit. art. 2. ad 1.*, responderi, inquam, solet id ecclesiam statuisse ad imitandum Christum Dominum, qui in eucharistiæ institutione Apostolos, quos ad sacerdotium ordinavit, ad concenandum adhibuit; sed hæc ratio displicet Durando *præcit. quæst. 3. num. 10.* & parùm placet Arriagæ *præcit. num 68.* ubi proptereà aliam affert dicens ecclesiam voluisse omnes simul consecrare ad ostendendum sacerdotes accipere æqualem cum Episcopo potestatem in ordine ad consecrandum; rationem hanc non improbo, at simul dico benè sumi aliquam congruentiam ex eo, quod Christus fecit in ultimâ cænâ, ex eo scilicèt quod in plurali dixerit *Hoc facite in meam commemorationem*, videtur institutioni, & cænæ à Christo factæ congruum, quod aliquando plures simul consecrent, nec potuit ipse tunc ad simul consecrandum Apostolos adhibere, cum istos solùm post consecrationem à se factam sacerdotes ordinaverit; præter quod si ordinasset antecedenter, & admisisset ad simul faciendam primam consecrationem, visus fuisset ipsos habere tamquàm socios, & consortes ipsius institutionis sacramenti.

68

Cur statuerit eosdem cōmunicare sub sola specie panis?

Quò ad secundum, rectè dicitur id ecclesiam statuisse ad insinuandam aliquam eorum, qui ordinantur, inferioritatem ad Episcopum ordinantem, & fortè etiam ad vitandum periculum effusionis, & irreverentiæ, sine quâ vix potest sanguis sumi à valdè multis, ut sæpè sunt sacerdotes, qui simul ordinantur: Undè quia utrâque ratio cessat in consecratione Episcopi, in quâ non consecrantur simul valdè multi, sed unus, aut certè valdè pauci, Episcopus, qui consecratur non solum profert verba consecratoria simul cum Episcopo consecrante, sed etiam communicat sub utrâque specie, sicut Episcopus consecrans.

69

Talia communio videtur adhùc Sacerdotalis potiùs, quàm laica.

Ex dictis habetur, quod *præced. num. 52.* attigimus, licitum ritum consecrationis simul factæ à pluribus difficilius salvari in ordinatione sacerdotum, quàm in consecratione Episcoporum, verificari non solum ratione majoris periculi, quòd quis tardiùs, & inutiliter perficiat verba consecratoria, sed etiam ratione sumptionis partialis, sub unicâ specie panis, & aliquantulum similis communioni laicæ; aliquantulum, inquam, similis t nam aliqui, inter quos Lugus *disp. 11. sec. 8. num. 175.* volunt esse in re communionem sacerdotalem, & partialem consumptionem sacrificii, & ad hoc ducuntur duplici argumento; Primum est, quia in ordinationibus reliqui ad ordines Præsbyteratu inferiores promoti jubentur more laicorum recitare confessionem generalem, Præsbyteri jubentur non recitare, quia recitarunt in principio Missæ, quod est proprium eorum, qui ut Præsbyteri, & communione sacerdotali communicant: Secundum, quia in ijsdem Episcopus ordinans jubetur tot hostias consecrandas apponere, quot sunt ordinati, sicque quilibet novus sacerdos sumit de materiâ tunc à se consecratâ, quod pariter est proprium communionis sacerdotalis. Hinc

Non videtur posse ab Episcopo dispensari.

Lugus *ibid.* infert novos sacerdotes in ordinatione nequidem ex dispensatione Episcopi posse communionem omittere, eo quod hanc faciunt ad complementum sacrificii, à quo per consumptionem complendo non dispensantur ab ecclesiâ totaliter, & absolutè, sed partialiter solum, & secundum quid, idest secundùm speciem vini.

CAPUT II.

De Ministro distribuente, seù dispensante Eucharistiam.

1

Expedito principaliore ministerio, quod in Eucharistiâ conficiendâ exercetur, succedit ministerium minus principale, quod exercetur in Eucharistiâ distribuendâ; De isto eadem ferè,

qua

quæ de illo in quæstionem veniunt, cum hoc tamen discrimine, quod pro illo priore ministerio magnâ ex parte fuit actum quo ad validè, pro isto posteriore erit dumtaxat agendum quo ad licitè; nam Eucharistia, antequam distribuatur, seù dispensetur, supponitur in ratione sacramenti validè confecta, ut verò deindè ipsa dispensatio sit suo modo valida idest cum fructu, & effectu, pendet à dispositione sumentis non à dispensantis conditione. Ex eo, quod agendum sit dumtaxat quo ad licitè, sequitur materiam hujus Capitis esse moralem magis, quàm Scholasticam; at non idcireò est prorsus omittenda, benè verò pertractanda, nunc more scholastico, idest stabiliendo regulas generales, non discurrendo Casuistarum more per casus particulares, quamvis ex iis aliquos incidenter occurrentes non effugiemus, aliquos etiam libenter deducemus tamquam corollaria.

---

§. I.

Utrùm pro licitâ Eucharistiæ dispensatione requiratur in Ministro potestas, tùm Ordinis, cùm Jurisdictionis?

ASSERT. Pro licitâ Eucharistiæ dispensatione requiritur in Ministro potestas, tùm Ordinis, tùm Jurisdictionis. Est assertum inter Catholicos receptissimum, licet quo ad potestatem ordinis sit contrà Sectarios eam omninò negantes, & nequidem pro Eucharistiâ conficiendâ requirentes ut *cap. præced.* §. 1. retulimus: Quo ad potestatem verò jurisdictionis contrà Petrum Vincentium de Marzilla, & Paulum de Valderas Theologos Benedictinos relatos à Lugo *disp. 17. sec. 1. num. 4. & 6.* Item *sec. 3. num. 31* ubi de tali opinione ait, *An sine temeritate? viderint alij*.

2

Probatur: Eucharistiæ dispensatio est actus, tùm ordinis, tùm jurisdictionis, ergo pro ipsâ ut sit licita, requiritur in Ministro, tùm ordinis, tùm jurisdictionis potestas; Consequentia patet, quia sicuti in physicis quilibet effectus naturalis debet procedere à suâ potentiâ physicâ; ità in moralibus quilibet actus bonus, & licitus à suâ potentiâ morali.

Pro licita Eucharistiæ dispensatione requiritur in Ministro potestas Ordinis.

Probatur antecedens quo ad primam partem: Eucharistiæ consecratio est actus ordinis, ergo & ejusdem dispensatio, ut potè quæ ad consecrationem se habet ut actus secundarius ad primarium; ambo igitur sunt actus ejusdem potestatis, si unus est actus potestatis ordinis, talis est, & alter; Unde ipse Christus in Eucharistiæ institutione utrumque exercuit, & in verbis illis *Hoc facite* &c. Luc. 22. Apostolos ad Sacerdotium ordinans utrumque Apostolis demandavit, utriusque potestatem impertivit, utriusque etiam meminit Apostolus 1. *Cor.* 4. loquens ut Sacerdos, & in personâ Sacerdotum *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, ubi mysteriorum nomine veniunt in primis sacramenta, & maximè Eucharistia sacramentorum maximum. Confirmatur ex eo, quod ut tradit D. Thomas *hic quæst. 82. art. 3. & in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2.* Sacerdos ratione ordinis est medius inter Deum, & populum, ad ipsum autem ut sic medium sicut pertinet dona populi Deo offerre, quod est Eucharistiam consecrare, & sacrificare, ità & dona divinitus sanctificata populo tradere, quod est Eucharistiam dispensare: Est igitur Eucharistiæ dispensatio actus ordinis, sicut consecratio quamvis secundarius, & minus præcipuus.

3

Requiritur item potestas jurisdictionis.

Probatur idem primum antecedens quo ad secundam partem, quia actus pascendi oves est Pastoris proprius, ejusque jurisdictioni alligatus, dispensare autem Eucharistiam est Christi oves pascere ipsius Christi carne; est igitur Pastoris, & jurisdictionis pastoralis actus. Præter quod cum jurisdictio requiratur, tùm ad dispensanda, seù ministranda alia sacramenta, tùm ad docendum, seù pascendum populum pabulo doctrinæ; multo magis requiri debet ad dispensandum sacramentum inter omnia præcipuum, & singulare pabulum carnis Dominici. Confirmatur ex Conciliis Chartag. *cap.* 17. & Milevit. *cap.* 18. statuentibus, ne quisquam sivè Clericus, sivè Laicus communicet in alienâ Parochiâ. Item ex Clementina de Privilegiis cap. *Religiosi*. Ubi dicitur *Ne religiosi præsumant ministrare Eucharistiam Laicis, aut Clericis absque Parochi licentiâ*. Colligitur hoc idem ex privilegiis, quæ posteà Religiosi à Summis Pontificibus ad hoc præstandum obtinuerunt, quibus certe privilegiis, & ante hæc Parochi licentiâ ipsis opus non fuisset, nisi jurisdictio, quâ ipsi carent ad Eucharistiam dispensandum requireretur, & sicuti ex Conciliis præcitatis nemini licet Eucharistiam suscipere à non Pastore, seù Pastore alieno, ità proportionaliter nemini liceret eamdem distribuere ovibus non propriis, seù non subditis.

4

Cur ad dispensationem potius quam ad consecrationem Eucharistiæ requiratur potestas jurisdictionis.

Dices: Ad licitam Eucharistiæ consecrationem sufficit in Sacerdote potestas ordinis, nec ulla potestas jurisdictionis requiritur, ergo similiter ad licitam Eucharistiæ dispensationem, quod enim sufficis ad actum primarium, & principaliorem, debet à fortiori sufficere ad secundarium, & minus principalem. Sed contrà: Concedo antecedens, nego consequentiam; illud, quod additur, procedit solum, quando cætera sunt paria, non sunt autem paria in præsenti, nam consecratio versatur dumtaxat circà corpus Christi verum, circa quod non potest dari, aut exerceri ulla humana jurisdictio; dispensatio versatur etiam circa corpus Christi mysticum, idest oves, & gregem Christi, circà quod corpus datur, & in solis Pastoribus residet ordinaria jurisdictio. Retorqueri potest instantia in sacramentali absolutione, quæ pariter est in Sacerdote

actua

actus minus principalis, ac inferior consecratione, & tamen præter potestatem ordinis, requirit, ex eo quod circà corpus Christi mysticum versetur, potestatem jurisdictionis, quam non requirit consecratio.

Urgebis: Quia absolutio sacramentalis est jurisdictionis actus, sacerdos non solum illicitè, sed etiam invalidè absolvit sine jurisdictionis potestate; ergo arguendo ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis; Quia sacerdos sine jurisdictionis potestate dispensat eucharistiam validè, eucharistiæ dispensatio non est jurisdictionis actus. Confirmatur: Pro potestate absolvendi sacramentaliter, non pro potestate dispensandi eucharistiam requiritur superioris jurisdictionem habentis, idest Episcopi approbatio; ergo quia illa non ista est potestas jurisdictionis, & absolutio, non dispensatio est jurisdictionis actus. Sed contrà:

5

Cur defectus jurisdictionis irritet absolutionem sacramentalem, non dispensationem Eucharistiæ.

concedo antecedens, nego consequentiam; neque enim benè arguitur ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, ubi non sunt cætera paria, nec antecedens est ratio adæquata consequentis, ut in proposito, ubi absolutio, non præcisè quia est actus jurisdictionis, sed etiam quia est pars sacramenti, & potest à Ministro validè, vel invalidè poni, redditur invalida, si ponatur à sacerdote sine potestate jurisdictionis: hæc non militant in eucharistiæ dispensatione, ut potè quæ non est pars sacramenti, nec potest invalidè fieri, aut saltem eâ ratione, quâ potest esse invalida, potest esse talis defectu subjecti suscipientis, non defectu Ministri dispensantis, ut *num.* 1. insinuatum est. Accedit, quod sacramentalis absolutio

6

Jurisdictio quænam sit rigorosa, & propria; quænam non ità?

est sententia judicialis, ac per consequens actus jurisdictionis rigorosæ, & proprijssimæ, ad quam solam spectat sententiam, aut jus dicere, ut observat Vasquez hic *disp.*219. *cap.*3.*num.*30. eucharistiæ dispensatio est spiritualis ovium nutricatio, adeòque est actus jurisdictionis non ità propriæ, & rigorosæ similis, ei quam habet Pastor in proprium gregem, Paterfamilias in proprios domesticos; ideò nil mirum, si actus ad priorem jurisdictionem pertinens sine illâ sit irritus, non sic actus pertinens ad posteriorem. Neque dicas, hanc jurisdictionem minùs propriam cuilibet sacerdoti competere ex vi ordinationis præcisè, cum per istam quilibet constituatur omnium fidelium Mediator apud Deum, & quasi Pater spiritualis.

Sacerdos ex vi ordinationis habet aliquã jurisdictionem solum aptitudinaliter, & in actu primo

Contrà enim: Quilibet sacerdos ex vi ordinationis constituitur omnium fidelium Mediator, & Pater aptitudinaliter, & in actu primo, eâdemque ratione cuilibet sacerdoti competit ex vi ordinationis minùs propria jurisdictio; ut deindè quilibet sit talis, jurisdictionemque minùs propriam habeat exercitè, & in actu secundo, requiritur quod aliqui determinatè ipsis assignentur, & subjiciantur: Sicut etiam quilibet sacerdos constituitur pro foro sacramentali. Judex in actu primo, & habens jurisdictionis rigorosæ aptitudinem, ut verò talis sit in actu secundo, & exercitè requirit sibi fieri subditorum designationem.

Ad confirmationem dico approbationis nomine intelligi posse, vel præcisè superioris consensum, quatenùs quilibet approbare dicitur, id in quod consentit; vel experimentum, & judicium idoneitatis, quatenùs quis approbat, & declarat aliquem ad aliquid idoneum, quem talem esse per examen, aut aliter expertus est: Primo modo dico in non habente jurisdictionem ordinariam requiri approbationem etiam pro eucharistiæ dispensatione, quàmvis deindè pro hâc, non pro sacramentali absolutione sufficiat superioris, ad quem pertinet, approbatio, seù voluntas præsumpta, & valdè implicita regulariter loquendo, ut attingetur infrà *num.* 52. undè in hoc sensu ad utrumque actum requiritur, quàmvis non omninò æqualis approbatio, & concedi potest pertinere ad potestatē jurisdictionis.

7

Approbatio ad sacramentorum ministeriũ duplex: Altera requiritur etiam pro Eucharistiæ dispensatione

Secũdo modo dico Sacerdotes, qui Pastores nõ sunt, nec potestatē ordinariæ jurisdictionis habent, Episcoporũ approbatione indigere pro sacramentali absolutione, non pro dispensatione eucharistiæ; quia illius duntaxat facit mentionem, non istius Tridentinum *sess.*23.*cap.*15. vbi statuit sacerdotes non habentes parochiale beneficium debere ab Episcopis approbationem obtinere: Verùm hæc approbatio non pertinet propriè ad potestatem jurisdictionis, alioqui posset fieri à quolibet potente jurisdictionem concedere, etiam a Parocho pro suâ parochia, quod falsum est, non tàm igitur est jurisdictionis concessio quàm conditio prævia, & ex Concilii decreto prærequisita ad talem concessionem. Scito autem hic obiter rationem exigendi peculiarem Præsbyterorum approbationem ad audiendas Confessiones potiùs, quàm ad dispensandam eucharistiam esse posse majorem peritiam, & probitatem ad illud, quam ad istud munus necessariam, quatenus pro illo requiritur ad minus scientia, quâ distinguantur quò ad speciem, & numerum peccata, & desideratur probatior virtus ad vitanda gravia pericula facilè insurgentia ex familiari, & secretâ collocutione cum Pænitentibus, præsertim cum fæminis, quæ non militant pro munere dispensandi particulas consecratas, ideò &c.

Aliqua solùm pro absolutione sacramentali;

Et cur?

8

Stabilito, quod pro licitâ Eucharistiæ dispensatione ultrà potestatem ordinis requiratur potestas jurisdictionis, expedit circà istam, antequam ulterius procedatur, unum advertere, alterum inferre. Adverto igitur potestatem jurisdictionis dividi in ordinariam, & delegatam: Ordinaria dicitur, quæ est annexa alicui officio, & ratione officii convenit Personæ tale officium habenti, undè etiam dicitur potestas ex officio, sicut potestas delegata potestas ex commissione, & est illa, quæ alicui communicatur, seù committitur ab habente potestatem ordinariam; una æquè, ac altera ad Eucharistiam licitè dispensandam sufficit: Priorem habent Summus Pontifex pro toto orbe, Episcopi pro suis Diecæsibus, Parochi pro suis Parochiis; posteriorem Re-

Potestas jurisdictionis alia ordinaria, & ex officio; alia extraordinaria, delegata, & ex commissione.

guiares

gulares pro suis Ecclesiis ex concessione Summorum Pontificum, alii simplices Sacerdotes pro Ecclesiis, in quibus solet Eucharistia dispensari ex concessione, vel explicitâ, vel implicitâ, & præsumptâ proprii Pastoris. qui ex communi consuetudine jure præsumitur id concedere, quoties non prohibet, nec aliundè constat ipsum esse invitum.

9 Dispensatio Eucharistiæ sine omni jurisdictione facta est ex genere suo peccatum lethale.

Infero ex dictis peccaturum lethaliter Sacerdotem, qui sine omni jurisdictione etiam delegatâ Eucharistiam dispensaret, hancque alienis ovibus sine ullâ proprii Pastoris licentiâ traderet, usurparet enim jus alienum in re gravi, & quantum est de se, turbaret graviter pacem, gubernationemque Ecclesiæ: Huic tamen peccato quamvis gravi, & lethali ex genere suo monet Vasquez *præcit. num.* 30. nullam pœnam canonicam, seù à jure esse universim impositam, universim, inquam idest, quæ omnes afficiat, nam Regularibus præsumentibus ministrare Eucharistiam Laicis, aut Clericis absque Parochi licentiâ est singillatim imposita excommunicatio in præcitatâ Clementinâ *Religiosi*. Videri etiam potest *ex cap.* 1. *&* 2. *de Clerico non ordinato ministrante*, ex quo sunt irregulares Clerici solemniter exercentes actum ordinis nondum suscepti, ex tali inquam capite videri potest singillatim à jure imposita irregularitas Diaconis, si solemniter dispensent Eucharistiam sine commissione Sacerdotis; Verum si, ut putat Amicus *hic disp.* 31. *sec.* 3. *num.* 50. irregularitatem sic dispensando incurrunt, provenit ex defectu ordinis, non ex defectu jurisdictionis, ideò non est censenda pœna imposita peccato jurisdictionis in Eucharistiæ ministerio violatæ, de quo nunc agitur.

10 Quomodò ob tale peccatum sit imposita Religiosis pœna excommunicationis?

Redeo jam ad excommunicationem in Clementinâ *Religiosi* latam, & adverto sub ipsâ non comprehendi Religiosos gaudentes pro Eucharistiâ populo dispensandâ peculiaribus Summorum Pontificum concessionibus, & privilegiis, quibus quidem, aut directè, & per concessiones propriæ Religioni factas, aut per communicationem privilegiorum concessorum aliis, modò omnes Religiosi gaudent; quando deindè nullo privilegio gauderent, incurreretur prædicta excommunicatio solum ab illis, qui sine licentiâ Parochi ministrarent eo, quod prætextu exemptionis contenderent, ac præsumerent se eâ non indigere; secus si id facerent, & licentiam petere omitterent ex ignorantiâ obligationis petendi, aut ex præsumptione concessionis implicitæ: Item incurreretur solum ob dispensationem factam Laicis, non sic ob factam Religiosis, sivè propriæ, sive diversæ religionis, ut loco præcitato observatur à Vasquio, aliisque apud ipsum, apud quos simul invenies alia non pauca ad prædictæ Clementinæ intelligentiam pertinentia; nos interim prosequimur ea, quæ sunt loci, & instituti præsentis magis propria: Ideò sit

§. II.

Quam potestatem habeat pro Eucharistia dispensatione solus Sacerdos, quam habeat, aut habere possit etiam Diaconus?

11

ASSERT. I. Solus Sacerdos habet pro Eucharistiæ dispensatione potestatem ordinis, & ipse solus potest per se, & jure proprio eam dispensare. Ità D. Thomas *quæst.* 82. *art.* 3. *in c. &* *in* 4 *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. Scotus *eâdem dist. quæst.* 2. in fine Alensis 4 *par. quæst.* 11. *memb.* 2. *art.* 3. §. 2. & reliqui communiter partim 3. *par. quæst.* 82. partim *in* 4. *dist.* 13. & licèt videantur aliqualiter adversari Auctores *seq. num.* 14. afferendi pro sententiâ docente convenire Diacono ex officio potestatem dispensandi Christi sanguinem, nihilominus vel præsenti asserto in re non adversantur, vel certè audiendi non sunt, ut constabit ex dicendorum progressu.

Solus Sacerdos potest ex potestate ordinis, per se, & jure proprio Eucharistiam dispensare.

Probatur in primis ex eo, quia ea quibus *præced. num.* 2. probavimus Eucharistiæ dispensationem esse ordinis actum, & ordinis potestatem requirere, non de alio, quam de Sacerdotii, seù Præsbyteratus ordine procedunt, quem ordinem sicut habet solus Sacerdos, ità consequens est, quod ipse solus habeat pro Eucharistiæ dispensatione ordinis potestatem. Confirmatur deindè tùm aliis auctoritatibus mox afferendis pro tali dispensatione à Diacono, eo quod sacerdotalis ordinis potestate careat, faciendâ ex solâ Sacerdotis commissione; tùm singillatim auctoritate Tridentini *sess.* 13. *cap.* 8. dicentis de Eucharistiæ sumptione, *Semper in Ecclesiâ Dei mos fuit ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent*; Non fuisset autem semper hujusmodi mos, nisi solis Sacerdotibus jure proprio, & ex potestate ordinis communicandi munus conveniret: Tum denique verbis illis, quæ canit Ecclesia in officio Corporis Christi *Cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris*, quæ quidem verba, cum & in solemni quodammodo Ecclesiæ approbatione sint, & habeant Auctorem D. Thomam, qui officium corporis Christi de mandatò Urbani IV. edidit, magnâ pollent auctoritate. Confirmatur insuper ratione; illud convenit Ecclesiæ Ministris per se, jure proprio, & ex ordinis potestate, quod illis confertur simul cum proprii ordinis collatione; illud autem sic confertur, quod ratione sui, aut saltem ratione alterius, cum quo necessariam connexionem habeat, exprimitur per formam, aut traditur per materiam talis ordinis; atqui potestas Eucharistiæ dispensandæ ità se habet respectu solius Sacerdotis, & solius ordinis Sacerdotalis, non respectu alterius, & signanter non respectu Diaconi, & Diaconatus; ergo talis potestas soli Sacerdoti convenit

12 Quidnam Ecclesiæ Ministris competat ex potestate ordinis?

venit per se, jure proprio, & ex potestate ordinis, ac per consequens solus Sacerdos habet pro Eucharistiæ dispensatione &c. Minor perspicua fiet discurrenti per formas, & materias singulorum ordinum, & signanter quoad Diaconatum probatur, quia ipsius materia est liber Evangeliorum cum formâ exprimente Evangelii legendi potestatem, aut etiam est simul impositio manuum Episcopi cum prolatione istorum verborum *Accipe Spiritum Sanctum ad robur ad resistendum Diabolo, & tentationibus, in nomine Domini*, ut vult Sylvius in supplem. *quæst.* 37. *art.* 2. *quæsit.* 3. Quis autem non videat in hujuscemodi formis, & materiis, non exprimi, nec tradi potestatem Eucharistiæ dispensandæ, aut alterius actus, cum quo Eucharistiæ dispensatio per se connectatur? Benè verò id elucet in materiâ, & formâ præsbyteratus (subintellige ut constituentis Ministrum altaris, & Eucharistiæ, de eodem enim ut constituente Ministrum pœnitentiæ hic non agitur) materia quippè est calix cum vino, & patena cum hostiâ, forma constat verbis exprimentibus potestatem offerendi sacrificium, in quâ continetur potestas conficiendi sacramentum, & ad hanc per se pertinet tamquam actus secundarius ejusdem sacramenti dispensatio; Undè Tridentinum *sess.* 23 *cap.* 1. expressè ait à Domino Salvatore traditam esse Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus potestatem *consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus, & sanguinem ejus*; & re verâ quando ipse dixit, *Hoc facite* &c. non solum consecraverat, & obtulerat, sed & ministraverat, seù dispensaverat aliis; horum igitur omnium potestas fuit tunc tradita in ordinatione ab ipso illis verbis factâ, eademque nunc traditur in omni ordinatione Sacerdotum, quæ ab Episcopis fit.

13

14 Dices: Quod competit alicui Ecclesiæ Ministro ex officio, competit ex vi ordinationis, & ex potestate ordinis; ordinationes enim, & potestates ordinis distinguunt in ordinatis officia, & ministeria: atqui competit Diacono ex officio dispensatio Eucharistiæ sub specie sanguinis, ergo ista dispensatio eidem competit ex vi ordinationis, seù ex potestate ordinis, ergo hanc pro Eucharistiæ dispensatione saltem partiali habet non Sacerdos solus, sed & Diaconus: Minor traditur à D. Thomâ *præcit. art.* 3. *ad* 1. &

15 *præcit. quæstiunc.* 2. *in c.* Item à Paludano *in* 4. *dist.* 13 *quæst.* 1. *art.* 4. Soto *eâd. dist quæst.* 1. *art.* 3. Goneto *hic disp.* 10. *art.* 2. *num.* 14. Valentia *quæst.* 10. *punc.* 1. Ledesmâ *in* 4. *par. quæst.* 23. *art.* 3. Sylvestro in Summâ verb. *Diaconus quæst.* 2., & aliis, nec paucis, nec contemnendis Auctoribus. Sed contrà: Isti Auctoribus. Sed contrà: Isti Auctores saltem majori ex parte, & inprimis D. Thomas tribuunt Diacono potestatem sanguinis dispensandi ex officio, at suppositâ commissione Sacerdotis non per se, & jure proprio: ideò si ex ordine Diaconatus habetur aliqua pro Eucharistiæ dispensatione potestas, est etiam juxtà dictos Auctores inferior, subordinata, & diversa ab eâ, quam asseruimus ex præsbyteratus ordine conferri, ac soli Sacerdoti competere; & hoc quidem esse posset sufficiens instantiæ solutio: Nilominus occasione libenter acceptâ res de Eucharistiæ à Diacono dispensatione est aliquantulò altius repetenda, tùm quo ad substantiam, & quid facti, tùm quo ad modum, & quid juris, ut ità dicam: Ideò

16 Quid in praxi de Eucharistiæ dispensatione à Diacono antiquitùs?

Adverto primò antiquitus, & vigente usu communionis sub utrâque specie consuevisse Diaconos Eucharistiam dispensare, frequentius quidem sub specie vini, aliquando tamen etiam sub specie panis: pro quâ re plura antiquorum Patrum, & Conciliorum loca profert Estius *in* 4. *dist.* 13. §. 1. Mihi pro dispensatione sanguinis, & specierum vini sufficiant verba, quæ tamquam à Divo Laurentio Diacono ad Sixtum Pontificem dicta recitat Ecclesia *Experire utrùm idoneū Ministrū elegeris, cui cōmisisti Dominici sanguinis dispensationem*: Item carmina, quibus Arator Diaconus, & Poeta de institutione, seù ordinatione septem Diaconorum ab Apostolis factâ cecinit,

Jura ministerij sacris altaribus apti
In septem statuere viris, quos undique lectos
Levitas vocitare placet: Quàm splendida cæpit
Ecclesia fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat Agni.

Pro dispensatione verò corporis, & specierum panis sufficiat Decretum Concilii Carthaginensis IV. *can.* 38. statuentis *Ut diaconus præsente præsbytero Eucharistiam corporis Christi populo si necessitas cogat, jussus eroget.*

17 Quid de eadè nunc?

Adverto secundò post abolitum, & prohibitum usum communionis laicæ sub utrâque specie solere species vini à Diacono ministrari solum, quod sciam, in Capella Pontificiâ, in quâ Papa solemniter celebrans sumpto ad altare propriis manibus Christi corpore extrà altare sedet, & ei sedenti Diaconus calicem consecratum defert, ac porrigit. Solet tamen adhùc Diaconus, aut certe potest ministrare sub specie panis non infrequenter, quoties scilicet id ei committit sacerdos urgente necessitate etiam communi, & modicâ, de quâ infrà *num.* 27.

18

Adverto tertiò ex more, quo olim Diaconi valdè frequenter, & fortè etiam ferè semper ministrabant populo species vini, multo rarius verò, & fortè fere numquàm species panis, aliquos deduxisse, quod species vini ministrarent ex officio, & absque eo quod occurrent ulla peculiaris necessitas; aliquos adhuc ulteriùs processisse dicendo, quod nullâ sacerdotum commissione, seù delegatione ad id indigerent

Pri-

Cur antiquitus Diaconus soleret dispensare sanguinem, potius quam Corpus Christi.

Primum tribuitur Auctoribus *praced. num.* 14. relatis; Secundum aliquibus ipsorum, & signanter Soto, ac Ledesmæ: Isti verò omnes rationem illius frequentioris ministerii, & deductionis à se factæ circà Christi sanguinem potiùs quam circà corpus desumunt præcipuè ex eo, quod sanguis utpote in vase contentus in se non tangitur à dispensante, sicut oportet tangi corpus, quod tamen æquè, ac sanguis nequit in se tangi licitè à non habente manus sacratas, ut non habet Diaconus, sed solus sacerdos. Aliis non placet undequaque hæc ratio, & ab Estio *pracit.* §. 1. notatur ut parum fundata in sactis canonibus, qui, ut ipse ait, utriusque speciei dispensationem indiferenter Diaconis concedunt. Nec magis iisdem placet deductio facta ab eo, quod Diaconorum manus non sint sacratæ, quia antiquitus, inquiunt, & antè Concilium Cæsaraugustanum, dum corpus Christi sumendum dabatur, permittebatur tangi etiam manibus Laicorum, in nudâ quippè virorum ad communionem accedentium dexterâ ponebatur, ut referunt Baronius anno Christi LVII. *num.* 22. & Sylvius *hic quæst* 82. *art.* 3. nec non Gonetus *pracit. art.* 2. *num.* 20. tunc igitur, inferunt, dispensationi corporis Christi à Diacono nil obstabat ipsum esse tangendum Diaconi manibus non sacratis: Aliam propterea hi posteriores Auctores, inter quos Amicus *disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 13. afferunt rationem illius antiqui moris, quo Diaconus sanguinem potius quàm corpus ministrabat; dicunt scilicet, quod cum tunc eucharistia ministraretur sub utrâque specie, & prius porrigeretur species panis, dum propter penuriam sacerdotum, & copiam communicantium non commodè poterat porrigi utraque à sacerdote, congruebat ab isto porrigi illam, quæ prius, à Diacono illam, quæ posterius ministrabatur, & hæc erat species vini continens Christi sanguinem, ideò &c. Sit iam

19

Antiquitus Corpus Christi, dum sumendum dabatur, permittebatur tangi etiam manibus Laicorum.

20

Assert. 2. Diaconus habet, & habuit aliàs pro eucharistiæ, etiam quo ad species vini, dispensatione potestatem solum delegatam ex commissione sacerdotis; & nec potest, nec umquam potuit eucharistiam, nequidem quo ad species vini dispensare ex officio propriè, & simpliciter loquendo. Ità Scotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst* 2. in fine Estius *ead. dist.* §. 1. Lauræa *disp.* 24 *art.* 5. Herinex *disp.* 5. *quæst.* 2. Suarez *disp.* 72. *sec.* 1. Vasquez *disp.* 219. *cap.* 1. Amicus *disp.* 31. *sec.* 1. Lugus *disp.* 18. Arriaga *disp.* 48. *sec.* 1. & reliqui magis communiter; quamvis in ly *quo ad species vini* præsertim relatè ad ly *ex officio* sit contrà Auctores citatos *num.* 14. inter quos tamen D. Thomas est benignè interpretandus, & intelligendus in ly *ex officio* latè, ac minùs propriè in sensu inferius explicando *num.* 24.

Probatur primò auctoritate: Ex dist. 93. de Consecrat. *Non decet Diaconum panem dare præsente Præsbytero*. Ex præcit. can. 38. Concilii Carthaginensis *Si necessitas cogat jussus eroget*. Ex Clemente Romano lib. 8. Constitut. Apostolicar. cap. 28. *oblatione ab Episcopo, aut Præsbytero factâ, ipse Diaconus dat Populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam, qui ministrat Præsbytero*: In his textibus ly *Non decet*. Ly *Jussus eroget*. Ly *Tamquam qui ministrat Præsbytero* omninò inferunt Diaconum non ministrare eucharistiam potestate ordinariâ, & jure proprio, si enim sic ministraret, id ipsum deceret etiam Præsbytero præsente, non deberet expectare Præsbyteri jussum, nec se haberet ut ministrans Præsbytero, quod sonat esse Præsbyteri organum, & instrumentum.

Diaconus solum potestate delegata, & ex cōmissione Sacerdotis Eucharistiam dispensat.

Dices istos textus loqui de solis speciebus panis, & Christi corpore, ideò nil probare quo ad species vini, & Christi sanguinem, cum præcipuè istius dispensationem sine ullâ ex prædictis restrictionibus Diacono tribuat Cyprianus *lib. de lapsis* circa finem dicens *Solemnibus adimpletis Diaconus calicem offerre præsentibus capit*: Quin & utramque speciem nullius restrictionis, aut commissionis factâ mentione consuevisse à Diacono dispensari, refert Justinus, cujus verba Vasquez *pracit. cap.* 3. *num.* 8. sic recitat. *Posteaquam, & is, qui præest, gratias egit, & populus omnis benedixit, ii, qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos, qui absunt, perferunt*. Sed contrà: In primis inter textus à nobis allatos ille Clementis Romani absolutè loquitur de totâ oblatione, adeoque etiam de sanguine, pro cujus dispensatione factâ olim à Diacono ex commissione expressum continent testimonium verba relata tamquam dicta à Laurentio ad Sixtum in ly *Cui commisisti*. Ad Cyprianum, & Justinum dico ipsorum auctoritatem esse negativam, commissionem enim quamvis non exprimant, non positivè negant; & cum de eâ aliundè constet, nil obest fuisse ab his duobus, aut etiam ab aliquo alio reticitam; nec necesse est in alicujus facti narratione referri ab omnibus omnem talis facti modum.

21

Etiam quo ad species vini.

Probatur secundò ratione: Si Diaconus haberet pro Eucharistiæ dispensatione potestatem ordinariam, nec commissione ullâ, aut delegatione indigeret, talis dispensatio esset ei actus proprii ordinis, est enim in præsenti de potestate ordinariâ ordinis, non jurisdictionis, sermo; atqui Eucharistiæ dispensatio non est Diacono actus proprii ordinis, ut jam suprà præsertim *nu.* 12. probatum est, & iterùm probatur ex eo, quia, ideò est Sacerdoti actus proprii ordinis, & potestatis ordinariæ, quia Sacerdos habet proprium jus, & potestatem ordinariam respectu consecrationis, ad quam dispensatio se habet, ut actus secundarius ad primarium; atqui Diaconus nullum habet, nec habere potest proprium jus, nullamque potestatem ordinariam respectu consecrationis, sivè specierum panis, sivè etiam specierum vini; ergo.

22

Nullatenus potestate ordinaria, seu proprii ordinis.

Neque dicas hoc argumento nimis probari, probari scilicèt tùm quod nullus sacerdos possit committere Diacono potestatem dispensandi, sicut nullus potest eidem committere potestatem consecrandi, tùm quod sacerdos ipse habeat jus, & potestatem ordinariam dispensandi solùm species à se consecratas, nam consecrationis ab uno factæ non videtur esse posse actus secundarius dispensatio, quæ ab alio fiat. Contrà enim, neutrum nostro argumento probatur,

23 & ad primum dico, quod sicut effectus formalis secundarius ab aliqua formâ, ità actus secundarius ab aliqua potestate est facilius separabilis, quàm primarius, ideò nil mirum, si eucharistiæ dispensatio, non consecratio possit à suâ potestate ordinariâ sacerdotis propriâ separari, & Diacono committi. Ad secundum dico potestatem ordinis ad consecrandum, & dispensandum esse in quolibet sacerdote ejusdem prorsùs rationis, ideò quemlibet posse populo dispensare species consecratas ab alio æquè, ac consecratas à se. Ad summum in actuali missæ celebratione, & ut sumat ipsemet, habet Sacerdos peculiare jus super hostias à se consecratas, quatenùs potest plures, vel pauciores, aut sumere, aut relinquere, ut observat Arriaga *praeit. sec.* t. *num.* 5. Ar ex hoc nihil ad rem nostram.

Sacerdos æquè potest dispensare species consecratas ab alio, ac consecratas à se.

Dices: Diaconatus est ordo propinquior Præsbyteratui, & Diaconus est Minister ex ordine, & officio proprio immediatus sacerdoti, ergo Diaconatus tribuit aliquam participationem præsbyteratus, & Diaconus ex ordine, & officio proprio ministrat sacerdoti in rebus sublimioribus, & dignioribus, qualis potissimum est dispensatio eucharistiæ, & propterea fortè cap. *Diaconus* dist. 23. de consecrat. dicitur *Diaconus dum ordinatur ad Ministerium consecratur*. Confirmatur: Ministrare eucharistiam utcumque ex commissione, & delegatione sacerdotis in casu necessitatis competit etiam subdiacono, etiam Clericis inferioribus, etiam laicis; atqui aliquid amplius, quàm istis competit respectu talis ministerii Diacono; ergo huic competit ministrare extrà casum necessitatis, & vel potestate ordinariâ, vel ex commissione proprio officio debitâ, & quam nequeat sacerdos denegare. Sed contrà:

24 Diaconatus ex eo, quod sit ordo Præsbyteratui propinquior, tribuit jus majoris propinquitatis, & prælationis ad alios in ministrando Præsbyteris, at non propriam participationem ipsius ordinis præsbyteratus. Diaconus ex eo, quod sit Minister immediatus, debet sacerdoti in sublimioribus, & dignioribus rebus, idest in eucharistiâ consecrandâ, & dispensandâ, immediatè assistere, & propè adesse, at non per se ipsum dispensare. Nec in Cap. *Diaconus* ly *consecratur ad ministerium* idem est, ac consecratur ad eucharistiæ dispensationem, sed ad proximè assistendum sacratiori ministerio sacerdotis. Ad confirmationem dico, vel laicis, & Clericis Diacono inferioribus non posse, ut *seq.* §. statuetur, à sacerdote committi eucharistiæ dispensationem, vel certè non ità congruè, ut Diacono; quod si hoc, quod est, Diaconum cum majori congruitate accipere potestatem, seù commissionem eucharistiæ dispensandæ, appelletur dispensare ex officio latè, & minùs propriè, non admodùm contendam, & promptius mihi erit id permittere, quam quæstionem de voce instituere; Substantia enim nostri asserti est, Diaconum non posse licitè, aut sine commissione dispensare, aut commissionem ipsam proprio jure exigere, cum quo benè stat ipsum habere pro tali commissione recipiendâ congruitatem, neque hanc ego inficior, sicuti pariter si vigeret usus communicandi laicos sub utrâque specie, non inficiarer aliquam majorem congruitatem committendi Diacono dispensationem dominici sanguinis potiùs quàm corporis; nec quidquam ampliùs puro intendere S. Doctorem tribuentem Diacono, ex commissione tamen, officium sanguinis dispensandi.

Pro Eucharistiæ dispensatione quid ampliùs Diaconus habeat, quam laicus, aut Clericus inferior?

25 Ex dictis maximè verò ex semel, & iterùm laudato canone Concilii Carthaginensis IV. habetur ad licitam dispensationem corporis Christi à Diacono (eadem per nos est ratio de dispensatione sanguinis) requiri tùm dispendandi necessitatem, tùm Sacerdotis jussionem, seù commissionem, & licèt D. Thomas *in praeit. resp. ad* 1. videatur necessitatem requirere solum pro dispensatione corporis; nihilominus ibi ità loquitur, quia antiquitùs necessitas dispensationis sanguinis à Diacono erat communis, & ordinaria, nec umquàm præsumebatur deesse propter rationem prælibatam *num.* 19. licèt item jussio, seù commissio Sacerdotis videatur requiri solùm, quando Sacerdos est præsens, cùm in Canone Concilii Carthaginensis IV. expressè ponatur *Præsente præsbytero*. Er in Concilio Niceno I. *can.* 14. statuatur *Quod si non fuerit in præsenti, vel Episcopus, vel Præsbyter tunc ipsi* (subintellige Diaconi) *proferant* (subintellige sacramentum de sacrario, in quo servatur) *& edant*. Nihilominùs id verum est de jussione, seù commissione formali, & explicitâ; non de præsumptâ, & implicitâ; illa scilicèt requiritur solùm, quando sacerdos est præsens, ista supponitur etiam, quando est absens; illam exprimit Concilium Carthaginense loquens in hypothesi sacerdotis præsentis; istam supponit, quamvis reticear, Concilium Nicænum loquens in hypothesi sacerdotis absentis. Ad summum,

Pro tali dispensatione à Diacono facienda requiritur tùm necessitas, tùm commissio Sacerdotis.

26 si ministrandum sit moribundo viaticum, videtur nòn necessaria Diacono sacerdotis commissio, sed posse ab ipso ministrari, etiamsi sacerdos, aut non valens, aut non volens ministrare per se, minuat etiam id Dicono præsenti, & potenti committere. Nihilominùs in hoc quoque casu, si Diacono id liceat, dici poterit adesse facultatem, commissionemvè præsumptam, aut Episcopi, aut Papæ, aut Christi, quamvis non Sacerdotis immediati. Ità innuunt Amicus *praesfect.* 1. *nu.* 16. Herinex *pract. quæst.* 2. *nu.* 8.

&

& Suarez *pracit. sec.* 1. §. *Difficultas verò*, qui singillatim monet debere in eo casu constare nullum imminere grave scandalum, & nullam esse Sacerdoti rationabilem causam negandi Diacono commissionem, quod fortè in praxi vix umquam potest satis constare.

27 *Talis necessitas requiritur extrema, non valdè gravis.* Si quæras hic obiter, Quam gravis necessitas requiratur, ut licitè possit Sacerdos committere Diacono dispensationem Eucharistiæ? Trita responsio est, non requiri extremam, nec admodum gravem, sed communem prudentis judicio sufficere, qualis censeri potest ex parte Sacerdotis occupatio in audiendis confessionibus, aut habendâ concione; ex parte communicantium annui præcepti impletio, jubilæi consecutio, aut ipsa communicantium solâ devotionis causâ multitudo: Imò antiquitus cum Eucharistia sub utrâque specie dispensabatur, pro ipsius dispensatione sub speciebus vini sufficiebat communis, quæ tunc erat Sacerdotum penuria. At, inquies obiter, quænam nunc est Papæ solemniter celebranti necessitas, ut juxta prænotata *num.* 17. de Diaconi manibus sanguinem sumat, adeòque in magnâ Sacerdotum copiâ sanguinis, & specierum vini dispensationem Diacono committat? Verum in primis dici potest, Papam ut potè jure canonico superiorem non indigere causâ pro commissione, de quâ agitur, & quæ solum ex jure humano canonico requiritur *ex seq.* §. 3. *num* 32. Deindè illa ministratio sanguinis, & specierum vini non est dispensatio communionis laicæ, de quâ quæstio procedit: Tandem ipsa summa Papæ dignitas, & singularis, quâ celebrat, solemnitas jure censebitur sufficiens causa illius peculiaris ritus, cæremoniæ, & commissionis.

28 *Potestas Ordinis dividi potest in ordinariam, & commissariam, seu delegatam.* Ex dictis insuper habetur divisionem potestatis in ordinariam, & commissariam, seu delegatam, de quâ suprà *num.* 8. convenire quidem potissimum potestati jurisdictionis, at posse quoque accommodari potestati ordinis, adeò ut sicut dicitur potestas commissaria jurisdictionis illa, quæ alicui convenit ex commissione habentis potestatem jurisdictionis ordinariam, ità dici possit potestas ordinis commissaria illa, quæ convenit ex commissione habentis ipsum ordinem, seu ordinis ordinariam potestatem; & certè potestas, quam asseruimus posse Diacono à Sacerdote committi pro Eucharistiæ dispensatione, est potestas commissaria, non jurisdictionis, sed ordinis, cum ratione istius, non illius committatur, & possit à Sacerdote etiam nullam habente pro Eucharistiâ dispensandâ jurisdictionem committi, sicut ex adverso pro eadem dispensatione potestas jurisdictionis committi à non habente pro illâ potestatem ordinis idest à non Sacerdote. Hinc si aliquis sit Pastor (puta Episcopus, vel Parochus) Diaconus tantum, non Sacerdos, & aliquis alius sit Sacerdos, non Pastor: Ille habebit pro Eucharistiæ dispensatione potestatem ordinariam jurisdictionis, non ordinis; iste ordinis, non jurisdictionis, & aliquis tertius pariter tantum Diaconus, poterit ab illo habere potestatem commissariam jurisdictionis, ab isto potestatem commissariam ordinis, & ex utriusque simul commissione communicare: Si verò duo illi priores inter se comparentur, unus indigebit commissione alterius; Episcopus Diaconus indigebit ad communicandum commissione Sacerdotis pro potestate ordinis, Sacerdos, non pastor indigebit commissione Episcopi Diaconi pro potestate jurisdictionis: *Pro Eucharistiæ dispensatione dubiis est potestas jurisdictionis sine potestate ordinis, & è converso.*

29 Quærunt hic aliqui, quinam ex his duobus magis pendeat ab altero pro Eucharistiæ ministratione? Lugus *disp.* 18. *sec.* 1. *num.* 16. putat prius debere intelligi Episcopum Diaconum dantem jurisdictionem Sacerdoti, antequam, vel iste, vel ille ex istius commissione dispensare possit, sicque potestas adæquata dispensandi prius debet esse in Sacerdote, quàm possit esse in Episcopo; proptereà in tali potestate videtur potior, & minus dependens Sacerdos, quam Episcopus. Arriaga *disp.* 48. *sec.* 1. *num.* 4. ait in hoc multum misceri de nomine, nec aliud certum esse, quam ambos ab invicem sub diversâ ratione, & respectu diversæ potestatis dependere: Non approbat, quod Episcopus debeat prius intelligi dans Sacerdoti commissionem jurisdictionis, quam recipiens ab eodem commissionem ordinis, & verè cum in casu nostro Episcopus per se habeat, nec debeat à Sacerdote recipere jurisdictionem, non videat, cur hanc debeat pro recipiendâ commissione ordinis in ipso supponere. Adhuc tamen idem Arriaga *num.* 5. agnoscit in ministerio, de quo agitur, aliquid amplius, & meliorem conditionem in Sacerdote, quàm in Episcopo, quia potestas ordinis est nobilior potestate jurisdictionis: & Sacerdos, non Episcopus Diaconus habet in Eucharistiam jus.

---

§. III.

Utrùm aliquando possit licitè Eucharistiam dispensare Clericus Diacono inferior: aut etiam Laicus?

30 *Laicis, & Clericis Diacono inferioribus nequit à Sacerdote committi Eucharistiæ dispensatio.* Assert. I. Abstrahendo pro nunc à casu extremæ necessitatis Clericus Diacono inferior, & à fortiori Laicus, numquam licitè potest Eucharistiam dispensare nequidem ex commissione Sacerdotis. Dixi *abstrahendo pro nunc à casu* &c. quia de ipso statuetur *seq.* assert., & interim sub tali abstractione assertum præsens est receptissimum, nec ab ullo Catholico Auctore, ut puto, negatum, aut sine aliquâ temeritatis specie negabile. Ità D. Thomas *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. Scotus *ead. dist. quæst.* 2. in fine, & tùm utraque utriusque Doctoris schola, tùm Suarez *disp.* 72. *sec.* 1. §. *Ultimò dicendum*. Vasquez *disp.* 219. *cap.* 1. *num.* 12. & 13. Valentia *disp.* 6. *quæst.* 10. *punc.* 1.

Ami-

Amicus *disp.* 31. *sec.* 2. *num.* 26. Lugus *disp.* 18. *sec.* 1. *num.* 22. Madernus *quæst.* 5. *art.* 9. *num.* 6. & reliqui ex omni scholâ Scholastici, quibus consentiunt Summistæ, & casuistæ.

Probatur ex Concilio Rhemensi, quod, ut refertur dist. 2. *de Consecratione* cap. *Pervenit.* & recitatur à Scoto, itâ habet *Quidam Præsbyteri in tantum parvi pendant divina Mysteria, ut laico corpus Domini tradant ad deferendum infirmis* (& sequitur) *Interdicit Synodus, ne talis temeraria præsumptio amplius fiat*: & posteà imponit pænam degradationis Præsbytero, qui id imposterum fæminis, aut laicis commiserit: Quod quidem Concilii præceptum, ac decretum ex modo, quo profertur, & pænâ, quæ imponitur, obligat sub lethali, & licèt videatur procedere solùm, quando est præsens sacerdos potens sacramentum ad infirmos deferre, & ministrare per se; Nihilominùs hoc ipsum nobis, qui nunc à necessitate extremâ abstrahimus, sufficit: est igitur saltem pro præsenti efficax tale decretum, & efficacius adhùc redditur ex universali ecclesiæ consuetudine, quàm numquàm legitur consuevisse præsertim extrà casum extremæ necessitatis alium quàm sacerdotem, aut Diaconum ex commissione sacerdotis ad eucharistiam ministrandam admittere; & benè observat Gonetus *disp.* 10. *art.* 1. *num.* 6. esse summam calumniam, aut supinam hallucinationem illam, quâ Molinæus hæreticus refert D. Ambrosium *lib. de Viduis* docuisse, quod olim fæminæ eucharistiam administraverint, cum tamen ibi Ambrosius non loquatur de fæmina, sed de sacerdote, cujus animam comparat Socrui Simonis languenti febribus, & à Christo sanatæ.

31

32

Dubitatur hic, Utrùm laici, & Clerici Diacono inferiores excludantur ab eucharistiæ dispensatione solo jure humano, idest lege scriptâ Concilii Rhemensis, & lege non scripti consuetudinis ecclesiæ? an etiam ex ipsâ eucharistiæ institutione, aut aliquo præcepto, & jure divino? Respondeo cum Suario *precit. sec.* 1. §. *Dico ergo secundò*. Lauræa *disp.* 24. *art.* 5. *nu.* 59. & alus excludi solo jure humano, dummodo loquamur, ut nunc loquimur, de dispensatione ex sacerdotis commisione: Ratio est, quia ex unâ parte propter connexionem consecrationis cum dispensatione est quidem ex institutione, & jure divino, quod solus sacerdos dispenset jure proprio, & potestate ordinariâ, at ei permittitur delegare suam potestatem, & dispensare aliquando per alium; Secùs non posset dispensationem committere Diacono; ex alia parte nec in Evangelio, nec alibi in Scripturâ, aut præscribitur, quod commissio soli Diacono fiat, aut prohibetur fieri Diacono inferioribus; ergo quod de facto nullus Diacono inferior, sivè laicus sit, sivè Clericus, nequeat licitè à Sacerdote delegari ad Eucharistiam dispensandam, non est de jure diuino; quàmvis deindè nec de jure divino sit quod Diacono inferior, aut Diaconus ipse delegari possit, sed ad utrumque permissivè se habeat divinum jus, idque statuendum reliquerit Ecclesiæ, quæ consuetudine, & Conciliorum canonibus sancivit, quod liceat sacerdoti Diaconum, non ullum inferiorem, aliquando delegare.

Ex prohibitione tamè solius juris humani, non divini.

33

Dices: In aliis novis sacramentis est ex institutione, & jure divino, quod dispensari possint solum ab eo, à quo conficiuntur; ergo idem sentiendum in eucharistiâ, ergo in hâc est de jure Divino, & ex propriâ institutione, quod non possit à laicis dispensari, sicut de tali jure, & institutione est, quod non possit à laicis confici. Confirmatur, Actio dispensandi eucharistiam est supernaturalis, ut potè quæ circà rem supernaturalem, & ex supernaturali fine versatur; ergo in eo, à quo exercetur, requirit supernaturalem potestatem, quæ à Christo ex vi institutionis sacramenti detur; hæc autem potestas, vel in re data est laicis, vel non; si sic, ergo habent ex institutione, & jure divino, quod dispensare possint; Si non, ergo est ex institutione, & jure divino, quod dispensare non possint, cum non habeant potestatem ex institutione, & jure divino ad dispensandum necessariam; utrumq; est contrà nos; ergo. Sed contrà: Tum instantia, tùm confirmatio nimis probat, militat enim utraque contrà Diaconum æquè, ac contrà inferiores Diacono: Ad instantiam directè concedo antecedens nego consequentiam, disparitas in promptu est, quia alia nova sacramenta consistunt in usu, nec possunt dispensari, quin simul & semel conficiantur, nil igitur mirum, si possint dispensari ab eo solo, à quo possunt confici: Eucharistia non consistit in usu, dum dispensatur, non conficitur; ideò non est in ipsâ de jure divino, imo nec de humano, & ecclesiastico, quod possit dispensari ab eo solo, à quo potest confici, quamvis deindè de jure ecclesiastico sit, quod non possit dispensari ab inferioribus Diacono. Ad confirmationem dico actionem dispensandi, si supernaturalis est, esse talem moraliter, & extrinsecè, non intrinsecè & physicè, & ad ipsam in eo, à quo exercetur, sufficere potestatem moraliter, & extrinsecè supernaturalem, talis autem est potestas, quæ à sacerdote in casibus necessitatis delegatur Diacono, & quæ, quantum est ad jus divinum, posset etiam laicis, & inferioribus delegari.

34

35

Assert. 2. Quod laicus, aut Clericus Diacono inferior non possit licitè Eucharistiam dispensare, procedit etiam pro casu necessitatis extremæ, qualis est, ne moribundus decedat sine Viatico. Est contrà Glossam in Cap. *Pervenit.* de *Consecrat.* dist. 2. ubi ad verba illa ex Concilio Rehemensi desumpta, & ibi relata *Præsbyter per se met ipsum infirmum communicet* subdit, *vel per Diaconum, si necesse est, vel per laicum catholicum*. Est item contrà Dianam *tom.* 2. *resolut. moral. trac.* 4. *de sacram. resol.* 47. & *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *punc.* 1. referentem pro se alios, ut Layman *lib.* 5. *Theol. moral. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 8. Coninchum *hic quæst.* 82. *art.* 3. *num.* 13.

Idque procedit etiã pro casu necessitatis extremæ, & viatici moribundo ministrandi.

num. 13. Valentiam *disp.* 6. *quæst.* 10. *punc.* 1. §. *Mihi verò*: Nihilominus isti Auctores non absolutè, & simpliciter id docent, Valentia enim solum id judicat non improbabile, Layman, & Coninchus solum negativè se habent, nil definiendo, eodemque modo videntur se habere Suarez *præcit.* § *Ultimò dicendum* in fine, & Herinex *disp.* 5. *quæst.* 2. *num.* 11. Isti omnes Auctores aliqualiter, etsi non æqualiter, adversantur nostro asserto, pro quo tamen simpliciter, & absolutè stant reliqui communiter locis in primo asserto relatis, & signanter D. Thomas, cujus verba *in præcit. resp. ad* 3. continent rationem fundamentalem etiam pro casu necessitatis extremæ militantem, ait enim de laico *In casu necessitatis potest, & debet corpus Christi tangere, etiamsi sit pecator, ut si in aliquo loco immundo jaceret: Sed non est simile de dispensatione Sacramenti, quia receptio hujus sacramenti non est necessitatis. Undè ei, qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est, Crede & manducasti.*

36 Probatur ex prælaudato decreto, & præcepto Concilii Rhemensis, quod loquitur in terminis de sacramento infirmis deferendo, adeoque de viatico, & licèt videatur supponere sacerdotes præsentes, & potentes id præstare per se ipsos; Nihilominùs hæc fuit occasio, non conditio restrictiva præcepti, & prohibitionis ibi factæ, undè saltem post talem prohibitionem inauditum est, fuisse umquàm alicui infirmo delatum viaticum à laico, quamvis in parvis pagis, & oppidis facilè contigerit aliquem sine ipso decedere ex defectu sacerdotis, aut Diaconi potentis ministrare. Confirmatur: Si laicus potest viaticum ministrare, ne infirmus sine eo decedat, id potest ex commissione, & licentia saltem præsumpta, & implicitâ sacerdotum, ac Pastorum, alioqui pro viatico ministrando esset melioris conditionis, majorisque potestatis quàm Diaconus; atqui talis commissio, & licentiâ non potest à laico prudenter præsumi, cum nulli umquàm fuerit expressè concessa, nec umquam Ecclesia illius concedendæ, aut indicium dederit, aut propensionem ostenderit.

Dices primò: Prohibitio ne laici Eucharistiam ministrent, esset perniciosa, & iniusta, si obligaret etiam in casu infirmi sine viatico decessuri, ergo saltem per epychiam censenda est in tali casu non obligare; eâdemque de causâ pro tali casu præsumendum est, vel non requiri, vel non deesse commissionen, & licentiam Pastoris, vel Ecclesiæ. Sed contrà. Cum eucharistia

37 non sit sacramentum necessitatis ad salutem, ipsius carentia in mortis articulo non est adeò perniciosa, ut censeri possit iniusta lex, ex qua eâ carere quis cogitur, ideò, ut benè observat Vasquez *præcit. cap.* 1. *num.* 14. non est locus epychiæ, nec similiter præsumptionis, seù licentiæ &c.

Urgebis. Eucharistiæ sacramentum, quàmvis non sit de necessitate salutis, est tamen pro articulo, vel periculo mortis de jure divino, seù de necessitate præcepti divini, cujus obligatio prævalere debet obligationi præcepti, & juris humani, ex quo solo laicus prohibetur, ne viaticum ministret. Accedit, quod dari potest casus, in quo eucharistia sit de necessitate salutis, si nimirum moribundus existens in lethali, & non habens copiam confessarii, habeat copiam eucharistiæ, quam si sumat cum attritione putatâ contritione, justificabitur, & salutem consequetur, alioqui damnandus, si cum eâ solâ contritione putatâ sine eucharistiæ sumptione decessisset; ergo saltem in hoc casu si sacerdos, & Diaconus desinit, potuerit laicus illi moribundo Eucharistiam tamquam de necessitate salutis

38 ministrare. Sed contrà: Concedo sumptionem eucharistiæ in articulo, vel periculo mortis esse de præcepto divino, at dico hoc præceptum esse affirmativum, & obligare tantùm in debitis circumstantiis, idest quando potest impleri sine sacramenti irreverentiâ, & servatis ritibus, ac legibus ab ecclesia pro infirmi communione præscriptis; ex quo capite sicuti ad conficiendum pro moribundo communicando eucharistiam non licet celebrare, aut fracto jejunio, aut sine vestibus sacris, aut sine luminibus accensis, quamvis hæc de solo jure humano, & pro majore sacramenti reverentiâ ad celebrandum requirantur, ità nil mirum, si nec liceat laico viaticum moribundo deferre, quamvis & istud sit solo jure humano pro majore sacramenti reverentiâ prohibitum: Jus verò divinum prævalere humano satis est verificari in casibus, in quibus illud obligat. Ad id, quod additur, Amicus *præcit. sec.* 2. *num.* 30. postquàm absolutè docuit non licere laico viaticum ministrare, unicè excipit casum allatum; sicuti tamen (in quo, ut puto, Amicus ipse consentiet) in tali casu non liceret sacerdoti celebrare, aut fracto jejunio, aut sine vestibus, aut sine luminibus, ità crediderim melius dici, quod nec in ipso liceret laico viaticum ministrare: Ratio peculiaris sit, quia nec in eo casu eucharistia est medium simpliciter de necessitate salutis, cum & possit ille infirmus aliter, idest per veram contritionem propriæ saluti consulere, & Eucharistia tunc sit ad salutem medium probabile tantum, non certum, cum probabile tantum, non certum sit tunc ipsum à peccatore attrito sumptam justificare, de quo *seq. cap.* §. 2.

Procedit item etiã moribundus non habeat copiam Confessarii, & possit fortè per eucharistiã cum attritione sumptam justificari.

39 Dices secundò: In ultimâ cænâ Apostoli erant adhùc laici, & tamen unus alteri calicem consecratum ministravit, nec illum omibus, & singulis Christus immediatè porrexit, ut colligitur ex illis verbis *Accipite, & dividite inter vos*: cur igitur illud, quod quò ad species vini licuit in Eucharistiæ institutione; quò ad easdem, aut quò ad species panis non licebit etiam nunc saltem in casu necessitatis extremæ, cum præsertim in tali extremâ necessitate non desit exemplum eucharistiæ à laico delatæ ad infirmum? Eusebius enim *lib.* 6. *Hist. Eccles.*

cap. 4

cap. 34. refert, quod Serapion senex Alexandrinus graviter ægrotans miserit puerum ad petendam Eucharistiam à Sacerdote, qui refertus infirmus, nec valens ad Serapionem accedere, particulam consecratam eidem puero dederit Serapioni deferendam, mandans quod eam de ipsius pueri manibus Serapion sumeret, ut re verâ sumpsit. Sed contrà: Ad hoc de sacerdote, qui per puerum laicum misit Serapioni moribundo particulam consecratam dico excusatum fuisse à peccato saltem ob bonam fidem, quâ putavit id licere; & fortè tunc in re licebat, aut certè majus aderat fundamentum judicandi, quod liceret, quia nondum emanaverat prohibitio Concilii Rhemensis, nondum item cessaverat usus ponendi eucharistiam in manibus laicorum, de quo mox dicetur: Ad factum Apostolorum, præter quod tunc nulla erat prohibitio, aut ecclesiæ consuetudo in contrarium, potuit procul dubio id illis licere ex Christi mandato; imò & ex simili mandato posset licere nunc in communione ordinariâ, nedum in extremâ necessitate; potest enim Christus, qui suprà hominem est, quodlibet humanum jus, sivè scriptum, sivè non scriptum dispensare: Ex pueris hominibus posset quoque saltem in casibus necessitatis dispensare (ut tradit in terminis Lauræa *pracit. art.* 5. *num.* 63.) Summus Pontifex, at ipse solus, ut potè qui est, & solus est suprà Concilia, & consuetudines ecclesiæ.

40

Apostoli in ultima cœna non acceperunt omnes Calicem immediatè à Christo, sed unus ab alio.

41

Dices tertiò: licitè potest laicus viaticum ministrare sibi ipsi, idest propriis manibus illud sumere, & ori proprio admovere; ergo eodem modo potest ministrare aliis, & propriis manibus porrigere aliis sumendum: Consequentia non videtur neganda, quia ex unâ parte si quæ est irreverentia, æquè est in utroque casu, cum in utroque æquè tangatur sacramentum manibus laicis, & neque consecratis neque dicatis proximo altaris ministerio; ex aliâ parte connaturalius est sacramentum sumere ab alio, quàm à seipso, est igitur etiam cæteris paribus illud ministrare aliis quàm sibi; Undè etiam Sacerdos extrà missam communicans solet ab alio, non à se ipso sumere: Antecedens probatur, primo ex eo, quod ut jam retuli *num.* 39. Antiquiùs laici communicantes panem consecratum propriis manibus, vel nudis, si erant mares, vel nitido linteolo obvolutis, si feminæ, à sacerdote accipiebant ori statim applicandum, aut etiam deferendum, & asservandum domi posteàque sumendum: Secundò ex eo, quod de Mariâ Stuard Scotiæ Reginâ constans fama est, & à Causino in historiâ ejusdem describitur, ipsam, instante horâ mortis impio Elizabethæ jussu subeundæ, eucharistiam, quam apud se habebat, propriis manibus sumpsisse: Tertiò, quia de facto communicantes eucharistiam tangunt labiis, lingua, palato, gutture, stomacho; cur ergo similem in necessitate, quâ nequeant aliter communicare, non poterunt etiam tangere, & sumere manibus. Sed contrà:

42

Concedunt absolutè antecedens, & consequentiam, aut negant, aut saltem non concedunt ità absolutè Coninchus, & Layman relati *praced. num.* 35. item Suarez *disp.* 72. *sec.* 3. in fine Arriaga *disp.* 48. *sec.* 2. *num.* 6. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 9. aliique nonnulli. Ratio negandi consequentiam antecedente concesso esse potest, quia propriis manibus eucharistiam sumere non est propriè ministrare, non est scilicèt activè uti, & dare, sed uti passivè, & accipere, quod non spectat ad ordinis potestatem; sapit prætereà aliquam majorem sacramenti irreverentiam, quod laicus illud circumferat, & ad alium deferat, quàm quod pro se immediatè sumat: Est responsio, & ratio, nec improbabilis omninò, nec insufficiens: Ex adverso tamen antecedens negant Amicus *pracit. sec.* 2. *num.* 38. Lugus *pracit. sec.* 1. *num.* 29. Gonetus *pracit. art.* 2. *num.* 25. Lauræa *pracit. art.* 5. *num.* 64. Madernus *pracit. art.* 9. *num.* 7. & alii plurimi, quorum opinionem libentiùs amplector, ut potè & communiorem, & conformiorem tùm reverentiæ sacramenti, tùm praxi Ecclesiæ: Nego igitur instantiæ antecedens.

Non licet laico viaticum ex se, seu à semet ipso sumere.

43

Ad cujus primam probationem dico morem illum antiquum esse jam contrariâ consuetudine abolitum, redditumque illicitum; & quando adhùc liceret, foret, ut mox dicebatur, usus eucharistiæ purè passivus; & solus Sacerdos ponens eucharistiam in manibus communicantium activè ministraret: Quod si laicus in casu necessitatis propriis ex se manibus Eucharistiam de Sacrario, aliovè in loco, in quo asservatur, accipiat, est usus etiam activus saltem æquivalenter, quia non supponitur ullius alius porrigens, & active ministrans.

Ad secundam probationem dici in primis potest, Scotiæ Reginam id fecisse bonâ fide ex consilio alicujus fortè in hâc re non ità docti, & ex opinionis oppositæ aliquali probabilitate, consulentis, imò & potuit consilium esse ex se optimum aliundè, nimirum ne sacramentum post Reginæ necem in manum, & contemptum hæreticorum deveniret. Melius deindè dicitur id actum fuisse ex Summi Pontificis Pii V. dispensatione Reginæ factâ, cum ei concessit privilegium servandi apud se eucharistiam, & forte eam sumendi ex se etiam in aliquâ necessitate minori quam mortis imminentis; ad minus verò in istâ.

44

Cur communicantibus licet tangere Eucharistiâ labiis, & lingua potiùs, quàm manibus?

Ad tertiam dico, quod de facto communicantes tangant labiis, linguâ, palato, gutture, stomacho eucharistiam, esse contractum, ut ità dicam, passivum, usui scilicèt passivo, & sumptioni sacramenti omninò necessarium; quâ ratione non inficior, licere etiam tangere manibus, si necesse sit; sic v. gr. si particula consecrata à sacerdote, ori laici communicantis palato adhæreat, licitè ipsius communicantis digito tangitur, ut à palato avellatur, & deglutiatur: Quinimò, si casu è sacerdotis digitis elabens in sinum feminæ, cujus ori porrigebatur, decidat, consulunt plurimi esse ipsius fe-

minæ

minæ potius, quam Sacerdotis manu de sinu extrahendam, & ori immittendam: Illud igitur, quod negamus licere, est usus, seù contactus (sivè manibus, sivè aliter fiat) activus, quo laicus sine ullo Sacerdotis, aut Diaconi ministerio particulam consecratam ex sacrario, aliove, in quo asservetur, loco, se ipso sumat, iste quippè usus, seù contactus non spectat per se ad sumptionem laicam, sed est actus licet secundarius Ordinis. Undè aliud est, quod laico aliquando liceat Eucharistiam tangere, aliud quod eidem liceat illam sibi, vel ministrare: quod etiam benè observavit D. Thomas relatus *præced. num.* 35.

45

Dices quartò: Sacerdos in casu necessitatis potest ex se ipso viaticum sumere; ergo etiam Laicus: Antecedens conceditur à Durando *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 4. *num.* 7. Lauræa *disp.* 24. *art.* 5. *num.* 67. Suario *disp.* 72. *sec.* 3. circà finem. Vasquio *disp.* 219. *cap.* 1. *nu.* 17. Amico *disp.* 31. *sec.* 2. *num.* 38. Lugo *disp.* 18. *sec.* 1. *num.* 33. Herinex *disp.* 5. *quæst.* 2. *num.* 10., aliisque communiter id extendentibus etiam ad multo minorem, quàm mortis necessitatem, suppositâ alterius Sacerdotis absentiâ, nam de præsentiâ Diaconi parum curatur, ut potè qui non habet manus consecratas, & potestatem ordinariam ministrandi, sicut Sacerdos; Imò Durandus, Suarez, Amicus, & alii, solo, quem advertetim, Vasquio excepto, docent, quod si Sacerdos infirmus nequeat ad locum, in quo sacramentum asservatur, accedere, Diaconus, si adsit, debebit ipsi pyxidem cum Sacramento deferre, at non ministrare ex pyxide particulam consecratam, sed relinquere Sacerdoti propriâ manu ex pyxide sumendam, nisi ad hoc sit manus ex ægritudine impotens. Probatur jam prima consequentia. Sacerdos sumens viaticum, aut aliter extrà Missam communicans communicat communione Laicâ, non sacerdotali; communicat, ut persona privata, & ut Laicus, non ut Sacerdos, & persona publica populi nomine sacrificium offerens, ergo non habet majorem, quàm Laicus communicandi, & Eucharistiæ sumendæ potestatem, ac per consequens, si Sacerdos licitè potest saltem in casu necessitatis per modum viatici Eucharistiam ex se ipso sumere, poterit, & Laicus, vel si id iste non potest, neque ille poterit. Sed contrà: Concedo cum præmemoratis Auctoribus antecedens, ad quod mox iterum redibo, interim nego consequentiam, ad cujus probationem adverto, communionem posse dici laicam dupliciter, vel passivè, & ex parte suscipientis præcisè, vel etiam activè, & ex parte dantis: Est laica primo modo communio, quæ extrà missam, sub unicâ specie, & cum aliis conditionibus, quibus communicantur laici, fit: Esset laica etiam secundo modo illa, quæ ministraretur à nullam habente potestatem ordinis, neque commissariam, neque ordinariam: Porrò Sacerdos ex se sumens viaticum, aut aliter extrà Missam se ex se communicans communicat communione laicâ primo modo, idest ut passivè se habet, secus secundo modo, & ut se habet activè; Laicus verò idem ex se præstans communicaret communione laicâ etiam secundo modo; ideò non valet ab illâ communione laicâ ad istam illatio, quoad esse licitum: Et Sacerdos extrà missam non habet majorem, quam laicus communicandi potestatem passivam, habet tamen majorem activam, ut magis constabit expendendo, & ad laicos comparando ea, quæ mox subjicio ad majorem antecedentis concessi non explicationem tantùm, sed & comprobationem:

46 Sacerdos in necessitate etiam non extrema potest ex se ipso Euchari stiam extrà missam sumere.

47

Redeo igitur ad instantiæ antecedens, quod quando non est copia alterius Sacerdotis, puto verum, & concedendum non in solâ necessitate extremâ sumendi viaticum, sed in aliqua etiam necessitate minore, puta communicandi ad implendum præceptum communionis paschalis, aut ad satisfaciendum propriæ devotioni in festo solemni, dummodò in his casibus non possit Sacerdos celebrare, si enim possit cessat eo ipso necessitas communicandi extrà missam communione laicâ: Probatur, Sacerdos celebrare non valens non debet esse inferioris, quam Diaconus conditionis, ad communicandum se ipsum, atqui ex concessione, & constitutione Concilii Nicæni I. relati *præced. num.* 25. Diaconus Episcopò, vel Præsbytero ab sente, potest de sacrario extrahere, & sibi sumere sacramentum, idque ex quâcumque necessitate, seù rationabili causâ, cum à Concilio non limitetur concessio ad necessitatem extremam sumptionis viatici, ergo à fortiori id potest Sacerdos, cui cæteris paribus in ordine ad Eucharistiam tangendam, & dispensandam convenit potestate ordinariâ, quidquid Diacono potestate delegata.

Idem potest Diaconus.

48

Neque dicas constitutionem Nicænam censeri jam abrogatam contrariâ consuetudine. Contrà enim, hæc consuetudo deberet esse positiva, & frequens, qualis tamen non est, nam quod de facto Diaconus, aut Sacerdos non valens celebrare numquam sibi ex se ipso eucharistiam sumat, est quia quoties est in necessitate, & rationabili causâ eam sumendi est pariter copia sacerdotis potentis opportuno tempore ministrare. Quod si aliquando aliter evenerit, & Diaconus ille, vel sacerdos à sumendâ sibi Eucharistiâ abstinuerit, fortè fuit ex imperitiâ, aut ex eo, quod timuerit aliquod pusillorum, rudiorumvè scandalum; numquam ex eo, quod id illi per se non licuerit.

Urgebis: Ad licitè ministrandam Eucharistiam requiritur etiam in Sacerdote præter potestatem ordinis, potestas jurisdictionis *ex præced.* §. 1., atqui nullus etiamsi Sacerdos sit habere potest in se ipsum potestatem jurisdictionis, hæc quippè ad justitiam pertinet, quæ essentialiter est ad alterum; ergo nullus etiamsi Sacerdos sit licitè potest ex se ipso sumere, seù sibi ministrare Eucharistiam. Confirmatur ex eo, quod nemo potest sibi validè, ne dum licitè, ministrare

Baptismum, Confirmationem, Pænitentiam, aut aliud Sacramentum; ergo nec Eucharistiam. Sed contrà: In primis instantia eâ ratione, quâ urgetur, nimis probat; probat scilicèt, nequidem summo Pontifici, licere ex se ipso Eucharistiam extrà Missam sumere: extrà Missam, inquam, nam in missâ celebrans Eucharistiam ex se sumit, seù ipse sibi ministrat, ut sacrificium compleat, non ut Christi ovem pascat; ex potestate suprà verum, non suprà mysticum Christi corpus, ut dicebamus *praced. num.* 4. ideò nulla pro eo ministerio jurisdictio, jurisdictionisvè potestas requiritur. Deindè ad argumentum directè; dico sacerdotem, qui est Pastor, quamvis non habeat in se ipsum jurisdictionem ordinariam formalem, & propriè dictam, habere eam æquivalentem, imò eminentem, quatenus licet non sit ovis sui ipsius, est tamen ovis illius gregis, cujus est simul caput, & pastor, & in quem habet pastoriciam jurisdictionem: Sacerdos verò simplex, & non pastor, eo ipso, quod habet jurisdictionem delegatam ad pascendas alias sui gregis, & pastoris oves, eamdem habet æquivalenter, imò eminenter ad pascendum se ipsum. Ex quo sequitur quidem simplicem Sacerdotem extrà missam non posse eucharistiam ex se sibi licitè ministrare, sine proprii pastoris facultate, & licentiâ, saltem præsumptâ; at hoc libenter admisso, dico talem facultatem de facto in quâlibet necessitate semper benè præsumi, nisi de oppositâ Pastoris voluntate innotescat: Plura de hoc puncto Lugus *pracit. sec.* 1. *num.* 30, *& seqq.*

50 Ad confirmationem dico, sacramentum ex genere suo non petere ministrum à susceptore diversum, nam in matrimonio ipsi contrahentes sunt susceptores simul, & ministri, & sibi ipsis sacramentum ministrant: Quod deindè aliqua sacramenta requirant diversum à susceptore Ministrum, non est ratione jurisdictionis, quam nequeat idem in se ipsum tamquam Minister in susceptorem habere, sed ratione formæ verborum, quæ fertur in alium à proferente, nec potest verificari, nisi minister formam proferens sit persona à sacramenti susceptore distincta: Porrò forma verbalis eucharistiæ, nec applicat suum significatum subjecto distincto à proferente, nec profertur in susceptione, & dispensatione: Ideò Eucharistia, nec ex ratione genericâ sacramenti, nec ex propriâ ratione suæ formæ verbalis, nec etiam ex jam dictis titulo jurisdictionis, adeoque ex nullo capite requirit, quod Minister à susceptore distinguatur, & quod idem non possit eam sibi ministrare.

Cur in aliquibus aliis sacramentis, nō in Eucharistia necesse sit Ministrum esse diversū à Susceptore?

§. IV.

De variis Ministri Eucharistiam dispensantis requisitis, ut licitè possit, aut etiam teneatur dispensare?

51 Assert. I. Primum, & potissimum Ministri requisitum, ut Eucharistiam licitè dispenset, est aut ordinaria, aut commissaria potestas, tùm ordinis, tùm jurisdictionis. Est assertum totam hujus capitis doctrinam consequens, in præcedentibus assertis abundè probatum, & solum aliquâ ulteriore explicatione indigens circà potestatem commissariam jurisdictionis, quam suprà *num.* 8. insinuavimus competere simplicibus Sacerdotibus ex voluntate, seù commissione præsumptâ suorum Pastorum, Regularibus ex concessione, & privilegiis summorum Pontificum.

Circà voluntatem igitur, commissionemvè præsumptam, quam etiam aliqui vocant interpretativam, aliqui ratihabitivam, seù spem futuræ ratihabitionis, adverto eam non esse actualem volitionem, aut formalem commissionem, sed potius negationem volitionis oppositæ, & commissionem, quæ adesset, si peteretur: Sufficit verò simplici sacerdoti hæc Pastoris voluntas, & commissio pro licitâ dispensatione sacramenti eucharistiæ, non pro absolutione in sacramento pænitentiæ, quia praxis ostendit illam facilius; quam istam à proprio Pastore cuilibet habenti potestatem ordinis, concedi: Et ratio à priori esse potest, quia ut jam suprà *num.* 6. observavimus absolutio in sacramento pænitentiæ est actus jurisdictionis propriæ, & rigorosæ non sic dispensatio sacramenti Eucharistiæ, illa igitur requirit majorem concessionem, majoremque voluntatem concedentis, quam ista, & quamvis isti sufficiat voluntas præsumpta, quæ esset, si peteretur, illi est necessaria voluntas positiva, quæ actu fit, ut magis exponunt Lugus *disp.* 18. *sec.* 2. *num.* 37. & Arriaga *disp.* 48. *sec.* 5. *num.* 20.

52 *Cur ad Eucharistiæ dispensationem, non ad absolutionem sacramentalem sufficiat Pastoris voluntas præsumpta.*

53 Circà concessionem, potestatemque commissariam, quam habent pro eucharistiâ ministrandâ Regulares ex privilegiis summorum Pontificum, adverto in his privilegiis solere excipi Pascha, & mortis articulum, adeo ut nequeant Regulares ipsorum vi ministrare Eucharistiam, aut intendentibus implere præceptum communionis annuæ in Paschate, aut infirmis satisfacientibus præcepto sumendi viaticum: imò etiamsi in aliquo privilegio, ut evenit in Bullâ Pauli IV. emanatâ pro Mendicantibus viaticum, aut mortis articulus non excipiatur, non propterea censetur concedi, quia in concessionibus non veniunt ea, quæ habent peculiarem difficultatem, & solent excipi. Porrò hoc, quod non habent Regulares ex propriis privilegiis, non habent

Privilegia Regularium pro Eucharistiæ dispensatione non extenduntur ad communionem paschalem, neque ad Viaticum.

bent

bent pariter simplices sacerdotes ex voluntate præsumptâ proprii Pastoris; Non licet scilicet simplici sacerdoti Viaticum ministrare, aut communionem paschalem, præsumendo Parochi consensum, sed debent hunc habere formalem, & expressum qualis regulariter requiritur in his, quæ graviora sunt, & difficilius conceduntur; & certè cum convenientissimum sit oves in morte, & saltem singulis annis in vitæ decursu suum Pastorem recognoscere, quilibet Pastor censetur hoc jus sibi peculiariter reservare, & circà hujus cessionem, concessionemvè alteri præsumendus est invitus potius quàm volens, quoties non concedit, & consentit expresse: Ad summum Parochus, seù Pastor esset irrationabiliter invitus, adeòque juris præsumeretur consentiens, & volens, quando ipso absente moribundus periclitaretur carere viatico: Propterea in hoc casu licere, tùm Regularibus, tum simplicibus sacerdotibus illud ex præsumpto Parochi consensu ministrare, tradunt Doctores magis communiter, qui unà simul monent, non esse similem casum dabilem pro communione paschali non posse scilicet occurrere necessitatem, ob quam nequeat Parochus absens expectari, aut ad ipsum pro facultate recurri, cum præcipuè existimans fortè se eo tempore communione valdè indigere, possit sibi consulere communicando ex devotione cum animo communicandi iterùm de manu Parochi, cum redierit, ad satisfaciendum præcepto: ità monet inter alios Lugus *præcit. sec. 2. nu. 53.*

Pro neutro etiam sufficit voluntas Pastoris præsumpta.

54

Nisi in necessitate viatici Pastor absit.

Dices: Nonnè posset eodem modo sibi consulere infirmus, seù moribundus communicando in absentiâ Parochi ex devotione, & expectando Parochi reditum, aut saltem ipsius expressum consensum pro communione per modum viatici. Sed contrà: Nego posse eodem modo &c. Primò quia ex parte suscipientis nihil amplius requiritur ad communicandum ex devotione, quàm ad communicandum ex obligatione in paschate; requiritur verò aliquid amplius ad communicandum ex devotione, quàm ad communicandum per modum viatici, ad illud scilicet, non ad istud requiritur jejunium naturale à mediâ nocte, in quo ut plurimum infirmus esse non potest: Secundo quia communio paschalis, seù obligatoria ratione paschatis non habet peculiares effectus, quos non habeat communio ex devotione, habet verò tales peculiares effectus communio per modum viatici. Tertiò, quia obligatio communionis per modum viatici est major, & strictior, quàm obligatio communionis paschalis; nec pro illa implendâ habet infirmus verisimile tempus expectandi Parochum, vel Parochi consensum, ut habet sanus pro implendâ obligatione communionis paschalis: Ex multiplici igitur capite falsum est in Parochi absentiâ posse infirmum sibi consulere per communionem ex devotione loco Viatici, sicuti per illam potest sanus in eâdem absentiâ sibi consulere, loco communionis paschalis, seù obligatoriæ in paschate. Cæterùm adverto hic, & admitto obiter licere Regularibus vi privilegiorum ministrare communionem infirmis in lecto decumbentibus, dummodò non per modum viatici, dummodò item, ut observat Vasquez *disp. 219 cap. 4. num 41.* aliundè adsit privilegium celebrandi in domo, in quâ infirmus decumbit, nam deferre eucharistiam per vicos ab Ecclesiâ ad infirmum etiam ex devotione communicaturum, spectat ad Parochum, nec sine ipsius expressâ licentiâ rectè fit. Melius, sicut, & facilius possunt Regulares communicare in paschate (idest intrà tempus pro communione paschali præscriptum) eos qui ex devotione accedunt, præsertim si jam Eucharistiam de manu Parochi acceperint pro satisfactione præcepti: Aliqui tamen excipiunt diem ipsum dominicæ resurrectionis, aliqui etiam duos dies festos sequentes: Standum locorum consuetudini, saltem ut vitetur pusillorum scandalum, & offensio Parochorum. Hæc, & similia aliquantulò dearticulatius tractant, ex Scholasticis, Vasquez, Lugus, & Herinex locis citatis: Generalis ex dictis illatio sit, quod regulariter loquendo ex præsumpta parochorum voluntate, aut ex privilegijs à Summo Pontifice concessis liceat Eucharistiam dispensare, solum ex devotione, non ex obligatione communicantibus.

55

56

Assert. 2. Præter potestatem Ordinis, & Jurisdictionis requiritur in Ministro ad licitam Eucharistiæ dispensationem status gratiæ. Ità Doctores communiter cum dissidio tamen in determinando, utrùm status gratiæ requiratur ex obligatione sub læthali, an sub veniali tantum? Stant pro obligatione tantum sub veniali Vasquez suprà *disp. 136. num. 38.* Lugus *de Sacram. in gen. disp. 8. sec. 9. num. 155.* & alii non pauci apud Dianam *tom. 1. tract. de celebrat. Miss. resol. 23.* Stant saltem quoad Sacerdotem pro obligatione sub lethali volunt ipsum peccare lethaliter, si Eucharistiam in lethali dispenset, Paludanus *in 4. dist. 13. quæst. 1.* Gonetus *disp. 6. de Sacram in com. 4. num. 109.* Herinex *tract. de Sacram. in com disp. 3. quæst. 5. num. 50.* Suarez *hic disp. 72. sec. 4.* & alii plurimi ad mentem D. Thomæ *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 5. ad 4.* item Scoti *dist. 5. & 9.* Hanc opinionem, ut potè longè communiorem, dignitatique, ac reverentiæ sacramenti favorabiliorem libenter amplector: Ideò

57

Ad Eucharistiam dispensandam requiritur status gratiæ.

Probatur: Dispensatio Eucharistiæ, quæ à sacerdote fit est actus ordinis, & in eâ sacerdos se habet, ut Ecclesiæ, & Christi Minister peculiaribus auxiliis communitus, & solemniter consecratus: Item est actio maximè sacra, & religiosa, & magis talis, quàm sit alicujus alterius sacramenti, puta Extremæ Unctionis, aut Confirmationis confectio: Tandem est contactus Christi Domini ex officio, & ex vi sacræ Ordinationis dantis ad talem contactum peculiare jus, quæ omnia

58

Et obligatio talis status, in Sacerdote præsertim, est sub lethali.

 simul

simul sumpta videntur omninò tantam in sacerdote sanctimoniam, ac reverentiam exigere, ut nequeant eum pati gravis maculæ, & culpæ lethalis reum, sine gravi Christi, ac sanctissimi sacramenti injuria, lethalique Dei offensâ; ergo à primo ad ultimum ad licitam Eucharistiæ dispensationem requiritur in Ministro habente potestatem ordinis, præsertim ordinariam, qualis est sacerdos, requiritur inquam status gratiæ sub obligatione peccati non venialis tantùm, sed mortalis. Confirmatur ex Rituali Romano Pauli V. *Tit. De iis, quæ in Sacramentorum administratione generaliter observanda sunt* ubi postquam de Sacerdotibus ex officio ministrantibus sacramenta impurè, & indignè dixit *in æterna mortis reatum incurrere*, adeoque lethaliter peccare, paulò infrà §. *Cæterum* clarè indicat se loqui de administratione sacramentorum, non solum confectivâ, sed & Eucharistiæ dispensativâ, undè & de hâc postmodum agens titulo speciali ait majorem præ aliis sacramentis in Eucharistiæ administratione reverentiam exigi, ut sanctè tractetur.

59

Dices: Dispensatio Eucharistiæ facta ab existente in lethali non est lethalis ex eo, quod sit actus ordinis, neque ex eo, quod sit actio sacra, & sacramentalis, neque ex eo, quod sit contactus corporis Christi: ergo nullum nostræ probationis membrum subsistit, & Eucharistiæ dispensatio ab existente in lethali facta, lethalis non est: Antecedens, quia non omnis actus ordinis, nec omnis actio sacramentalis ex eo, quod in lethali exerceatur, lethalis est; primum patet in Diacono Evangelium, vel in Subdiacono Epistolam solemniter canente, item in sacerdote fungente in Choro hebdomadarii munere in lethali. Secundum patet in Parocho, qui in statu lethalis matrimonio assistat; in Confessario, qui in lethali confessiones audiat constituendo se in gratiâ, antequam absolvat; neuter enim lethaliter peccat, & tamen utriusque actio est sacramentalis, quamvis una non sit perfectiva, altera nullo modo sit confectiva sacramenti, sicuti nec talis est dispensatio Eucharistiæ: Probatur idem antecedens quoad contractum, quia si quis etiam laicus in lethali deosculetur adorationis, & devotionis causâ sacramentum, non peccat lethaliter, ex eo, quod in lethali sit, multoque minus, si in lethali illud de terrâ attollat, ne conculcetur: Deindè non est majoris dignitatis Christus in sacramento, quam fuerit in specie propriâ, in quâ tamen peccatores, ipsum tangentes, non peccabant; imò veniam peccatorum impetrabant. Sed contrà:

60

Fortè malè supponitur Diaconum, Subdiaconum, & Sacerdotem in actibus illis non peccare; saltem id absolutè displicet, quoad auditionem confessionis, quidquid contrà sentiat cum aliis nonnullis, Lugus *præcit. sec. 9. num.* 158. Illud de assistentiâ ad matrimonium non facit ad rem, quia non est, ut supponitur actio sacramentalis, quæ debet esse actio Ministri, & tamen ibi Parochus est solum testis, minister verò est uterque contrahens; His deindè omissis, & dato, quod actus ordinis, actio sacramentalis, contactus corporis Christi, si sumantur singula seorsim non induant ex genere suo malitiam lethalem, per hoc, quod in lethali fiant, benè poterunt talem malitiam induere sumpta simul, & quando in unum, eumdemque actum triplex illa prærogativa concurrit, ut reverà concurrit in dispensatione Eucharistiæ, quæ à Sacerdote fit. Præterea.

61 — Cur Christus in propria specie potuerit licitè tangi à peccatore, non nunc in Sacramēto

Ad illud singillatim, quod dicebatur de contactu corporis Christi in propriâ specie duplicem disparitatem affert D. Thomas *quæst. 80. art. 4. ad* 1. Prima est, quod Christus in propriâ specie, non exhibebat se tangibilem in signum spiritualis unionis ad tangentem, sicut se exhibet in sacramento: Secunda, quia Christus in propriâ specie gerebat similitudinem carnis peccati, ideò non incongruebat à peccatoribus tangi, illam verò similitudinem exuit per gloriam resurrectionis cum quâ modò in sacramento existit, ideò &c. Hæc posterior disparitas est præsenti intento opportunior, nam prior videtur solum benè accommodari ei, qui sumendo, non qui dispensando tangit. Ad illud aliud de deosculatione, vel elevatione à terrâ; dico non esse contactus factos ex officio, qui sint actus ordinis, & actiones sacramentales, ut est contactus, quo Corpus Christi tangitur à sacerdote dum dispensatur ideò &c.

62

Undè etiam sacerdos ipse, si sacramentum solum ex propria devotione, aut ut de terrâ elevet, in læthali tangat, faciliùs à novo lethali excusabitur, non ità facilè si gestet in processione, aut transferat ab uno loco ad alium; Suarez tamen *præcit. sec.* 4. post medium, neque in hoc audet sacerdotem novi lethalis arguere. In ipsâ sacramenti dispensatione facilius à lethali excusabitur Diaconus, quàm sacerdos, quia in illo dispensatio non est ex officio, nec actus Ordinis per se, sed solum ex commissione, non est item Diaconus Minister pro eucharistiâ dispensandâ consecratus, ideò &c. Cæteris paribus deindè qui eucharistiam, aut tangit, aut defert, aut dispensat in malo statu eo gravius peccat, quo status est pejor, aut magis publicus, quia est major irreverentia, & si sit publicus accedit irreverentiæ malitia scandali, major, vel minor, pro ut major, vel minor est mali status publicitas; Hinc plures Sacri Canones specialiter statuunt sacerdotes simoniacos, vel in notoriâ fornicatione jacentes, arcendos esse ab omni eucharistiæ ministerio, ut refert Lauræa *hic disp.* 24. *art.* 7. *num.* 88. *& seqq.*

63 — Sacerdos sibi cōscius lethalis nō tenetur dispensationi Eucharistiæ cōfessionē præmittere

Observandum in præsenti sacerdotem culpæ læthalis reum teneri quidem se in gratiâ constituere, tùm ad celebrandum, & consecrandum, tùm præcisè ad dispensandum eucharistiæ sacramentum: at non teneri ad utrumque eodem modo: Ad primum enim tenetur se in gratiâ constituere

per

per sacramentalem confessionem, ad secundum sufficit si per contritionem: Datur quippè respectu habentis conscientiam peccati lethalis peculiare præceptum præmittendi confessionem pro Missæ celebratione, & sumptione eucharistiæ, non pro istius dispensatione, sicuti nec pro confectione aliorum ab eucharistiâ sacramentorum; Et licèt per confessionem habeatur major, quam per contritionem, gratiæ comparandæ securitas, ac facilitas; ex hoc infertur solùm major congruitas non obligatio, & necessitas confessionis potius quàm contritionis; & manet in suo robore communis sententia docens peccatorem dommodo contritus sit, aut saltem bonâ fide se contritum putet, licitè quantum est ex hoc capite eucharistiam dispensare, aliaque ab Eucharistiâ sacramenta conficere, quod supponi ab ipso Rituali Romano *præcit. tit. De iis quæ* &c. notat Herinex *præcit. quæst. 5. num. 43.*

64

Ad Eucharistiam dispensandam requiritur carentia pœnæ canonicæ, seù impedimenti canonis.

Assert. 3. Requiritur insuper ad licitam eucharistiæ dispensationem in Ministro carentia cujuslibet pœnæ canonicæ idest censuræ, aut quasi censuræ simpliciter, & absolutè latæ; adeoque excommunicatione, suspensione, interdicto, quæ sunt censuræ, irretitus; vel irregularitate, cessatione à divinis, depositione, degradatione, quæ sunt quasi censuræ, penitus nequit regulariter loquendo eucharistiam licitè administrare.

Dixi *simpliciter, & absolutè lata* propter suspensionem præcipuè, & interdictum, quæ possunt ferri cum aliquâ limitatione puta suspensio potest esse à beneficio tantum, non ab officio, vel ab officio quo ad aliquos tantùm actus, non quoad omnes; possunt item aliqui non omnes proprii officii, seù ordinis actus, ideò potest quis esse suspensus, & interdictus ab aliis. non à dispensatione eucharistiæ, & iste posset licitè eucharistiam dispensare, at non posset dici suspensus, vel interdictus simpliciter, & absolutè. Cæterùm assertum, ut jacet.

65

Probatur facilè, quia dispensatio eucharistiæ est excercitium, & actus ordinis sacri, omnis autem pœna canonica simpliciter, & absolutè lata, privat omni sacrorum ordinum exercitio; aliqua etiam privat omni, cum aliis præsertim in spiritualibus communione, & est excommunicatio; aliqua omninò deturbat à statu clericali, & est depositio, vel degradatio, omnis igitur hujusmodi pœna privat eucharistiæ dispensatione, hancque reddit illicitam ei, in quem privatio, seù prohibitio pœnam illam consequens cadit. Nec refert, quod ex unâ parte excommunicatio minor privet activâ tantum, non passivâ participatione sacramentorum; & ex aliâ, eucharistiæ dispensatio, sit participatio activa: Non refert, inquam, quia excommunicatio minor, non est excommunicatio absolutè, & simpliciter; præter quod quamvis non reddat dispensationem illam illicitam propter prohibitionem, & peculiarem privationem, quam secum afferat, fortè reddit talem propter indecentiam, ac quasi vilitatem, quâ subjectum afficit. Porrò si sacerdos excommunicatione majore irretitus eucharistiam dispenset, non solum peccat lethaliter ob violationem censuræ, sed & incurrit irregularitatem, quæ est pœna, & quasi censura imposita cuicumque exercenti proprii ordinis actum in excommunicatione; est autem, ut semel, & iterùm dictum est, sacerdotalis ordinis actus eucharistiæ dispensatio. Sed major horum notitia repetenda est aliundè, & maximè ex tractatibus de Sacramento Ordinis, & de Censuris. Interim

66

Infero omnia hucusque dicta procedere à fortiori de eucharistiæ confectione, seù consecratione, utpotè quæ est sacerdotalis ordinis actus principalior, & quo majus ut ità dicam jus in pertractando Christi corpore exercetur. Infero insuper duo esse potissima impedimenta reddentia sacerdoti illicitum, etsi non invalidum, exercitium propriorum actuum circà eucharistiam; alterum est impedimentum peccati, seù culpæ, & ad hoc auferendum requiritur status gratiæ; alterum est impedimentum Canonis, seù pœnæ canonicæ, & ad hoc auferendum, quando quis eo irretitus, requiritur talis pœnæ dispensatio, seù absolutio ab auctoritatem habente concessa: Et hæc quidem sunt tùm requisita, tùm impedimenta ex parte Ministri se tenentia, nam indignitas suscipientis præsertim notoria, nedum Ministranti nota, impedit quidem etiam ipsa ne eucharistia licitè dispensetur juxtà illud generale principium, & præceptum Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus*: Nihilominus, cum non sit impedimentum se tenens directè ex parte Ministri, & aliundè varios casus morales contineat propter varietatem indignitatis occultæ, vel publicæ, item occulti, vel publici ad eucharistiam accessus, ad locum hunc minus pertinet; eo propterea prætermisso, expedio breviter secundam præfixi tituli partem; idest ea, quæ requiruntur, ut Ministet, non solum licitè possit, sed etiam teneatur eucharistiam dispensare; pro quibus sit.

67.

Assert. 4. Ut Minister teneatur eucharistiam dispensare, requiritur potissimùm, quod quis accedat, & petat rationabiliter; & pro ut major, vel minor est ratio petendi in accedentibus, major, vel minor est obligatio dispensandi in Ministro; præsertim, si dispenset, ut Pastor, qui tamen non tenetur dispensare per se, sed vel per se, vel per alium. Est contrà nonnullos arbitratos Ministrum teneri dispensare, & tribuere solum, quando petens tenetur accedere, & sumere.

Minister tenetur Eucharistiam dispensare quoties rationabiliter petitur.

Probatur, & explicatur: Non potest rationabiliter, & licitè ab uno negari, quod ei ab alio rationabiliter petitur, rationabilis enim causa petendi in uno, infert aliqualem obligationem dandi in alio, respectu cujus petitio est rationabilis, cum rationabilis causa petendi sit aliquale jus; jus autem petendi, & obligatio dandi, sint correlativa; ergo

ergo Miniſter tenetur euchariſtiam dare, ſeù diſpenſare, quando quis eam rationabiliter petit, ac per conſequens, ut Miniſter teneatur requiritur potiſſimùm &c. Quia deindè

68

quilibet poteſt rationabiliter petere non ſolùm ſibi ad ſalutem neceſſaria, ut eſt Euchariſtia, quando ejus ſumptio cadit ſub præcepto; puta in paſchate, & mortis periculo; ſed etiam ad ſalutem utilia, vt eſt eadem Euchariſtia, quando ex convenienti devotione, aut ad lucrandam indulgentiam ſumitur, conſequens ulteriùs eſt, non in ſolâ obligatione, & neceſſitate ſumendi Euchariſtiam rationabiliter peti, nec in eâ ſolâ teneri Miniſtrum diſpenſare, quamvis in illâ magis teneatur, quàm in petitione ex devotione, propter majus, quod violat petentis jus, maiuſque quod affert eidem detrimentum, ſi euchariſtiam neget: Quia tandem obligatio juſtitiæ qualem habent, qui diſpenſant ex Paſtoris officio, aut ex ſpeciali ſtipendio, major eſt obligatione charitatis, quam ſolam contrahunt reliqui, conſequens eſt illos multo magis, quam iſtos ad euchariſtiam petentibus diſpenſandam obligari, & illos quidem ſæpè ſub lethali, iſtos regulariter ſub veniali tantùm; unde etiam iſti facilè ab obligatione excuſantur, & numquàm tenentur miniſtrare cum propriæ vitę periculo, ut tamen juxtà communiorem ſententiam tenentur illi, quibus propterea tempore peſtis non licet, ut propriæ vitæ conſulant, abſtinere à viatico, propriis ovibus peſte infectis, miniſtrando; niſi alium ad id ſubſtituant, hocque contra paucos nonnullos, non ſolùm communior Doctorum auctoritas, ſed etiam pietas, & praxis ſuadent, ut videre eſt apud Marchinum de bello divino *par.3.cap.1.* & alios paſſim variis in locis.

Si ſit Paſtor tenetur ex juſtitia, ſi minus ſolùm ex charitate.

CAPUT III.

De Subjecto capaci, & neceſſitate, ſeù obligatione ſumendi Euchariſtiam.

1

EUchariſtiæ ſumendæ capacitas, alia remota, alia proxima: Iſta ſuprà illam addit peculiares diſpoſitiones, de quibus *cap. ſeq.*, illa importat potiſſimè ſtatum hominis viatoris pro cujuslibet ſacramenti ſuſceptione requiſitum juxtà ſuprà dicta, de ſacramentis in genere *lib. 2. cap. 3.* §. 1. In præſenti Capite de remotâ capacitate ſermo eſt, de quâ pauca dicenda occurrent; aliquantulo autem plura de neceſſitate, quam tamen in titulo ipſo reſtringimus ad neceſſitatem ſumendi, ſeù ſumptionis, contradiſtinctam à neceſſitate exiſtendi, ſeù inſtitutionis, quæ cum non ſe teneat ex parte ſubjecti, non poteſt ad præfixum titulum pertinere, imò nec eſt, cur de eâ ulterius tractetur, cum non occurrat quidquam alicujus momenti addendum iis, quæ de tali neceſſitate dicta ſunt partim *lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 2.* §. 4. partim ſuprà hoc ipſo tractatu *lib. 1. cap. 1.* §. 3. Neceſſitas igitur, quæ explicatione nunc indiget reſtringitur ad neceſſitatem uſus, & eſſe poteſt, vel medii, vel præcepti, item præcepti, vel divini, vel Eccleſiaſtici; De utrâque mox agetur poſtquam pro primâ tituli parte nonnihil dixerimus de capacitate: Ideò ſit

§. I.

Quid de Cathecumenorum; Quid item de Infantium, & Amentium ad Euchariſtiam ſumendam capacitate?

2

ASSERT. I. Cathecumeni non ſunt capaces ſumendi Euchariſtiæ ſacramentum ſpiritualiter, ſeù cum fructu, & effectu ipſius proprio. Eſt contrà Marſilium *in 4. quæſt. 6. art. 2.* videtur etiam contrà Innocentium III. cap. *Veniens* de Præsbytero non baptizato: Verùm Innocentius contrarius non eſt, ut conſtabit *ex ſeq. num. 6* & Marſilius cenſetur in ſuâ ſententiâ non ſolùm ſingularis, ſed & alienus à principiis receptis ab omnibus Theologis, ut loquitur Suarez *diſp. 62. ſec. 3.* §. *Sed hæc ſententia*: ideò aſſertum eſt communiſſimum, nec negabile ſine cenſurâ.

Dixi *Spiritualiter, ſeù cum fructu, & effectu ipſius*: Pro quo adverto ex D. Thomâ *quæſt. 80. art. 1.* diſtingui duplicem modum ſumendi euchariſtiam; alterum quo ſumitur ſacramentum, at effectus impeditur; hæc eſt ſumptio imperfecta, & non ſpiritualis; àlterum quo ſumitur ſacramentum, & percipitur effectus; hæc eſt ſumptio perfecta, & ſpiritualis, quia ſacramenti effectus ſpiritualis eſt, & ſpiritualiter conjungit Chriſto: Ex Tridentino deindè *ſeſſ. 13. can. 8.* & *ſeſſ. 22. cap. 6.* aliter uſurpatur ſumptio ſpiritualis; primo ſcilicet loco ſupponit pro manducatione Chriſti per fidem, quam ſolam agnoſcunt Sectarii eo canone damnati, ut potè non admittentes realem Chriſti præſentiam in ſacramento: Secundo loco ſupponit pro ſumptione euchariſtiæ in voto, ſeù pro affectu, & deſiderio euchariſtiæ ſumendæ, ex utrâque hâc doctrinâ, & ad mentem S. Doctoris ſimul, ac Tridentini Concilii Suarez *diſp. 62. ſec. 1.* Vaſquez *diſp. 212. cap. 2.* Amicus *diſp. 28. ſec. unicâ*, & reliqui Scholaſtici triplicem aſſignant euchariſtiæ ſumptionem, nimirùm ſacramentalem tantùm, ſpiritualem tantùm, ſacramentalem, & ſpiritualem ſimul; deindè ſacramentalem tantum dividunt in ſacramentalem materialiter, & in ſacramentalem formaliter; Spiritualem tantum in eam, quæ per cognitionem, ac fidem, & in eam quæ per deſiderium, ac affectum. Sumptio ſacramentalis tantùm eſt manducatio ſacramenti ſine perceptione effectus, & eſt ſacramentalis formaliter, ſi ſacramentum manducetur ſub ratione ſacramenti: materialiter, ſi ſub ratione cibi communis: Sumptio ſpiritualis

Multiplex Euchariſtiæ ſumendæ modus ex mente D. Thomæ, & Tridentini Concilii.

3

tantum

Cathecumeni non sunt capaces sumendi Eucharistiam spiritualiter, & cum fructu.

tantum non indiget magis explicari: Sumptio sacramentalis, & spiritualis simul, est manducatio sacramenti cum perceptione effectus; Hujus sumptionis asserimus incapaces esse Cathecumenos, non quia Christus non potuerit eos capaces facere, sed quia juxtà præsentem institutionem capaces non fecit; &

4 Probatur ex perpetuâ Ecclesiæ praxi, quâ Cathecumeni, quantumvis in Christum jam credentes, & per Christum justificati numquam facti sunt eucharistiæ participes, signum est igitur ex Christi voluntate, & præsenti institutione capaces Eucharistiæ non esse: Undè Augustinus *tract.* 11. *in Joan.* post initium, (ut legimus in officio Inventionis Crucis die tertiâ Maii) docet Cathecumenos credere in Christum, at Christum non se credere eis, & ait *Si dixerimus Cathecumeno, Credis in Christum? Respondet Credo, & signat se Cruce Christi &c. Interrogemus eum, Manducas carnem filii hominis, & bibis sanguinem filii hominis? Nescit quid dicimus: quia Jesus non se credidit ei*; quod est idem, ac dicere, quia Christus noluit eum facere suæ carnis, suique sanguinis participem, & eucharistiæ capacem. Ratio fundamentalis est quia Cathecumeni nondum sunt baptizati, soli autem baptizati juxtà præsentem institutionem sunt capaces Eucharistiæ, & aliorum novorum sacramentorum, quorum omnium baptismus est janua: Præterea eucharistiæ effectus est per modum nutritionis, quæ generationem supponit; est pabulum, quod supponit Christi oves, & ipsis solis dispensatur; Cathecumenus autem, ex eo quod nondum sit baptizatus, nondum est in Christo regeneratus, nondum est factus Christi ovis, nondum est Christi gregem ingressus; ergo.

Dices Eucharistiam supponere baptismum in eo, à quo fit, non in eo, à quo suscipitur, præsertim quia ipsa cum suscipitur non fit; Vel si etiam in suscipiente supponit aliquo modo baptismum, hunc supponere quoad effectum, idest quoad gratiam justificantem, & vivificantem, non quoad ipsam baptismi substantiam, & characterem: cæterùm simpliciter, & absolutè, sicuti à baptismo suscipientis non pendet eucharistiæ substantia, ità non est, cur ab illo pendeat Eucharistiæ effectus? Sed contrà:

5 Dico Eucharistiam secundum suam substantiam, & valorem supponere baptismum in eo, à quo fit, secundum suum effectum, & fructum supponere baptismum in eo, à quo suscipitur; & differre quidem ab aliis sacramentis, in eo quod alia, ut pote in usu, & susceptione consistentia, etiam quoad substantiam, & valorem pendeant à suscipiente, & suscipientis baptismo; ipsa verò Eucharistia habeat esse permanens, sicut à susceptione, & usu, ità à suscipiente, & suscipientis baptismo independens; At cum hoc stat, quod cum reliquis sacramentis conveniat quoad effectum; adeò ut iste etiam in Eucharistiâ sicut haberi nequit sine susceptore, ità nec sine susceptore tali, nimirùm baptizato: & sine fundamento, imò & contra posita à nobis fundamenta dicitur pro Eucharistiæ effectu sufficere, quod præcedat in subjecto effectus baptismi, idest gratia: neque enim per hanc præcisè homo, aut regeneratur, aut fit Christi ovis, ut magis perspicuum fiet consideranti, vel consulenti Lugum *hic disp.* 13. *sec.* 1. *num.* 5. *& 6.*

6 Remanet aliquid dicendum de mente Innocentii cit. cap. *Veniens* ubi licet re verâ dicat Eucharistiam sumi posse à non baptizato, dicit id disputativè, & referendo quid aliqui senserint, non assertivè, & proferendo, quid sentiat ipse: Deindè sententia, quæ ibi refertur, fortè procedebat de sumptione purè materiali, non de sumptione fructuosâ: Et tandem summus Pontifex se in eâ sententiâ non fuisse, insinuat, dum Caput concludit, dicendo, antè baptismum cætera sacramenta esse invalida, & decernendo, quod Præsbyter ille baptizaretur, & reordinaretur post baptismum.

Assert. 2. Infantes, seù paruuli ante usum rationis, dummodò baptizati sint, sunt capaces sumendi cum fructu, & effectu Eucharistiæ sacramentum: De facto tamen est ab Ecclesiâ prohibitum hoc illis ministrari. In istâ secundâ parte omnes conveniunt: Primam tradunt Ledesma *par.* 4 *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 5. Alanus *lib.* 2. *de Euchar.* *cap.* 37. Corduba *lib.* 2. *quæst.* 8. Suarez *disp.* 62. *sec.* 4. Vasquez *disp* 202. *cap.* 2. Amicus *disp.* 28. *num.* 7. Lugus *disp.* 13. *sec.* 2. Herinex *disp.* 6. *quæst.* 2. *num.* 10. Madernus *quæst.* 7. *art.* 5. & omnes jam, aut ferè omnes Recentiores, contrà Alensem 4. *par quæst.* 11. *memb.* 2. *art.* 4. §. 1. Majorem *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. §. *Secundò arguitur*. Paludanum *eâd. dist. quæst.* 4. *art.* 2. Cajetanum 3. *par. quæst.* 80. *art.* 12. Sylvestrum verb. *Eucharistia* 3. *quæst.* 5. & alios paucos, quibus addi possunt, ut nobis adversantes etiam illi, qui ut meminit Lugus *num* 9. docent parvulos fuisse quidem olim capaces fructus Eucharistiæ, at non postquàm Ecclesia prohibuit hanc illis dari.

7 Antiquitùs fuit consuetudo ministrandi Eucharistiam paruulis ante usum rationis:

Probatur prima asserti pars: Ex veteri Ecclesiæ consuetudine, eâque licitâ, & rationabili dabatur infantibus, seù paruulis ante usum rationis eucharistia, ergo paruuli sunt capaces sumendi ipsam cum fructu, & effectu; Patet consequentia, quia alioqui talis consuetudo non fuisset licita non enim licet Ministro tribuere eucharistiam subjecto incapaci, in quo suo effectu caritura sit, & quando id liceret, liceret illam tribuere homini non baptizato, præsertim existenti in gratiâ. Probatur antecedens ex eo, quia consuetudo illa apertè colligitur ex variis testimoniis veterum Patrum, & Conciliorum, item ex nonnullis antiquis historiis relatis à Suario, & Vasquio, & uberius à Lugo *præcit. sec.* 2. *num.* 11. contendente in omnibus ferè Provinciis Ecclesiæ, sivè Græcæ, sivè Latinæ, sivè Orientalis, sivè Occidentalis, consuetudinem illam viguisse, quamvis ex adverso eam non fuisse admodum frequentem, nec generalem,

nec

nec in totâ Ecclesia susceptam, suspicetur Suarez *pracit. sec.* 4. circà medium, cui meo videri magis favet, tùm Cathechismus Romanus *par.* 2. *de Sacram. Euchar.* §. 62. Ubi cautè, & restrictè loquitur, dicens *Veterem fuisse in quibusdam locis consuetudinem ut infantibus, etiam sacram Eucharistiam praberent*, tùm Tridentinum Concilium *sess.* 21. *cap.* 4. eâdem cautelâ utens, & docens, damnandam non esse antiquitatem; *si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit*:

8

Talis consuetudo tunc licuit.

Sed quidquid sit de prædictæ consuetudinis majore, vel minore generalitate, & frequentia, sufficit nobis eam extitisse, quod jam satis ostensum est; & licuisse, quod deducitur in primis ex eo, quia nullibi invenitur reprehensa; deinde etiam, quia non leviter commendatur à Concilio Tridentino, quod post verba nuper recitata ait. *Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ità certè eos nullâ salutis necessitate id fecisse sine controversiâ credendum est*; & his postremis verbis damnantur nonnulli, qui dixerunt, consuetudinem illam ortam fuisse ex errore, quo antiquitùs putabatur, aut dubitabatur, eucharistiam esse parvulis necessariam ad salutem. Tandem quià rationes, ob quas antiquitùs licuit mox attingemus, explicando, quod nunc sit convenienter prohibita, & si talis olim non fuerit. Ideò

9

Nunc est id illicitũ, & prohibitũ ex consuetudine opposita;

Probatur secunda asserti pars, quia licèt, ut observat Arriaga *disp.* 43. *sec.* 1. *num.* 7., nullus afferatur expressus textus, aut canon directè prohibens dari Eucharistiam parvulis, est tamen in ecclesia præsertim occidentali jam ità diuturna, & universaliter approbata, quin & per modum Regulæ in Rituali Pauli V. Parochis tradita consuetudo id non præstandi, ut habeat vim legis id prohibentis. Dixi *in Ecclesiâ præsertim occidentali* quia Lugus *num.* 12. refert quidem Æthiopes, & Ruthenos adhùc observare antiquum morem communicandi pueros, at ait eos videri magis spectare ad orientalem ecclesiam. Porrò rationes ob quas ecclesia abrogavit veterem consuetudinem, consuetudine oppositâ, & reddit illicitum, quod olim licebat Suarez *pracit. sec.* 4. §. *Quod verò* desumit præcipuè ex dignitate sacramenti, & reverentiâ ei debitâ, cui facilius in parvulorum communione poterat consuli antiquitùs, quàm nunc, propter minorem tunc communicantium numerum, majoremque devotionem, ac solicitudinem ministrantium; Poterant insuper irreverentiæ pericula melius vitari immittendo in os parvulorum panem consecratum, vini speciebus intinctum, aut etiam solum vinum consecratum (quod apud plures Catholicos in usu fuisse narrat, ex Arcudio, & Hugone à S. Victore, Lugus *pracit. num.* 12.) & ideò sacramentum facilius à parvulis deglutiebatur, quàm deglutiretur nunc post inductam communionem sub unicâ, & solâ specie panis: Hinc Arriaga *pracit. num.* 7. conjectat consuetudinem communicandi parvulos cessasse, & oppositam cepisse, quando cessavit, & prohibita fuit laicis communio sub utraque specie;

10

Quando nam cæperit ista opposita consuetudo?

Fortè etiam sicuti hæc fuit sublata ad tollendum errorem dicentium sumptionem utriusque speciei esse de necessitate salutis, ità fuit simul sublata communio parvulorum, ad tollendum penitus errorem, quo ab aliquibus existimabatur ad ipsorum salutem necessaria.

Dices: Etiam nunc parvuli sunt capaces sumendi eucharistiam cum fructu, atqui si ecclesia prohibuisset illam ipsis ministrari, non essent ampliùs sic capaces; ergo id ecclesia non prohibuit, & consuetudo opposita apud nos vigens est irrationabili, vel animo non obligandi inducta, adeòque non obligatoria: Probatur minor, sumptio eucharistiæ, sicut & cujuslibet alterius sacramenti, debet esse aliquo modo voluntaria in adultis quidem per voluntatem propriam, in parvulis per voluntatem ecclesiæ; atqui ecclesiæ voluntas non concurreret, sed resisteret sumptioni eucharistiæ à parvulis, si eam ecclesia prohibuisset, ergo talis sumptio non esset ampliùs per voluntatem ecclesiæ voluntaria, nec parvuli essent amplius capaces sumendi eucharistiam cum fructu. Confirmatur ex eo, quod, si nulla ecclesiæ intentio, aut voluntas requireretur ad fructum eucharistiæ in parvulo, iste fructum perciperet etiam ex sumptione profanâ, & non sacramentali, quâ in panem, aut vinum consecratum casu incidens ex gulâ, vel levitate animi sumeret, tamquàm cibum profanum, & communem, quod non videtur admitti posse. Sed contrà: Eâdem ratione probaretur infructuosè, imò invalidè sumi baptismum, qui parvulo infidelium, absque Parentum consensu ministraretur, vel Confirmationem, quam parvulo ministraret Episcopus in alienâ Diœcesi, inscio Episcopo proprio, est enim ab ecclesia prohibitum sic ministrari parvulo baptismum, vel Confirmationem: Instantia igitur nimis probat, & ad eam directè dico, aliud esse, quod ecclesia nolit aliquod sacramentum parvulo ministrari, aliud quod nolit esse parvulo fructuosum, si ei ministretur, illud non istud importat, tùm in exemplis mox allatis, tùm in eucharistiâ, ecclesiæ prohibitio; & benè stat eucharistiæ, aut alterius sacramenti sumptionem esse parvulis ex voluntate ecclesiæ voluntariam, quò ad fructum, quamvis sit contrà ejusdem ecclesiæ voluntatem prohibentem, quò ad ministerium: Deindè ecclesia sumi potest, vel pro ut includit Christum tamquàm caput, vel pro ut importat solùm reliquum corpus; ut eucharistiæ sumptio sit parvulis fructuosa, sufficit, quod sit ipsis per voluntatem ecclesiæ voluntaria primo modo, & talis est ex eo præcisè, quod sit ut verè est ex voluntate Christi ita instituta, ut possit parvulis prodesse, ideò, quando etiam reliquum ecclesiæ corpus, non solum prohiberet ministerium, sed & nollet fructum eucharistiæ in parvulis, adhùc

11

Parvuli nõ sunt nunc incapaces fructus Eucharistiæ, quamvis hæc sit illis prohibita.

Quænam Ecclesiæ voluntas requiratur pro tali fructu in parvulis?

adhuc ab istis ex Christi institutione, & Ecclesiæ primo modo sumptæ voluntate sumeretur, cum voluntarietate sufficiente ad percipiendum fructum, ut ratiocinatur Lugus *præcit. sec. 2. num. 21.*

12

Talem fructum parvulus percipit, etiam si casualiter Eucharistiam sumat.

Ad confirmationem potest cum Lugo *nu.* 22. & Herinex *num* 12. contrà Amicum *num.* 15. Arriagam *disp* 43. *sec.* 2. in fine, & Pontium *disp.* 44. *quæst.* 13. *num.* 108. potest, inquam, concedi in parvulo sumptionem casualem esse fructuosam, eo quod censeri possit parvulo voluntaria ex voluntate Christi, seù Ecclesiæ primo modo explicato sumptæ: Nec Adversarii habent fundamentum contendendi, Christum voluisse Eucharistiam esse parvulis fructuosam, solùm quando religiosè, & ut sacramentum ministratur; cum enim parvulus non discernat, quandonam eucharistia sibi ministretur, ut sacramentum? videtur hoc ad ipsum impertinens, & aliundè limitanda non est sine necessitate voluntas Christi. Ad illud, quod addebatur, dico eo casu parvulum sumere eucharistiam, ut cibum profanum, & communem, quantum est ex parte ipsius parvuli, non quantum est ex parte, & voluntate Christi; Non habet tamen similem Christus voluntatem respectu adultorum, quia ab istis vult Eucharistiam, ut fructuosa sit sumi modo ipsis proportionato, idest ex aliquâ voluntate, & intentione propriâ, ut singillatim attigimus in tract. de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 3. §. 3. *num* 40. post traditam generalem in eâdem re doctrinam de omnibus sacramentis, quidquid in proposito de Eucharistiâ contrà sentiat Herinex *num.* 13. opinatus Eucharistiam etiam ab adulto justo casualiter sumptam suum ei effectum, & fructum conferre.

Adultus casu justus non item.

13

Dices aliter impugnando absolutè capacitatem fructus Eucharistiæ in parvulis ex conditionibus ad talem fructum requisitis, quarum prima est sumptio sacramentalis propriè, & formaliter, idest cum cognitione sacramenti, & significationis ejus: Secunda probatio sui ipsius juxtà illud Apostoli 1. Cor. 11 *Probet autem se ipsum homo & sic de pane illo edat*: Tertia, indigentia alimenti ad restaurandam vitam spiritualem, cujus restauratio est proprius effectus, & fructus cibi eucharistici; Nulla autem ex his conditionibus reperitur in parvulis, ut de primâ, & secunda patet ex se, tertia ex eo, quod ubi nihil vitæ spiritualis deperditur, aut debilitatur, non potest esse indigentia eam restaurandi. Confirmatur à posteriori, quia si Eucharistia posset esse parvulis utilis, esset injusta prohibitio, quâ eos Ecclesia tantâ utilitate, sine ipsorum culpa privaret.

14

Sed contrà: Ad primam conditionem dico, quod sicuti, ut sumptio sit voluntaria in parvulis, sufficit voluntarietas aliena, idest Ecclesiæ, vel Christi; ita ut sit formaliter sacramentalis, sufficit Ecclesiæ, vel Christi cognitio, quod si contendas non sufficere, contendam ego in parvulis, quamvis non in adultis esse spiritualem, & fructuosam sumptionem, etiam solum materialiter sacramentalem. Ad secundam; dico ex Apostolo probationem requiri ad discernendum, & removendum obicem peccati, ideò non extendi hanc conditionem ad parvulos, in quibus ab originali per baptismum justificatis, nullum potest antè usum rationis peccatum reperiri. Ad tertiam dico esse effectum, & fructum Eucharistiæ non solum, quod restauret detrimentum, sed & quod præbeat simpliciter incrementum vitæ spiritualis, hujus autem incrementi bene habent parvuli capacitatem, & indigentiam.

15

Ad confirmationem, dico, utilitati parvulorum præponderare reverentiam sacramenti, quæ in præsentium temporum circumstantiis valdè periclitaretur *ex præced. num.* 9. & propter hanc præponderantiam, aliasque congruentias *ibid.* positas Ecclesiam non sine rationabili causa, quamvis sine parvulorum culpâ ipsos privasse Eucharistiæ effectu, & fructu, illis alioqui valdè utili, non tamen necessario ad salutem; At attendendo præcisè utilitatem deberem parvulis ministrari, etiam alia sacramenta, quorum sunt capaces, nimirum Ordo, & Confirmatio: Ubi adverte obiter in his duobus sacramentis posse retorqueri, & infringi ferè, quidquid in sacramento Eucharistiæ objicitur, aut contrà capacitatem sumendi respectu parvulorum, aut contrà præsentem prohibitionem ministrandi respectu aliorum.

Quo ad Eucharistiæ sumptionē sentiendū de perpetuò amentibus idem, quod de infantibus.

Assert. 3. De amentibus ab infantiâ talibus, nec umquam rationis usu potitis idem circà capacitatem fructus, & prohibitionem usus Echaristiæ sentiendum, quod de infantibus, seù parvulis antè usum rationis, sunt scilicet capaces sumendi eucharistiam cum fructu, at hanc illis ministrari est ab Ecclesia de facto prohibitum. Est assertum consectarium præcedentis, eosdemque cum illo habet Auctores, tùm prò, tùm contra stantes.

16

Probatur, & explicatur: Amens ab infantia, nec umquam rationis usu potitus adhuc est ante usum rationis æquè, ac sit infans infantiam, quo ad annos ætatis, non quo ad discretionem mentis excedit, & semper remanet ratione, ac judicio puer, quamvis evadat ætate adultus, corporeque provectus; cum igitur in ordine ad Eucharistiæ fructum, & usum magis attendatur discretio, quàm ætas, idem de tali amente sentiendum, quod de infante, & sicuti in isto, discretionis, seù usus rationis carentia, non impedit, ne ipse sit capax sumendi eucharistiam cum fructu, at præbet rationabilem causam, ne sibi ab aliis ministretur, ità & in illo amente, cui certè sicut, & cuilibet infanti par nunc est in Ecclesiâ consuetudo non ministrandi; Utrùm verò antiquitùs, dum consuetudo ministrandi viguit pro infantibus, viguerit similiter pro amentibus? Non invenio pro istis, sicut pro illis fieri expressam mentionem, aut particulares casus referri, & fortè vix aliqui eveniebant, propter paucitatem talium amentium, & propter majorem difficultatem eos communi-

Quamvis pro illis nō æquè ac pro istis constet viguisse antiquam communionis consuetudinem.

gandi, sine peculiari irreverentiâ sacramenti; Non dubitaverim tamen, cæteris paribus, licuisse tunc eucharistiam perpetuò amentibus æquè, ac infantibus ministrare, ut etiam in terminis tradidit Sotus, laudatus à Vasquio *disp.212. cap 3. num.26.*

17 Posset hic aliquid subdi de lapsis in amentiam post usum rationis, aut de habentibus in ipso amentiæ statu lucis intervalla; Sed quia de utrisque agendum erit infrà, cum de iis, quos afficit eucharistiæ sumendæ præceptum, illuc libenter reliqua, quæ possent hic subdi transmittimus: Ibi etiam dicemus de stolidis, & habentibus valdè debilem rationis usum: Item de Energumenis, & possessis à Demone, de quibus aliqui dubitarunt, an sint Eucharistiæ capaces? & de his omnibus explicando aliquam eucharistiæ sumendæ, aut sibi ab aliis ministrandæ, obligationem, remanebit à fortiori explicata fructus Eucharistiæ capacitas: Pro nunc sufficiat ex dictis deducere, usum rationis ex genere suo non pertinere ad eucharistiæ cum fructu sumendæ capacitatem, & si aliquando ad fructum requiritur, id esse non ex propriâ ratione sacramenti, sed ex conditione subjecti, ex institutione Christi, non absolutâ, sed ad tale subjectum relatâ, & ex declaratione Ecclesiæ,

---

§. II.

Utrùm sumptio Eucharistiæ sit ad salutem necessaria necessitate medii?

18 ASSERT. I. Realis, & sacramentalis sumptio Eucharistiæ, seù Eucharistia suscepta in re, neque paruulis, neque adultis est ad salutem necessaria necessitate medii, Est veritas catholica, & adeò universaliter recepta, ut Valentia *disp.6. quæst.1 punc. 5. §. Quartò probatur* contendat nullum nequidem hæreticum contra sensisse; Suarez tamen *disp.42 sec.2.* Arriaga *disp.29. sec.1. subsec.5.* Gonetus *disp.2. art.4. num.75.* cæterique communiter errorem oppositum tribuunt quibusdam Armenis, qui eucharistiam simul cum baptismo paruulis administrabant, quasi eadem esset utriusque necessitas; item iis, qui ut colligitur ex Concilio Chartaginensi III. *can.6.*, & ex VI. Synodo Trullano *can* 83. etiam post mortem, eucharistiam applicabant corporibus defunctorum, quasi sine eâ saltem sic applicatâ salvari animæ non possent; Verùm sivè ex hoc, sivè ex alio errore isti mali eucharistiæ usus processerint, assertæ veritatis certitudini nihil addit, quod nullus, nihil detrahit, quod aliquis hæreticus ei contradixerit; satis est, quod non contradicat ullus Catholicus.

Sumptionem realé Eucharistiæ non esse necessariam necessitate medii est certum;

19 Probatur quo ad paruulos, expressâ definitione Concilii Tridentini in verbis, jam relatis suprà *num.8.* Item ex eo, quia Ecclesia neminem privat medio ad salutem necessario; privat autem de facto paruulos reali sumptione Eucharistiæ, prohibendo hanc illis ministrari: Eâdem privat multos adultos in ipso mortis articulo, in quo illa maximè esset, si aliquando esset adultis necessitate medii necessaria; privat inquam multos adultos, nimirùm violentâ morte mox plectendos, vomitum patientes, aut aliundè non valentes Sacramentum sumere sine verisimili periculo gravis irreverentiæ; ergo ex praxi Ecclesiæ constanter deducitur, eucharistiam neque paruulis, neque adultis esse medium ad salutem necessarium. Confirmatur ratione: Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, quod per se prærequiritur ad justificationem, & primam gratiam, quatenus hanc, vel per se causet, ut baptismus, sivè in adulto, sivè in paruulo, vel per se præeat, ut actus fidei in adulto; Atqui in Eucharistia realiter sumpta, neque in homine adulto, neque in paruulo itâ se habet, cum enim sit sacramentum vivorum institutum ad causandam secundam gratiam, numquam causat per se primam; hanc item per se non præit, quia Eucharistiæ sumptio non debet in peccatore præcedere, sed subsequi justificationem, & primam gratiam baptismi lavacro, pœnitentiæ Sacramento, vel contritionis actu obtinendam: suntque ista omnia, vel ex alibi dictis, vel ex infrà dicendis, perspicua; ergo similiter perspicuum est, eucharistiam realiter sumptam, non esse necessariam necessitate medii, quod adhuc magis, & à fortiori perspicuum fiet ex eo, quod idem mox probabitur de eucharistia sumptâ in voto, seù de eucharistiæ voto, pro quo in primis.

Et quo ad Paruulos est definitum à Tridentino.

20

21 Adverto obiter, & ex tractatu de Virtut. Theolog. *lib.1. cap.5. §.6.* recolo aliquos, ut Vulpius *ibi* relatus, & Lauræa *disp.6. de Sacram. in gen. art.2.* item in præsenti *disp.25. de Euchar. art.1.* non admittere divisionem necessitatis, in necessitatem medii, & necessitatem precepti, nec unam ab aliâ distinguere, & isti quæstionem de necessitate Eucharistiæ ad salutem sub aliis terminis agitant, nimirum sub terminis necessitatis simpliciter, & necessitatis secundum quid; cæterum in eo, quod dicant Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii, dum hanc nullibi agnoscunt, nihil favent nostro intento; nec nos intendimus ab Eucharistia quomodocumque sumptâ excludere necessitatem medii, destruendo suppositum, idest omnem ubicumque medii necessitatem, sed hâc *ex pracit.* §. 6. suppositâ, & expositâ volumus ipsam nullatenus Eucharistiæ convenire.

22 Adverto insuper duplicem circumferri modum defendendi in Eucharistiâ necessitatem medii ad salutem. Primus est, quod Eucharistia per se conferat perseverantiam in gratiâ, idest donum, & auxilium quo à peccatis lethalibus præservemur, & quia perseverantia in gratia est medium ad salutem necessarium non minus, quàm justificatio, & prima gratia, inferunt propter perseverantiam in gratiâ, esse necessariam eucha-

Modus explicandi Eucharistiæ sumptionem esse necessariam medii necessariâ, vel realé, vel in voto.

Eucharistiam, sicut propter primam gratiam est necessarius baptismus, adeòque illius, sicut istius, vel in re, vel in voto susceptionem esse de necessitate medii, cum hoc eucharistiæ, à baptismo discrimine, quod iste parvulis à quibus haberi non potest in voto, est simpliciter necessarius in re; non sic inquiunt est iisdem parvulis simpliciter necessaria in re eucharistia, cujus propterea necessitatem in re ad solos adultos limitant, eò quia sicut soli adulti, non parvuli possunt gratiam amittere peccandi, ità illi soli, non isti indigeant perseverare dependenter ab eucharistiâ, & per auxilium à peccatis præservans, quod sit eucharistiæ effectus. Hunc, aut parùm dissimilem modum innuit Gonetus *præcit. num.* 75. & latiùs refert Vasquez *disp.* 169. *cap.* 2. qui etiam nullo expresso Auctorum nomine ipsum tribuit quibusdam Recentioribus, putantibus pro se stare D. Thomam multis in locis ibidem à Vasquio memoratis.

23 Modus explicandi talem sumptionem esse necessariam solum in voto, hocque implicito, & virtuali.

Secundus est, quod tùm in aliis sacramentis, & specialiter in illis baptismi, & pænitentiæ, tùm in actibus contritionis, & dilectionis Dei super omnia includatur, seù imbibatur quædam ad sacramentum eucharistiæ habitudo, & inclinatio, quam appellant votum virtuale, & implicitum ipsius eucharistiæ: Hoc votum, seù Eucharistiam in hoc voto dicunt, esse de necessitate medii ad salutem, tùm parvulis, tùm adultis, neutris verò taliter necessariam faciunt eucharistiam in re; propterea eucharistiam à baptismo quò ad necessitatem contradistinguunt, quod illa sit necessaria tantum in voto, iste vel in voto, vel in re, imò primariò, & principalius in re: illius votum sit solum virtuale, & possit haberi sine propriæ voluntatis actu; votum ipsius debeat esse formale, & importet actum propriæ voluntatis ejus, qui dicitur baptismum in voto suscipere. Hunc dicendi modum tradunt Dominicus Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 6. *art.* 4. & *dist.* 8. *quæst. unic. art.* 3. Cajetanus *hic quæst.* 73. *art.* 3. Sylvius *eod. art.* Joannes à S. Thomâ *disp* 26. *art.* 4. Gonetus *disp.* 2. *art.* 4. §. 2. & alii Thomistæ arbitrati se sentire cum suo Sancto Doctore *hic quæst.* 73. *art.* 3. *in c.* & *quæst.* 79. *art.* 1. *ad* 1. & *quæst.* 80. *art.* 11. *in cap.* quibus in locis satis expressè habetur nulli homini posse esse gratiam, & salutem sine voto, seù antè votum percipiendi eucharistiam: Hinc votum eucharistiæ esse in aliquo sensu de necessitate salutis omnibus hominibus, sivè parvulis, sive adultis, tradunt etiam extrà Scholam thomisticam Suarez *disp.* 40. *sec.* 2. §. *Hinc quartò*. Valentia *disp.* 6. *quæst.* 1. *punc.* 5. §. *Tertiò asserimus*. Lugus *disp.* 3. *sec.* 2. *num.* 52. Amicus *disp.* 20. *num.* 22. Madernus *quæst.* 1. *art.* 6. *num.* 20.

24 Major talis voti impliciti, & virtualis explicatio.

Porrò isti Auctores, sivè Thomistæ, sivè Extranei, votum virtuale, & implicitum eucharistiæ, seù habitudinem, inclinationemque illam, quam votum virtuale, & implicitum appellant, non omnes eâdem ratione explicant, quantùm tamen percipere potui, magis communiter sic procedunt: Considerant eucharistiam tamquàm omnium aliorum sacramentorum finem, omnemque gratiam, quæ in aliis sacramentis datur, in eucharistiâ perfici, & consummari; quatenùs omnia alia sacramenta per gratiam, quam in nobis causant, habent unire nos, & incorporare spiritualiter Christo; hujusmodi autem unio, & incorporatio in eucharista perficitur, & consummatur, cum eucharistia, non solum perfectissimam gratiam causet, ideòque dicatur gratiæ consummatæ, & gloriæ pignus, sed insuper in se realiter contineat, & nobis realiter communicet ipsum Christum: Alia igitur sacramenta, eorumque gratiæ sacramentales ad eucharistiam, & gratiam sacramentalem ejus, se habent, ut imperfectum ad perfectum, ut medium ad finem; & quia in imperfecto ad perfectum, in medio ad finem, datur quædam habitudo, & inclinatio; & qui aliquid inchoat, censetur, velle perficere; qui medium assumit, præsumitur intendere, & desiderare finem; consequens est, ut quisquis aliquod sacramentum suscipit in ipsius susceptione habeat aliquo modo implicitum votum, ac virtuale desiderium Eucharistiæ, & ab hâc quasi in genere causæ finalis, causetur omnis gratia, quæ in genere efficientis causatur à quolibet alio sacramento: Quia deindè sacramenta baptismi, & pænitentiæ, sicuti etiam suo modo actus contritionis, & dilectionis Dei super omnia, causant initium vitæ spiritualis, & primam gratiam; in his sacramentis, & actibus incipit, & primò habetur explicatum hucusque eucharistiæ votum, quod propterea peculiari modo, & principaliùs in baptismi, & pænitentiæ; quàm in aliorum sacramentorum susceptione includitur.

25 Quomodò tale votum includatur in cujuslibet sacramenti susceptione.

26

In totâ hâc explicatione, & opinione unum est de re, alterum de modo loquendi, & ferè de nomine: De re est, quod baptismus in primis, & pænitentia, deinde etiam alia sacramenta cum suis gratiis sacramentalibus dicant habitudinem, tendentiam, & inclinationem ad sacramentum, & gratiam sacramentalem eucharistiæ: De modo loquendi est, & ferè de nomine, quod talis habitudo, tendentia, & inclinatio appelletur implicitum, ac virtuale votum, aut quasi interpretativum desiderium Eucharistiæ; Primum censeo continere doctrinam plausibilem, dignitati eucharistiæ consonam, & Sanctis Patribus præsertim Augustino, & Thomæ conformem, ideoque non negandam: Secundum ex communi lege quæstionum de nomine puto, esse parvi momenti, quia tamen modus ille loquendi est jam valdè receptus non solum apud Thomistas, sed & apud multos alios Scholasticos, ut retulimus *præced. num.* 23. crediderim, debere potius admitti, quàm reiici, in primis enim quoties de modo loquendi agitur, laudabile est, cum pluribus loqui;

Deindè talis modus loquendi est valdè accommodatus, etsi non omnino necessarius explicationi auctoritatum, de quibus infra *num.* 32. Tandem modum loquendi reijciendo videretur parùm approbari doctrina, ex quâ originem duxit, quæ tamen ut nuperrimè dicebam, neganda non est.

27 Sumptio Eucharistiæ est necessaria necessitate medii in voto virtuali, & improprio.

Assert. 2. Sumptio eucharistiæ in voto virtuali, implicito, & improprio rectè admittitur, tùm adultis, tùm parvulis necessaria necessitate medii ad salutem; at eâdem necessitate non est, neque in voto tantum, neque in re, vel in voto eucharistia, ejusvè sumptio, loquendo de voto formali, proprio, & simpliciter dicto, quo sunt in re, vel in voto, de necessitate salutis baptismus, & pænitentia. Prima pars traditur ex professo à Thomistis, recipitur à puribus Scholæ thomisticæ extraneis, & ab aliis omittitur potius, quàm sub propriis terminis reiiciatur. Secunda pars est communissima, malè, & fortè ex non attentâ distinctione voti formalis, ac virtualis censetur ab aliquibus esse contrà Thomistas, nec in re habet Adversarios, nisi innominatos, quorum meminimus *praced. num.* 22.

Probatur prima asserti pars, imò sufficienter constat recolendo hucusque dicta à *num* 23. & remanebit ulteriùs confirmata, ex dicendis præsertim *num.* 33. & *seqq.*

28 Non in voto formali, & proprio.

Probatur secunda asserti pars: Baptismus, & Pænitentia in tantum sunt in re, vel in voto de necessitate salutis, seù quod idem est necessitate medii necessaria ad salutem, inquantum est de necessitate salutis, quod in re suscipiantur, si possunt, & suâ reali susceptione per se efficiunt in suscipiente primam gratiam, quæ est medium ad salutem necessarium, atqui eucharistia non ità se habet, ut patet recolenti supra dicta *n.* 20. aut etiam leviter, utcumque rem consideranti, ergo eucharistia, ejusvè sumptio non est de necessitate salutis in re, vel in voto formali, & proprio, eo sensu, quo baptismus, & pænitentia: Major consequitur doctrinam à nobis traditam *præcit.* §. 6. de Virtut. Theolog. & receptam communiter ab admittentibus divisionem necessitatis, in medii, & præcepti. Si respondeas eucharistiam esse solum necessariam in voto; non in voto, vel in re, & ex hoc capite non esse necessariam sicut baptismus, & pænitentia; cæterum quò ad hoc, quod est votum debere esse formale, & proprium eâdem ratione se habere, Impugnaberis, quia votum formale, & proprium nequit esse necessarium, ubi numquàm necessaria est res cum votum suppleat rem, ac per consequens necessitas voti propriè dicti necessitatem rei in se non ponibilis.

29 Dices: Est medium necessarium ad salutem, non solum justificatio, & prima gratia, sed etiam perseverantia in statu justitiæ, & gratiæ; atqui hanc perseverantiam per se causat eucharistia, sicut justificationem, & primam gratiam per se causant baptismus, & pænitentia: ergo est de necessitate medii ad salutem ratione perseverantiæ eucharistia, sicut ratione primæ gratiæ baptismus, & pænitentia: nec quidquam nos concludimus probando eucharistiam, non causare per se, sicut baptismus, & pænitentia primam gratiam: Probatur minor, perseverat in gratia quisquis post acceptam gratiam præservatur à peccatis lethalibus, eucharistia autem suâ reali susceptione per se præstat, quod sic præservemur, nam præservationem à mortalibus, & remissionem venialium tamquàm proprios, & peculiares effectus eucharistiæ assignat Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. dicens Salvatorem nostrum voluisse, eam à nobis sumi *tamquàm antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Sed contrà: Ex tract. de Gratiâ *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. recolo perseverantiam in gratiâ aliquando esse simul diuturnam, & finalem; aliquando diuturnam, & non finalem; aliquando finalem, & non diuturnam; sicque perseverantia diuturna, & perseverantia finalis ab invicem abstrahunt, & potest quælibet esse sine altera; Perseverantia diuturna dicit præcisè, quod in statu gratiæ diù obtineatur à lethalibus; finalis, quod status gratiæ conjungatur cum morte, seù quod in gratia quis decedat: Illa requirit specialia auxilia ad vincendas tentationes, & peccata vitanda; ista auxilium specialissimum, & quolibet alio magis indebitum: Illa nec necessariò requiritur, nec infallibiliter conducit ad salutem; ista, & omnimodâ necessitate ad salutem requiritur, & omnimodâ infallibilitate cum salute conjungitur: Horum pleniore notitiâ *ex precit. cap.* 5. suppositâ.

30 Triplex modus perseverantiæ in gratia.

31 Eucharistia per se causat perseverantiam in gratia diuturnam, et non perseverantiam finalem.

Ad instantiam directè distinguo majorem, est medium necessarium ad salutem non solum &c., sed etiam perseverantia finalis, concedo; non finalis, nego majorem: Atqui hanc perseverantiam, idest perseverantiam, idest perseverantiam diuturnam, abstrahendo ab eo, quod sit, vel non sit finalis, per se causat eucharistia, concedo (modo tamen inferiùs cum de eucharistiæ effectibus explicando) minorem; atqui hanc perseverantiam, idest perseverantiam finalem per se causat eucharistia nego minorem, & consequentiam; non enim arguitur necessitas medii, ex causalitate alicujus, quod non est medium, & ex effectu præcisè nequit argui in causâ necessitas major eâ, quæ convenit ipsi effectui. Plura de hoc puncto Suarez *præcit. sec.* 2. §. *Dico ergo tertiò*, at nobis non est necesse aliquid addere iis, quæ supponimus partim ex præmemorato *cap.* 5. de Gratiâ, partim ex sequenti Capite ultimo de eucharistiæ effectibus §. 1. *num* 9.

32 Urgebis, sicut de baptismo habetur Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, ità de eucharistiâ Jo. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*; ergo sicuti ex prioribus verbis colligitur necessitas medii pro baptismo, ità ex posterioribus debet colligi eadem necessitas pro Eucharistiâ; in quâ

quâ talis necessitas, quando sustineri non possit in ordine ad primam gratiam, erit sustinenda in ordine ad perseverantiam finalem, dicendo magnum hujus perseverantiæ donum ex ordinatione, & decreto Dei extrinseco, non concedi ulli, qui eucharistiam, vel in re, vel in voto non susceperit, idque evinci ex relatis verbis *Jo. 6.* Si respondeatur ly *Nisi* ex genere suo aptum esse significare præcepti æquè, ac medii necessitatem, rectè enim dicitur *v. gr.* Nisi quis servaverit Dei mandata, non salvabitur; Rectè igitur potest ly *Nisi* Jo. 6. intelligi de solâ necessitate præcepti, quamvis Jo. 3. procedat de necessitate medii; nec ex Jo. 6. cogimur inducere ordinationem, & decretum Dei extrinsecum, de non concedendo perseverantiæ finalis dono ulli, qui &c. Impugnabitur responsio primò quia modus loquendi planè similis in scripturâ, non debet explicatione valdè dissimili intelligi, alioqui eluderetur omnis illatio ab uno loco scripturæ ad alium: Secundò quia eucharistia dignior est, & excellentior baptismo; ergo modus loquendi similis, & eadem vox *Nisi* non debet minùs perfectè, & minùs propriè intelligi respectu Eucharistiæ, quàm respectu baptismi: Tertiò quia utraque illa verba *Nisi manducaveritis. Nisi quis renatus fuerit*, valdè universalia sunt, & sicut non solos tunc præsentes, sed & posteros; ità non solos adultos, sed & parvulos comprehendunt, ut ratiocinatur Augustinus *lib. 1. de Peccat. meritis, & remiss. cap. 20.* Cum autem parvuli sint præcepti incapaces, non possent utraque comprehendere parvulos, nisi utraque procederent de necessitate medii: Quod insuper magis directè suadetur ex eo, quod Augustinus *ibid.* necessitatem baptismi in parvulis infert ex necessitate Eucharistiæ, probat scilicet parvulos non baptizatos, non posse habere vitam, quia parvuli non baptizati non possunt manducare carnem Christi, sine quâ nequeunt habere vitam propter illud *Nisi manducaveritis*, undè de illis post multa circà finem capitis ait in terminis *Si non manducaverint carnem filii hominis, nec ipsi habebunt vitam*: Augustino consonat Innocentius Papa epistolâ ad Silvanum, & alios Milevitani Concilii Patres missâ, quæ est inter Decretales XXVI., & apud Augustinum XCIII. atque ità habet *Parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratiâ posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semet ipsis*: Ergo à primo ad ultimum non potest esse minor eucharistiæ, quàm baptismi necessitas, non potest illa esse præcepti dumtaxat, ista medii; si ista ex illâ infertur. Sed contrà. Licèt Vasquez *disp. 169. cap. 4. num. 30.* Amicus *disp. 10. num. 25.* Hetinex *disp. 6. quæst. 1. num. 3.* & aliqui alii videantur contenti responsione instantiæ interpositâ; Nihilominus non possum præsertim propter objectas Augustini, & Innocentii auctoritates ei perfectè requiescere; ideò

33

34

Explicatur proportio inter verba *Nisi renatus &c.* explicantia necessitatem baptismi, & verba *Nisi manducaveritis &c.* explicantia necessitatem Eucharistiæ.

Adverto, ab omnibus quidem admittendam esse aliquam diversitatem intelligendi verba adducta *ex Jo. 3.* pro baptismo, & alia adducta *ex Jo. 6.* pro Eucharistiâ, at hanc diversitatem esse ponendam minorem, quæ poni possit: Primum suadetur ut ità dicam à priori ex eo, quod verba *Jo. 3.* significant præcisè passionem, cujus omnes sunt capaces faciliùs, quàm actionis, quam significant verba *Jo. 6.* multoque magis suadetur, imò evincitur à posteriori ex praxi, & sensu Ecclesiæ ministrantis baptismum, non eucharistiam parvulis. Secundum consonat magnæ utrorumque verborum similitudini, quorum etiam non esse valdè dissimilem significationem luculenter indicant allatæ ex Augustino, & Innocentio sententiæ, nec desunt aliæ ejusdem rationis, tùm apud Augustinum aliis in locis, tùm fortè apud alios Patres. His duobus suppositis, & breviter animadversis repeto doctrinam in secundo asserto traditam, & dico, utramque, id est tùm baptismi, tùm eucharistiæ necessitatem esse medii; at illam baptismi respectu parvulorum esse in re, respectu adultorum in re, vel in voto, formali tamen, & propriè dicto; illam eucharistiæ esse, tàm respectu adultorum, quàm respectu parvulorum solum in voto, hocque virtuali implicito, & improprio, de quo suprà à *num.* 23. *ad* 27.

35

Directè igitur ad instantiæ instaurationem concedo antecedens, distinguo consequens, debet intelligi eadem necessitas medii in genere, & ut abstrahit à voto formali, vel virtuali, item à voto, vel re concedo; in specie, & ut supponit pro necessitate in re, vel voto formali nego. Omissâ deindè responsione instantiæ interpositâ, ad ejus impugnationem quatenus primo loco contendit probare omninò eamdem utrobique necessitatem propter similia utrobique verba, patet ex animadversione mox præmissâ: Quatenus secundo loco ex majori eucharistiæ excellentiâ necessitatem etiam majorem videtur arguere, res potius se habet ex opposito, quia quod est magis excellens, sicuti est magis arduum, & requirit subjectum magis dispositum, ità debet esse minus necessarium: Quatenus tertio loco afferuntur auctoritates pro necessitate medii, non solius præcepti, libenter illas amplector, dummodò intelligantur, ut intelligendæ sunt de sumptione Eucharistiæ, non aliter, quàm in voto virtuali, & implicito: Ista sumptio etiam parvulis est ad salutem necessaria, at imbibitur in susceptione baptismi, & eucharistia sic sumpta non causat in parvulis gratiam diversam ab ea, quam causat baptismus, sicut nec in adultis diversam ab eâ, quam causat pœnitentiæ sacramentum, aut contritionis actus: Ex quo obiter infertur, votum Eucharistiæ eâ ratione, quâ est de necessitate salutis, esse de tali necessitate in ordine ad primam gratiam, non in ordine ad perseverantiam, nam primam, non perseverantiam, per se conferunt Contritio, Pœnitentia, Baptis-

36

mus,

mus, in quibus Eucharistiæ votum includitur.

57 Sumptio, seu manducatio Eucharistiæ in voto virtuali dicitur etiam manducatio spiritualis.

Explicata hucusque Eucharistiæ sumptio in voto virtuali, & implicito, dicitur etiam sumptio, seu manducatio spiritualis, & mystica: sic D. Th. *in 4. dist. 9. qu. 1. art. 1 quæstiunc. 2. ad 1.* de verbis illis Io. 6. *Nisi manducaveritis carnem &c.* ait, *Dominus loquitur de manducatione spirituali, sine qua non potest esse salus.* Hinc si ex initio huius capitis *num.* 3. repetatur manducationis spiritualis subdivisio in eam, quæ per cognitionem, & fidem, & in eam, quæ per desiderium, & affectum, addi poterit pro tertio membro in eam, quæ per votum virtuale implicitum, & improprium.

Cætera, quæ possent hic subjici, ad ulteriùs probandum Eucharistiam esse de necessitate salutis in re, vel in voto formali, & proprio, puta, quod ei tribuatur gloriosa corporum resurrectio, quæ est, ut ita dicam, pars salutis, item quod sit cibus spiritualis, sine quo non videtur diù posse spiritualis vita gratiæ conservari, sicuti nec sine cibo corporali vita corporalis: Cætera inquam hujusmodi minoris momenti sunt, & præterea ad illud de corporum resurrectione patebit ex dicendis cum de Eucharistiæ effectibus *cap. 5. num.* 13. Ad illud aliud de cibo spirituali iam in primis dictum est, non esse de necessitate salutis, quod quis diu in vita spirituali conseruetur satis est, quod in vitâ spirituali decedat. Deindè non sola Eucharistia est cibus spiritualis, habet quidem ipsa sola cibi spiritualis sensibilem modum, at cibi spiritualis substantia consistit in quolibet gratiæ augmento, & hoc certè non habetur vnicè per Eucharistiam. Tandem non est eadem cibi spiritualis ad spiritualem, quæ cibi corporalis ad corporalem vitam necessitas, quia vita corporalis nobis etiam invitis ex se ipsâ deficit, nisi frequenter reparetur, & cibo foveatur: vita spiritualis gratiæ semel habita non deperditur, nisi nobis volentibus, & voluntariè peccantibus.

Quomodò Eucharistia etsi sit cibus spiritualis non sit ad vitam spiritualem necessaria.

38

Ex dictis constat, votum Eucharistiæ, quod juxtà explicationem traditam *num.* 24. ponimus esse de necessitate salutis, & includi in sacramentis baptismi, & pœnitentiæ, actibusque contritionis, & dilectionis Dei super omnia, esse valdè diversum à voto, & proposito implicito observandi omnia præcepta, & inter alia illud sumptionis Eucharistiæ, quamvis istud quoque votum, & propositum includatur suo modo in prædictis sacramentis, & actibus; At hâc ratione tandem tota Eucharistiæ necessitas resolveretur in necessitatem præcepti, nec esset in ordine ad salutem major, quam necessitas confirmationis, extremæ unctionis, restitutionis &c. & ita in re sentiunt Valentia, Arriaga, Lugus, & nonnulli alij Recentiores, qui propterea licet, ut retulimus *num.* 23. admittendo, aliquod Eucharistiæ votum esse de necessitate salutis, dicant, se D. Thomam sequi, sequuntur ipsum verbis, non sensu, & re; nec in substantiâ sumunt, votique necessitatem pro re præsenti, ut sumunt D. Thomas, & Thomistæ, cum quibus nos, & loquimur, & sentimus.

---

§. III.

Utrum, & pro quo tempore sumptio Eucharistiæ sit necessaria necessitate Præcepti Divini.

ASSERT. I. Sumptio Eucharistiæ est necessaria necessitate præcepti Diuini, seu verè datur divinum præceptum de Eucharistiâ sumendâ. Ita D. Thomas *hic qu.* 80. *art.* 11. Innocentius IV. *lib. 4. de Myst. Missæ cap.* 24. Durandus *in 4. dist. 9. qu. 2. num.* 7. Paludanus, & Rubion *ead. dist. quæst. 1. art. 1.* Mayronus *dist. 8. art. 6.* Sylvius, & Nugnus *hic qu.* 80. *art.* 11. Laurea *disp. 15. art. 2.* Herinex *disp. 6. qu. 2.* Suarez *disp. 69. sect. 3.* Vasquez *disp. 213. cap. 3.* Lugus *disp. 16. sect. 1.* Madernus *qu. 7. art. 5. num. 8.* Auersa *qu. 8. sect. 22.* & reliqui hisce temporibus communissimè, adeò ut Valentia *disp. 6. qu. 8. punc. 4.* dicat nullum iam Catholicorum contrarium docere, etsi id aliàs docuerint, & præceptum eucharistię sumendæ humanum dumtaxat, seu ecclesiasticum esse senserint Auctores, nec pauci, nec ignobiles, & in primis D. Thomas *in 4. dist. 9. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 2. & dist. 12. qu. 3. art. 2. quæstiunc.* 1. qui posteà se retractavit *præcit. art.* 11. Gabriel etiam *lect.* 87. *in canonem* solum præceptum humanum astruit, idemque solum videtur supponere Scotus *in 4. dist. 9. qu. un.* quamvis ille divinum admittat *in 4. dist. 9. qu. 1. art. 2.* idemque admittendum esse de mente Scoti, ex pluribus locis colligat Lauræa *præcit. art. 2.* absolutè deindè, & sine ulla sui retractatione, aut contrarietate præceptum solùm humanum nostro asserto contrarium tradiderunt olim D. Bonaventura *in 4. dist. 12. p. 2. qu.* 11. Argentinas *ead. dist. qu. 3. art. 4.* Alensis *4. p. qu. 11. memb. 2. art. 4.* Ferrariensis *4. cont. Gent. cap.* 61. Sylvester *verb.* Eucharistia 3. *quæst.* 1. & aliqui alij, contrà quos

39 Datur præceptum divinum de Eucharistia sumenda.

Probatur assertum, & deducitur divinum de Eucharistiæ sumptione præceptum ex duplici scripturæ loco.

Primus est in verbis Io. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis* &c. quæ verba licèt *ex præced. num.* 35. aptè intelligantur de eucharistiæ manducatione spirituali, in voto virtuali, & implicito, possunt tamen etiam, & debent principaliùs intelligi de manducatione reali, & sacramentali; cum hæc sit intelligentia, & significatio magis propria, quæ non debet verbis illis sine necessitate negari; & sicuti tùm verba *ibid.* antecedentia: *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*, tùm subsequentia *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam* intelliguntur de manducatione reali, ut singillatim quò ad subsequentia colligitur ex Tridentino *sess. 13. cap.* 2. ità quoque de eâdem manducatione reali debent intelligi, non ad solam spiritualem limitari verba intermedia

40 Traditum à Christo Io. 6.

Nisi

Nisi manducaveritis &c. Porrò hæc verba, quatenus de manducatione reali intelliguntur, continent de tali manducatione præceptũ graviter obligans, cum sint sub comminatione amissionis vitæ æternæ, idque divinum à Christo impositũ, cum sint à Christo prolata. Nec obstat quod Suarez *praecit. sec.* 2. §. *Sed ad scriptura testimonia*, refert Cyrillũ intellexisse de magna utilitate sumptionis realis Eucharistiæ, & de morali periculo amittendi vitam, nisi aliquandò sumatur, non verò de necessitate, seu obligatione sumptionis, & de absolutâ comminatione amissionis vitæ nisi sumatur. Non obstat, inquam, quia ipsemet Suarez monet, esse expositionem Cyrilli singularem, imò perniciosam, utpotè contrà proprietatem verborũ Christi; Vasquez verò *praecit. cap. 2. num.* 7. negat suppositum, negat scilicet Cyrillum id dixisse, aut posse proferri locum, vbi id dixerit; locum certè Suarez non profert, imò nec exprimit, quem Cyrillum, Alexandrinum ne, an Hierosolymitanum, citare intendat, ut observat Arriaga *disput.* 47. *sect.* 1. *num.* 2.

41 Luc. 22. Secundus est in verbis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba imperativa, & præceptiva Christus protulit, non solùm post à se confectam, & dispensatam, sed etiam post sumptam ab adstantibus Eucharistiam, cujus propterea non solùm Sacerdotibus confectionem, & dispensationem sed & laicis sumptionem præcepit, quasi dixerit; id quod à me nunc fit, dum accipio panem, consecro, & dispenso; quod item fit à vobis dum sumitis, & manducatis, præcipio ab Ecclesiâ, quæ Sacerdotibus, & Laicis constat, in mei memoriam fieri, adeò ut singuli respectivè faciant, quod ad se spectat, Sacerdotes, scilicet consecrent, & dispensent, reliqui sumant, & manducent: Hinc Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. de Eucharistiæ à Christo institutione, ait, *In illius sumptione colere nos sui memoriam praecepit*, & paulò post, *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum*, vbi in ly *voluit*, relatum ad *praecepit*, præceptum, seù voluntas præceptiva repetitur.

42 Respondebant olim Aduersarij dupliciter. Primò, dicendo Christum per ly *Hoc facite* imposuisse Apostolis, vt Sacerdotibus præceptum, & obligationem conficiendi, non alijs suscipiendi Eucharistiam. Secundò, dicendo Christum illis verbis non præcepisse substantiam, sed modum actionis, non scilicet, quod Eucharistia sumatur, sed quod non sumatur aliter quàm in ipsius memoriã; sicque præceptum esse conditionatum, & verba, *Hoc facite in meam commemorationem* æquivalere istis, *si hoc aliquandò facitis in mei commemorationem facite*: Quæ interpretatio est conformis, tum Apostolo 1. *Cor.* 11. vbi post recitata verba, de quibus agitur, quasi ea magis explicans subdit, *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis*: tùm sensui ecclesiæ, quæ in canone Missæ, post utramque consecrationis formam apponit dicenda, ut de facto dicuntur verba ista, *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis*; ly autem, *Quotiescumque manducabitis, si aliquandò manducabitis*: Item *Quotiescumque feceritis, si aliquandò feceritis*, non ne synonyma sunt? Sed

43 Occurritur responsionibus, & euasionibus Aduersariorum. Impugnatur in primis utraq; responsio simul, quia verba Christi sunt universalia, & absoluta, non sunt igitur sine necessitate, quæ nulla asserri potest, restringenda, aut ad solos sacerdotes, aut ad solũ modũ actionis, multo sunt conditionatè explicanda: Accedit, quod una responsio infirmat aliam, & contrà sustinentes primam potest objici ex secundâ, ne quidem sacerdotibus esse impositum præceptum consecrandi, & sacrificandi in memoriam Christi, si pro suo libito consecrare, & sacrificare velint; eadem ferè ratione contrà sustinentes secundam potest objici ex primâ, verba illa *Hoc facite* si sunt absoluta respectu sacerdotum consecrantium, debere esse talia etiam respectu laicorum sumentium, ex suppositione, quod etiam suprà istos cadant, ut concedunt cadere Auctores secundæ responsionis.

44 Impugnatur deindè singillatim prima responsio, quia Christus quandò protulit ly *Hoc facite* non solùm consecraverat ipse, vt Sacerdos, sed etiam manducaverant alii modo laico; ly igitur *Hoc* utramque actionem demonstrat, & ly *facite* utriusque conditionis personas referuntur verba Pauli, *Quotiescumque manducabitis* &c. ergo etiam verba Christi *Hoc facite* cum utraq; ad idem referantur. Tandem non solùm consecratio sacerdotum, sed & sumptio laicorum potest fieri in commemoratione Christi; Non est igitur cur ly *Hoc facite in meam commemorationem* ad utramque actionem, & ad utriusq; conditionis personas non referatur.

45 Impugnatur item singillatim secunda responsio, quia licèt modus ille loquendi *Luc.* 22. ex genere suo, & quantum est ex terminis præcisè possit admittere interpretationem in responsione adductam, nam si aliquis sacerdos v. gr voveat facere in Missa memoriã Petri, aut Sũmus Pontifex creando aliquem Cardinalem, ei præcipiat, In gratiarum actionem de Cardinalatu tibi collato, fac in missa memoriam mei, nec ille Sacerdos censetur vovere, nec Summus Pontifex censetur percipere Missæ celebrationem, sed solum sacerdos Petri, Pontifex, sui commemorationem in Missa, quando ista ex sacerdotis, & Cardinalis beneplacito celebrabitur; licèt inquam hæc ità sint, nihilominùs certum est eumdem modum loquendi, sæpius habere sensum absolutum à nobis intentum, & hunc habere in proposito, deducitur primò ex eo, quod alius sensus parùm consonat verbis ex Tridentino relatis, ut expendunt Vasquez *praecit. cap.* 2. *num.* 10. & Arriaga *praecit. sec.* 1. *nu.* 3. Secundò quia juxtà sensum ab Adversariis intentum daretur peculiare Christi præceptum de habendâ ipsius memoriâ in quâlibet eucharistiæ sumptione, & peccaret lethaliter contrà tale præceptum, quisquis commu-

nicaret

nicaret sine actu reflexo ordinante communionem in memoriam Christi; Sicuti sacerdos, qui vovisset facere in Missâ Petri memoriam, peccaret contra votum celebrando non factâ Petri memoriâ. Sidicas memoriam, seù commemorationem Christi sufficienter fieri ipso actu exercito communionis: Benè est, at teneris concedere istum actum exercitum præcipi, dum præcipitur communio in Christi memoriam; sicuti quia actus exercitus veræ dilectionis Dei est per se ipsum ex toto corde, & ex totâ animâ, in verbis illis Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ* intelligitur absolutè præcipi ipse actus exercitus veræ dilectionis, non verò solum, quod si quis velit diligere ex toto corde, diligat. Ratio à priori est, quia quando modificatio importat rationem propriam, & essentialem actus, ut est modificatio *ex toto corde* respectu dilectionis Dei, item modificatio *in commemorationem Christi* respectu consecrationis, & sumptionis eucharistiæ, non potest præcipi modificatio, quin præcipiatur actus substantia: & ex hâc ratione habetur, tùm disparitas ad exempla in principio præsentis impugnationis adducta, tùm solutio confirmationis, quam Adversarii *præced. num.* 42. pro suâ interpretatione sumebant ex Canone Missæ, & ex verbis Pauli; utrobique enim dicendum est, non intendi propriè sensum conditionatum, sed magis explicari modificationem intrinsecam, & substantiam actus præcepti, declarando sumptionem eucharistiæ, ut vera, & sacramentalis, ac per eam præcepto satisfiat, debere in adulto esse ex Christi fide, & saltem exercitò in commemorationem Christi, ejusvè Passionis.

46

Quando-nam præceptum de modo, seù specificatione actus cadat etiã suprà actus substantiã?

47

Ex duobus Scripturæ locis secundùm receptiorem, & tùm sacro contextui, tùm Concilio Tridentino conformiorem intelligentiam hùcusque expensis, remanet sufficienter probatum divinum, & ipsius met Christi verbis latum, ac promulgatum de eucharistiæ sumptione præceptum: Huic ab auctoritate probationi, addi solet probatio aliqua à ratione; at minùs efficax, nec superans congruentiæ limites, ideò non est, cur in eâ nunc detineamur, cum præcipuè statuendo pro secundâ tituli parte tempus, quo præceptum hucusque ab auctoritate probatum obligat, afferendæ sint rationes, ipsius præcepti congruentiam, & necessitatem suo modo suadentes: Procedamus igitur ad secundam tituli partem, & ad tempus, pro quo consurgit ex divino præcepto necessitas, seù obligatio eucharistiæ sumendæ: Quo in puncto tres occurrunt præcipuæ sententiæ.

48

Prima sententia est, tale præceptum obligare semel in vitâ, nec referre, quod in morte, aut anteà ei satisfiat: Hæc sententia duo continet, alterum est obligare semel dumtaxat, alterum non obligare peculiariter in morte, nisi ex suppositione, quod non fuerit facta communio, & satisfactum præcepto anteà. Ità referuntur sensisse Ledesma 1. *par. quarti quæst.* 21. *art.* 11. in fine: Victoria in summâ *num.* 86. & aliqui alii, inter quos tamen Vasquez *disp.* 214. *cap.* 1. *num.* 3. monet falsò recenseri Paludanum.

49

Secunda est, obligare aliquoties in vitâ, at non peculiariter in morte, seù in mortis articulo. Hanc sententiam Suarez *disp.* 69. *sec.* 3. §. *Dico primò* tribuit Bonaventuræ, Sylvestro, & Armillæ, qui licèt absolutè non admittant divinum de euchristiæ sumptione præceptum ex suppositione tamen, quod daretur, dicunt quod homines ex ipso obligarentur aliquoties in vitâ, non peculiariter in morte; Idem sentit, quamvis absolutè doceat præceptum esse divinum, Lauræa *disp.* 25. *art.* 3. *num.* 38.

Tertia est, obligare aliquoties, seù pluries in vitæ decursu, ac præterea peculiariter in articulo, aut periculo mortis. Ità Suarez *præcit. sec.* 3. §. *Dico secundò* Vasquez *disp.* 214. *cap.* 2. & 3. Valentia *disp.* 6. *quæst.* 8. *punc.* 4. Amicus *disp.* 29. *num.* 12. Lugus *disp.* 6. *sec.* 2. *num.* 27. Gonetus *disp.* 9. *art.* 1. Madernus *quæst.* 7. *art.* 5. *num.* 9. & tùm Recentiores communiter, tùm apud Suarium præsertim, & Vasquium, alii antiquiores.

50

Præceptũ divinum de Eucharistia sumẽda obligat in mortis articulo, & aliquoties in vita.

Assert. 2. Præceptum divinum de eucharistiâ sumendâ obligat, tùm peculiariter pro articulo, seù periculo mortis, tùm præterea aliquoties pro tempore, & decursu vitæ. Ità Auctores mox relati pro tertiâ sententiâ contrà relatos antecedenter pro primâ, & secundâ, item contrà Durandum *in* 4 *dist.* 9. *quæst.* 2. *num.* 7. aliosque nonnullos, qui in sententiam secundæ extremè oppositam videntur abire, & pro tempore obligationis, de quâ agitur, assignare solum articulum, seù periculum mortis: Tandem contrà Scotum, & Alensem si (ut putat Lauræa *præcit. num.* 38.) senserunt abstrahendo à determinatione ecclesiæ, nullum prorsùs esse certum tempus obligationis communicandi, ex præcepto divino: his licet quò ad reliquum decursum vitæ non dissentiam, dissentio, & contrarium assero quò ad vitæ finem, & mortis articulum, seù periculum.

51

Probatur assertum universim à pari ex præceptis divinis Fidei, Spei, & Charitatis, quæ sunt, sicut præceptum sumptionis eucharistiæ, affirmativa, sunt similiter quò ad tempus obligationis valdè incerta, & eamdem ferè sortiuntur sententiarum varietatem: atqui præcepta fidei, spei, & charitatis obligant ad proprios actus aliquoties in vita, & peculiariter in mortis articulo, seù periculo, ut cum communi jam sententiâ tradidimus in tract. de Virtut. Theolog. quo ad actum fidei *lib.* 1. *cap.* 5. §. 7. *num.* 115. Quò actum spei *lib.* 2. *cap.* 1. §. 4. *num.* 49. Quò ad actum charitatis *eod. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *num.* 12. ergo pariter obligat pro mortis articulo, seù periculo, & aliquoties in vitâ divinum præceptum sumptionis eucharistiæ, & quidem ex se præcisè, nec solum abstrahendo ab omni ecclesiæ determinatione, sed etiam ab omni obligatione ortâ aliundè, idest ab aliquo alio præcepto, vel extrinsecâ circum-

Idque per se, & ex se præcisè.

stantiâ

stantiâ; quæ obligatio, præter quod vix potest moraliter consurgere, ut ostendit Suarez *pracit. sec. 3. §. Dico tamen quartò*, si aliquando consurgat erit extrinsecùs adveniens, & per accidens se habens ad præceptum sumptionis eucharistiæ, adeòque erit impertinens ad rem præsentem.

52 Probatur assertum singillatim quò ad ly *Peculiariter pro articulo, seù periculo mortis*; probatur, inquam, primò ratione, quia divinum de eucharistiæ sumptione præceptum ex suppositione, quod detur, tunc maximè debet obligare, cùm maximè indigemus effectu, & fine talis sumptionis, qui est conservare, & roborare vitam spiritualem, hoc autem maximè indigemus in mortis articulo, in quo & spiritualis vitæ periculum est majus, quia sunt graviores tentationes, & jactura est longè deterior, quia si tùm mortè conjungatur est irreparabilis: Secundò auctoritate ex Concilio Nicæno, cui postea plura alia Concilia à Vasquio, & Suario relata subscripserunt, Concilium igitur Nicænum *can.* 13. ut habetur in Cap. *De iis 26. quæst. 6.* ità ait *Cum his, qui vitâ creduntur discessuri, antiqua lex servetur, nempè ut ultimo, & necessario viatico non priventur:* In quibus verbis observanda sunt ly *Antiqua lex*, & ly *necessario viatico*, nam ptimum denotat legem longè anteà sancitam, & cum non appareat, quando aliàs fuerit sancita ab ecclesiâ, debet intelligi de lege Divinâ ex verbis Christi *Jo. 6.* & *Luc. 22.* per traditionem apostolicam deducta: Secundum non videretur à Concilio referri ad necessitatem provenientem ex ipsius met Concili, aut alterius ecclesiasticæ constitutionis præcepto, debet igitur referri ad necessitatem præcepti divini, cujus prætereà quod divinum sit, conjecturam habemus vehementem ex ipsius antiquitate, immutabilitate, & gravitate, quatenùs nullum talis præcepti in ecclesiâ initium, nullam ejus ab Ecclesiâ factam mutationem, aut dispensationem, & semper ejus obligationem prelatam fuisse obligationi communicandi jejunè novimus.

53 Probatur item singillatim, quò ad ly *Aliquoties pro tempore, & decursu vitæ*: probatur, inquam, primò ex genericâ ratione præcepti affirmativi, quod licèt ex se non determinet tempus, pro quo obliget, non tamen semel solum obligat, ut in præceptis fidei, spei, & charitatis exemplificatum est; præter quod videretur in aliquem ipsius præcepti divini, præsertim adeò proficui, & favorabilis, ut est illud de eucharistiâ sumendâ, contemptum, & in turpem propriæ vitæ spiritualis neglectum redundare, quod cuilibet liceret, ipsum semel tantùm implere: Secundò ex propriâ ratione, & modo institutionis eucharistiæ, quæ instituta, & præcepta est, ut cibus, cibus autem pluries, non semel in vitâ sumitur. Confirmatur ex communi sensu, & praxi ecclesiæ, quæ censeri potest obligationem pluries communicandi agnovisse, dum licèt aliquando majorem, aliquando minorem communionis frequentiam determinaverit, sicuti tamen numquam hanc in morte consuevit omittere, ità nec umquàm ad unicam pro reliquo vitæ decursu vicem, taxavit.

54 Duo hic, alterum pro primâ, alterùm pro secundâ præsentis secundi asserti parte, occurrunt dubia. Pro primâ scilicet, quid veniat nomine articuli, seu periculi mortis, & quanto, ac quonam tempore antè mortem possit quis, aut debeat satisfacere divino de viatici sumptione præcepto? Pro secundâ, quot vices importet ly *aliquoties*, seù quam communionis frequentiam requirat, quam vnius communionis ab aliâ distantiam admittat in vitæ decursu? Expedio me in primis ab hoc secundo dubio, pro quo sicuti minus est dissidium, ita facilius, ac promptius potest esse responsum. Dico autem abstrahendo ab omni ecclesiæ constitutione, aut consuetudine, fore valdè periculosum, & scrupulo plenum quidquam statuere priuato confessarij, aut alterius judicio; necessaria igitur pro hoc fuit ecclesiæ (ad quam ex Christi commissione pertinet diuina iura, & præcepta determinare, si indeterminata; declarare si obscura) determinatio, seu declaratio: Ex hâc nunc nobis innotescit divinum præceptum non obligare ad communicandum frequentiùs, quàm ab anno in annum, neque enim Ecclesia permitteret, ut de facto permittit, fideles ab anno in annum à paschate in pascha communionem differre, si ex obligatione præcepti divini tenerentur frequentiùs communicare:

Præceptū divinum de communicādo aliquoties nō obligat plus quàm ab anno in annum.

55 Utrùm verò ex eo, quod præcipiat, non communicare rarius censendum sit, esse etiam ex obligatione præcepti divini, quod communio rariùs non fiat, nec ultrà annum differatur, adeò ut, qui omissâ communione annuâ violat præceptum ecclesiasticum de communicando in paschate, violet simul divinum, de communicando aliquoties in vitâ? Respondetur communiter, quòd non, quia ecclesia præcepto suo declarat potiùs negativè id, quod non est contra obligationem, quàm positivè id, quod est ex obligatione divini præcepti, ut patet ex eo, quod aliàs præcepit communionem annuâ frequentiorem, nec certè per hoc tunc declaravit ad communionem annuâ frequentiorem præceptum divinum obligare, alioqui aut esset in suis declarationibus sibi ipsi contraria, aut nunc præcipiendo communionem solum annuam dispensaret præceptum divinum, quod anteà declarasset esse de communione frequentiore; Ex determinationibus igitur, & declarationibus ecclesiæ non habemus hucusque terminum extrinsecum, ultrà quem non possit, aut intrinsecum, ad quem præcisè possit differri sine divini præcepti violatione communio, imò nec certò, & tutò possumus aliundè habere, quamvis Suarez *præcit. sect. 3. §. Dico ergo tertiò* ad tertium, vel quartum annum extendat, & Amicus *præcit. sect. 29. num.* 14. propendeat etiam ad majus tempus: moneo tamen hanc incertitudinem in praxi nihil officere, cum sit ex præcepto ecclesiasti-

Imò obligat minùs, & quantū ex se est admittit communionem annua rariorem,

eo obligatio non differendi ultrà annum, seu ultrà quodlibet annuum tempus paschale.

Reassumo nunc dubium ad primam asserti partem, idest ad mortis articulum, seu periculum pertinens, & non curando in proposito de diversitate articuli, à periculo, sed sumendo utrumque pro eodem, adverto dubitari præcipuè, utrùm censeatur communicasse, & satisfecisse præcepto communicandi in mortis articulo ille, qui paulò antè, puta manè, heri, aut paucis retrò diebus sanè, ac valens communicavit; adeò ut, si vesperè, hodie, aut post paucos dies repentè incidat in mortis periculum, non teneatur iterum communicare, imò fortè, nec possit gaudere privilegio viatici sumendo eucharistiam, non servato jejunio: Agunt de hoc puncto Sotus *in 4. dist. 12. qu. 1. art. 11.* Diana *tom. 2. tr. 4. de Sacram resol.* 40. Lautæa *disp. 25. art. 3. num.* 50. Amicus *disp. 29. num.* 16. Suarez *disp. 69. sect. 3. § Rogabis.* Vasquez *disp. 214. cap. 2. num.* 11. & latiùs Lugus *disp. 16. sect. 2. à num.* 37. *& sect.* 3. per totam Arriaga *disp. 44. sect. 5. subsect.* 1. Hurtadus *disput. 10. difficult.* 2. & alij passim, quorum limitationes, modificationes, & pro proprio sensu rationes varias dearticulare in præsenti non vacat, solùm aliqua abstractè, & universim insinuo, ex quibus conjici poterit, quo propendeam: Primum est, in sententiâ astruente obligationem viatici esse ex divino præcepto, rationabiliter posse de eâ strictiùs sentiri, & faciliùs concedi, quod semper prævaleat obligationi, aut non communicandi bis eâdem die, aut servandi jejunium à mediâ nocte antè communionem, quæ sunt obligationes ex præcepto humano. Secundum est, faciliùs sustineri, quod sit licita, quàm quod sit obligatoria communio per modum viatici. Ei, qui paulò antè communicavit ex devotione, undè plurium religiosorum mos est, quod frequenter communicent, dum infirmi decumbunt, nec propterea privantur viatico, si post unum, vel alterum à communione factâ diem, multoque magis, si post plures, morbo ingravescente constituantur in mortis articulo. Tertium est pro praxi in casibus mortis subitæ, & repentinæ, in quibus maximè contingere potest mortis articulus post sumptam paulo antè ex devotione, aut ex occasione celebrandi eucharistiam, obligationem viatici sumendi, si adesset, ut plurimum cessaturum, ex aliqua circumstantiâ extrinsecâ, puta ex incogitantiâ, & turbatione animi adstantium, ad quos pertinet id procurare; item ex periculo contradictionis Parochi, scandali, aut irreverentiæ sacramenti. Quartum est referri ab Arriaga *præcit. sec. 3. num.* 31. aliquos casus in quibus apud Patres Societatis fuerit ministratum viaticum aliquibus (inter quos Claudium Aquavivam Societatis Generalem præcipuè recensent) eâdem die refectis communione ex devotione; Verùm qui putant, id non licere, hujusmodi casibus non moventur, nec factum approbant, sed excusant, eo quod tunc perturbatio animi, & angustia temporis, iis ad quos spectabat, non permiserit consulere eâ de re Auctorum sensu, & expendere rationum pondera, ita inter alios Lugus *præcit. sect. 3. num.* 60.

56 — *Præceptū communicandi in articulo mortis, obliget ne etiam eos, qui paulò antè communicarunt ex devotione,*

57

58

Ex eo, quod præceptum sumendi viaticum in mortis articulo sit absolutè divinum & obligans absque ullâ ecclesiæ determinatione, sequitur non posse ab ecclesiâ mutari, aut dispensari, aut ad aliquos tantùm mortis articulos limitari, puta ad eos, in quibus, quis constituitur ex ægritudine, excludendo reliquos, in quibus, quis alioqui sanus, fit morti vicinus aliundè, puta ex eo, quod sit extremo supplicio plectendus: Huc refert, quo ad hoc aliqua consuetudo contraria, si enim alicubi viget auferenda est, sicuti Vasquez *præcit. cap. 2. num.* 19. observat fuisse merito sublatam in Hispaniâ, in quâ aliquandò vigerit. Non refert item quod ecclesia interdum negaverit, seu negari devenerit aliquibus moribundis viaticum, ut haberi ex multis canonibus Concilij Eliberitani insinuat Vasquez loco nuper citato. Non refert inquam, quia id fecit ecclesia non dispensando præceptum, sed declarando illos moribundos fuisse communione indignos, & in pœnam præcedentium criminum communionis privatione puniendos; quod optimè potuit ecclesia facere, utpotè redundans in majorem reverentiam, & venerationem sacramenti, unde etiam nunc jure negatur viaticum moribundo, cui non potest sine irreverentiæ periculo ministrari, & jure pariter negaretur alicui ad extremum supplicium propter enormia delicta damnato, in quo ex illis remanere videretur aliqua indignitatis nota, vel de cujus bonâ dispositione parùm constaret, & hâc forte, aliâve simili ratione tolerari potest vigens adhùc alicubi consuetudo de talibus damnatis, non communicandis; quâ de re petere Vasquium aliquid in præsenti attingunt Lugus *præcit. sect. 2. num.* 47. Arriaga *præcitat. sect. 1. subsect. 3. num.* 40.

59 — *Verùm etiā plectendos extremo supplicio?*

---

§. IV.

Utrùm quo tempore, & qua sumptio Eucharistiæ sit necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici?

60

ASSERT. I. Sumptio eucharistiæ est necessaria etiam necessitate præcepti ecclesiastici, datum scilicet aliàs fuit, & nunc datur ecclesiæ præceptum de eucharistiâ sumendâ: est veritas, quæ sic universaliter posita nullum contra se habet Catholicum Scriptorem, & ad ecclesiasticam historiam magis, quam ad scholasticum institutum pertinet: Nihilominùs

Probatur inprimis quasi à priori, quia cum ex unâ parte sit de jure divino obligatio sumendi in decursu vitæ eucharistiam, & ex aliâ parte fuerit relictum indeterminatum, & ab ecclesiâ determinandum tempus talis obli-

obligationis, defuisset ecclesia sibiipsi, suoque muneri ducendi fideles in viam salutis, & auferendi perplexitates in tali viâ obvias, nisi talis obligationis tempora determinasset, præcipiendo aliquas sumptiones, quibus indubitanter, imò etiam abundanter divino, de eucharistia sumendâ, præcepto satisfieret; & re vera, sicut præstitit id in alijs sacramentis, ita in eucharistico, licet cum aliquâ, juxtà variam hominum, & temporum conditionem, varietate: & quidam usque ad tempora Fabiani electo in Pontificem anno 238. adeò ferventer, & frequenter fideles ad eucharistiam ex propriâ devotione accedebant, ut nullum fuerit periculum talis accessus differendi ultrà tempus divino præcepto conveniens, adeoque nec ullum fuerit necessarium præceptum ecclesiæ quo tali periculo occurreretur, undè consilium, non præceptum, & regulam purè directivam, non coactivam, censentur, tradidisse Apostoli. dum ordinarunt, quod fideles ter in hebdomadâ, idest feriâ quartâ, sabbato, & dominicâ communicarent, Item Pius I. dum

61

decrevit, quod singulis diebus dominicis communio fieret, ut referunt, & expendunt Suarez *hic disp.70 sect.2.* & Amicus *disput 29 num.23.* Ad summum Sother, qui ante Fabianum extitit anno 175. præceptum sancivit in eo, quod statuit. ut in die cœnæ Domini omnes communicarent, at non per hoc videtur ex tunc declarasse ea communione satisfieri toti obligationi aliquoties communicandi: Primus igitur Fabianus Papa id declarare; & statuere, quod fideles ter in anno, idest in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini tenerentur communicare, non frequentiùs, ut refertur *de Consecratione dist. 2. Can. Saculares:* Postea magis adhuc refrigescente populorum pietate, obligationem communicandi in anno ter, ad obligationem communicandi semel in Paschate reduxit Innocentius III in Concilio Lateranensi, in quo, ut habetur *in cap.* omnis utriusque sexus. *de Panitentijs, & remissionibus*, ita decrevit *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter ad minus in Paschâ eucharistia sacramentum, nisi fortè de proprij sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

Præceptum ecclesiasticum de Eucharist. sumptione cæpit sub Fabiano Papa.

Præceptum hoc decreto contentum etiam nunc viget, & confirmatum fuit in Concilio Tridentino *sess.13. can.9.* his verbis, *Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in paschate ad communicandum, juxtà præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.* Datum igitur fuit aliàs, & cæpit saltem tertio seculo sub Pontificatu Fabiani. ecclesiasticum, de eucharistiæ sumptione, præceptum, quod per decem ferè sæcula viguit usque ad IV. Concilium Lateranense, in quo fuit abrogatum; Datur verò nunc aliud aliquantulò latiùs, firmatum in dicto Lateranensi sub Innocentio III. & confirmatum in Tridentino sub Iulio III. Ex his remanet perspicuum, non solum, quod in præcedenti asserto positum, sed & mox in sequenti ponendum est: Ideò sit

62

Datur nunc aliud quod cæpit sub Innoc. III.

Assert. 2. Præceptum ecclesiasticum de eucharistiâ sumendâ obligat singulis annis saltem in Paschate. Est veritas, quæ sic absolutè posita nullam apud Catholicos patitur contradictionem, cum tradatur in duobus celeberrimis Concilijs Lateranensi, & Tridentino, cujus utriusque expressa verba iam recitavimus, ideò ulteriore probatione non indiget, indiget tamen aliquâ explicatione quo ad ly *in paschate*; item quo ad modum communionis pro observantiâ præcepti ecclesiastici necessariæ, aliaque nonnulla, pro quibus statim profero, & breviter expedio varias dubitationes: Ideò

Et obligat pro singulis annis in paschate.

Dubitatur primò, quid veniat per ly *in paschate*, seu in paschâ? ratio dubitandi est, quia ex rigorosâ significatione vocabuli venit unica, & sola dies dominicæ resurrectionis: Respondetur nihilominùs in proposito venire saltem quindecim dies comprehensos inter dominicam palmarum, & dominicam in albis inclusivè, adeò ut per communionem in quâlibet ex his quindecim diebus factam præcepto communicandi in paschate satisfiat, ita enim declaratum est ex ecclesiasticâ consuetudine, & ex Bullâ Eugenij IV. incipiente *fide dignâ*, Dixi saltem, quia aliquarum regionum consuetudo ob defectum parochorum, aut aliam similem causam tempus communionis in paschate latiùs extendit, sic Arriaga *disp. 47. sect. 4. num. 17.* refert in Bohemiâ ordinariè protrahi ab Annunciationis festo ad dominicam Trinitatis inclusivè. Gonetus *disp. 9. art. 1. num. 10.* ait in Germaniâ extendi à principio Quadragesimæ usque ad quartamdecimam diem post pascha. Laurentius Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum, & Episcopus Prænestinus apud Suarium *pract. sect. 2. §. Sed circa* testatur à Clemente VII. declaratum, & usu etiam receptum fuisse, ut in Hispaniâ qualibet quadragesimæ die impleri possit præceptum. de quo agitur. Harum consuetudinum, fide apud suos Auctores relictâ, certum sit, ubi sunt verè introductæ, licitè fieri, juxtà ipsarum extensionem communionem paschalem.

63

Intelligendo nomine paschatis quindecim dies à Dominica palmarum ad dominicã in albis.

Vel etiam maius tempus ubi est de maiori tempore consuetudo.

Dubitatur secundò, Utrum præceptum communicandi singulis annis in Paschate sit virtualiter duplex, & duplicem inducat obligationem, alteram communionis annuæ, alteram communionis paschalis, an sit omnimodè unicum, & ad solam communionem paschalem, seu paschati affixam obliget? Ratio dubitandi pro hâc secundâ parte est, quia in prænunciato decreto Innocentii III. ly *semel saltem in anno*, quod & nihil aliud, obligationem annuam exprimit, videtur solum cadere

64

ſuprà præceptum confeſſionis, non ſuprà præceptum communionis, adeoque hoc propter ly *Ad minus in Paſchâ* remanere præcisè affixum Paſchæ, ſicuti præceptum audiendi ſacrum in quolibet feſto, præcisè diebus feſtis, jejunandi in quadrageſimâ, præcisè tempori quadrageſimali affixum eſt, & ità in propoſito ſentiunt Antoninus in Summâ *par.2. tit.9. cap.9* §.3. Sylveſter verb. *Euchariſtia 3 quæſt.* 15. Tabiena verb. *Communicare quæſt.* 7. Valentia *hic diſp.* 6. *quæſt.* 8. *punc.*4. §. *Quod autem*. Herinex *diſp.*6. *quæſt.*4. *num.*45. Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 4., & alii, nec pauci, nec ignobiles, quos affert, & ſequitur Diana *par.*3. *tract.*4. *de Sacramenti. reſol.*41. Nihilominùs oppoſitum docent Navarrus in Summâ *cap.* 21. *num.* 45. Paludanus *in* 4. *diſt.*10. *quæſt.*1. *num.* 25. Sylvius, & Nugnus *hic quæſt* 80. *art.*11. Gonetus *diſp.*9. *art.*1. *nu.*12. Suarez *diſp.*70. *ſec.*2. § *Dico ergo* Amicus *diſp.* 29. *num.*47. Lugus *diſp.*16. *ſec.*4. *nu.*66. Lauræa *diſp.*25. *art.*3. *num.*52. Madernus *quæſt.* 7. *art.* 6. *num.* 12., & reliqui magis communiter, quibus adhæreo, & moveor ex eo, quia præcipuum eccleſiæ intentum eſt, ne euchariſtiæ ſumptio nimium differatur, & præceptum ipſum divinum de aliquoties communicando, violetur; Paſchæ deindè deſignatio eſt propter ſolemnitatem, & congruentiam temporis, in quo facta eſt euchariſtiæ inſtitutio, quod eſt eccleſiæ intentum minus præcipuum, aut certè non unicum; ergo non ſolum ex hoc intento præcipitur communio paſchalis, ſed etiam ex priore, & principaliore, præcipitur communio annua, adeoque præceptum eſt virtualiter duplex, & ſecundùm unam tantum, non ſecundum alteram ſui partem paſchati, quamvis deindè per communionem in paſchate, utrique parti ſatisfiat. Ad rationem dubitandi dico ly *ſemel ſaltem in anno* cadere etiam ſuprà ſuſceptionem euchariſtiæ, alioqui debuiſſet poſtea abſolutè dici *in Paſchâ*, non *ad minus in Paſchâ*; Deindè ità expreſsè intellexit Tridentinum, quod de ſolâ euchariſtia loquens appoſuit ly *teneri ſingulis annis*: ex ipſis igitur verbis legis, & præcepti, colligitur obligatio communionis, non ſolùm paſchalis, ſed etiam annuæ, quæ prætereà magis conſtabit, ex mox dicendis pro ſequenti dubio, quod plurimùm pendet ab eo, quod detur, nec ne obligatio communionis annuæ. Ideò

65 Eſt præceptum virtualiter duplex; & partim affixum paſchati, partim non,

66 Dubitatur tertiò, Utrùm is, qui in paſchate non communicavit, teneatur poſteà communicare, quam primùm poteſt, & qui prævidet, ſe habiturum impedimentum, & impotentiam in paſchate communicandi, teneatur communionem anticipare, an uterque cenſendus ſit, uſque ad ſequens paſcha ſolutus à communicandi obligatione: Auctores, qui in præcedenti dubio docent, præceptum eccleſiaſticum communionis eſſe totum paſchati affixum, ad utramque præſentis dubii partem reſpondere ſolent negativè, aliqui omninò abſolutè, aliqui cum aliquâ circà primam partem limitatione; Ratio ipſorum eſt, quia in præceptis determinato tempori affixis, præceptum non impletur per hoc, quod opus ſub præcepto cadens, aut antè, aut poſt præſcriptum, præfixumvè tempus fiat, ut patet in feſtis, & jejuniis; præceptum v. gr. jejunandi in hodiernâ vigiliâ S. Bartolomei, nec per heſternum, nec per craſtinum jejunium impletur; ex tali igitur præcepto nequit oriri obligatio jejunandi heri, aut cras; anteà, aut poſt, ergo ſimiliter ſentiendum de præcepto communionis in Paſchate; Non negaverim iſtos Auctores conſequenter loqui; Nihilominùs, ut & nos conſequenter loquamur, debemus Auctoribus, quibus in præcedenti dubio adhæſimus, adhærere. & ſuppoſitâ præcepti eccleſiaſtici duplici obligatione, alterâ communionis paſchalis, alterâ communionis annuæ, ſeù non ultrà annum dilatæ, dicere ex hâc ſecundâ obligatione teneri communicare antè, vel poſt paſcha illum, qui aliter faciendi non ſolùm communionem paſchalem, ſed & communionem annuam ommitteret, atque ultrà annum differret: Sic v. gr. qui anno præterito 1680. fecit communionem paſchalem, omiſit verò anno currente 1681. ſi poſt communionem paſchalem anni 1680. communicavit ex devotione, cenſeri poteſt ſic communicando ſatisfeciſſe obligationi communionis annuæ ſequentis, & quamvis ſequenti anno 1681. tranſgrediatur præceptum communionis paſchalis, non teneri communicare, quàm primùm poſt paſcha, ſed ad ſummum poſt completum annum à communione factâ ex devotione; at ſi numquàm poſt paſcha anni 1680. communicaverit, dico teneri quàm primum poſt paſcha anni 1681. ex obligatione communionis annuæ, ſeù ultrà annum non differendæ, quam in caſu ultrà annum differt, quòuſque non communicat.

67 Qui non communicavit in Paſchate, quando, & ex quo præcepto teneatur cõmunicare, quàm primùm?

Rurſus, qui prævidet, ſe habiturum impedimentum communicandi in paſchate, vel ſimul prævidet impedimentum communicandi intrà annum, vel non: Si primum, tenetur anticipare cõmunionem, quia præceptum communionis, ut præcisè annuæ obligat indeterminatè pro totó anno, & determinatè pro eo tempore, in quo poteſt impleri ex ſuppoſitione, quod non poſſit impleri, in alio intrà annum. Si ſecundum, non tenetur anticipare, quia præcepto communionis, ut annuæ poterit probabiliter ſatisfacere poſteà, præcepto ejuſdem, ut paſchalis, anticipando non ſatisfacit, ut de aliis præceptis determinato tempori affixis, dictum eſt. Hæc dicta ſint tamquàm veriſimiliora, & valdè probabilia, cæterum non carent aliquo diſſidio, etiam inter Auctores, quos in univerſali ad præcedens dubium reſponſione ſecuti ſumus.

68 Quando ſimiliter teneatur anticipare communionem, qui prævidet impedimẽtum communionis in paſchate

Dubitatur quartò: Utrùm is, qui communionem paſchalem omiſit, teneatur quam primum communicare, etiamſi omiſerit ſine culpâ? Item utrùm ille, qui in caſu prævisi impedimẽnt obligatus fuit anticipare, & anticipavit communionem, teneatur in paſchate communicare, ſi præter opinionem

nionem impedimentum non superueniat, sed occurrat tunc insperata communicandi opportunitas? Ad primam dubij partem, loquendo de obligatione prouemente ex communione annuâ, facilè constat, eamdem esse rationem de eo, qui sine culpâ, & ex legitimâ causâ, ac qui cum culpâ, & ex malitiâ communionem paschalem omisit. Imò de priore addo, si id fecerit de consilio proprij Sacerdotis, omninò teneri ex ipsomet præcepto paschalis, ne dum annuæ communionis; ratio est, quia in verbis præcepti *praced. num.* 61. relatis per ly *Nisi fortè* datur proprio sacerdoti facultas differendi tempus communionis paschalis, & determinandi quandonam debeat illi satisfacere is, qui ex legitimâ causâ non satisfecit tempore consueto: Quod si non potuit proprij sacerdotis consilium exquirere, censeri potest, adesse consilium interpretatiuum, & præsumptum, ac propterea militare eadem ratio; ita in terminis innuit Lugus *pracis. sect.* 4. *num* 64. & fauet à fortiori, quod Antoninus *pracis.* §. alijque nonnulli ex docentibus, transacto paschate cessare usque ad sequens pascha obligationem communicandi, hoc intelligent de eo, qui ex malitiâ, non qui ex rationabili causâ in paschate non communicavit. Ad secundam dubij partem, negant Diana *pracis. tract.* 4. *resol.* 42. & Amicus *pracis. disp.* 29. *num* 43. eo quod ex legis interpretatione præceptum censetur adimpletum per anticipatam communionem. Suarez *pracis. sect.* 2. licet videatur perplexus, dicit tamen, se non audere talem excusare ab obligatione communicandi in Paschate; absolutè vero affirmant obligari Lupus *num.* 78. & Arriaga *disp.* 47. *sect.* 4. *num.* 22. quia, inquiunt, communio anticipata fuit ad satisfaciendum præcepto communionis annuæ, non communionis in paschate; quod, & à nobis tenendum est: tum quia cohæret doctrinæ positæ *praced. num* 65. & 68. tum quia fauet præcepto communionis paschalis.

70

Dubitatur quintò: Utrùm præceptum ecclesiasticum communicandi singulis annis, saltem in paschate, impleatur per communionem indignam, sacrilegam, in lethali, & cum lethali factam: Affirmant Corduba, Soto, & Couarruuias, quos sequuntur Suarez *disp.* 70. *sect.* 3 Lugus *pracis. sect.* 4. *num.* 83. Coninchus *qu.* 80. *art* 11. *dub.* 4. Amicus *disp.* 29 *num.* 53. Arriaga *pracis sect.* 4. *nu.* 24. Laurea *disp.* 25. *art.* 3. *num.* 54. Herinex *disp.* 6. *qu.* 4. *num.* 42. Diana *pracis. tr.* 4. *resol.* 43 & apud istos alij plures, ex quibus tamen aliqui, ut inter recensitos Amicus, & Atriaga declarant se loqui de precepto communionis, vt est præcisè ecclesiasticum, non ut includit, aut determinat præceptum divinum. Moventur isti peculiariter ex eo, quod ecclesia, aut nequeat, aut non soleat præcipere actum internum, nec sit contra ipsius præceptum, quod actio exterior pravo fine, aut modo interno vitietur: Ratio universalis cæterorum est, quia præceptum, quodlibet ex genere suo obligat solùm ad substantiam, non ad modum, & finem operis, ut in materiâ de sacramentis sumi potest exemplum ex baptismo, & confirmatione, v. gr. quorum suscipiendorum præcepto satisfit per susceptionem sacrilegam, & peccaminosam. Nihilominùs in proposito de eucharistiâ absolutè oppositum sentiunt Nunnus *hic quast.* 80. *art.* 11. *dub.* 4. Syluius *eod. art. quast.* 2. Gonatus *disp.* 9. *art.* 1 *num.* 12. Madernus *qu.* 7. *art.* 6 *num.* 6. & alii, quibus plurimum favet, quod inter propositiones, quas Alexander VII. in Congregatione Generali Inquisitionis die 24. Septembris 1665. damnavit, ut minimum tamquam scandalosas, decimaquarta sic habeat, *Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit pracepto ecclesia,* cui affine est dicere, eidem præcepto satisfacit communionem voluntariè sacrilegam, & licet inter confessionem nullam, & communionem sacrilegam possit prætendi disparitas ex eo, quod per illam non ponatur, per istam ponatur substantia præcepti, cum illa non sit substantialiter sacramentalis confessio, ista sit substantialiter sacramentalis communio; Adhuc tamen ex unâ parte communio sacrilega est suo modo nulla, quia communionis valor, cum non consistat in substantiâ sacramenti eam autecedenter validi, non potest in alio meliùs consistere, quam in fructu, qui per consequens ad substantiam præcepti communionis pertineat, sitque ipsius præcepti finis simul, & materia; caret autem fructu communio sacrilega ideò &c. Ex alia parte, cum Concilium Lateranense pari, & simili modo in verbis sæpiùs memoratis, communionem, confessionemque præcipiat, ad satisfaciendum utrique præcepto, debet proportionaliter requiri par, & similis actus, idest salutaris, & pia communio, sicut salutaris, & pia confessio: nec est amplius de hoc ambigendum, & post damnatam ab Alexandro VII. recitatam propositionem de confessione roborandum, pro disparitate communionis, cum etiam de hac emanaverit eadem, quæ de confessione, censura; & inter propositiones, quas ut minimum, tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, Innocentius XI damnauit in Congregatione Generali Inquisitionis die 2. Martii 1679. quinquagesima quinta hæc sit, *Pracepto communionis annua satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Propositum igitur dubium omninò nunc soluendum est responsione negativâ, cum Auctoribus posteriore loco adductis, apud quos præsertim apud Gonetum maiorem negativæ responsionis probationem inuenies.

71

72 Per sacrilegã sumptionem Eucharistiæ non satisfit præcepto communionis annuæ, vel paschalis.

Ad rationem dubitandi, quâ Adversariorum aliqui movebantur, dico, ecclesiam indirectè, & secundariò posse præcipere actum internum, quoties ista conjungitur cum externo, & est necessarius ad externi bonitatem, ut est interna attentio ad recitationem officii, & interna de peccato pænitentia ad communionem. Ad rationem universalem cæterorum, dico modum, & finem operis, alium esse extrinsecum, alium intrinsecum; quando est intrinsecus, ut is, de quo nunc agitur, est simul materia præcepti, nec potest istud impleri illo non posito. Ad exempla

73 Et opposita opinio est damnata ab Innocentio XI.

74 pla desumpta ex baptismo, & confirmatione, quæque desumi pariter possent ex Ordine, Extremâ Unctione, & Matrimonio, dico, gratiam non esse finem adeò intrinsecum sumptioni, sicuti est sumptioni eucharistiæ, habent enim illa, præter gratiam, aliquem alium effectum, ratione cujus cum fiunt, aut simpliciter, aut secundum quid initerabilia, debuerunt institui taliter, quod sumerentur validè, & satisfieret præcepto de ipsorum sumptione, quoties sumptio effectum illum non impediret, quamvis deindè, ut potè indigna, & sacrilega impediret gratiam quod magis explicant Amicus *pracit. disp.* 19. *num.* 58., & Madernus *pracit. art.* 6. *num.* 9. Si quæras hic obiter, Utrùm sacrilegè communicans in paschate sicuti non satisfacit præcepto communionis, itâ incurrat censuras, & pœnas solitas imponi

75 illius præcepti transgressoribus: Responderem in primis hujusmodi pœnas, cum non incurrantur ipso facto, sed prærequirant sententiam ecclesiastici Judicis, non posse incurri, nisi sacrilegium in communione paschali commissum sit per se notorium, adeò ut possit judicialiter constare, si deindè ità sit, qui sacrilegè in paschate communicavit, poterit iisdem pœnis puniri, quibus is, qui ex malitiâ communionem omisit, quia uterque est de præcepti transgressione culpabilis. Nec valet ampliùs, quod observat Arriaga *pracit. sec.* 4. *num* 25., sacrilegè communicato suffragari probabilitas opinionis, quod præcepto satisfecerit; Non valet inquam, quia cessavit talis probabilitas post prælaudatam damnationem propositionum, sub Alexandro VII., & Innocentio XI.

Dubitatur sextò: Utrùm prædictum præceptum impleatur per sumptionem eucharistiæ, aut putativè, aut materialiter tantùm sacramentalem? quâ scilicèt quis in paschate, aut sumat particulam non consecratam, putans esse consecratam: aut ex adverso sumat particulam realiter consecratam, at casualiter incogitanter, & ad modum cibi

76 communis, nec putans consecratam. Respondetur ad utramque partem negativè; Ratio negativæ responsionis est, quia ad implendum præceptum communionis paschalis, & annuæ requiritur ex mox dictis sumptio eucharistiæ fructuosa; non est autem fructuosa, si sit, aut putativè, aut materialiter tantum sacramentalis, ut de primâ constat, quia non ponitur proprius sacramenti effectus, & fructus, ubi non ponitur verè, & realiter sacramentum ipsum: De secunda potest esse aliqua ratio dubitandi propter parvulos, quibus suprà *num.* 12. permisimus eucharistiam etiam causaliter sumptam posse esse fructuosam; Verùm cessat hæc ratio cum *ibid.* adduxerimus disparitatem de adultis, & in istis docuerimus ad percipiendum eucharistiæ fructum, requiri sumptionem voluntariam, & non realiter tantù, sed formaliter quoq; sacramentalem à Majorem hic habent rationem dubitandi illi, qui aut pro præcepto implendo sumptionem fructuosam non requirunt, ut Auctores relati *num.* 71. aut etiam in adultis sumptionem pure materialem, & casualem, fructuosam reputant, ut Herinex *disp.* 6. *quæst.* 2. *num.* 13. Sed viderint ipsi, quid sentiant, & quomodò debeant consequenter loqui.

Eidem præcepto non satisfit per sumptionē aut putativè, aut materialiter tantùm sacramentalem.

77 Dubitatur septimò: Utrùm præceptum communionis Paschalis obliget ad eam sumendam in propriâ parochiâ, & de manu proprii Pastoris: Respondetur affirmativè, si personas privilegiatas, & exemptas excipias, ut sunt in primis Regulares, qui nulli addicuntur Parochiæ, nulli subjiciuntur Parocho, sed proprium Superiorem pro Pastore agnoscunt: Famuli etiam Regularibus, seù Religiosis inservientes, ex variis Summorum Pontificum privilegiis, quando intrà septa Monasterii degunt, licitè, & cum satisfactione præcepti, sumere possunt communionem paschalem, sicut pariter viaticum, & extremam unctionem de manibus Religiósorum, in quorum Monasteriis degunt: Non dissimili privilegio, quò ad communionem paschalem, gaudent familiæ Cardinalium, solet enim ipse met Cardinalis etiam pro Paschate toti suæ familiæ eucharistiam dispensare. Advenis quoque, & Peregrinis aliqui censent liberum communionem paschalem, à non Parocho, & extrà ecclesiam parochialem, sumere; sed alii rationabilius volunt, illos debere communicare in parochiâ sui hospitii, vel si omninò vagi, & errones sint, in Ecclesiâ Cathedrali. Sacerdotes tandem, qui quotidiè celebrant, etiamsi sint simplices, & non privilegiati, possunt ubicumque in Paschate celebrent, communioni paschali satisfacere, si tamen non possent, aut nollent celebrare, sed sumerent in paschate, ad satisfaciendum præcepto communionem laicam, deberent hanc ipsi æquè, ac reliqui de manu proprii Parochi accipere, quia quod celebrando satisfaciant, independenter à Parocho, non est ex privilegio propriæ personæ, sed ex conditione communionis Sacerdotalis, quæ non potest sumi de manu alterius, ut observat Lugus *disp.* 18. *sec.* 1. *num* 1. Ce-

Quamvis aliqui sint exempti à sumenda communione paschali de manu Parochi.

78 terùm, si personas mox recensitas, & si quæ sunt aliæ similiter privilegiatæ, excipias, communionem paschalem sumi debere de manu Parochi, propriique Pastoris, (subintellige, aut alterius ab ipso delegati) probatur ex eo, quod *praced. cap.* 2. §. 1. ostensum est, dispensationem eucharistiæ esse actum jurisdictionis Parochi, & Pastoris proprium, & licet supponatur ipsius consensus præsumptus pro eucharistia de aliorum manibus sumenda in communionibus, quæ fiunt ex devotione, non sic pro illis, quæ ex præcepto, ut attigimus *eod. cap.* 2. *num* 53. Confirmatur ex eo, quod in præcepto communionis paschalis relato *praced. num.* 61. verba illa *Nisi forte de proprii Sacerdotis consilio* insinuant peculiarem communionis paschalis dependentiam à proprio Sacerdote, cujus nomine nullus melius intelligitur, quam proprius Pastor, & Parochus, licèt Herinex *disp.* 6. *quæst.* 4. *num.* 38. velit

Regulariter præceptum ecclesiast. com. obligat, ut ita sumatur.

velit intelligi quemlibet Confessarium, tamquam à propriis Pastoribus peculiariter delegatum, ad judicandum de differendâ, vel non differendâ communione; quod est probabiliter dictum; at non idcircò prorsùs eneruat vim positæ confirmationis, quia Confessarius interpretativè delegatus, ad judicandum de differendâ &c., non est similiter delegatus ad judicandum, de cujus manibus communio accipienda sit; quia, ut mox dicebam, pro communione paschali sumendâ de aliorum manibus, non benè supponitur consensus præsumptus, adeòque nec delegatio interpretativa, quæ est pro re præsenti consensui præsumpto synonyma.

79 Ex dictis remanet sufficienter, & pro methodi, quam sequimur, modo abundè expeditum quidquid in præfixo titulo continetur: Constat scilicèt sumptionem eucharistiæ esse necessariam necessitate præcepti ecclesiastici; Hoc obligare ad minus in paschate, quod est, ac dicere ad communionem tùm paschalem, tùm annuam, aut potius annuam in defectum paschalis: Hanc communionem, sivè quatenus paschalem, sivè quatenùs annuam, ut præceptum ecclesiasticum impleatur, debere esse verè; & realiter sacramentalem, spiritualem item, & fructuosam, nec non regulariter loquendo de Parochi, seù proprii Pastoris manibus acceptam. Et hæc quidem procedunt de præcepto Ecclesiastico communionis pro tempore, seù decursu vitæ; pro articulo mortis, cum dixerimus dari determinatè præceptum divinum, non est, cur solliciti simus de ecclesiastico; quod tamen à fortiori evincunt, tùm Concilia, quorum meminimus *praced. num.* 52. tùm perpetua consuetudo communicandi constitutos in mortis periculo, undè etiam Auctores, qui de divino contrarium opinantur, de ecclesiastico saltem consuetudinario, non dubitant: Quo ad communionis conditiones, & modum non deest pro paschate, & pro articulo mortis aliqua diversitas, at non possumus, nec debemus omnia præsertim, quæ moraliora sunt distinctè prosequi.

Quid de Præcepto ecclesiastico communionis in articulo mortis?

---

§. V.

Quasnam Personas obliget præceptum, sivè divinum, sivè Ecclesiasticum sumptionis Eucharistiæ?

80 ASSERT. I. Præceptum tùm divinum, tùm ecclesiasticum sumptionis Eucharistiæ obligat in primis omnes baptizatos gaudentes usu rationis; Dixi *in primis*, quia non intendit pro nunc, quod utrumque præceptum obliget istos solos, & relinquo in sequentibus stabiliendum, an & quomodò præceptum, præsertim divinum obliget etiam aliquos alios: Interim in eo, quod prædictos obliget, omnes Catholici Auctores conveniunt, &

Probatur, quò ad præceptum Ecclesiasticum, ex verbis legis ecclesiasticæ, præcipientis eucharistiæ sumptionem, ex decreto scilicèt, & Canone Concilii Lateranensis, & Tridentini recitatis *praced. num.* 61. *&* 62. quibus obligatio communicandi in paschate imponitur omnibus Christi fidelibus, cum ad annos discretionis pervenerint, quod est idem, ac dicere omnibus baptizatis, seù Christi fidem per baptismum professis, cum gaudent rationis usu: Ex præcepto ecclesiastico deducitur consequentia ad divinum; Hoc quippè, licèt quo ad tempus obligationis, fortè sit minus, nec de se obliget tam frequenter, quam ecclesiacum, quò ad personas, in quas cadit obligatio, est potius majus, idest ad plures extenditur, cum & ab universaliore potestate procedat, & universalioribus verbis latum sit, ut paulo infrà constabit agendo de non baptizatis.

Præceptū sumptionis eucharistiæ obligat omnes baptizatos gaudentes usu rationis,

Dices: Publici peccatores, excommunicati, Schismatici, & energumeni, quamvis baptizati, & adulti, non admittuntur ab ecclesiâ ad paschalem communionem, ergo quia ecclesiasticum de paschali communione præceptum, istos non obligat, ac per consequens ad omnes baptizatos, gaudentes usu rationis, non extenditur; malè enim ecclesia obligaret ad accipiendum ab ipsâ aliquid, quod dare nollet. Sed contrà: Quò ad publicos peccatores, excommunicatos, & schismaticos, dico ab ecclesia ad communionem non admitti, quia quovsque in tali statu sunt, indignè accedunt; cæterùm, si resipiscant, & dignè accedant, benè admittuntur; sicque benè obligantur ecclesiastico præcepto; obligantur inquam, ut resipiscant, & posteà accedant; nec reiiciuntur, accedendo eo modo, quo ab ecclesiâ obligantur accedere, nec item ista negat id, ad quod obligat, si servetur obligationis modus.

81 *Etiam publicos peccatores, excommunicatos, schismaticos.*

Quo ad Energumenos, quos etiam arreptitios, & à dæmone obsessos vocant, est specialis difficultas, quia cum possint sine propriâ culpâ à dæmone inuadi, ac obsideri, nec postea sit eis liberum à se dæmonem expellere, ijsdem pariter, idque sine propriâ culpâ liberum non esset, habere statum, in quo essent ad communionem admittendi, si ab hac propter solam dæmonis obsessionem excluderentur, non viderentur igitur posse ecclesiastico communionis præcepto obligari: Et tamen ex aliâ parte energumenos esse excludendos, aut saltem exclusos olim fuisse à communione, probari solet ex D. Dionysio, & ex Concilio Elibertino apud Vasquium *disp.* 212. *cap.* 4. & Suarium *disp.* 69. *sec.* 2. in fine. Sed contrà: Cassianus apud D. Thomam *hic qu.* 80. *art.* 9. *ad* 2. ait *eis, qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam à senioribus nostris, nonquam meminimus interdictam*. Et apud Vasquium iam citatum *num.* 30. habetur ex Prospero antiqua historia, de eucharistiâ ministratâ cvidam adolescentulæ, à dæmone obsessæ; & subditur ex Concilio Arausicano, de energumenis communican-

82 *Etiam energumenos, & à dæmone obsessos*

dis

illis canon peculiaris: Non est igitur certum, nec sine contradictione, & dissidio, quod de communione antiquitùs energumenis interdicta aliqui proferunt, & quando alias res, vel in totum, vel ex parte, ita fuerit, contraria nunc est ecclesiæ praxis, cujus argumentum tùm negativum, tùm positivũ habetur ex Rituali Pauli V. non solum non recensente energumeno inter eos, quos particulatim notat esse à communione arcendos, sed etiam *tit. de exorcizandis obsessis* positivè præscribente quòd *admoneatur obsessus ut sacrâ confessione, & communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communicet*. Jam igitur cum D. Thomâ, Suario, & Vasquio locis præcitatis, item Amico *disput.* 29. *num.* 63. Herinex *disp.* 6. *qu.* 2. *num.* 15. Laurea *disput.* 25. *art.* 4. *num.* 67. aliisque communiter pro indubitato habendum est energumenos, qua præcisè tales, nec esse à communionis præcepto etiam ecclesiastico solutos, nec debere eum in paschate, imò nec eum ex devotione, ad communicandum accedunt rejicit quamvis sæpè contingere possit, quod sint rejiciendi aliundè, puta ex eo, quod fuerint à dæmone arrepti propter publica gravia scelera, propter quæ sint quoque ab ecclesiâ excommunicati, vel ex mali spiritus vexatione tantam patiantur perturbationem mentis, agitationemve corporis, ut non possit ipsis sine irreverentiæ periculo Sacramentum ministrari.

83

Et isti qua præcisè tales non sunt à communione arcendi.

Urgebis; Ipsa dæmonis obsessio reddit energumenos immundos, & indignos sumptione sacramenti, secum afferentis Christum Dominum, cujus cum dæmone nulla potest esse societas, nulla cohabitatio; ergo energumeni, quâ tales, sunt à communione arcendi, nec ad ipsam obligandi: Urgebis item, quo ad excommunicatos, & schismaticos; Isti sunt divisi, & separati ab ecclesiâ, ergo non possunt communionis, aut alio præcepto ab ecclesiâ obligari, cum Apostolus 1. *Cor.* 5. ecclesiæ nomine dixerit. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Sed contrà Energumeni qua tales non sunt immundi immunditiâ culpæ, sed pænæ, & (ut cum Laureâ loquar) horroris; quæ posterior immunditia existens sine immunditiâ culpæ, non affert sacramenti indignitatem, sicuti nec affert ullum incoveniens Christi cohabitatio, ut ita dicam, cum dæmone, ubi iste per peccatum non dominatur; præter quod verisimile est, in energumeni communione dæmonem abigi ad remotiores, indignioresque partes, nec simul cum Christo, qui sub speciebus suscipitur, in ore, gutture, stomacho, aliàve parte corporis remanere. Quo ad excommunicatos, & schismaticos, dico, esse, ab ecclesia separatos, & quasi extra ipsam positos, quoad participationem beneficiorum, & precum; item quò ad judicium correctionis, & monitionis; at non quo ad præcepta, supplicia, & siqua alia à potestate coactivâ, & punitivâ proficiscuntur; ad hanc enim subjectio semel per baptismum contracta nunquam excutitur, sicuti numqaam exuitur baptismi character,

84

Stet igitur omnes baptizatos, quomodocumque sint, aut peccato infecti, aut à dæmone obsessi, aut ab ecclesia præcisi, remanere obligatos communionis præcepto, etiam ecclesiastico, dummodò rationis usu gaudeant, & ad discretionis annos pervenerint: Sed quia discretio, rationisque usus latitudinem patitur, nec in omnibus, aut eadem ætate incipit, aut æqualis est, aut æquè perseverat; expedit magis in particulari assignari, quinam habeant usum rationis, discretionemque sufficientem ad hoc ut eucharistiam sumere teneantur, aut saltem non prohibeantur, sicut ex præcedenti §. 1. prohibentur illi, qui nec habent, nec habuerunt umquam usum rationis: Præsto id autem præferendo, & solvendo nõnulla dubia. Ideò

85

Dubitatur primò: Quinam sint in pueris anni discretionis, & usus rationis pro obligatione communicandi ex præcepto ecclesiastico in paschate? Viguerius *cap.* 16. §. 3. *vers.* 2. videtur assignare annum quartumdecimum: Sotus *in* 4. *dist.* 9. *art.* 11. annum duodecimum D. Thomas *ead. dist. qu. un. artic.* 5. *quæstiunc.* 4. annum decimum, vel undecimum Alensis 4. *par. qu.* 11. *memb.* 11. *art.* 3. §. 2. & Cajetanus *hic qu.* 80. *art.* 9. in puellis præcipuè annum decimum: Aliqui quorum suppresso nomine meminit D. Antoninus in summâ *par.* 2. *tit.* 9. *ca.* 8. §. 2. annum octavum, seu immediatè post septennium. Scotus *in* 4 *dist.* 17. *qu un.* §. *De secundo articulo*. Lauræa *præcit. art.* 4. *num.* 72. Sylvius *hic qu.* 80. *artic.* 9. *quæsit.* 1. Suarez *disput.* 70. *sect.* 1. §. *Deindè* Vasquez *disp.* 214. *cap.* 4. *num.* 39. Lugus *disput.* 13. *sect.* 4. *num.* 33. Arriaga *disput.* 43. *sect* 3. *num.* 13. Madernus *qu.* 7. *art.* 5. *num.* 11. & cæteri magis communiter conveniunt in eo, quod pro initio obligationis communicandi nequeat in pueris certum tempus, & determinatus ætatis annus præscribi propter variam corporalem temperiem, & moralem educationem, ratione cujus aliqui citiùs, aliqui tardiùs perveniunt ad statum, quo possint panem consecratum à pane communi distinguere, & Christum in eo contentum discernere: Ut deindè aliquos huic indeterminato tempori limites statuant, advertunt primò, & ex ipsâ ecclesiæ praxi deducunt, citiùs perveniri ad discretionem pro sacramentali confessione, quam pro communione sufficientem, citiùs ad illam, quam ad istam obligari, quia facilius est bonum à malo, quàm panem consecratum à non consecrato discernere, & maior est confessionis, quàm communionis, necessitas. Advertunt secundò, Ecclesiam, ut piam, benignamque matrem non obligare parvulos ad communionem, statim, ac attingunt discretionem, & rationis usum sufficientem, immò nec post primum à tali attingentiâ annum, sed id ut ferè colligitur ex verbis sæpius memoratis Concilii Lateranensis, relinquere arbitrio confessarii determinandum, & etiam ad duos circiter annos, aut aliquantulò ampliùs differendum: Undè tandem omnibus pensatis, & habitâ etiam considera-

86

Annus discretionis pro obligatione communionis paschalis in pueris non potest determinatè assignari

tione

87 *Dici potest contineri intrà annũ ætatis decimum, & decimumquartum.*

tione aliarum sententiarum, quas præmisimus, videntur concludere, tempus obligationis primò communicandi in paschate contineri intrà annum ætatis decimum, & decimumquartum; adeò ut regulariter nulli sit concedenda prima communio antè annum decimum, nulli differenda ultrà decimum quartum; intrà hoc spatium verò liberum sit Confessariis pro ipsorum judicio, & prudenti arbitrio citiùs, tardiusvè admittere, seù obligatos declarare pueros ad paschalem communionem.

88 Dubitatur secundò: Utrùm quod circà pueros mox dictum est de obligatione communionis pro præcepto ecclesiastico in paschate, dicendũ sit pariter pro præcepto divino in mortis articulo, adeò ut non sit obligatio ministrandi viaticum pueris nondum admissis ad communionem paschalem? Affirmant Corduba in Summâ *quæst.*60. Vasquez *præcit. cap.*4 *n.*41. Amicus *disp.*29 *nu.*60. Gaspar Hurtadus *disp.*10. *difficult.*4. Meratius *disp.*35. *sec.*4., & Navarrus in Manuali *cap.*21. *num.*57. Negant, & putant esse obligationem ministrandi viaticum citiùs, quàm communionẽ paschalem, Suarez *præci. sec.*1. §. *Quare tandem* Lugus *præcit. sec.*4. *n.*37. Arriaga *præcit. sec.*3. Maderuus *præcit. art.* 5. *nu.*12. Aversa *quæst.*8. *sec.*2. & plures alii, quibus favent etiã nonnulli Auctores sententiæ oppositæ, ut Amicus, & Navarrus, dicentes, esse consulendum id, quod nos dicimus esse ex obligatione: At si consulendum est, seù dandum ex consilio viaticum aliquibus parvulis nondùm admissis ad cõmunionem paschalem, consequens est, istis inesse sufficientem pro viatico idoneitatem, & discretionem; undè nam igitur in articulo mortis constituti eximuntur à præcepto divino viatici obligante determinatè pro articulo mortis quamlibet personam capacem, & idoneam; prædicti igitur Auctores dantes consilium, non concedentes obligationem viatici pro parvulis, nõ videntur admodùm consequenter loqui.

89 *Obligatio viatici in pueris incipit citiùs, quàm obligatio communionis paschalis,*

Sed quidquid sit de hoc, absolutè sentio cum Auctoribus secundæ sententiæ: Ratio est, quia puer statim, ac habet discretionem, & usum rationis sufficientem pro cõmunione tenetur communicare in articulo mortis, at non sic statim tenetur communicare, nec statim in praxi communicat communionẽ annuã, vel paschali; ergo pueri obligantur citiùs ex præcepto divino ad viaticũ, quàm ex præcepto ecclesiastico ad communionem annuam, vel paschalem: Minor constat ex praxi, & fundatur in benignitate, ac pietate ecclesiæ, à quâ pendet, & posita est cum notabili latitudine determinatio temporis pro obligatione puerorũ ad communionem paschalem, vel annuam, ut jam ostensum est. Major probatur, quia obligatio communicandi in articulo mortis est determinata ex ipso præcepto divino, & suppositâ idoneitate subjecti non patitur latitudinem, aut ex declaratione ecclesiæ, aut aliundè; nõ potest item tunc esse ulla ratio differendi, cum nequeat tunc, aut opportunius tempus, aut melior dispositio, aut accuratior instructio, aut major sacramenti necessitas expectari; suppositâ igitur sufficienti discretione tenetur puer in articulo mortis constitutus statim, & nullo alio tempore expectato communicare, aut potius tenentur alii, qui ejus curam habent, ei communionem procurare.

90 Neque dicas, sufficientia usus rationis in pueris pro viatico est determinanda ab ecclesiâ æquè, ac pro communione paschali; ergo præceptum viatici, quamvis divinum, pendet in pueris ab ecclesiæ determinatione, & ex hâc habet eamdem latitudinem, quam præceptum primæ communionis paschalis, vel annuæ: Contrà enim, debet quidem ecclesia, seù Confessarius nomine ecclesiæ sufficientiam usum rationis recognoscere, at hâc semel cognitâ, etiamsi minimâ, non potest posteà differri viaticum, sicuti posset ad unum, vel alterum differri prima communio in vitâ: Porrò talem minimam sufficientiam usus rationis pro communione, aliqui censent, reperiri in quocumque puero capaci sacramentalis confessionis; verum coherenter ad animadversionem positam *nu.* 86. talis non est ità certa, & sanius consilium est, puerum interrogare, aut instruere de distinctione panis consecrati à cibo communi, & de reverentiâ debita tanto mysterio, & Christo sub speciebus existenti.

Incipit sciliceт statim, ac reverentiam devotionemque concipiunt circà panẽ cõsecratũ, & hunc distinguunt à cibo communi.

Dubitatur tertiò: Utrùm sit ministrandũ viaticum parvulo in dubio, an habeat illum rationis usum, quam mox in ipso ad viaticũ requisivimus? Item quid tùm de viatico, tùm de communione paschali sentiendum respectu adultorum habentiũ usum rationis debilem, & valdè imperfectum, si nec habuerint, nec sperentur habituri meliorem? Utramq; dubii partem tractant ex professo Lugus *disp.*13. *sec.* 4. & 5. & Arriaga *disp.* 43. *eâd. sec.*4. & 5., breviùs Madernus *qu* 7. *art.* 5. *num.*14. & 16.

91 *In dubio talis discretionis videtur adhùc favendum præcepto viatici, & utilitati parvulorũ.*

Circà primam partem invenio ferè æqualia hinc indè fundamenta; in tali ferè æquilibrio, videtur favendum, tùm obligationi præcepti divini, tùm utilitati parvulorum, quos aliundè certum est, sicut cum nullo, ità à fortiori cum dubio usu rationis esse capaces fructus eucharistiæ: Nec magis detineor in re multùm perplexâ, à paucis pertractatâ, nec admodùm necessariâ ad praxim, cum tales casus rarò eveniant, rariùs considerentur, & Confessarius, aut Parochus si habeat copiam interrogandi, & aliqualiter instruendi puerum, facilè possit formare determinatũ judicium de sufficientiâ, vel insufficientiâ usus rationis pro viatico.

92 *Quænam debilitas usus rationis in adultis excuset ab obligatione Eucharistiæ, aut in articulo mortis;*

Circà secundam dubii partem, nomine usus rationis debilis, & valdè imperfecti, intelligi potest usus rationis, vel minor, & imperfectior eo, quem diximus ad minimũ requiri pro viatico in parvulis; vel similis illi, in quo solet differri parvulis communio paschalis, & annua, daretur tamen, ac dandum cẽseretur viaticũ, quoties in articulo mortis constituerentur: Si debilitas primo modo se habeat, videtur omninò neganda cõmunio, tùm in vitâ, tùm in mortis articulo, eò quod talis continuata debilitas ad carentiam usus rationis, & perpetuã amentiã declinet, nec admittat discretionẽ panis consecrati à cibo communi, quæ ad minimum pro euchari-

stiâ modo rationali, & humano sumendâ sequiritur: Si verò debilitas se habeat secundo modo, talis usus rationis debilis, & imperfectus, sicuti est pro viatico sufficiens in pueris, itá & in iis, qui sunt adultæ ætatis, imò in istis potest censeri sufficiens, etiam pro communione paschali, vel annuâ in decursu vitæ, quoties probabiliter non sperantur habituri usum rationis, dispositionem, & discretionem meliorem, cum hujus melioris discretionis, dispositionisq; spes, & expectatio sit potissima ratio, ob quam parvulis jam alioqui sufficientem rationis usum adeptis conceditur, juxtá prudens arbitrium Confessarii latitudo, & mora pro obligatione primò communicandi: Cessante igitur hâc spe, & transactâ illa latitudine temporis, quæ ex ecclesiæ benignitate permittitur, pro faciendo experimento dispositionis, & usus rationis melioris usque ad decimum quartum ætatis annum, non erit ulteriùs differenda communio iis, qui debilem quidem, utcumque tamen sufficientem pro eâ discretionem, & rationis usum habent; hocque jure censetur ad mentem D. Thomæ *hic quæst. 80. art. 9. in corp.* dicentis *Aliqui dicuntur non habere usum rationis, quia habent debilem sicut dicitur non videns, qui malè videt: Et quia tales possunt aliquam devotionem hujus sacramenti concipere, non est eis hoc sacramentum denegandum*, & idem sentiunt præter Lugum, & Arriagam *pracit. sec. 5.* Henriquez, Bonacina, & Aversa, apud Madernum *pracit. num. 16.*

93 Aut in Paschate, & in decursu vitæ,

Dices, & oppones contrariam consuetudinem, quâ in Indiâ Occidentali, tùm communio paschalis, & annua, tùm ipsum viaticum negari solet illarum regionum incolis magnâ ingenii tarditate, & debilitate usus rationis laborantibus, quàmvis alioqui ad fidem conversis, & baptizatis, ut narrat Josephus Acosta de procurandâ Indorum salute *lib. 6. cap. 8.* Sed contrà: Si Indorum Occidentalium crassities, tarditas, & debilitas usus rationis tanta est, ut nec etiam in ætate adultâ perveniant ad discretionem, quam pro viatico in parvulis requisivimus, dico consuetudinem, illis negandi etiam in mortis articulo communionem, esse rationabilem, laudabilem, nec nostræ præcedenti doctrinæ contrariam; Quia tamen vix est credibile integram, ingentemque nationem esse tàm crassæ Minervæ, tàm tardi, & debilis ingenii, præsertim postquam Europæi in eam invexerunt fidei lumen, christianos mores, politioremque convictum, quia, inquam, id vix est credibile; prædicta consuetudo ab aliquibus censetur corrigenda, quin & putatur correcta in Concilio Provinciali Limensi, quod *constit.* 58. licet ex parte laudet illam consuetudinem, quatenùs tunc de præterito viguerat, monet, quod in futurum mutetur; ab aliqibus aliis supponitur introducta non ob innatam debilitatem usus rationis, sed in pœnam indignitatis, & perversitatis illius populi, veneficiis dediti, in fide inconstantis, in idolatriam frequenter relabentis, & assiduè se inebriantis, ut insinuat Lugus *pracit. sec. 5. num. 58.* Quæ utrùm reverâ alias itá fuerint, aut modò itá sint, fateor, me penitus ignorare, & libenter cum Maderno *pracit. num. 16.* arbitror consuetudinis, quæstionisque, de quâ agitur, judicium esse relinquendum Parochis, & Episcopis regionum indicarum occidentalium perspicientibus præsentem illorum Indorum statum, discretionem, & mores: Addo, quod si esset à Romanis Theologis deliberandum, deberet saltem expectari melior earumdem rerum notitia à Parochis illis, & Episcopis transmittenda.

94 Quid de consuetudine non concedendi communionem Indis Occidentalibus,

95 Dubitatur quartò: Utrùm sit obligatio ministrandi viaticum amentibus non perpetuò talibus, qui scilicèt aliquando habuerunt usum rationis, vel habent aliqua in ipso statu amentiæ lucida intervalla? Negant absolutè, qui requirunt actualem suscipientis devotionem ad percipiendum eucharisticæ fructum, cujus propterea putant omninò incapaces parvulos antè usum rationis, ut retulimus *praced. num. 6.* Reliqui contrarium nobiscum sentientes, & agnoscentes in parvulis, imò etiam in perpetuò amentibus capacitatem fructus eucharistiæ, non ideircò statim agnoscunt eamdem capacitatem in amentibus non perpetuis; in istis enim fructus ille præter defectum actualis devotionis potest habere obicem peccati, aut impediri ex eo, quod eucharistiæ sumptio non sit voluntaria, modo humano, & more adultorum, qualis debet esse, ut sit fructuosa in eo, qui aliquando usum rationis habuit: aliquâ tamen adhibitâ conditione, si nimirùm lapsus in amentiam, vel phrænesim anteà ostenderit signa penitentiæ, & devotionem, vel desiderium eucharistiæ conveniunt non solum in eo, quod sit capax fructus, sed etiam quod sit ei ministrandum viaticum in mortis articulo, nisi obstet periculum vomitus expuitionis, aut alterius irreverentiæ, itá expressè D. Thomas *pracit. art. 9. in c.* Suarez *disp. 69. sec. 2. §. Tertium dubium.* Vasquez *disp. 212. cap. 3. num. 23.* Sotus *in 4 dist. 12. quæst. 1. art. 9.* & apud istos alii id deducentes ex Conciliis Chartaginensi IV, Toletano XI. Arausicano I. item ex Cathechismo Pii V. Porrò devotio, seù desiderium eucharistiæ non est necesse, quod præcesserit per actum formalem, & explicitum, quo quis eucharistiam petierit, sed etiam per actum implicitum contentum in petitione Sacramentorum in genere, item in vitâ piè christianèque peractâ, undè in Cathechismo Pii V. dicitur insanos, seù amentes esse communicandos *Si antequàm in insaniam inciderint piam, & religiosam animi voluntatem præsetulerint.* Neque hoc censetur limitatum, aut revocatum per Rituale Pauli V., in quo de amentibus, & phreneticis habetur illos tantùm esse communicandos *Qui lucida habent intervalla, & devotionem ostendunt, dum in eo statu manent.* Observat enim Amicus *disp. 28. num. 20.* Rituale rectè intelligi de solâ communione annuâ, vel paschali, cujus sicuti minor est indigentia, & minor obligatio; itá huic

Quando sit ministrādū viaticū amentibus, qui anteà habuerunt usum rationis?

96

Non eadē est respectu talium amentium ratio pro communione paschali

huic non est facilè postponenda obligatio alia, quam omnes adulti habent accedendi ad eucharistiam cum aliquâ reverentiâ, & dispositione actuali: Addo circà amentes, qui aliquando fuerunt sui compotes, idem posse ferri judicium de obligatione viatici, quod de obligatione extremæ Unctionis, video enim multos Auctores in proposito ex obligatione extremæ Unctionis ad obligationem eucharistiæ arguere.

97

Assert. 2. Præceptum divinum sumptionis eucharistiæ ordinatè, & quasi mediatè obligat etiam non baptizatos, dummodo usu rationis gaudeant, præsertim si jam fideles sint, aut saltem habeant notitiam evangelii: Aliquâ etiam ratione eosdem obligat præceptum ecclesiasticum communionis annuæ, & paschalis. Itâ in primis Scotus, Richardus, Adrianus & quicumque absolutè docent, baptismum non esse necessarium, ut divina novæ legis præcepta obligent; Deindè singillatim, & directè de præcepto Eucharistiæ Suarez *disp. 69. sec. 2. §. Primum est* Vasquez *disp.* 214. *cap.* 4. *num.* 31. Lugus *disp.* 16. *sec.* 2. *num.* 17. Arriaga *disp.* 47. *sec.* 2. *num.* 7. Laurea *disp.* 25. *art.* 4. *num.* 61. & 62. cæterique magis communiter; contra Sotum *in 4. dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. Gonetum *hic disp.* 9. *art.* 1. *num.* 7. Herinex *disp.* 6. *quæst.* 2. *num.* 8. Madernum *quæst.* 7. *art.* 6. *num.* 2., & alios nonnullos.

Dixi *ordinatè, & quasi mediatè* Neque enim non baptizati obligantur ad communicandum in eo statu, in quo consistunt, & in quo etiamsi supponantur justificati nequeunt facere communionem fructuosam, ad quam solam potest esse obligatio; Igitur *ordinatè, & quasi mediatè* denotat communionem faciendam medio, & prævio baptismo, seù servato ordine inter baptismum, & Eucharistiam necessario: Nec refert, quod obligationem eucharistiæ mediante baptismo concedant in non baptizatis, illi quoque Auctores, quos tamquàm Adversarios recensuimus: Est enim valdè diversus ipsorum sensus, per obligationem quippè mediatam, seù mediante baptismo intelligunt obligationem, quæ mediante baptismo consurgat, & hoc suscepto incipiat, At nos intelligimus obligationem, quæ in re baptismum antecedat, ei tamen non possit nisi medio baptismo satisfieri; undè etiam illi non agnoscunt ante baptismum in adultis peculiarem culpam contrà præceptum eucharistiæ; benè verò nos.

Duplex modus obligationis ad Eucharistiã mediante baptismo.

98

Dixi, *si jam fideles sint, aut saltem habeant notitiam Evangelii*. non si evangelium, ac per consequens præceptum communionis invincibiliter ignorent, ignorantia invincibilis excusabit ab obligatione, & culpâ, cum universim præceptum invincibiliter ignoratum non obliget, & sine culpâ non observetur, undè ipse met Christus Jo. 15. dixit *Si non venissem, & locutus eis fuissem peccatum non haberent*; An, & quomodò deindè etiam nunc haberi possit evangelii ignorantia invincibilis, quæ etiam dicitur inculpabilis spectat ad tractatum de fide.

Probatur sic explicata prima asserti pars: Præceptum divinum sumptionis eucharistiæ continetur præcipuè verbis illis Jo. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c., ut explicuimus *præced.* §. 3. atqui talia verba obligant etiam non baptizatos, dummodò aliundè sint obligationis capaces, usu scilicèt rationis gaudeant, & notitiam præcepti habeant; ergo præceptum divinum sumptionis eucharistiæ ordinatè, & quasi mediatè obligat etiam non baptizatos &c. Probatur minor, quia in primis verba illa sunt valdè universalia, non minus quàm illa alia de baptismo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ* &c. debent igitur ad omnes extendi; Deinde sunt verba Christi habentis supremam, & absolutam suprà omnes, & si fideles, aut non baptizatos; Tandem fuerunt à Christo prolata Capharnaitis nondum baptizatis, & majori saltem ex parte adhùc infidelibus; ergo

99

Præceptũ divinum sumptionis eucharistiæ obligat etiam non baptizatos habentes usum rationis, & notitiam evangelii.

Dices: Præceptum, quàmvis divinum, non obligat, nisi eos, qui sunt capaces ipsum adimplendi: atqui non baptizati, etiamsi fideles, & cathecumeni sint, non sunt capaces adimplendi præceptum sumptionis eucharistiæ, cum *ex præced.* §. 1. non sint capaces talis sumptionis; nec si in tali statu sumerent adimplerent, quia sumerent sine fructu, & sacrilegè, unde etiam pejus facerent sumendo, quàm non sumendo; ergo. Si respondeatur, non baptizatos esse capaces adimpletionis præcepti, & sumptionis eucharistiæ ordinatè, & mediatè, modo jam explicato, quamvis non immediatè, & præmittendo susceptionem eucharistiæ, susceptioni baptismi. Impugnatur responsio primò, quia etiam pueri, amentes perpetui, aut adulti, nullam prorsùs habentes evangelii notitiam ordinatè, & mediatè eodem præcepto obligarentur, quatenùs prævio, & medio usu rationis, præviâ item, & mediâ notitiâ evangelii, sunt capaces sumptionis &c. Secundò, quià non baptizati, & infideles eodem modo antè baptismum obligarentur præcepto sacramentalis confessionis, cujus prævio, & medio baptismo sunt capaces, & ad quam baptismo suscepto remanent immediatè obligati. Tertiò quia etiam in jis, qui tenentur baptismum suscipere, solum suscepto baptismo consurgit obligatio rei, solum post baptismum faciendæ, ut patet in aliis legis Christianæ obligationibus, quibus nullus afficitur, nisi post baptismum; & confirmari potest in obligationibus alicujus Ordinis Religiosi; ad quas is, etiam, qui debet ex voto talem ordinem ingredi non tenetur nisi post ingressum. Sed contrà: Optima est responsio instantiæ interiecta; ratio est, quia benè quis potest actualiter in uno statu obligari ad aliquam rem sibi in tali statu impossibilem, possibilem tamen in alio, dummodò is possit de illo statu exire, & transire ad hunc alium; sic (non discedendo à re nostrâ) existens in statu peccati, vel excommunicationis tenetur præcepto communionis, cui non potest satisfacere, nisi in statu gratiæ, & liberationis ab excommunicatione, at liberum ei est à statu peccati ad statum

100

Obligat inquam ordinatè, & medio baptismo.

101

gratiæ mediâ pænitentiâ, à statu excommunicationis, ad statum libetationis, mediâ resipiscentiâ, transire; Cum igitur etiam non baptizato, liberum sit transire ad baptismum, consequens est &c.

Ad primam impugnationem facilis est ex mox dictis disparitas; quia pueris, & amentibus non est liberum, nec in ipsorum potestate constitutum, transire ad statum usus rationis, sicuti nec invincibiliter, ut supponitur evangelium ignorantibus, transire ad Evangelii notitiam.

Ad secundam dico sacramentalem confessionem, neque etiam baptizatis esse possibilem, nisi habeant peccata post baptismum commissa, & quia non baptizatus non est in tali peccatorum statu, & potest quidem, at non tenetur se in eo constituere, non tenetur scilicet post baptismum peccare; non obligatur antè baptismum præcepto, quamvis divino confessionis, imò nec isto post baptismum obligatur immediatè, & absolutè, sed solùm sub conditione, seù mediâ conditione peccatorum baptismum subsequentium: Ad communionem verò adultus post baptismum procul dubio obligatur immediatè, & absolutè &c.

102 — *Quænam obligationes legis christianæ afficiant infideles antè baptismum, quæ non.*

Ad tertiam, dico obligationes legis christianæ aliquas esse ex potestate purè ecclesiasticâ, aliquas ex potestate divinâ, at solis baptizatis non omnibus universaliter impositas; & ad priores non baptizati antè susceptum baptismum non tenentur, quia ecclesiæ, & ecclesiasticæ potestati non subjiciuntur, non item ad posteriores, quia Christus licèt habuerit potestatem, non habuit voluntatem ipsos obligandi. Dantur deindè in lege Christianâ aliquæ aliæ obligationes, quæ sunt ex potestate divinâ omnibus universaliter impositæ, ut sumptionis eucharistiæ, extremæ unctionis, fidei explicitæ Incarnationis, & has obligationes, dico etiam non baptizatos ante susceptum baptismum afficere: Ad confirmationem desumptam ex obligationibus ordinis religiosi, fateor istas verè non afficere, nisi post ingressum, at ratio est, quia vel non sunt institutæ, nisi pro ingressis talem ordinem, vel proveniunt ex votis, quæ non habent vim, nisi postquam sont emissa, nec emittuntur nisi in ipso ordinis religiosi ingressu; undè nulla est ex istis paritas ad obligationes legis, seù religionis Christianæ, de quibus agimus.

103

Probatur, & explicatur secunda asserti pars; quia licèt ecclesia ex propriâ præcisè potestate nequeat leges, & præcepta ferre in non baptizatos, ut potè sibi non subditos, imò de facto præceptum communionis paschalis expressè imponat solis Christi fidelibus, dicatur scilicèt in Lateranensi *Omnis utriusque sexus fidelis*, in Tridentino *Omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus*, ut videre est suprà *num.* 61. & 62. Nihilominus si ex paulò ante dictis *num.* 54. consideremus vi præcepti divini communicandi aliquoties in vitâ non haberi, aut saltem non constare quoties, & quando communicandum sit? sed hoc ab ipso Christo commissum fuisse

Præceptũ ecclesiasticum communionis paschalis obligat ipsum quoq; aliqua ratione non baptizatos

determinationi ecclesiæ, consequens est, quod sit aliqua ratione, idest quasi implicitè, & arguitivè de jure divino communicare tempore ab ecclesiâ determinato: Sicque præceptum ecclesiasticum communionis paschalis, quatenùs subest commissioni Christi, & est quædam explicatio, aut applicatio præcepti divini, extenditur aliquâ ratione etiam ad non baptizatos, ad quos extenditur Christi potestas, & ipsum divinum præceptum communicandi aliquoties in vitâ; ità aut paulò aliter discurrunt locis præcitatis Lugus *num.* 18. Arriaga *num.* 8. Lauræa nunc Eminentissimus (& hâc ipsâ die 1. Septembris 1681. laudatissimè in Cardinalem assumptus) *num.* 62. & 70.

Dices hoc ratiocinium malè coherere, tùm verbis ex Lateranensi, & Tridentino, mox præmemoratis, dirigentibus præceptum communionis paschalis ad Christi fideles, quorum nomine veniunt soli baptizati, vel si contendas, venire posse Cathecumenos, certè non infideles quàmvis habentes notitiam evangelii: Tum doctrinæ, quâ suprà *num.* 55. diximus eum, qui violat præceptum ecclesiasticum de communicando in paschate, non simul violare præceptum divinum, de communicando aliquoties in vitâ; Quomodo autem potest illud, sine isto violari? si illud, ut nunc dicimus, est istius applicatio, seù explicatio, & in vi istius obligat. Sed contrà. Ad primam instantiæ partem; dico verba Concilii Lateranensis dirigi solùm ad Christi fideles, quia continent præceptum de confessione simul, & de communione, & quatenùs de confessione procedunt, nullatenùs possunt infideles non baptizatos afficere: Deindè imponunt pœnas, de transgressore enim post verba recitata *num* 61. subditur *Alioquin, & vivens ab Ecclesia ingressu arceatur, & moriens ecclesiasticâ careat sepulturâ*, hujusmòdi autem pœnæ respectu infidelium: Ex hoc igitur duplici capite debuit tale ecclesiasticum præceptum ad solos baptizatos fideles dirigi, cum quo stat, quod quatenus de solâ communione procedit, & à pœnatum comminatione abstrahit, afficiat modo jam explicato, etiam non baptizatos. Idem dicendum de verbis Concilii Tridentini, ut potè que confirmant præceptum latum in Lateranensi, & ad illud referuntur, licet non omnia in eo contenta repetant, nec expressam pœnarum mentionem faciant.

104

105

Ad secundam partem dico *cit. num.* 55. solùm doceri, quod violatio præcepti ecclesiastici de communicando singulis annis in paschate, non sit simul violatio præcepti divini directè, & secundùm se considerati; intendebamus scilicèt præceptum divinum de communicando aliquoties secundùm se, non obligare ad communicandum singulis annis, neque hoc fuisse ab ecclesiâ declaratum, aut promulgatum per præceptum communionis annuæ, & paschalis: Cum quo benè stat in violatione præcepti ecclesiastici contineri indirectam, & implicitam violationem divini, quatenùs est de jure

divino,

divino, & commissione Christi, quod ecclesia determinet pro hoc, vel illo tempore ipsum præceptū divinum de se indeterminatū, quò ad communicandū aliquoties in vitâ. Breviter, duplex est in proposito divinum præceptum; unum de communicando aliquoties in vitâ, alterum de communicando illis vicibus, quas ecclesia determinavit; secundum, non primum præceptum divinum violatur in violatione præcepti ecclesiastici, de communicando singulis annis in paschate, & de secundo nunc locuti sumus, de primo autem loquebamur *præcit. nu.55.*

Ex dictis habetur, ut quis obligetur præcepto communionis, duo esse potissima, & universalissima requisita, nimirùm discretionem, & notitiam evangelij. Tertium est baptismus, at hoc requiritur solum ad obligationem proximam, & immediatam, & respectu præcepti, ut præcisè ecclesiastici, non respectu præcisè divini, aut ecclesiastici, ut explicantis, & applicantis divinum; Quia deindè præceptum communionis pro articulo mortis est per nos simpliciter, absolutè, & determinatè divinum; præceptum verò communionis annuæ in paschate, aut divinum non est, aut ex doctrinâ nuper traditâ est tale solùm arguitivè, applicativè, explicativè; redditur magis certum, quod non baptizati ordinatè, mediatèque obligentur ad communionem in articulo mortis, quàm ad communionem in paschate.

106

---

§. VI.

Quid de præcepto, sivè divino, sivè ecclesiastico communicandi, aut sub utraque specie, aut sub unicâ?

107 ASSERT. I. Ex jure, & præcepto divino, neque datur pro laicis determinatio communicandi sub utrâque specie, neque sub unicâ; sed id relinquitur in arbitrio, & potestate ecclesiæ; est veritas fidei, quæ quatenùs negat ex jure divino determinationem communionis sub unicâ specie, nullos ut puto, habet Adversarios, quatenùs id pariter negat de communione sub utraque, communionemque sub unâ, æquè, ac sub duplici relinquit in ecclesiæ arbitrio, & potestate, est contra plures sectarios, quorum error cæpit in Bohemiâ circa annum 1412. auctoribus Petro Dresdensi, & Jacobello Misnensi Uviclefistis, quos deindè secuti sunt Brentius, Melancton, Kemnitius, Hammelmannus, Calvinus, & alij ex Uviclefistarum, Hussitarum, Lutheranorum, & Calvinistarum sectis, quamvis de Uvicleffo, & Joanne Hus non legatur ita sensisse, ut notat Vasquez *disp.216. cap.1. nu.2.* & Lutherum in hoc puncto variè, imò contrariè locutum fuisse, referat Bellarminus in controversiis *lib.4. de Sacram. euchar. cap. 20.* eumdem errorem fuisse tempore, & Auctoribus præmemoratis antiquiorem, deducunt aliqui ex Alphonso de Castro adversùs hæreses verbo *Eucharistia hæres. ult.* illum Græcis tribuente; Verùm Vasquez mox citatus monet, nec ab Alphonso, nec ab alio probato Auctore memorari, quo tempore inter Græcos cæperit, nec esse verisimile, quod inter illos viguerit ante Concilium Florentinum, errore in Bohæmiâ orto posteriùs; Utrùm deindè viguerit posteà in Græcis, qui fuerunt post Florentinum, Schismatici? Vasquez ait sibi non constare, affirmat verò absolutè Valentia *disp.6. q.8 punct.5. §.1.* Quidquid tandem de Græcis sit, præmemorati sectarij, sivè fuerint primi Auctores illius erroris, sivè non, certè illum docuerunt, quamvis non omnes eodem, sed duplici potissimùm modo; illi enim, qui non admittunt totum Christum esse sub quâlibet specie, putant communionem sub unicâ specie, omni effectu carere, ideò ex ipsâ Sacramenti institutione reddi illicitam, & divino jure prohibitam; Reliqui (& est error, tùm hujus loci, tum Petri Dresdensis, & Jacobelli Misnensis, magis proprius) docuerunt esse de jure divino positivo, & à Christo Domino præceptam communionem sub utrâque specie, ita tamen ut communio sub unicâ non sit inutilis, & sine effectu, sed solùm per ipsam præcepto divino communicandi aliquoties non satisfiat; hocque observatum invenio à Suario *disp. 71. sect.2.* in principio, ubi etiam reperio quosdam catholicos, & singillatim Claudium Sainctes *repetit. 10. cap.4.* quamvis non reprehendant præsentem consuetudinem communicandi sub unicâ specie admittere præceptum Christi de communione sub utrâque, quod post aliquod tempus auctoritate à Christo acceptâ, abrogatum, vel dispensatum fuerit, quæ sententia videtur quidem mediâ viâ incedere, at in re ad Sectarios, & nec tutæ est, nec Tridentino conformis, ut constabit ex sequentibus.

Auctores, & origo erroris de communione sub utraque specie.

108

Contrà hos errores assertam veritatem tradunt communi consensu Doctores Catholici, ex quibus præter Bellarminum, Vasquium, Valentiam, Suarium jam memoratos, alii plures videri possunt apud Amicum *disp. 59. num.69.* dum ego hic paucos addo majoris notæ, nimirùm Albertum *tr. de Corp. Christi* Alensem *4. p. quæst.11. memb. ult. artic.4. §.3.* D. Thomam *hic qu.80. art. 12.* D. Bonaventuram *in 4. dist.11. par.2. art.1. qu. 2.* Scotum *dist.8. qu.3.* circa finem. Estium *dist. 12. §.7.* &c. qui Auctores omnes aut ferè omnes impugnant, præcipuè Sectarios quoad errorem, quem diximus esse hujus loci magis proprium, quod, & nobis præstandum est, cum adversùs alium errorem *lib. praced. cap.4. §.5. & cap.7. §.11.* ostenderimus totum Christum esse sub qualibet specie, non minus quàm sub utrâque simul; Remanebit igitur assertum integrè, & quantum postulat in præsenti probatum, si probetur, non dari, nec datum umquam fuisse positivum Christi, aut Dei præceptum de communione à laicis in mortis articulo, & aliquoties in vitæ decursu, faciendâ sub utrâq; specie, & sic

109

Præcipui propugnatores oppositæ veritatis, quæ est de fide.

Pro-

110

Probatur assertum; primò positivè, expressa auctoritate, & definitione Concilii Tridentini, quod *sess.* 21. *cap.* 1. declarat, & docet *nullo divino præcepto laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salvâ fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat*, & posteà *can.* 1. anathematizat dicentes oppositum: Verùm quia Sectarij, quo ad hoc reclamant, non recipiunt Tridentinum, deduco alia contra ipsos argumenta ex principiis, quæ nec ipsi rejiciunt, nimirum ex praxi primitivæ ecclesiæ, & ex difficultate, & incommodis communicandi, dumtaxat sub utraque specie, quam praxim, & quæ incommoda proferemus in sequenti asserto, ad probandum ecclesiam antiquitùs permisisse, & adhibuisse indifferenter communionem, vel sub utraque, vel unica, eaque panis specie, & progressu temporis ob incommoda communionis sub specie vini hanc interdixisse: Quomodò autem ecclesia ab initio petmisisset, non fieri, & posteà positivè interdixisset fieri sub utraque specie communionem, si de hac extitisset divinum præceptum, aut quomodò istud non fuisset malè consonum suavitati legis gratiæ, si propter incommoda consequentia habuit ecclesia rationabiles causas statuendi oppositum? Addo dumtaxat hæreticos ipsos, ut refert Gonetus *disp.* 9. *art.* 3. *num.* 62. in suis ordinationibus permittere, quod abstemij communicent sub sola specie panis; quanam igitur doctrinæ cohærentia astruunt, communionem sub utraque esse de jure divino, in quo non possit ab ecclesia dispensari.

Probatur 2. quasi negativè ex eo, quod divinũ Christi præceptum de comunione sub utraque specie, neq; ex verbo scripto, neq; ex non scripto: idest neq; ex sacra scriptura, neque ex ecclesiastica traditione innotescat, & tamen cum sit, ut admittunt Adversarij, cum quibus nunc agimus, præceptum positivum, nec ex natura rei connectatur, aut cum institutione, aut cum effectu sacramenti, non est inducendum, & supponendum, nisi altero ex duobus prædictis modis innotescat, & comprobetur; ergo verè tale divinum præceptum inducendum, & supponendum non est: Probatur antecedens, discurrendo per aliqua sacræ scripturæ loca, & veterum Patrum testimonia, quibus Adversarii maximè putant per priora quidem ex verbo scripto, per posteriora ex verbo non scripto innotescere divinum Christi præceptum de communione etiam laica utraque specie.

111

112

Auctoritates pro deducendo ex Scripturis divino præcepto de communicando sub utraq; specie.

Dices igitur primò ex Scriptura: Duo loca, quæ nos supra § 2. protulimus *ex Io.* 6. *& Luc.* 22. ad probandum præceptum divinum de communione laica, procedunt de ista sub utraque specie; ergo non minus ex sacra scriptura innotescit unum, quàm alterum, & vel non datur de communione laica divinum præceptum, vel datur de illa sub utraque specie: Probatur antecedens, quia locus *Io.* 6. in ly, *Nisi manducaveritis, & biberitis* copulativè exprimit utriusque speciei, idemque *eod. cap.* absolutè repetitur tamquam ad vitam æternam necessarium verbis illis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*: Locus *Luc.* 22. in ly *Hoc facite* denotat id, quod factum fuit à Chtisto, & Apostolis in cæna, Christus autem tunc eucharistiam dispensavit sub utraque specie, & Apostoli, qui tunc non sacerdotes tantùm, sed & laicos repræsentabant, communioneque laica communicarunt, communicarunt sub utraque specie. Confirmatur ex eo, quod idem Christus *Matth.* 26. postquam de communione sub speciebus panis dixit, *Accipite, & comedite*, de eadem sub speciebus vini, subjecit, *Bibite ex hoc omnes*, ubi ly *omnes* videtur sua universalitate omninò complecti etiam eos, qui laicè communicant. Item Paulus 1. *Cor.* 11. copulativè simul, & imperativè dicens, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat* vehementer utriusque speciei sumendæ præceptum, & obligationem insinuat. Sed contrà: Ad sermonem, & verba *Io.* 6. Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 1. omni interpretatione omissa ait, non rectè colligi utriusque speciei communionem à Domino præceptam ex eo, quod *Qui dixit nisi manducaveritis &c. dixit quoque Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum, & qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: dixit etiam: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ecce scilicet (infert Tridentinum) Christus Dominus, dum aliquando utrique speciei panis, & vini, aliquandò vini speciei panis, tribuit spiritualem vitam, & effectum sacramenti, insinuat, se non magis utriusque, quàm unius speciei sumptionem præcipere, sed id relinquere liberum, & ab ecclesia determinandum: optima, & Tridentino digna responsio: Si nihilominus aliquid magis particulare ad singulas auctoritates dicendum sit

113

Ad primam ex *Io.* 6. omissis interpretationibus, aut simpliciter, aut ex suppositione doctrinæ *præced.* §. 3. traditæ, non recipiendis duæ remanent potiores, & meliores: Prima est, quod in conjunctione *&* subintelligatur præcedens negatio, adeò ut sensus sit, *Nisi manducaveritis, & nisi biberitis*, seu *Si neque manducaveritis, neque biberitis*, qua ratione conjunctio æquivalet disjunctioni, & idem est, ac si dicatur, *Nisi manducaveritis, vel biberitis*, quod non est infrequens modo loquendi hebræorum, & scripturæ, ut observat Bellarminus *præcit. lib.* 4. *cap.* 25. & probat aliquibus exemplis, inter quæ illud Petri *Actor.* 3 dicentis *Argentum, & aurum non est mihi*, quæ verba faciunt hunc sensum disjunctivum *Argentum, vel aurum non est mihi*, aut istum alium quasi distributivum, *Neque argentum, neque aurum est mihi*, non verò istum

114

ſitum copulativum *Argentum ſimul, & aurum non eſt mihi*, alioqui hac reſponſione Petrus non eſt benè oſtendiſſet, ſe non poſſe facere pecuniariam eleemoſinam, ad quam certè faciendam non eſt neceſſe, habere ſimul utrumque, argentum, & aurum, ſed alterutrum, ſeu unum, vel alterum disjunctim: Secunda eſt quod ly *Niſi manducaveritis panem, & biberitis*, idem ſit ac *niſi ſumpſeritis*, ubi qualibet autem ſpecie ſumitur, quamvis non propriè ſub qualibet manducetur, & bibatur, caro, & ſanguis, quia ſub qualibet ſumitur totus Chriſtus, juxtà hanc interpretationem præceptum illis verbis expreſſum non cadit ſupra modum ſumptionis per manducationem, & bibitionem, ſed ſuprà rem, & ſubſtantiam, quod ſcilicet ſumatur caro, & ſanguis, ſivè deindè ſub utraque ſpecie, ſive ſub unica; undè etiam non fuit facta utriuſque ſpeciei mentio, dicendo, v. g. *Niſi manducaveritis panem, & biberitis vinum, ſeu calicem*, qua ratione magis urgeretur ſumptio utriuſque ſpeciei, & manducandi, ac bibibendi actus, ut manet Eſtius *præcit. diſt.* 12. § 8. *ad* 5. Verba alia *ex eod. cap.* Ioannis adjuncta, dato quod in ſenſu abſolutè copulativo procedant, nil pro Adverſariis probant, quia non ſunt præceptiva, nec inducunt obligationem, ſed indicant utilitatem, quam tamen non limitant ad ſolam utriuſque ſpeciei ſumptionem, imò eadem utilitas *ibid.* pari loquendi modo tribuitur ſumptioni unius ſpeciei panis, ut perſpicuum eſt ex comparatione, quam nuper *num.* 113. ex Tridentino recitavimus, & ex obſervatione, quam adjecimus, quæque etiam commodè poteſt huc transferri.

115

Ad ſecundam *ex Luc.* 22. juxta doctrinam ſupra traditam §. 3. *num.* 41. admitto illa verba *Hoc facite* &c. fuiſſe in Apoſtolorum perſonis directa non ſolum ad ipſorum in ſacerdotio ſucceſſores, ſed etiam ad laicos, ab ipſis, ut communione laica communicantibus, repræſentatos; admitto conſequenter illis verbis, non ſolum Apoſtolos fuiſſe inſtitutos ſacerdotes, & tùm ipſis, tùm ipſorum in ſacerdotio ſucceſſoribus fuiſſe præceptam conſecrationem, ſumptionem, diſpenſationemque euchariſtiæ, ſed & hujus ſumptionem fuiſſe præceptam laicis; at ſuo modo, & diſtributione accommoda innoteſcente partim ex aliis locis ſcripturæ, partim ex traditione, & declaratione eccleſiæ, ex qua ſicuti conſtat illis verbis, non fuiſſe omnes inſtitutos ſacerdotes, & diſpenſatores euchariſtiæ, ita quoque conſtat, non fuiſſe præceptam, aut ſacerdotibus diſpenſationem, aut laicis ſumptionem ejuſdem ſub utraque ſpecie, licet tunc ſub utraque Chriſtus, ut ſacerdos diſpenſaverit, & Apoſtoli communione laica ſumpſerint. Imò Bellarminus *præcit. cap.* 25. *ad* 3. ex ipſo contextu verborũ Lucæ infert per ly *Hoc facite* non eſſe præceptam diſpenſationem, & conſequenter, nec ſumptionem laicam euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, infert inquam ex eo, quod illud *Hoc facite* ſit poſitum poſt diſpenſatum ſacramentum ſub ſpecie panis, & non ſit deindè repetitum poſt diſpenſatum calicem, ut intelligeremus ex Chriſti præcepto ſuaderi diſpenſationem, & ſumptionem laicam euchariſtiæ ſub ſola ſpecie panis, quàm ſub utraque.

116

Ad duas auctoritates in confirmationem adductas facilior eſt reſponſio: Ad illam ſcilicet *ex Matth.* 26. dico ly *Bibite ex hoc omnes* fuiſſe dictum ſolis Apoſtolis, nam iſti ſoli biberunt, & acceperunt calicem inter ſe dividendum, ut quo ad primum conſtat ex Marci 14. *& biberunt ex illo omnes*, quo ad ſecundum ex Lucæ 22. *Accipite, & dividite inter vos*, & confirmatur ex eo, quod Hetinex *diſp.* 6. *qu.* 3. *nu.* 32. notat in verbis Matthæi pro ly *omnes* Syrum vertere *vos omnes*, ſicque ly *vos* determinat ly *omnes* ad eos ſolos, qui tunc erant cum Chriſto ad menſam. Ad alteram *ex* 1. *Cor.* 11. dico præceptum cadere ſupra probationem communioni præmittendam, non ſupra communionem ipſam, ideò parùm refert, quod hujus ſub utraque ſpecie meminerit, & fortè id præſtitit, quia tunc à Concilijs frequentius ſub utraque ſpecie ſumebatur; cæterùm cùm præmiſerit disjunctionem, dicendo, itaque quicumque manducaverit panem hunc, vbi biberit calicem Domini indignè, apertè inſinuavit etiam unam ſpeciem, vel alteram ſeorſim poſſe ſumi, & pro qualibet ſuam probationem requiri, ne indignè ſumatur.

117

Dices ſecundò, ex veteribus Patribus pro eccleſiaſtica traditione; Poſſunt autem hujuſmodi Patrum teſtimonia ad duas potiſſimum claſſes revocari: Prima ſit eorum, quibus profertur antiqua eccleſiæ praxis de ſanguinis, vel utriuſque ſpeciei ſumptione, & diſpenſatione, ſic Ignatius *epiſt. ad Philadelph.* ait, *Vnum eſſe calicem totius eccleſiæ*, & luculentiùs Chriſoſtomus *homil.* 18. *in* 2. *epiſt. ad Cor.* ſcribit, *Eſt ubi nihil differt Sacerdos à ſubdito, ut quando fruendum eſt myſterijs, ſimiliter enim omnes, ut illa participemus, digni habemur: Non ſicut tempore veteris teſtamenti &c. Sed nunc omnibus, unum corpus proponitur, & unum poculum*. Cyprianus *lib.* 1. *epiſt.* 2. ait, *Quos hortamur ad Martyrium, non inermes relinquamus, ſed protectione corporis, & ſanguinis Chriſti muniamus*. Theophilatus *in* 1. *Cor.* 11. dicit *tremendum calicem Domini cunctis pari conditione traditum eſſe*. Remigius cuidam calici curavit inſculpi, *Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro*. Secunda ſit aliorum, quibus de eadem re præceptum inſinuatur, ſic Cyprianus *libr.* 2. *epiſt.* 3. ait, *in calice Domini ſanctificando, & plebi miniſtrando, tenendam eſſe traditionem evangelicæ veritatis, nec &c. eoſque vehementer errare, qui in adminiſtrando calice, non hoc faciunt, quod Chriſtus docuit*, idem Clarius *ſerm. de cœna Domini*, ſcribit, *lex eſum ſanguinis prohibet, evangelium præcipit, ut bibatur: bibimus autem de ſanguine Chriſto ipſo jubente*. Juſtinus *apologia* 2. *pro Chriſtianis* poſt deſcriptam communionem ſub utraque ſpecie ait, *Apoſtoli in evangelijs ita ſibi Chriſtum præcepiſſe, tradiderunt* Paſchaſius *libr. de corp. Dom cap.* 19. dixit *Nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne*

118

Auctoritates pro eodem præcepto, deducendo ex eccleſiaſtica traditione.

119

jure

jure communicatur. Leo *epist. 4. de Quadragesima* reprehendit eos, *qui Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò inclinant*, Gelasius relatus *in cap.* Comperimus *de consecrat. dist. 2.* occasione aliquorum sanguinem recusantium jubet quod *aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, eo quod divisio unius, ejusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio, nequeunt provenire*. Tandem Concilium Braccarense III. *can. 1.* relatum *in cap.* Cum omne crimen *ead. dist. 2.* statuit *non intinctam calici eucharistiam fidelibus porrigendam esse, sed utramq; speciem seorsim juxtà Christi institutionem*. Sed contrà.

120 Ad primam testimoniorum classem dico, nos libenter admittere in primitiva ecclesia aliquem usum dispensandi, etiam calicem, huncque simul cum pane sumendi cõmunione laica, at negamus talem usum fuisse ex præcepto, aut universalem, & ab omnibus diu observatum; illud autem non istud probant primæ classis testimonia, utpotè, quæ nil continent, quod aut indicet præceptum, aut excludat omnem usum sumendi aliquandò solum panem. In particulari deindè ad Ignatium dico, aliud esse, quod unus sit totius ecclesiæ calix, aliud quod tota ecclesia debeat de illo bibere, satis est, quod quicumque bibunt, de uno calice bibant. Ad Chrysostomum dico, nihil differre sacerdotem à subdito, quatenus ab utroque sumitur totus Christus, & omnibus unum corpus, & unum poculum, idest unus sanguis (sumpto continente pro contento) proponitur, ut sumatur autem totus Christus, non est necesse, quod sumatur utraque species, ideò &c. Ad Theophilactum dico loqui de pauperibus, & divitibus, quibus dicit Christi calicem esse pari conditione traditum: ut nunc verificatur in sacerdotibus, & verificabatur etiam in laicis, quando ipsis dabatur; at hinc nihil contra nos. Ad Cyprianum, & Remigium applico responsionem universalem mox præmissam.

Ad secundam testimoniorum classem, dico ea, quæ verè continent præceptum bibendi sanguinem, ad sacerdotes refert, non ad laicos; & aliud esse, quod tale præceptum sit ecclesiæ impositum, aliud quod afficiat omnia ecclesiæ membra, sic ad sa-

121 cerdotes potest opportunè referri illud Cypriani desumptum *ex serm. de Cœna Domini*: Illud aliud desumptum *ex lib. 2. epist. 3.* non pertinet ad rem præsentem, agit enim ibi Cyprianus contrà Acquarios, & solum intendit, quod si calix plebi ministretur, ministretur ex vino aquæ mixto, non ex aqua sola. Ad Justinum, dico, ipsum immediatè ante verba relata loqui de consecratione sub utraque specie, quam verissimum est Christum Apostolis præcepisse. Ad Paschasium, sensus ipsius est, ex parte Christi, & rei contentæ, non jure communicari carnem, sine sanguine, nec loquitur quidquam de symbolo, seu speciebus continantibus. Ad Leonem, dico, ipsum repræhendere quosdam, qui more Manichæorum abstinebant à Christi sanguine; & speciebus vini, eo quod arbitrarentur, vinum esse malam creaturam à principio malo creatam, & Christum assumpsisse corpus phantasticum, sine sanguine. Ad Gelasium D. Thomas *qu. 80. art. 12. ad 1.* ait ipsum loqui de Sacerdotibus sacrificantibus; qui verò eumdem intelligunt etiam de laicis communicantibus, dicunt ipsum, utpote Leone posteriorem, ad abolendum id, quod Leo repræhenderat, & depræhendendos Manichæos jussisse, quod aut utraque, aut neutra species daretur ijs, qui erant de prædicto errore suspecti, relinquendo cæteris liberam abstinentiam à calice, & dispensationem, communionemque sub sola specie panis, ut notat Herinex *disp. 6. quæst. 3. nu. 35.* Tandem ad Concilium Bracearense, dico aliud esse, quod absolutè debeant sumi corpus, & sanguis, unum seorsim ab alio, aliud, quod unum debeat sumi seorsim ab alio ex suppositione, quod utrumque sumatur; illud, non istud nobis officeret; & istud, non illud à Concilio statuitur, ideò &c.

Aliàs, tùm pro relatis auctoritatibus responsiones, tùm eum suis responsionibus auctoritates, egregijs etiam observationibus illustratas, latè proferunt Bellarminus *præcit. lib. 4. cap. 26.* & Valentia *præcit. punc. 5. §. 9.* Quo ad observationes est etiam accuratus, licet non ità latus Estius *præcit. §. 8.* ex quibus alijsue cõsultat, quem voluerit, quisquis non est nostra brevitate contentus.

122 Assert. 2. Ex jure ecclesiastico, seu ex Ecclesiæ auctoritate nihil fuit ab initio Christianæ religionis determinatum, de communione laicâ facienda sub duplici specie, vel sub unicâ, & aliquamdiù viguit aliqua utriuslibet communionis consuetudo: Progressu temporis magis invaluit consuetudo communicandi sub sola specie panis: & hanc ecclesia in aliquibus Concilijs ex potestate, quam perpetuò ad id habuit, pro lege habendam decrevit; Sicque cæpit præceptum ecclesiasticum de communione laica facienda sub unica, eaque panis specie. Hoc assertum valde consequitur ad præcedens, & traditur ferè totum, ac terminis parùm diversis in Tridentino *sess. 21. cap. 2.* ex quo certum redditur, & vix alia indigens probatione, nihilominùs quò ad duo præcipuè, in quibus Sectarij vehementiùs reclamant, expedit ipsum non improbatum relinquere. Primum est, quod ab initio Christianæ religionis viguerit aliqua consuetudo communicandi, etiam sub unica, & sola specie panis, nam consuetudo communicandi sub utraque à Sectatijs ipsis major, quàm fuerit & prætenditur, & quod aliqua verè extiterit ex auctoritatibus in præcedente instantia adductis, satis, superque innotescit. Secundum est, quod ecclesia perpetuò habuerit veram, & legitimam potestatem præcipiendi, ac per consequens verè, & legitimè præceperit, communionem laicam debere sub unica, eaq; panis specie fieri.

123 Probatur assertum quò ad primum, incipiendo ab Apostolorum temporibus, in quibus de fidelibus recens conuersis, & bap-

tizatis

Ab initio Christianæ religionis fuit aliqua consuetudo communionis sub unica specie, præsertim panis; at non præceptum.

tizatis *Act.*2. dicitur *Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Item *cap.* 20. Lucas Actorum Scriptor de se, & aliis Paulum comitantibus ait *Unâ autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat*; quo utroque loco à SS. Patribus magis communiter panis eucharisticus intelligitur, adeò ut panis fractio, & panem frangere ad Eucharistiæ usum referatur Lucâ, Pauli discipulo, loquente, juxtà phrasim sui Præceptoris, qui 1. *Cor.*10. scripsit *Panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini est?* Ecce ipso Apostolorum tempore Eucharistiam aliquando sumptam sub solâ specie panis. Post id tempus deindè perseverasse aliquem similis sumptionis usum, colligitur ex multis antiquissimis ritibus, quorum primus fit, quod in feriâ sextâ Parasceves Sacerdos in solâ specie panis communicat, quæ consuetudo, cum non constet, quando cœperit, censetur ex apostolicâ traditione provenire, ut monet Valentia *præcit. punc.*5. §.8. *Versic. Sextò ex apostolicâ.* Secundus, quod etiam ante Nicænum Concilium Eucharistia pro infirmis, & in articulo mortis communicandis diù servabatur, & aliquando sub solâ specie panis, nam quod non semper sub hâc solâ, sivè pro infirmis, sivè aliis ex causis servaretur, præsertim, quando non diù, referunt ex variis veterum auctoritatibus Valentia *eod.* §. 8.

124 *Versic. Neque tamen negamus*, & Sylvius *hic quæst.*80. *art.*12. Tertius, quod olim ad cõmunionem accedentibus, Eucharistia dabatur viris in manus nudas, fœminis in easdem candido linteolo coopertas, quin & ob persecutiones, non permittentes liberum ad Sacerdotes accessum, concedebatur aliquando domum deferenda, servanda, & sumenda in opportunitatibus, quod utrumque in speciebus vini difficilius fieri potuisset. Plures alios non admodum dissimiles ritus, sicut, & casus particulares Eucharistiæ, aliquando antiquitus sumptæ sub unicâ vini specie, recitant passim Auctores, maximè verò Valentia mox *cit.* §. 8. & Bellarminus *præcit. lib.* 4. *cap.* 24. ubi etiam rejiciunt aliquas Sectariorum evasiones, & contrà istos Bellarminus à primitivâ Ecclesia per aliqua subsequentia sæcula ex Sanctorum Patrum auctoritate discurrit, saltem verò ab octo postremis sæculis viguisse in aliquibus Ecclesiis, & signanter in Romanâ, sine aliarum contradictione, usum communionis laicæ sub unicâ, eâque panis specie. tradit *Versic. Quinta Ratio, & Versic. Ordo Romanus.*

125 Probatur assertum, quo ad secundum rationem, quam Tridentinum *præcit. cap.*2. desumit ex universali Ecclesiæ potestate, ad statuenda, vel mutanda in sacramentorum dispensatione ea, quæ salvâ illorum substantia, ipsorum venerationi, vel suscipientium utilitati, pro rerum, temporum, & locorum varietate, judicaverit, magis expedire; atqui præceptum, ac decretum, communicandi sub unicâ, eâque panis specie potiùs quam, aut sub utraque, aut sub specie vini, non destruit, nec mutat Eucharistiæ substantiam, & aliundè habuit Ecclesiâ congruentissimas rationes, & causas judicandi, quod ipsius Eucharistiæ venerationi, & suscipientium utilitati expedierit, ità præcipere, & decernere; ergo Ecclesia habuit veram, & legitimam potestatem ità præcipiendi, & decernendi. Minor quo ad primam partem constat ex eo, quia Eucharistiæ substantia est tota permanens, nec per usum, qui est transiens, destruibilis, aut mutabilis, ad usum autem præcisè pertinet, quod communio sub hâc, aut illâ, aut sub utrâque specie fiat; præceptum igitur communicandi sub unicâ, eâque panis specie, non versatur circà eucharistiæ substantiam, adeòque hanc, nec destruit, nec mutat. Eadem minor quo ad secundam partem probatur, afferendo rationes, & causas pertinentes, tùm ad sacramenti venerationem, tùm ad suscipientium utilitatem, cui utrique melius consulitur per communionem sub solâ specie panis, quàm sub specie vini, aut sub utrâque.

Potuit Ecclesia communionem sub sola specie panis præcipere, & sub specie vini prohibere.

126 Melius consulitur venerationi sacramenti, quod sub speciebus vini, non solum difficile potest, pro infirmis, aut aliis, diù asservari, absque eo quod speciebus corruptis desinat sacramentalis præsentia, sed & in quolibet solemniore, præsertim verò paschali ministerio, difficile potest dispensari, sine periculo effusionis, & dispersionis alicujus guttæ, postquam valdè crevit fidelium communicantium multitudo, & decrevit, tùm eorumdem, tùm ministrorum dispensantium devotio, attentio, & solicitudo, in sumptione, & dispensatione; periculum autem corruptionis, aut effusionis specierum est maximè contrà venerationem sacramenti, ob quam, ut ex Tertulliano Origene, & aliis ostendit Bellarminus *præcit. cap.* 24. *Versic. Primum incommodum* Ecclesia semper diligentissimè cavit, ne aliquid specierum consecraratum in terram decideret, aut aliter deperderetur. Alia etiam ex occasione sanguinis dispensandi inconvenientia irrepserant contrà venerationem sacramenti, quandoque enim, ut ex Concilio Basileensi, refert Amicus *disp.*29. *num.* 100. deficiente vino consecrato, vel pro isto porrigebatur non consecratum, vel consecrabatur de novo solus calix.

127 Melius item consulitur utilitati suscipientium, quia sub solâ specie panis, facilè ab omnibus sumitur sacramentum, non sic sub specie vini, propter abstemios, qui ità à vino abhorrent, ut vix, aut ne vix quidem possint illud haurire, imò odore ipsius valdè offendantur; item propter aliquas regiones, in quibus ingens est cõmunicantium numerus, & tamen nec vinũ habent, quod in proprio solo nascatur, nec quod cõmodè possit aliũde asportari, & asportatũ asservari in copia sufficiente, populorũ cõmunicãtiũ multitudini, & hæc ratio post populorũ Aquilonariũ cõversionẽ cœpit magis urgeri. Nec debuit Ecclesia, aliis utramq; speciem sumentibus

 per-

permittere, aut abstemiis, aut incolis Regionum, vini defectum patientium, communionem sub solâ specie panis; posset enim hoc obesse unitati fidei, & mutuæ charitatis, quæ tamen maximè in ipso eucharistiæ sacramento commendatur.

128 Hisce rationibus, & motivis aliud accessit, ex erroribus processu temporum exortis, circà Eucharistiæ usum, puta, quod non sumatur sub qualibet specie totus Christus, quod sit de necessitate præcepti divini utriusque speciei sumptio; quod sumptio solius speciei panis ad salutem non sufficiat, quæ, & id genus alia pessima dogmata, non poterant melius, præsertim in plebe, extirpari, quam facto, & praxi eis contradicendo, percipiendo scilicet, & exercendo eucharistiæ in laicis usum sub unicâ specie, eâque panis, sub specie verò vini prohibendo, quod primò præstitit Concilium Constantiense *sess.* 13. & Martinus V. in epistolâ ad Concilium missâ: Deindè Basileense *sess.* 30. Postremo Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. ubi, & præceptum confirmat, & declarat, ipsum ex legitimâ potestate processisse, nec posse mutari sine auctoritate Ecclesiæ, aut Pontificis, in quem idem Concilium *sess.* 22. in fine refert integrum negotium concedendi calicis usum alicui nationi, vel Regno, quæ concessionis facultas, in Constantiensi videbatur, ex parte relinqui Episcopis, aliisque majoribus Prælatis, & personis insignioribus, ut satis apertè declarat Thomas Valdensis *tom.* 2. *cap.* 24. relatus à Valentiâ *præcit. punc.* 5. §. 10.

Idque præstitit in Conciliis Constantiensi, Basileensi, & Tridentino.

129 Dices cum Sectariis: Ecclesia non potest aliquid præcipere contrà factum Christi; contrà naturam, aut saltem integritatem, item contrà finem Sacramenti; contrà jus divinitùs concessum fidelibus, contrà majorem securitatem salutis, & abundantiorem gratiam eorumdem; atqui communio sub solâ specie panis est contrà factum Christi, contrà naturam, aut saltem &c. quia eucharistiæ sacramentum de facto fuit à Christo sub utrâque specie dispensatum; utraque specie, tamquam duplici parte saltem integrali constat, & componitur, nec integrum sub unicâ specie suscipitur; habet pro fine perfectam animi refectionem, quæ solo cibo, & solâ panis specie non obtinetur; securius ad salutem perducit, & abundantiorem gratiam confert, sumptum sub utrâque specie, quam sub unicâ; ergo Ecclesia non potest, nec potuit communionem sub unicâ, eâque panis specie præcipere. Sed contrà:

130 Ad primum, nequit Ecclesia præcipere aliquid contrà factum Christi, quod sit simul præceptum à Christo, aut pertineat ad sacramenti substantiam, secùs si sit circumstantia accidentalis, relicta pro locorum, & temporum varietate, in ipsius Ecclesiæ arbitrio, ut est dispensatio à Christo facta sub utrâque specie. Ad secundum, utraque species pertinet ad naturam, aut saltem integritatem Eucharistiæ, non ut sacramentum, sed ut sacrificium, ut tradidimus *lib. præced. cap.* 8. §. 1. ferè per totum, maximè verò *num.* 28. in quo expressè admisimus hostiam sine calice, & calicem sine hostiâ, esse sacramentum formaliter, ac propriè integrum, & totale. Ad tertium, *eod.* §. 1. *nu.* 20. attigimus, quomodò in qualibet specie salvetur perfectio, & integritas refectionis, seu convivii spiritualis. Ad quartum; Habuerunt fideles à Christo permissionem, at non jus communicandi sub utrâque specie, imò illam non habuerunt absolutam, sed cum dependentiâ ab Ecclesiâ, in cujus potestate, & arbitrio relictum est statuere communionis modum, quo ad speciem unam, vel alteram, vel utramque. Ad quintum, cum de fide sit, alterutram speciem ad salutem sufficere, non est major securitas salutis in utriusque, quam in alterutrius speciei sumptione. Ad sextum *ex seq. cap.* 5. §. 5. innotescet, cæteris paribus, non conferri majorem gratiam per duplicem speciem, quam per unicam; ideò obligatio communicandi sub unicâ, nullum affert fidelibus abundantioris gratiæ detrimentum. Tandem instantia, ferè quo ad omnes suas partes, eluditur, ex eo quod, ferè quo ad omnes, nimis probet, probat enim communionem sub unicâ specie, esse simpliciter illicitam, & non solùm præcipi, sed nec permitti umquam potuisse ab Ecclesia, cujus tamen oppositum, etiam primis sæculis, ipsoque Apostolorum tempore licitum, permissum, & consuetum fuisse, tùm sæpiùs sub solâ specie panis, tùm aliquando sub solâ specie vini constat *ex præced. num.* 123. & 124.

131 Dubitatur hic primò: Utrùm possit à Summo Pontifice concedi, aut fuerit de facto aliquibus concessa facultas sumendi cōmunionem laicam sub utrâque specie: Respondetur affirmativè quo ad utrumque; & quo ad primum quidem, affirmativa responsio evincitur, tùm ex dicendis pro secundo, tùm ex Tridentino expressè id referente in Summum Pontificem, ut retulimus *præced. num.* 128., & ratio à priori est, quia sicut, ut totius Ecclesiæ caput, habet potestatem, ac jus ad condendas leges ecclesiasticas, ità & ad easdem jam conditas dispensandas justis de causis. Neque dicas, legem communicandi sub solâ specie panis, esse aliquo modo divinam, quia provenit ex potestate, quam Christus Ecclesiæ commisit, relinquendo in ejus arbitrio, determinare communionem, faciendam sub utrâque specie, vel sub alterutrâ; quâ ratione suprà *num.* 103. dicebamus esse aliquo modo divinum, præceptum communicandi in paschate, eo quod proveniat à potestate, quam Christus Ecclesiæ commisit, pro determinatione temporis, communicandi aliquoties in vitâ. Contrà enim, admitto paritatem, at dico in hujusmodi legibus solum arguitivè, indirectè, & ex potestate cōmissariâ divinis posse Summum Pontificem dispensare, residet quippè in ipso tota Ecclesiæ potestas, adeoque etiam illa, quæ Ecclesiæ competit ex Christi commissione, si

Potest Summus Pontifex dispensare in præcepto communionis sub sola specie panis.

igitur

igitur per hanc potestatem facta est ab Ecclesiâ determinatio communionis laicæ in Paschate, & sub unicâ specie, Summus Pontifex per eamdem, quâ gaudet, potestatem, potest utrumque variare, & dispensare, præsertim cum aliquibus.

132 Quo ad secundum, eadem affirmativa responsio, non aliter probanda est, quàm afferendo exempla talis facultatis à Pontificibus concessæ, ex quibus aliqua sunt vetustiora, & de concessionibus factis, quando jam quidem in multis Ecclesiis invaluerat consuetudo communionis sub unicâ specie, at nondum emanaverat ullum ipsius præceptum, nec dum eruperat in Boemiâ Petri Dresdensis, & Jacobelli Misnensis error, de necessitate utriusque; Sic Clemens VI. circà annum 1341. concessit Philippo Valesio Galliæ Regi, ejusque Successoribus usum calicis pro libito, quamvis reste Spondano in Auctario ad ann. 1347. tali concessione uterentur, aut etiam nunc utantur solum bis, idest in propriâ unctione, seù consecratione, & in mortis articulo: Imperator quoque (nescio, utrùm ex alicujus Pontificis concessione, an dumtaxat ex antiquissimâ consuetudine?) in propriâ coronatione, sanguinem sumit: Est similiter antiquissima consuetudo, qua Summus Pontifex solemniter celebrans Diaconum, & Subdiaconum sibi inservientes dispensat, ut aliquid sanguinis de calice à se consecrato sumant, & calamo sugant. Eumdem ritum Diaconi, & Subdiaconi, sanguinem in missâ solemni sumentium, viguisse olim, & vigere hodie, tùm in Monasterio Cluniacensi, tùm in Regio Conventu S. Dionysii propè Parisios, in illo, pro certis quibusdam festivitatibus, in isto, pro singulis diebus Dominicis, & festis solemnioribus, memorat Macedo in scholis theologiæ positivæ *Scholâ 10. cap. 7.* in fine. Aliqua alia ejusdem

Exempla concessionum, seù dispensationum de munionis sub utraque specie.

133 concessionis exempla sunt recentiora, & posteriora Concilii Constantiensis præcepto, & Bohemorum errore; Sic de Martino V. ex Concilio Constantiensi, cui præfuit, reverso sub utrâque specie Romæ communicasse, fortè ut quasi eum honore hunc ritum in Ecclesiâ Latinâ sepeliret, narrat ex Henrico Kaltaisen Lindanus *lib. 4. cap. 56.* Concilium item Basileense, & posteà quoque Paulus III. concessit communionem sub utrâque specie Bohemis, eâ conditione, quod faterentur, licere sub unicâ, & contineri sub alterutrâ totum Christum, ut de Concilio Basileensi testatur Æneas Sylvius in historia Bohemicâ *cap. 52.* Lego insuper apud Amicum *disp. 29. num. 93.* concessum esse privilegium utriusque speciei omnibus, etiam privatis personis, communicantibus in Oratorio Ducis Bavariæ: Quæ nobis abundè sufficiunt ad probandum, quod intendimus, fortè alia id genus exempla non deerunt apud Auctores, quos citat Macedo *præcit. cap. 7.*, & Suarez *disp. 71. sec. 3.*

Dubitatur secundò, An in aliquibus casibus sine ulla Pontificis concessione licitum sit communione laicâ sumere, aut utramque speciem, aut solum sanguinem? Respondetur, in nullo casu licere propter solam utilitatem, aut necessitatem, se tenentem ex parte sumentis, licere verò in aliquo propter necessitatem, se tenentem ex parte ipsius sacramenti. Prima responsionis pars est contrà Amicum *præcit. disp. 29 num. 103.* & Gonetum *disp. 9. art. 3. num. 81.* excipientes casum, quo infirmus existens in lethali, non aliter quàm per sanguinis sumptionem, possit gratiam comparare: Secunda est contrà Sotum *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 6.* docentem, nequidem ad vitandam irreverentiam sacramenti, licere laico sanguinem sumere utraque pars est Suarii *præcit. disp. 71.* in fine. Vasquii *disp. 216. cap. 4. num. 47.* & aliorum.

134

Probatur responsio quo ad primam partem, quia sacramentum Eucharistiæ, cum non sit simpliciter de necessitate salutis, non est sumendum propter utilitatem, necessitatemvè sumentis, nisi servatis ritibus, & legibus ab Ecclesiâ præscriptis, qualis est lex jejunii, lex non consecrandi sine sacris vestibus, & post Concilium Constantiense, multoque magis post Tridentinum, lex communionis laicæ sub solâ specie panis. Nec subsistit casus ab Amico, Goneto, aliisque nonnullis exceptus, nam, præter quod falsum est, aut saltem valdè incertum, eucharistiam posse umquam, etsi per accidens, conferre primam gratiam, nequit moraliter evenire, quod, aut pro infirmi communione reperiatur dumtaxat calix, non panis consecratus, aut de illo tantùm, non de isto, possit infirmus sumere, cum nunc panis, non calix asservetur, & quisquis potest, aliquid vini consecrati sumere, possit pariter deglutire modicissimam panis consecrati particulam, aquæ, aut vino non consecrato infusam: Et quando tandem casus eveniret, esset adeò extraordinarius, & singularis, ut propter ipsum, non videretur facienda exceptio, & interpretatio legis, ne aperiretur via interpretationis ampliendæ, & extendendæ ad casus, non ità singulares.

Sine dispensatione numquam licet laico sumere solum sanguinem, aut utramque speciem, ob necessitatem propriam præcisè.

135 Probatur responsio quo ad secundam partem, quia ratio legis interdicentis laico calicem, fuit maximè reverentia sacramento debita urgente igitur necessitate, se tenente ex parte sacramenti, idest reverentiæ ipsius, cessat illius legis obligatio, & confirmatur ex eo, quod in simili casu cessant obligare, lex jejunii lex præmittendæ confessionis, & aliæ hujusmodi: Sine ullâ igitur Pontificis dispensatione licitum est laico, sanguinem sumere, quando deficiente Sacerdote, qui sumere, & consumere possit, imminet ei periculum effusionis, corruptionis, injuriæ ab hæreticis, aut alterius irreverentiæ: In hisce casibus, si adesset laicus infirmus, & aliundè viatico carens, facilè concederem cum Goneto *præcit. num. 81.* ab eo potius, quàm ab alio quocumque laico, fore sanguinem sumendum, at adhuc potior ratio licitè sumendi, non esset necessitas, & utilitas ipsius, sed necessitas, & reverentia sacramenti.

Benè verò ob necessitatem ipsius sacramenti.

Dubitatur tertiò: Utrùm ubi permiſſa eſt, aut conceſſa communio ſub utrâque ſpecie, is, qui nequit ſub utrâque communicare, teneatur in caſu neceſſitatis, puta in paſchate; aut in mortis articulo, communicare ſub alterutrâ; ſub ſolâ ſcilicet ſpecie panis, in impotentiâ communicandi ſub ſpecie vini; ſub ſolâ ſpecie vini, in impotentiâ communicandi ſub ſpecie panis.

136 Quo ad primum, non videtur, poſſe controverti pars affirmativa, quia ubi permittitur, aut conceditur utraque ſpecies, adhuc omninò credendum eſt, communionem ſub ſolâ ſpecie panis eſſe licitam, & privilegium utriuſque nihil detrahit, de obligatione ſumendi ſpeciem panis, ſed ſolùm addit facultatem ſumendi ſimul illam vini; quando igitur hæc facultas nequit exerceri, prior obligatio remanet in ſuo robore, niſi fortè obſtet ſcandalum puſillorum, aut alia ſimilis ratio extrinſeca. Quo ad ſecundum, non deeſt ratio dubitandi, quia ſumptio ſpeciei vini, in nullo caſu licet, ſine conceſſione, & privilegio; privilegium autem non inducit obligationem, & nullus tenetur, eo uti; Qui igitur habet priuilegium ſumendi ſpeciem vini ſimul cum ſpecie panis, dato, quod hâc deficiente, & urgente neceſſitate communionis, dato, quod poſſit ſumere ſpeciem vini ſolam, ſi velit, ad id non tenebitur, alioqui teneretur uti proprio privilegio:

137 *Qui habet priuilegiū ſumendi ſanguinē, tenetur ipſum ſumere in articulo mortis, ſi non poſſit aliter communicare.*

Nihilominus cum Amico *præcit. num.* 103. cenſeo, quod ſaltem in articulo mortis teneretur, quia ex unâ, quod nullus teneatur uti privilegio, procedit ad ſummum de privilegio perſonali, ſeù conceſſo propriæ perſonæ, non de conceſſo communitati, cui poteſt ipſa ſola cedere: Ex aliâ parte, præceptum communicandi in articulo mortis, eſt ſecundum ſe divinum, & quâ tale non eſt determinatum ad ſpeciem panis, magis quàm ad ſpeciem vini, ceſſante ex privilegio

138

139 prohibitione Eccleſiæ de hâc ſumendâ, debet ex divini præcepti obligatione in articulo mortis ſumi, quoties ſpecie panis deficiente, nequit aliter præceptum impleri.

§. VII.

Utrùm ſit, vel fuerit aliquando ſub præcepto Communio quotidiana: Et quid de eâ conſulendum?

140 ASſert. 1. In primitivâ Eccleſiâ viguit aliquamdiù communionis quotidianæ conſuetudo: At de eâ non eſt, nec fuit umquam præceptum divinum; non eſt item, nec ſatis conſtat ab initio fuiſſe præceptum Eccleſiaſticum. Aſſertum quoad primam partem eſt receptiſſimum, quo ad ſecundam omnino certum, ſolum quo ad ultimas particulas tertiæ habet Adverſarios Alenſem *4.part.quaſt.*11.*memb.*2.*art.*4.§.1. Richardum *in* 4.*diſt.*12.*art.*6.*quaſt.*1. Vaſquium *hic diſp.*214.*cap.*3. *num* 28. Valentiam *diſp.*6. *quaſt.*8.*punc.*4.*Verſic. Nam initio*, & alios pro ſe afferentes D. Thomam *qu.*80.*art.*10.*ad* 5. ubi tamen non facit præcepti mentionem, ſed ſtatuti, cujus nomine venire poteſt etiam regula purè directiva per modum Conſilii, ut occaſione non diſſimili dicebamus ſuprà *num.* 60. Porrò aſſertum, etiam quo ad ultimas particulas, docent Bellarminus *lib.*2 *de Miſs. cap.*10.*ad* 8. Suarez *diſp.* 69.*ſec.* 3. §. *Ad ſecundum*, & *diſp.*70. *ſec.*2. in principio. Amicus *diſp.* 29. *num.*24.

141 *In primitiva Eccleſia viguit aliquamdiù communio quotidiana.*

Probatur prima pars ex illo Act. 2. *Erant perſeverantes in doctrinâ Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, ubi ut dicebamus *num.* 123. Communicatio fractionis panis, uſum Euchariſtiæ denotat, erat autem quotidiana oratio, & doctrina, in quâ perſeverabant, ergo erat pariter quotidiana communicatio fractionis panis, ſeù communio euchariſtica: Unde, & paulo poſt dicitur *Quotidiè quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circà domos panem, ſumebant cibum* &c. ubi ly *frangentes panem* rectè poteſt, etiam de pane euchariſtico, intelligi, quamvis non ità certum ſit, debere intelligi de ipſo ſolo Confirmatur, ex eo, quod in primitivâ Eccleſiâ, aliquamdiù viguit conſuetudo, quod omnes fideles in miſsâ, quam audiebant communicarent, ſolebant autem, quotidiè miſſam audire, ergo, & quotidiè communicare: Habemus præterea hujus conſuetudinis teſtimonia ex Sanctis Chryſoſtomo, Hieronymo, Baſilio, & Auguſtino, locis relatis à Suario *præcit.* 69.*ſec.* 3. & 4. Ac tandem eam ad minus evincunt, quæ pro communionis præcepto afferuntur, & nos etiam attigimus *ſeq. num.* 144.

142 *At numquam fuit ex præcepto, ſeù jure divino.*

Probatur ſecunda pars, quia ex nullis Chriſti verbis, ex nullo Scripturæ textu erui poteſt divinum de quotidianâ communione præceptum, imò, ex eo quod *præced.* §.3. *nu.*50. & 54. diximus, divinum communicandi præceptum obligare aliquoties in vitâ, at indeterminatè, & tempore ab Eccleſiâ determinando, ſequitur apertè, non obligare quotidiè, ſeù quolibet die: Hoc idem vehementiſſimè ſuadent rationes, quibus mox oſtendemus, non eſſe omnibus juſtis indifferenter conſulendam quotidianam communionem, multo minus igitur fuit omnibus præcipienda, præſertim præcepto divino, de quo nec convenienter diceretur, ità parùm duraſſe, ut de facto duravit uſus quotidiè communicandi, nec ullâ probabilitate divinaretur, quâ auctoritate ceſſaverit, aut abrogatum fuerit. Tandem nullum de hoc reliquit ambigendi locum decretum, quod nuper annuente Sanctiſſimo D.N. Innocentio XI. ſub die 12. Februarii 1679., circà communionem quotidianam, edidit Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, inter alia diſtrictè mandans, quod *Epiſcopi, & Parochi, ſeù Confeſſarii redarguant aſſerentes communionem quotidianam eſſe de jure divino.*

143 Probatur tertia pars, quæ quatenus aſtruit

Nec item ex præcepto ecclesiastico.

astruit, non esse, seù non vigore de facto, nec fuisse multo ab hinc tempore, & signanter à tempore Fabiani imò Pii I. præceptum ecclesiasticum de communione quotidianâ constat ex dictis *num.* 60. & 61.; aliquam verò difficultatem patitur, quatenus procedit de tempore Apostolorum, & nascentis ecclesiæ, usque ad Anacletum, qui Clementi succedens fuit IV. post D. Petrum Pontifex; & cap. *Episcopus* de Consecrat. *dist.* 1. item cap. *Peracta*. dist. 2. refertur ità decrevisse *Peractâ consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus, sic enim, & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia*, ubi per ly, *& Apostoli statuerunt* videtur alludere ad Canonem decimum Apostolorum, in quo ità habetur *Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, & convenit communione privari*; in quo utroque decreto pœna eliminationis ab Ecclesiâ, & privationis communionis, præceptum denotat, & in quotidianæ communionis omissione, præcepti transgressionem supponit, nec remanet locus dicendi, quod sint decreta continentia consilium, & regulam directivam.

144 Nihilominùs Anacletus *epist.* 1. ex quâ relata verba desumpta sunt, solum loquitur de Clericis, qui Episcopo in diebus solemnibus celebranti solemniter ministrant, nec per ly *Et Apostoli statuerunt* alludit ad canonem decimum recitatum, sed ad canonem eorumdem Apostolorum nonum, in quo habetur *Si quis Episcopus, aut Clericus, aut Diaconus, vel quilibet ex sacerdotali cathalogo, factâ oblatione non communicaverit, aut causam dicat, ut si rationabilis fuerit, veniam consequatur, aut si non dixerit, communione privetur*. Porrò canon decimus præmemoratus non eliminat ab ecclesia omnes non communicantes, sed nonnullos, qui ex certâ quadam superstitione abstinebant à sumendâ communione cum reliquis, ut explicat Concilium Antiochenum *can.* 1. Deindè ad summum procederet de omnibus non communicantibus, ex suppositione, quod fuerint ecclesiam ingressi, ex quo non infertur præceptum quotidiè communicandi, cum aliundè, nec fuerit præceptum quotidiè ecclesiam ingrediendi.

145

Sed solum ex fervore devotionis & ex hoc.

Ex nullo igitur capite satis constat, ecclesiam aliquando præcepisse quotidianam communionem, nec ex ullâ divini, aut ecclesiastici juris obligatione, sed ex propriæ devotionis fervore, fideles ab initio consueverunt, quotidiè communicare, ad quod tunc, sicuti erant pauciores, & Deo ac, ad invicem conjunctiores ità facilius poterant paratiores semper esse, ac devotiores; disponebantur etiam jugiter per ipsas gentilium persecutiones, & propter imminentia ex istis mortis pericula indigentiores reddebantur: Insinuo hic obiter, quod sicut in prædictâ devotione, & conjunctione cum Deo, B. Virgo procul dubio excelluit, ita non videtur dubitandum, quin post institu-

Communicavit quotidiè B. Virgo.

tum sacramentum usque ad mortem quotidiè communicaverit, ut probabile putat Amicus *hic disp.* 28. *num.* 16.

Assert. 2. Non fuit umquàm, nec est de facto ullum præceptum quotidianam communionem prohibens, ob solam ipsius communionis frequentiam. Ita omnes communiter, nec scio aliquem adversari.

146

Communio quotidiana numquàm fuit prohibita ob solam frequentiam

Probatur facilè, non solùm ex eo quia, nec potest afferri ullus sacer textus, in quo præceptum divinum, nec ullus canon in quo præceptum ecclesiasticum quotidianam communionem prohibens, sed etiam quia ab initio viguit in omnibus fidelibus consuetudo quotidiè communicandi, & posteà, quàmvis non perseveraverit in omnibus, perseveravit semper in aliquibus majori devotione, & sanctitate prædictis, & de quotidiano communionis usu laudatis, utpotè qui secundum se melior est, ac perfectior usu rariore, & non solum numquam hucusque prohibitus, sed nec umquàm imposterùm verisimiliter prohibendus, cum, ut refertur in decisionibus Rotæ, *volum.* 4. Congregatio Cardinalium mense Januario anni 1587. super illud Tridentini *sess.* 22. *c.* 6. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent*, ità decreverit *Obstat Concilium Tridentinum Episcopo volenti præscribere certa tempora, ut dies dominicos, quartam, & sextam feriam, quibus tantum liceat viris laicis, conjugatis, negotiatoribus, & mulieribus etiam non conjugatis sanctissimam Eucharistiam sumere; etiam ob irreverentiam, quam potest quotidiana hujus sacramenti sumptio in suâ Diœcesi parere*. Favet huic intento recens decretum, cujus meminimus *praced. num.* 142. & in quo inter alia habetur, *Nihil certi de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis usu, potest constitui*.

Imò jam Concilium Tridentinũ obstat tali prohibitioni.

147

Dices: Si non esset prohibita communio quotidiana, nulla esset dies, in quâ non liceret laicis, sumere; Sacerdotibus, dispensare eucharistiam; atqui non licet in feria sextâ Parasceves, de quâ cum alias dubitatum fuerit, Gavantus in Rubricas Missalis *part.* 4. *tit.* 9. *num.* 25. refert, Sacram Rituum Congregationem, sub die 9. Maii; anni 1606. respondisse, *servandam esse universalis ecclesiæ præsentem consuetudinem, non ministrandi, nisi infirmis, hâc die eucharistiam*, quod nuper confirmatum videtur decreto præmemorato *num.* 142. in quo habetur de Episcopis, & Parochis: *Curent etiam, ut circà communionem in feriâ sexta Parasceve Missalis Rubrica, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur*, in Rubricâ autem Missalis, tantũ de infirmis fieri mentionem, & valdè antiquis temporibus Romanos in tali feriâ communicare, non consuevisse ex Augustino, & Innocentio, tradit Gavantius *præcit. num.* 25. ergo. Sed contrà: licèt Ordo Romanus in officio Parasceves, circà finem dicat *Communicent omnes cum silentio*, & ideò nequidem

in

in feriâ sextâ Parasceves vetitam esse, aut illicitam laicis communionem, doceant Durandus, Amalarius, & alii apud Sylvium *hic quæst.* 80. *art.* 10: licèt, inquam, hæc ità sint, & fortè etiam aliquando fuerint in usum deducta, cum tamen jam usus contrarius, Congregationum decretis firmatus invaluerit, libenter admitto, non licere aliis, quàm infirmis; at quod non liceat, est propter cæremoniam, & tristitiam diei, non propter nimiam continuationem, & frequentiam communionis, ut in assetto dicebatur; ideò ex hoc non dicitur illicita, aut prohibita quotidiana communio in eo sensu, in quo de ea nunc agitur. Accedit, quod unica dies respectu totius anni pro nihilo reputatur.

148 Non obstat communioni quotidianæ, quòd non sit ministranda laicis communio in feria sextâ Parasceves

Dubitatur hic: Utrùm sicuti qualibet anni die saltem, si feriam sextam majoris hebdomadæ excipias, licet laico communicare, ità id quoque liceat qualibet diei horâ, aut etiam eâdem die pluries, supposito quod nec adsit scandalum, nec desit jejunium à mediâ nocte, aut aliqua alia conditio ad communionem requisita. Respondetur affirmativè quò ad primum, negativè quò ad secundùm. Ratio primi est, quià nulla reperitur facta prohibitio, aut horæ alicujus, in quâ communicare non liceat, exceptio, & licèt ad sumendam, dispensandamque eucharistiam, congruentiores æquè, ac usitatiores sint horæ antemeridianæ, vel circà meridiem; nihilominus Herinex *hic disp* 6. *quæst.* 2. *num.* 20. testatur, se interdùm oppositum in praxi vidisse, quod scilicet de foris, ad lucrandum indulgentiam advenientes seriùs, & sub diei vesperam, communicarent, docent verò id licere apud ipsum Coninchus, & Bonacina, item apud Sylvium *præcit. art.* 10. Sylvester, Angelus, & alii passim, quàmvis non expediat id practicare sine peculiari necessitate, quæ rarò evenit; idemque frequenter fieri impediat ipsum jejunium, quod nec solet, nec facile potest seriùs usque ad vesperam protrahi.

149 Per se loquendo licitum est communicare qualibet diei hora,

Ratio secundi est, quia licèt nullum extet præceptum divinum, imò nec humanum, seù ecclesiasticum scriptis expressum, de communione à laicis faciendâ semel tantùm eadem die; nihilominùs extat de hoc præceptum ecclesiasticum, tùm non scriptum, & consuetudinarium; tùm indirectè, & arguitivè scriptum; cum enim pro sacerdotibus detur ex dicendis *lib. seq. cap.* 4. §. 7. lex ecclesiastica celebrandi, & sumendi communione sacerdotali eucharistiam semel tantum in die, cumque eadem sit, imò major ratio de laicis, & communione laicâ arguitivè, & indirectè etiam ad laicos, communionemque laicam, debet eadem lex ecclesiastica extendi, & ratio legis est, quia per hoc, quod aliquis semel in die communicet, repræsentatur unitas passionis Christi, ut rectè docet D. Thomas *hic quæst.* 80. *art.* 10. *in cap.* quem sequuntur Sylvius *eod. art.* Vasquez *disp.* 214. *cap.* 3. *num.* 30. Herinex *præcit. nu.* 20. & reliqui communissimè.

150 At non pluries eadem die.

Ex dictis partim in præsenti, partim suprà §. 4. infertur communionem laicam, quantum est ex vi præcepti, debere esse nec rariorem annuâ, nec frequentiorem quotidianâ; quemlibet scilicèt ex præcepto ecclesiastico teneri communionem, nec ultrà annum differre, nec intrà eamdem diem iterare: Procedendo jam à præcepto ad consilium, pro certo habetur, esse omnibus in gratiâ existentibus consulendam communionem multò frequentiorem annuâ; Utrùm verò sit pariter iisdem omnibus consulenda communio frequentissima, idest quotidiana? affirmarunt non ità pridem, idest circà hujus sæculi initium, adeòque in præsenti hominum, & ecclesiæ statu Petrus Vincentius de Marzilla, qui eâ de re edidit in primis Memoriale ad Archiepiscopum Compostellanum, deindè libellum integrum, inscriptum *Additiones ad Memoriale*; Item Maurus de Valderas conscripto eâdem de re theologico certamine; uterque docuit simpliciter expedire, quod omnes justi cujuscumq; conditionis status, & vitæ sint, quotidiè communicent nullo expectato judicio, aut consilio Patris spiritualis, & Confessario, imo etiam hoc invito, & dissuadente; exceptis ad summum Rusticis, & rudibus, quos Valderas videtur facere à Confessario in communione dependentes, eo quod ipsi possint facilè decipi, & fallsò existimare, se esse in gratiâ: Istos duos Theologos ambos Ordinis S. Benedicti ità sensisse, & scriptis suis suadere contendisse, referunt Lugus *hic disp.* 17. *sec.* 1. & Arriaga *disp.* 47. *sec.* 5. qui etiam eos impugnant, & quidem valdè ex professo Lugus: Quidquid illi senserint, neque enim mihi copia fuit habendi, & perlegendi illorum opuscula, proferam breviter communiorem, & præsenti fidelium statui congruentiorem, de quotidianâ communione doctrinam, pro quâ,

151 Sententia nonnullorum consulentiû universim cuicumque justo communionem quotidianâ

Adverto ex mente D. Thomæ *hic qu.* 80. *art* 10. & *in* 4. *dist.* 12. *quæst*, 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. in sumptione eucharistiæ duo rectè considerari; alterum ex parte Sacramenti, & est virtus, ac utilitas, quam affert sumenti; alterum ex parte ipsius sumentis, & est devotio, ac reverentia, quam habet ergà sacramentum. Porrò qui frequentior, & frequentior est sumptio, eo major, & major est effectus virtutis sacramenti, & utilitas, quæ in sumentem derivatur, non sic similiter major semper est, & major sumentis devotio, ac reverentia ergà sacramentum; nam illa utilitas maximè consistit in gratiæ augmento, quod est infallibilis effectus sacramenti, cuilibet justo in qualibet sumptione confertur, redditurque magis, ac magis multiplicatum, & auctum, quo plures, ac plures sunt sumptiones. Ista verò idest devotio, ac reverentia consistit in actibus ipsius sumentis, non est infallibilis sacramenti effectus, potest facilè minui per occasiones, & circumstantias extrinsecas, quas frequentior sumptio ex se, nec tollit, nec impedit, imò ipsa met, inducendo

152

fami-

153

familiaritatem, præbet tepidis ansam contemptus, & irreverentiæ: Hinc attentâ præcisè virtute, & utilitate sacramenti, facilè foret cuique expediens, & consultius quotidiè sumere; at si simul attendatur sumentis devotio, & reverentia; experiendum erit, utrùm augeatur hæc, an minuatur? si augeatur simul cum utilitate, multò magis expediet quotidiana sumptio: Si minuatur, ponderandum est, quâ proportione? Utrùm scilicèt multum, & magis quàm augeatur per virtutem sacramenti gratia, & fervor charitatis? an parùm, & minùs? Si hoc secundum, præponderabit derivata in sumentem utilitas, & magis expediet quotidiana communio; Si primum præponderabit debita sacramento reverentia, in cujus favorem magis expediet aliqua à communione abstinentiâ; Cum videamus in multis aliis casibus, ecclesiam præferre sacramenti reverentiam ipsius utilitati, & male nos istius, quàm sacramentum illius detrimentum pati; hinc ne cum modicâ reverentiâ, aut irreverentiæ periculo sumatur, privat eucharistiæ sumptione, & effectu, cujus sunt capaces, parvulos, & amentes perpetuos; eâdem de causâ prohibet, ne sumatur ab infirmo cum periculo vomitus; prohibet item, ne communio fiat pluries eâdem die, aut à laicis sub utrâque specie, licèt cæteris paribus, qui communicaret pluries eodem die, esset recepturus majorem gratiam, quàm qui simul, majoremque in multorum sententiâ, qui sub utrâque, quàm qui sub solâ specie panis.

154

Assert. 2. Commendanda est, & consulenda absolutè omnibus justis communio multò frequentior annuâ: Communio verò frequentissima, & quotidiana est quidem omnibus justis licita, at non omnibus indifferenter, tamquàm melior, & expedientior consulenda, præsertim independenter à Confessariorum, & Patrum spiritualium judicio. In primâ hujus asserti parte omnes prorsùs Catholici conveniunt, & nimis immeritò Kemnitius relatus à Valentiâ *hic disp. 6. qu. 8. punc.* 4. propè finem Concilii Tridentini, Patribus imponit, quod sess. 13. cap. 9. præcipiendo communionem annuam, intercluserint aditum exhortandi ad crebriorem; non minùs immeritò addens, totâ illâ sessione nihil animadverti, quod talem exhortationem, vel leviter significet, & ne verbo quidem mentionem fieri crebrioris communionis; At Kemnitii mendacium evincit ejusdem sessionis Caput Octavum, & quantum fuerint Patres illi propensi in crebriorem communionem, plenissime testatur desiderium, ab ipsis expressum sess. 22. cap. 6. verbis illis *Optaret quidem Sacrosancta Synodus* &c. Secunda pars habet ex Catholicis adversantes Petrum Vincentium de Marcillâ, Maurum de Valderas jam relatos, & fortè aliquem alium; in eam tamen consentiunt Sancti Patres, quamvis aliqui obscurius loquantur, clariùs verò Theologi sivè Scholastici, sivè Morales, sivè Mystici; quorum cathalogum texit Lugus *præcit. disp.* 17. *sec. 2. num.* 15. & posteà *num* 16. subdit, à tali communi consensu in re gravi, & morali, non licere privatâ auctoritate discedere, multòque minus licet hoc in re præsenti, postquàm in decreto semel, & iterùm memorato, sub die 12. Februarii 1679. multa animadvertuntur circà communionis frequentiam, cum devotionis, & præparationis modo mensurandam; Confessariorumque, & Parochorum, seù Pastorum judicio relinquendam, & istorum diligentia interpellatur providere, *ut nemo à sacro convivio, seu frequenter, seu quotidiè accesserit repellatur* (ecce communionem quotidianam omnibus justis licitam) *& nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius* (ecce communionem creberrimam, & quotidianam, non omnibus indifferenter consulendam) *Dominici Corporis suavitatem degustet.*

155

156
Consulenda est omnibus justis indifferenter communio frequentior annua.

Probatur assertum quò ad primum, id est quò ad communionem annuâ frequentiorem omnibus justis indifferenter consulendam, quia ex unâ parte præceptum communionis annuæ in paschate est impositum ad impediendam nimiam raritatem, non nimiam frequentiam communicandi, & tempus paschale statutum est, ut terminus non ad quem debeat, sed ultrà quem non debeat, ut colligitur ex ly *ad minus in Paschâ, saltem in Paschate* verbis præcepti inserto, ut suprà retulimus *num.* 61. & 62. Item ex eo, quod occasio præcipiendi communionem paschalem, fuit tepor, & refrigescens charitas fidelium, quibus gravius jam videbatur antecedens præceptum communicandi quolibet anno ter, in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini: Ex aliâ parte homines cujuscumque status, singillatim Negotiatores, & conjugati facile possunt, sæpiùs quam semel in anno habere devotionem, & præparationem communioni congruentiorem, & aliquoties in anni decursu illi negotiorum secularium distractionibus, se substrahere, isti à matrimonii delectationibus abstinere, ut bene dispositi ad eucharistiam accedant, & reverentiæ sacramento debitæ melius consulant: Certè ea, quæ ex reverentiâ sacramenti, aut aliundè militant, contrà consulendam omnibus indifferenter communionem frequentissimam, & quotidianam, non militant eodem modo contrà communionem frequentiorem annuâ, at rariorem quotidianâ, ut facilè quisque potest ex mox subiiciendis deducere; ergo.

157
At non eodem modo communio frequentissima, & quotidiana

Probatur assertum quò ad secundum, idest quò ad communionem frequentissimam, & quotidianam non omnibus justis indifferenter consulendam, præsertim independenter &c. Probatur inquàm in primis ex decreto, cujus verba nuper in asserti explicatione recitavimus: Deindè ex doctrinâ, quam *præced. num.* 152. & 153. protulimus ad mentem D. Thomæ, cui cohærent D. Bonaventura, Carthusianus, Albertus, Richardus, Alensis, & alii gravissimi Auctores, apud Lugum *præcit. sec.* 2. Demum

non

non solvendo tantum, sed & positivè impugnando, tùm rationes, tum auctoritates, quibus nituntur liberaliores communionis quotidianæ assertores, ut statim præstò ostendendo illarum imbecillitatem, istarumque incompetentiam: Ideò

158 Dices primò afferendo pro quotidianâ communione rationes, quarum prima sit: In quolibet justo communio quotidiana causat quotidianum gratiæ augmentum, at hoc cuilibet expedit, nec quisquam debet, aut sibi subtrahere, aut alteri dissuadere; ergo. Secunda; dispositio ex parte animæ requisita, ad dignè communicandum, non est nisi status gratiæ, & puritas à lethali, hæc quippe sola communiter intelligitur significari nomine probationis, quam requirit Apostolus 1. *Cor.* 11. dicens *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*; Atqui hanc probationem, & dispositionem quotidiè habet quilibet justus, ergo quotidiè dignè communicat, & hoc est ei consulendum. Tertia, communio sacerdotalis non requirit minorem dispositionem, aut reverentiam, quam communio laica; atqui illa omnibus sacerdotibus in gratiâ existentibus quotidiè expedit, sumitur, & consulitur, ergo est ista similiter omnibus laicis expediens, sumenda, & consulenda. Quarta; Si aliquibus, negotiatoribus præcipuè, & conjugatis, quamvis justis, potest aliquando non expedire communio quotidiana; atqui etiam in primitivâ ecclesia fideles negotiatores, & conjugati, & tamen tunc etiam respectu istorum erat in usu, nedum in consilio quotidiana communio ergo. Sed contrà:

159 Ad primam rationem dico quotidianum gratiæ augmentum, quod ex pluribus communionibus quotidianis, cum modicâ dispositione factis, aquiritur, non esse præferendum majori reverentiæ, quâ sacramentum, ut suppono, sumeretur, si non sumeretur quotidiè; imò illud ipsum augmentum posse abundè compensari, & majus aquiri per unicam communionem factam cum dispositione multò majore; primum est juxtà doctrinam positam *praced. num.* 53. secundum est justà doctrinam generalem, quâ alibi docuimus gratiam, quæ per sacramenta confertur, crescere ex majori suscipientis dispositione, est item iuxtà mentem D. Bonaventuræ *in* 4. *dist.* 12. *art.* 2. *quæst.* 2. dicentis *Majorem efficaciam recipit homo in unâ Missâ, vel manducatione cum bonâ præparatione, quam in multis, si non se præparet diligenter*; fructus scilicet unius communionis cum fervore prævalere potest fructui plurium cum tepore, unde etiam utilitati sumentis magis expediet, communicare semel in hebdomadâ v. gr. serventer, quam singulis hebdomadæ diebus tepidè.

Vna communio facta ferventer æquivalet quò ad fructum multis factis tepidè

160 Ad secundam dico, probationem ex Apostolo requisitam, & intellectam, ut in instantiâ explicatur, sufficere, ut communio sit licita, & permittenda, non ut sit expedientior, & consulenda; ad quod aliquid amplius, quam statum gratiæ, & puritatem à lethali requiri suadent ex dictis reuerentia sacramento debita, & major sumentis utilitas: Undè dignè negativè, id est non indignè; at non dignè positivè communicat, qui id præstat cum puritate quidem à lethali, at cum ingenti distractione, maximâ tepiditate, & affectu ad venialia, aut etiam proposito, ea committendi, numquid enim iste ad sacramentum accedit cum magnâ devotione, & reverentia, sicut solùm accedendum esse consulit D. Thomas *præcit. art.* 10. *in cap.* Numquid accedit sanctus, ut requirit D. Chrisostomus *hom.* 17. *in Epist. ad Hebræos* scribens. *Quando dicit Sancta Sanctis; hoc dicit: Si quis non est sanctus, non accedat; Non simpliciter dicit à peccatis mundus, sed sanctus: sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia.*

Puritas dumtaxat à lethali sufficit, ut liceat non ut expediat frequens communio.

161 Ad tertiam dico in primis, sacerdotem quotidie celebrantem, vix posse umquàm habere eam indevotionem, & impreparationem, quam potest sepè habere aliquis laicus quotidiè communicans, quia ille ratione status est sejunctus à conjugio, & sæcularibus curis, ratione Ordinis est instructus donis, & auxiliis peculiaribus ad offerendum, & consumendum sacerdotali communione sacrificium; ipsa etiam celebratio missæ, & quotidiana recitatio divini officii est non modica pro sacerdotali communione præparatio: Deindè indevotionem, & impræparationem sacerdotis compensarunt plura bona communionem sacerdotalem, non laicam, consequentia; nam sacerdos præter utilitatem privatam communionis, plures missæ celebratione utilitates affert toti ecclesiæ, sivè militanti, sivè purganti, reportat insuper sibi ipsi emolumentum stipendii pro propriâ sustentatione, aut meritum obedientiæ regularis &c. Quando tandem omnibus pensatis inde votio, & impreparatio sacerdotis tanta sit, tantumque deprimat reverentiam sacramento debitam, ut omnibus memoratis bonis præponderet, tali sacerdoti, cui aliundè peculiaris celebrandi obligatio non incumbat, consultius erit aliquando à celebratione, & communione sacerdotali abstinere, ut cum D. Bonaventura *lib.* 2. *de profectu Religiosorum cap.* 77. consulunt Lugus *disp.* 17. *sec.* 4. *num.* 45. Hcrinex *disp.* 6. *quæst.* 2. in fine, & plures alii.

Cur omnibus sacerdotibus potiùs quàm laicis indifferenter expediat quotidiana communio?

162 Ad quartam, temporibus primitivæ Ecclesiæ Christiani, ut potè pauca possidentes, eaque in communi, negotiationem, aut nullam, aut valdè modicam exercebant, ideò quò ad negotiatores non militabant tunc, quæ militant nunc contrà communionis quotidianæ universale consilium. Quò ad conjugatos est aliquantulò major ratio dubitandi, & Avila apud Lugum nuper *cit. sec.* 4. *num* 43. non putat credibile, quod conjugati, etiam post copulam, accederent quotidiè ad eucharistiam, nihilominùs illorum temporum fervor, & vigor persecutionum, inducentium valde frequentem eucharistiæ indigentiam, ut dicebamus

Cur item omnibus laicis in primitivæ potius, quàm in præsentis Ecclesiæ statu?

num.

*num.*145. reddere poterant tunc potiùs, quam nunc expedientem, & consulendam etiam conjugatis, quotidianam communionem; Cæterùm opportunum nunc est pro quolibet conjugato illud Bonaventuræ in 4. præcit. quæst. 2. *Si sit in statu primitivæ Ecclesiæ communices quotidiè, si verò sit tardus, & frigidus, ut in Ecclesia fine, laudandum, quod rarò.*

163 Dices secundo, afferendo pro quotidianâ communione auctoritates; & primò quidem, quod fuerit à Patribus Concilii Tridentini desiderata, & posteà ex declaratione Cardinalium reprehensus Episcopus, volens in illius præjudicium, præscribere certos ad communicandum dies, ut retulimus *præced. num.* 146. Atqui quod desiderarunt Patres Tridentini Concilii, & cujus oppositum Cardinales reprehenderunt est omnibus absolutè commendabile, & consulendum. Secundò, quòd in oratione Dominicâ, panis quotidiani nomine, intelligi soleat panis Eucharisticus, si igitur istum quotidie petimus, expedit, ut quotidie sumamus, nec benè à Christo orationis Dominicæ institutore dictus fuisset quotidianus, nisi esset quotidie sumendus, undè Ambrosius *lib* 5. *de Sacram cap.*4. & Augustinus *in lib de Verbis Domini serm.*28. egregiè dixerunt *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas? Accipe quotidie, quod quotidiè tibi prosit.* Tertiò, quod Sancti Patres, non solum mirificè commendent maximam communionis frequentiam, sed etiam aliquando, quasi nostræ præsentis doctrinæ fundamenta ex professo improbando, dicant, non esse ab Eucharistia abstinendum ratione propriæ tepiditatis, aut majoris reverentiæ sacramenti, nec quidquam huic prodesse temporis dilationem, rarioremque accessum, sic D. Bonaventura lib. de Processu Religionis, *proces.*7. *cap.* 21. ait *Licet tepidè accedas fiducialiter confidens de misericordiâ Dei, quia quo magis æger, magis indiget medico.* D. Chrysostomus homil. 5. in Epist. 1. ad Timoth. *Hoc est, quod universa perturbat, quia non munditia animi, verùm intervallo temporis longiore, constare meritum putas, summamque arbitraris reverentiam, ac religionem esse, si non sæpiùs cælestem illam adeas mensam: Ignoras* &c. Item homil. 3. in Epist. ad Ephes. *Tempus non efficit dignos tanti adeò Sacramenti, sed sola animæ synceritas, atque expurgatio.* D. Augustinus *præcit. serm.* 28. post verba jam recitata subdit *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.*

164 Quartò, & ultimò contra dependentiam, quam pro quotidianâ communione à Confessariis, & Patribus spiritualibus requisimus, videntur directè stare, & proprio, cujusque judicio contenti esse, Sancti Augustinus, & Thomas, iste enim *in* 4. *præcit. quæstiunc.*2. *in c.* ità habet *Quantum ad hoc* (loquitur de re præsenti) *Unusquisque relinquendus est judicio suo, & hoc est, quod Augustinus dicit quispiam, non quotidie accipiendum esse Eucharistiam, alius affirmat &c. faciat unusquisque, quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum.* Sed contrà:

165 Ad Tridentinum dico, Patres Concilii eo *cap.*6. desiderasse, quod omnes fideles, missis adstantes, communicarent, at ea fidei constantiâ, & firmitate, eâ animi devotione, & pietate, quam anteà *sess.*13. *cap.* 8. in omnibus, qui Christiano nomine censentur, expetierant *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint*: Non desiderarunt igitur in omnibus cõmunionem quotidianam absolutè, & utcumque supposita præcisè puritate à lethali, sed supposita simul peculiari dispositione, & devotione, quæ pro præsenti Ecclesiæ statu non quotidie in omnibus reperitur, ideò communio quotidiana eo modo, quo ab illis Patribus desideratur est optima, at non omnibus consulenda, quia non in omnibus est eo modo dabilis, sicuti eâdem ferè ratione optimus est, at non omnibus consulendus cælibatus, aut status religionis. Ad declarationem Cardinalium dico, ex eâ inferri, quod sit omnibus justis licita, non quod sit iisdem omnibus expedientior cõmunio quotidiana, nec consulendũ est omnibus id omne, cujus prohibitio reprehenditur, ut patet in cælibatu, & statu Religionis, nuper in exemplũ adducti.

166 Ad orationem dominicam dico in primis, quando eam Christus instituit, panem Eucharisticum fuisse in toto rigore quotidianum, quia verè quotidiè ab omnibus sumebatur; deindè nunc adhuc illum, ut quotidianum petimus, at simul deberemus habere quotidianã dispositionem, & præparationẽ. quæ si desit per accidens, erit, quod panis ille nõ sit in re quotidianus, undè Ambrosius, & Augustinus post verba illa *Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit* addunt *Sic vive, ut quotidie merearis accipere*, quo addito limitant, & modificant propositionẽ præcedentẽ.

Quomodo panis Eucharisticus sit quotidianus et amsi nõ omnibus expediat illum sumere quotidiè?

167 Ad Sanctos Patres, quatenus magnificè commendant communionis frequentiam, dico, ipsos, aut iisdem, aut saltem aliis locis, suadere magnam præparationem, ideò solum hâc suppositâ; illam commendare: quatenus docent, non esse ab Eucharistiâ abstinendum ratione propriæ tepiditatis, aut reverentiæ sacramenti, loquuntur de abstinentiâ diuturnâ, aut pro tempore, pro quo urget communicandi obligatio; quatenus dicunt, temporis dilationem nil referre, sumunt talem dilationem secundum se præcisè, non quatenus ei accedit major dispositio sumentis, aut obligatio sumendi. Cæterum, quod Sancti Patres non senserint, expedire omnibus justis indifferenter communionem quotidianam, colligitur, ex eo quod ipsi met illam non consulunt, nam D. Bonaventura *lib.* 2. *de profectu Religionis cap.*77. ait *Vix aliquis ità religiosus esse videtur, ac sanctus, quin semel in septimanâ sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa* &c. D. Augustinus, vel quicunque sit auctor, *lib de Ecclesiasticis dogmatibus cap.* 53. habet: *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo: Omnibus tamen dominicis diebus communionem suadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit.* D. Antoninus 3. *par. tit.*14. *cap.* 12. § 5. de tepidis ità loquitur *Quia nimia familiaritas parit contemptum, debent aliquando abstinere.* Idem proportionaliter est judicium, & consilium insigniorum Scholasticorũ apud Lugũ *disp.*17. *sec.*2. *nu.*15.

168 Ad Sanctos Thomam, & Augustinum, contrà postrema asserti verba singillatim adductos, dico, sensum ipsorum esse, quod unusquisque se ipsum, propriamque conscientiam consulat circà modum, quo ex frequenti communione crescit, aut decrescit in fervore, & reverentiâ sacramenti, ut id Confessario aperiat, aut Patri Spirituali, ex cujus deindè judicio non ex proprio præcisè, in communionis frequentatione dependeat: & hæc est communissima æquè ac laudatissima omnium præsertim crebrius communicantium praxis, cujus valida fundamenta profert Luhus *pracit. sec.* 2. per totam, nobis pro nunc sufficiat auctoritas decreti, de quo suprà *num.* 155. quodque totum communionis frequentioris negotium committit diligentiæ Pastorum, & de hâc ait *Quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios, sibi decernendum putet.*

169 Quomodo sit censurabilis opinio consulens omnibus justis indifferenter communionem quotidianam?

Ideò tandem opinio, quæ omnibus justis communionem quotidianam indifferenter consulendam putet, independenter à judicio, aut etiam contrà judicium confessarii, est tùm propter eamdem, quam omnibus justis assignat communicandi regulam, tùm propter independentiam, quam à Confessario astruit contraria prælaudato decreto, nec immunis ab aliquâ notâ; imò nec defuerunt, qui antè tale decretum, eam, quatenus prædictam independentiam astruit, tamquam temerariam, & scandalosam notaverint: Ità inter alios Turrianus apud Lugum *sec.* mox *cit. num.* 55.

CAPUT IV.

De dispositionibus ad Eucharistiam requisitis ex parte subjecti sumentis.

1 Dispositio ad Eucharistiam multiplex.

DIspositiones ad Eucharistiam, aut potiùs ad Eucharistiæ usum, effectum, & fructum ex parte sumentis requisitæ, aliæ dici possunt remotæ, seu ad remotam subjecti capacitatem pertinentes, & sunt potissimum, status viæ, character baptismi, & aliquo modo usus rationis, de quibus *cap. praced.* Aliæ proximæ, pertinentes ad capacitatem subjecti proximam, de quibus nunc: Istæ dividuntur in spirituales, & corporales; necessarias simpliciter, & necessarias secundum quid: Spiritualis necessaria simpliciter, est habitualis gratia, necessaria secundum quid, actualis devotio; corporalis, necessaria simpliciter, est naturale jejunium, necessaria secundum quid, quædam corporis mundities. Hæc omnia sic universim, strictimque prolata, certa, & clara sunt; at si singillatim latius discutiantur, habent implicitas plures difficultates, suo dignas examine, variisque obnoxias, aut hæreticorum controversiis, aut Catholicorum dissidiis; & quidem, quatenus primo loco pro dispositione simpliciter necessariâ, requirimus gratiam habitualem, & justificationem a lethali volumus scilicet, hominem non posse dignè, & fructuose ad Eucharistiam accedere, nisi sit justus antecedenter, & justificatus, habemus illico controversiam cum Sectariis, non solum quatenus negant, justificationem fieri per gratiam, quæ sit habitus inhærens, & qualitas permanens, sed multo magis quatenus aliqui ex ipsis, ut Lutherus, Kemnitius, Calvinus, apud Bellarminum *lib.* 4. *de Eucharistia Sacramento cap.* 17. docent, Eucharistiam habere pro effectu primario remissionem lethalium, nec justificationem prærequirere, sed solum fidem, quâ quis certè credat, sibi in Eucharistiæ sumptione omnia peccata esse remittenda, & hac fide suppositâ, Lutherus addit, illum cum majori dispositione eucharistiam sumere, qui sumit cum conscientiâ plurium, & graviorum lethalium.

2 Circà dispositionē præcipuā, quę est gratia, Sectariorum errores.

3 Circà eamdem aliquod Catholicorū dissidium.

Quatenus deindè, contrà hos Sectariorum errores, Catholici Doctores inter se conveniunt in eo, quod ad Eucharistiam, ex parte sumentis, prærequiratur status gratiæ, & justificationis a lethali, est inter ipsos, aut saltem alias fuit aliquod dissidium, circa talis justificationis comparandæ modum; Utrùm scilicèt existens in letnali, debeat, se antè Eucharistiæ sumptionem in statu gratiæ constituere per confessionem sacramentalem, an sufficiat, si per contritionem, adeò ut, saltem ante Tridentinum, nullum fuerit præceptum, de confessione communioni præmittendâ, ut referuntur, sensisse Cajetanus pluribus in locis, citatis à Suario *hic disp.* 66. *sec.* 3. Armilla in Sum. verbo *Communio* Panormitanus in Cap. *De homine* de celebr. Missar. His positis sit.

§. I.

Utrùm ad Eucharistiam prærequiratur status gratiæ, isque per confessionem sacramentalem in conscio lethalis.

ASSERT. I. Ad Euchatistiam omninò prærequiritur status gratia, eamque sumens cum conscientia lethalis, valdè graviter peccat. Est veritas fidei contrà Sectarios *num.* 2. prememoratos; traditur à D. Thomâ *hic quæst.* 80. *art.* 5. & *in* 4. *dist.* 9. *quæst. un. art.* 3. *quæstiunc.* 3. à Scoto *eâd. quæst. un.* & ab omnibus aliis Catholicis Scriptotibus.

4 Est Catholicum dogma ad sumendam Eucharistiam prærequiri statum gratiæ.

Probatur asserta veritas contrà Sectarios, ex eo quod Tridentinum *sess.* 13. *can.* 11. expressè anathematizat eum, qui dixerit *Solam fidem esse sufficientem præparationem, ad sumendum Sanctissimū Eucharistiæ Sacramentum*, ut docuerunt, & dixerunt in terminis prememorati Sectarū; nomine fidei intelligentes, non dogmaticam, & catholicam, quâ creduntur mysteria revelata, sed quam vocant promissionū, & quâ singillatim credunt ex divinâ promissione sibi amitti peccata in sumptio-

sumptione Eucharistiæ, quod libenter observo, quia fides hæc, ut potè falsa, & peccaminosa, non solum non sufficit, sed nec ullo modo disponit, imò ineptiorem reddit ad Eucharistiam, cum actus fidei catholicæ, licet non sit ad Eucharistiam dispositio sufficiens, sit tamen in peccatore dispositio necessaria, saltem remotè, & quatenus prærequiritur ad justificationem; Et ex quo in fidem incidi, addo in quolibet adulto communicatur, quamvis justo, debere præcedere aliquem actum fidei catholicæ circà ipsam Eucharistiam, nam intentio, eam sumendi, in quolibet adulto necessaria est cum illius cognitione, adeòque cum fide, quod sit sacramentum continens Christum Dominum, ut universim attigi in tract. de Sacram. in gen. *lib.2. cap.4. num* 137. & in re præsenti sigillatim probat Laurea *disp.* 25. *art.7. num.*121. & Amicus *disp.*25. *sec.*1. *num.*9.

Nec sufficere fidem promissionum, imò nec catholicam, quamvis hæc requiratur.

5 Mitto hic alias asserti probationes, quæ partim petuntur ex auctoritatibus, & has videre est apud Bellarminum *præcit. lib.* 4. *cap.*18. partim deducuntur ex communi conditione sacramenti vivorum (quale est eucharistia) supponentis, non conferentis primam gratiam, & hoc nos tractavimus mox *cit. cap.*4. §. 6. partim opportunius afferentur pro sequenti asserto, in quo à fortiori assertum præsens continetur. Missis igitur his omnibus, aliquantulum detineor duntaxat in gravitate peccati, quod (subintellige regulariter, & per se loquendo) committitur à communicante cum conscientia lethalis. Est porrò hujusmodi peccatum valdè grave, non solum quia est lethale ex genere suo, sed etiam quia est, per se loquendo, gravius multis aliis lethalibus, illis scilicet, quæ opponuntur virtutibus moralibus, religione, cui indigna Eucharistiæ sumptio opponitur inferioribus: Non est tamen omnium gravissimum, non solum quia non potest esse tam grave, quàm gravia sunt peccata opposita virtutibus theologicis, religione superioribus, sed insuper quia, ex oppositione ad religionem, dantur peccata alia indigna eucharistiæ sumptione graviora, puta ea, quæ sunt immediatè in contemptum unionis hypostaticæ, humanitatis Christi, aut etiam in contemptum ipsius sacramenti directè, & per se intentum, quâ ratione gravius, quàm indignè sumens, peccaret, qui eucharistiam pedibus conculcaret, aut in locum immundum, canibusvè manducandam, projiceret: Est autem in hoc ex D. Thomâ *præcit. art.*5. *ad* 3. alia quoque majoris gravitatis ratio, quia homo etsi peccator est capax gratiæ, adeòque etsi peccator est aptior, ad suscipiendum sacramentum, quàm creatura ulla irrationalis gratiæ incapax. Breviter igitur, sumptio Eucharistiæ in lethali, est culpa lethalis, etsi non omnium gravissima, multis aliis gravior: in cujus gravitatis confirmationem, faciunt extraordinariæ pœnæ pro eâ à Deo in præsenti vitâ frequenter inflictæ, ut variis exemplis probat Cyprianus *Serm. de lapsis*, & testatur Apostolus 1. *Cor.*11. ubi post

Quam graviter peccet sumens Eucharistiam in lethali?

reprehensos Corinthios indignè manducantes, & bibentes carnem, & sanguinem Domini, ait *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, quod Expositores de morbis corporalibus, & mortibus anticipatis, ac præmaturis, interpretantur.

6 Sic leviter ponderatâ gravitate peccati indignæ sumptionis, relatè ad alias peccatorum species; aliquantulum ponderanda est eadem gravitas intrà speciem propriam, assignando undè, & quando in suâ specie, major, aut minor sit: Est scilicet major primò in sumentibus cum conscientiâ lethalis ex malitiâ, & actuali contemptu sacramenti, minor si ex infirmitate, & timore incurrendi aliquam infamiam, aut ingerendi suspicionem proprii peccati, in quo quis existit, si à communione abstineat: Est secundò cæteris paribus major, quo gravius, minor, quo minus grave est lethale, cum quo quis ad Eucharistiam accedit; est enim pro majore, vel minore, hujus peccati gravitate major, vel minor sumentis indignitas, & in sacramentum irreverentia, ac injuria: Nec absolutè verum est, quod aliqui sentiunt, gravius peccare accedentem ad Eucharistiam cum peccato carnali, puta gulæ, & luxuriæ, quam cum spirituali iræ, aut superbiæ, quamvis hoc sit per se gravius illo. Absolutè inquam verum non est, quia solum secundum quid, idest ratione scandali, ratione majoris periculi incidendi in pravam consuetudinem, aut alterius similis adjuncti, plus peccabit cum carnali, quàm cum spirituali peccato communicans; hincque etiam secundum quid, non simpliciter, intelligendum est procedere illud Paschasii Abbatis *lib. de Corp. & Sang. Christi cap.*22. dicentis *Nullum periculosius hoc Sacramentum contingere, quàm luxuriosum*, ut magis explicant Vasquez *disp.*207. *cap.*1. *num.*12. Lugus *disp.*14. *sec.*1. *num.*8. & Arriaga *disp.* 45. *sec.* 1. *num.* 3. Est tertiò cæteris paribus major, vel minor gravitas, de quâ agitur, quo plura, vel pauciora sunt peccata, cum quibus Eucharistiam quis sumit; quia peccata, quo sunt plura, eo majorem inferunt homini maculam, & indignitatem.

Peccatum indignæ sumptionis quomodò sit in propria specie majus, aut minus?

7 Dubitatur hic; Utrùm, ad explicandum in confessione peccatum indignæ sumptionis sacramenti, sufficiat dicere, sumpsi Eucharistiam in lethali, an necesse sit explicare speciem, & numerum peccatorum, cum quorum conscientiâ Eucharistia sumpta est? Vasquez mox *cit. cap.*1. *num* 11. ità putat primum sufficere, ut addat nullum hactenus ad secundum Pœnitentes obligasse; quidquid sit de hoc addito, primum sufficere sentiunt etiam Lugus *præcit. sec.* 1. *num.*17. Arriaga *num.*5. Laurea *disp.*25. *art.*7. *num.*160. cæterique communiter: Ratio est, quia sumptio Eucharistiæ in lethali semper est unicum specie, & numero peccatum, nec aut diversificatur specie, aut multiplicatur numero per hoc, quod aut diversæ speciei, aut plura numero peccata præcesserint, sicque istorum gravitas, & numerus, respectu peccati indignæ sumptio-

Quomodò item sit in confessione explicandum?

sumptionis, possunt solum esse circumstantia aggravans; juxtà sententiam igitur communiorem, & ut puto veriorem, docentem non esse necessariò in confessione explicandas circumstantias, intrà eamdem speciem aggravantes, benè procedit etiam, quod Vasquez addidit, nullum hactenus &c. at juxtà sententiam oppositam, quæ quo ad circumstantias notabiliter aggravantes, suâ probabilitate non caret, bene poterit quis obligari, ad explicandum speciem, & numerum peccatorum, cum quorum conscientiâ communicavit, bene enim potest aliquando illorum magnitudo, aut multitudo, notabiliter aggravare peccatum indignæ communionis, ut observavit Arriaga *precit. num.* 5.

8 — *Est item catholicū dogma in concio lethalis præmitti debere communioni sacramentalem confessionem.*

Asert. 2. Status gratiæ, ad Eucharistiam dignè, & licitè sumendam, requisitus, debet per confessionem sacramentalem haberi in eo, qui peccati lethalis sibi conscius est. Hoc assertum, saltem post Concilium Tridentinum, spectat ad fidem, nec post ipsum ab ullo Catholico, quod sciam, explicatione ullâ, aut tergiversatione, in dubium vertitur.

Probatur expressis verbis Concilii *sess.* 13. *cap.* 7. ubi necessitatem præparationis, & non accedendi ad Eucharistiam indignè, infert ex verbis illis Apostoli, formidine plenis *Qui manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini*, & statim statuens, quod requiratur, ad non indignè accedendum? ait *Quarè communicare volenti, revocandum est in memoriam ejus præceptum: Probet autem se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quàmvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Postea idem statuit, & declarat *can.* 11. quem ità concludit. *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu, etiam publicè disputando, defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Hæc Tridentini verba omninò perspicua sunt, pro asserti, ut jacet, intento, idest pro præsenti obligatione præmittendi communioni confessionem lethalium, quorum quis est sibi conscius, at non eadem gaudent perspicuitate, quo ad talis obligationis qualitatem, & primam originem: Verùm antequam hoc, quod non levi indiget examine, discutiamus, expedit solvere alia quædam dubia, ad eorumdem verborum intelligentiam pertinentia, & in primis.

9 — Circà verba adducta *ex can.* 11. duo dubitantur: Primum est, cur de asserente contrarium, dicatur *Excommunicatus existat* potius, quam anathema sit, ut dici solet in aliis Canonibus, & dictum anteà fuerat in ipsomet *can.* 11. contrà asserentes, solam fidem esse sufficientem pro Eucharistiâ præparationem. Secundum est, Utrùm canon ille retrotrahatur, ut ità dicam ad tempora Tridentinum antecedentia, adeò ut pœna excommunicationis per illum imposita censeatur cadere etiam supra eos, qui nunc assererent, esse quidem post Tridentinum, at non fuisse antè, obligationem præmittendi communioni confessionem lethalium. Deinde duo alia dubitantur circà verba adducta *ex cap.* 7. sicque dubium ordine tertium est, Utrùm; cum dicitur, revocandum esse in memoriam ejus præceptum, ly *ejus* referatur ad Apostolum, apud quem paulo antè dixerat Concilium, legi, plena illa formidinis verba *Qui manducat, & bibit* &c. an ad Dominum? de cujus corpore facta fuerat magis proxima mentio. Quartum est, Utrùm ly *Probet autem se ipsum homo* significet solùm discussionem, & examen conscientiæ, an etiam directè, & ex terminis, sacramentalem confessionem?

10 — Ad primum dubium Arriaga *disp.* 46. *sec.* 1. *nu.* 7. putat, Concilium pro eodem usurpare *Excommunicatus existat*, & *Anathema sit*, & fortasse, quia in eodem canone jam dixerat *Anathema sit*, ne idem repeteret, dixisse secundo loco *Excommunicatus existat*: facilis responsio: sed politioris, & grammaticali magis, quam sacro, & Conciliari loquendi modo, accommodata, cum præcipuè apud Canonistas, & sacros Auctores, excommunicatio sonet aliquid mitius, quàm anathema. Ideò magis placet, quod Vasquez *disp.* 207. *cap.* 3. *num* 28. ait, Concilium Tridentinum in Canonibus consuevisse, sub anathemate damnare hæreticos, & hæreses eo jam tempore manifestas, sententiam verò docentem, peccatorem communicaturum non habere obligationem præviæ confessionis, ut potè non ab hæreticis, sed ab aliquibus catholicis tunc traditam, necdum eo tempore hæresim manifestam voluisse damnare, diverso, ac mitiore tenore verborum, ideò in Canonis appendice potius, quam in Canone, & sub excommunicatione potius, quam sub anathemate.

Cur in docentes oppositum feratur à Tridentino excommunicatio potius quàm anathema?

11 — Ad secundum aliqui respondent negativè, putant scilicet, excommunicationis pœnam non esse impositam illis, qui nunc docerent, obligationem præmittendi confessionem communioni non extitisse antè Tridentinum; quamvis verè existat post, ità sensisse videntur Canus, Catherinus & Sixtus Senensis apud Suarium *disp.* 63. *sec.* 3. §. *Sed quares*, ubi ipse obscurius loquitur, in eamdem tamen sententiam inclinat, nam tamen concludit. *Plus esset, quam temerarium, nunc defendere Cajetani opinionem* (loquitur de opinione, quâ Cajetanus, antè Tridentinum scribens, negaverat confessionis, de quâ agitur obligationem) *non tamen incurreret excommunicationem à Concilio latam, qui ità sentiret, donec aliquem actum exerceret eorum qui* &c. Oppositum tradunt, & affirmant Tridentini damnationem, & excõmunicationem extendi etiam ad eos, qui fatendo prædictam obligationem, nunc verè dari docerent, ante Tridentinum datam non fuisse, nec esse Tridentino antiquiorem, Lugus *disp.* 14. *sec.* 4. *nu.* 36. Vasquez *precit. cap.* 3. *num.* 24. Arriaga *precit.*

Hujusmodi excommunicatio afficit etiam docentes obligationem præmittendi communioni confessionem non extitisse ante, sed solum post Tridentinũ

sec. 1. num. 5. & plures alii, quibus omninò adhærendum putò, cum Tridentinum ipsum *cap. 7.* tradat, ecclesiasticâ consuetudine consequenter ad Apostoli verba declarari, necesarium esse *Ut nullus sibi conscius peccati lethalis, quàmvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione* &c. adeoque ex ecclesiasticâ consuetudine colligat, esse se antiquiorem obligationem confessionis, ad communionem præmittendæ: est igitur jam Concilio contrarium, & Concilio supposito, contrà fidem, docere, quod ante Concilium, prædicta obligatio non extiterit, & ad ità docentes, benè extenditur excommunicatio, quam posteà idem Concilium in Canone, seu in Canonis appendice fert adversùs docentes contrarium propriæ doctrinæ.

12 Ad tertium dico, nullam esse necessitatem referendi ly *Ejus* ad Christum Dominum, & melius referri ad Apostolum: Ità contrà Suarium *præcit. sec. 3. §. Dico tertiò*, & nonnullos alios Lugus *num. 71.* Vasquez *num. 42.* Arriaga *disp. 46. sec. 2. num. 9.* Gonetus *disp. 9. art. 3. num. 21.* Herinex *disp. 6. quæst. 6. num. 74.* cæterique communiter id probantes, ex eo quod de Apostolo facta fuerit antecedenter mentio per se, & directè, de Christo verò, solum per accidens, & quasi indirectè in verbis, quibus ab Apostolo manducans, & bibens indignè dicitur *Non dijudicans corpus Domini*; contextus igitur, sensusque verborum, magis planus est, & magis proprius si ly *Ejus* ad Apostolum, non ad Christum Dominum intelligatur referri, & Apostolum, non Christum denotet: Nec obstat, quod Apostolus eo loco præmiserit *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; Neque enim propterea solùm in Domini personâ loquitur, sed saltem, ut Domini Apostolus, & Nuncius in Personâ propriâ, imo etiam aliqua, quamvis non ly *Probet autem* &c. ex propriâ dispositione, ut ipse met insinuat, concludendo; *Cætera cum venero, disponam*. Non obstat item, quod ly *Ejus præceptum* re ipsâ significet præceptum, quod ex dicendis est divinum: Enim verò præceptum etiam divinum, rectè dicitur præceptum Apostoli, tamquam promulgatoris, non tamquam legislatoris, eo modo, quo lex antiqua divina dici solet lex Moysi, seù Mosayca.

13 Ad quartum. Omnes conveniunt per ly *Probet autem se ipsum homo* primariò, & directè significari discussionem, & examen conscientiæ, talis enim discussio est tùm verè, ac propriè suiipsius probatio, tùm præparatio, quam homo quilibet, sivè justus, sivè peccator sit, debet ad eucharistiam adhibere: Utrùm verò secundariò, & indirectè per eadem verba, significetur etiam sacramentalis confessio (adeò ut ly *Probet* duplicem probationem importet, alteram per conscientiæ discussionem, necessariam cuilibet communicatur: alteram per sacramentalem confessionem, necessariam cuilibet se reperienti in lethali; res est perplexa, & quamvis Vasquez *num. 43.* contendat Paulum respectu existentis in lethali, nomine probationis, non potuisse, non intelligere sacramentalem confessionem: Nihilominùs aliter sentiunt Suarez *præcit. §. Dico tertiò* Lugus *num. 62.* Arriaga *num. 2.* & alij docentes, sacramentalem peccatoris communicaturi confessionem, ex probatione ab Apostolo nequitia, inferri, & cum illa connecti, at non esse ipsammet probationem, nec significari vocabulo illo *Probet se ipsum*; Ratio est, quia probare ex vi nominis significat, tentare, indagare, explorare, quod propriam conscientiam discutiendo, non sacramentaliter confitenda fit: Nec refert, quod etiam in confessione aliquando Confessarius pænitentem examinet. Non refert inquam, quia hoc est per accidens; & certè hujusmodi examen nequit, esse probatio ab Apostolo requisita, illud quippe fit per alium, ista facienda est per se ipsum, dicente Apostolo *Probet se ipsum*, cui synonymum est *Probetur à se ipso*. Dum igitur in verbis Concilii *ex cap. 7.* relatis post ly *Probet autem se ipsum homo* ponitur *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, absque præmissâ sacramentali confessione* &c.

14 Non est sensus, quod ecclesiastica consuetudo declaret, nomine illius probationis significari, & intelligi, sacramentalem peccatoris confessionem: Sed ly *Ut nullus* &c. causam finalem denotat, & sensus est, quod Ecclesiastica consuetudo declaret, sacramentalem peccatoris confessionem esse finem illius probationis, sitæ in discussione conscientiæ, & ex istius necessitate colligi in peccatore obligationem confessionis, tamquam ex proprio effectu, seù ex medio finem: Sensus iste per se facilis est, & valdè conformis contextui verborum: cui prior sensus vix, & non nisi impropriè accommodari potest, ut quilibet leviter considerans, ni fallor, fatebitur; est insuper idem prior sensus parùm cohærens auctoritatibus Patrum relatis à Lugo *num 57.* & 62 *præcit.* Ideò meritò talem sensum non amplectimur, nec per ly *Probet* intelligimus, importari formaliter sacramentalem confessionem, sed solam discussionem conscientiæ, cujus finis sit sacramentalis confessio. Aliũ ejusdem probationis, & discussionis sensum, quem adhùc faciliorem, planioremque appellat, addit Lugus *num. 63.* Sed mihi, nec facilior, planiorvè apparet, nec item necessarius, cum pro nunc sensus jam expositus sufficiat.

15 Horum dubiorum solutione remanet parata aliquantulum, & explanata via ad solvendum dubium principale, & definiendum, quale, & quam antiquum sit præceptum confessionis ad communionem præviæ: facile verò innotescet, quam antiquum sit, si innotuerit, quale sit; Utrùm scilicet naturale, & ex naturâ rei necessariò consequens, institutionem sacramentorum Eucharistiæ, & Pænitentiæ: An positivum? & ex suppositione, quod positivum, utrum divinum, an humanum, seù Ecclesiasticum?

Pro quibus sit §. II.

§. II.

Quale, Quam antiquum ſit, Et quas exceptiones admittat præceptum, præmittendi communioni confeſſionem?

ASſert. 1. Præceptum præmittendi cōmunioni confeſſionem lethalium non eſt ex ſolo jure eccleſiaſtico ſcripto Concilii Tridentini; Neque ex ſolo jure eccleſiaſtico nonſcripto, & conſuetudinario; Neque item eſt præceptum eccleſiaſticum purè Apoſtolicum, ab Apoſtolo ſcilicet Paulo propriâ ipſius auctoritate impoſitum 1. *Cor.* 11. Sicque nullâ ratione eſt præceptum ſolùm humanum, & eccleſiaſticum; ſolùm, inquam, nam quod etiam tale ſit, & tùm eccleſiaſtica conſuetudine, tùm Tridentini decreto confirmatum, quàmvis non primò inductum, admitto libenter, & conſtabit obiter ex dicendorum progreſu.

16 Prima aſſerti pars juxtà ſuprà dicta *num.* 11. poteſt cenſeri de fide, quamvis videatur, eſſe contrà Armillam, & Panormitanum *præced.num.*3. relatos, alioſque nonnullos, ſecutos Cajetanum, qui ſicuti paulò antè Tridentinum ſcribens, non agnoverat præceptum ullum confeſſionis ad communionem præmittendæ, itâ conſequenter ad ipſius doctrinam, dicendum nunc eſſet, tale præceptum fuiſſe à Tridentino inductum, quod quià nunc nequit tolerari, ideò Commentarius Cajetani ad quæſt.8. art.4., ubi (quamvis etiàm alibi) id docuerat, ablatus, & expunctus eſt in editione Romanâ juſſu Pii V. Secunda pars eſt contrà Medinam *Cod.de Confeſſio.de qu.*17. Navarrum *de Pœnitentiâ diſt.*5. in principio. Palatium *in* 4. *diſt.*9.*quæſt.*10 *ad* 1. & aliquos alios Tertia eſt contrà iſtos eoſdem, quatenus eccleſiaſticam conſuetudinem confitendi, priùs quàm communicandi, cenſuerunt, cæpiſſe temporibus Apoſtolorum, & ex Pauli præſertim verbis originem duxiſſe, quod non improbabile arbitrantur Leſſius, & Coninchus apud Herinex *hic diſp.* 6. *quæſt.* 6. *num.* 73. quin etiam ab aliquibus refertur, idem ſenſiſſe Scotus *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.un.* in fine, ubi extremâ hâc de re verba ſunt, *Et ſi dicas quâ lege, dico quod illâ lege Apoſtoli, quæ ponitur* 1. *Cor.* 11. *Probet ſe ipſum homo* &c. Verùm contraria, eſt de Sui Doctoris mente, Scotiſtarum opinio: Nec certe, ex eo quod dixerit, *lege Apoſtoli* neceſſe eſt, ipſum intelligere de lege, ab Apoſtolo auctoritativè conditâ, quàm ſolùm miniſterialiter promulgatâ.

17 Præceptū, ſeù obligatio confeſſionis ad communionem præmittendæ non eſt ex ſolo decreto Tridentini.

Probatur prima pars, quia obligatio præmittendi communioni confeſſionem fuit Tridentino antiquior, ut ex ipſo Concilio *ſeſſ.* 13 *cap.*7. conſtare jam diximus *num.* 11. & deducitur inſuper, ex eo quia poſteà *can.* 11. de eadem re habetur *Statuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus illis, quos conſcientia* &c. ubi per ly *Declarat* obligationem, & præceptum antecedens, Synodus ſupponit, idque confirmat, & renovat, per ly *Statuit*. Accedit, quod ſi eſſet præceptum ſimpliciter novum, & à Tridentino primò editum, eſſet aliquis coloratus prætextus dubitandi, Utrùm obligaret, ubi Tridentinum fortè non eſt ſufficienter promulgatum, aut quò ad doctrinam tantùm, & definitiones fidei, non quo ad reliqua, receptum: Et ſaltem non debuiſſet Concilium, excommunicare ſentientes contrà tale præceptum, ſicuti non excommunicavit ſentientes contrà alias leges à ſe editas, ut obſervat Lugus *præcit.ſec.*4. *num.*56.

18 Neque ex ſola eccleſiaſtica conſuetudine.

Probatur ſecunda pars, quia *eod. cap.* 7. Concilium, ait Conſuetudinem Eccleſiaſticam declarare, probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis &c. neceſſitatem igitur probationis, & ſacramentalis confeſſionis, vel in eâ contentæ, vel (ut nobis *præced. num.* 14. magis placuit) cum eâ connexæ, conſuetudo eccleſiaſtica ex mente Tridentini declarat, & ſupponit aliundè inductam, non ipſa met induxit, & primò poſuit; ergo præceptum præmittendi communioni confeſſionem lethalium non eſt ex ſolo jure Eccleſiaſtico non ſcripto, ſeù conſuetudinario.

19 Neque ex ſola auctoritate Apoſtolica.

Probatur tertia pars; quia unicum, aut certè potiſſimum fundamentum, dicendi præceptum, de quo agitur, eſſe Apoſtolicum, deſumitur, ex eo quod juxtà Tridentinum videtur, itâ declaraſſe conſuetudo Eccleſiaſtica, quæ confeſſionis obligationem deducit, aut includit in præcepto illo *Probet ſe ipſum homo*, quod nos ipſi *num.* 12. diximus ab eodem Tridentino cenſeri præceptum Apoſtoli; atqui hoc fundamentum non ſubſiſtit, quia nos diximus, eſſe præceptum Apoſtoli, non ut Auctoris, ſed ut promulgatoris, non ut ex ſe præcipientis, ſed ut tradentis, quod à Domino præceptum accepit, undè præmiſerat *Ego enim Accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; & licet poſteà Apoſtolus miſceat aliqua, quæ à Domino non accepit, ea ſunt minùs præcipua, nec ulla eſt neceſſitas, aut congruentia recenſendi inter ipſa præceptum expreſſum, verbis illis *Probet autem* &c. Accedit, quod ſi tale præceptum ex ſolâ Pauli auctoritate emanaſſet, videretur, fuiſſe in ſuâ origine impoſitum ſolis Corinthiis, non ſolùm, quià ad iſtos ſolos fuit à Paulo directum, & tranſmiſſum, ſed inſuper quia non eſt certum, alios Apoſtolos à Petro, & ſignanter Paulum, qui non fuit ex duodecim, habuiſſe poteſtatem condendi leges, & ferendi præcepta, quibus induceretur obligatio in univerſam Eccleſiam, ut attingunt in præſenti, quamvis inter ſe parùm conveniant, Lugus *præcit.ſec.* 4. *num.* 74 & Arriaga *diſp.*46.*num.*8. & 9.

20 Neque ex natura rei, ſeù ex jure naturali.

Aſſert. 2. Præceptum præmittendi communioni confeſſionem lethalium non eſt naturale, ideſt non neceſſariò conſequitur, nec ſufficienter deducitur ex naturâ Sacramenti Euchariſtiæ, ſuppoſitâ ipſius, & ſacramenti Pœnitentiæ inſtitutione. Hoc aſſertum videtur, communiter ſupponi,

tracta-

tractatur tamen, & traditur in terminis à Suario *disp. 66. sec. 3. §. Dico secundò*. Vasquio *disp. 207. cap. 4. num. 41.* & Amico *disp. 6. nu. 5.* apud quos invenio, contrarium sensisse Rubionem *in 4. dist. 9 quæst. 2. art. 2.* & Petrum sotum *lib. de institutione Sacerdotum lect. 12. de Euchar.*

Probetur: Obligatio, de præmittendâ ad sacramentalem communionem sacramentali confessione lethalium, non consequitur necessario, nec sufficienter deducitur ex naturâ sacramenti eucharistiæ, ratione dignitatis, & sanctitatis ipsius, neque ratione significationis, neque ratione connexionis cum Sacramento Pænitentiæ; ergo præceptum, ex quo talis obligatio oritur, non est naturale, idest non necessariò consequitur &c. patet hæc consequentia, quia præter tria in antecedente assignata, nullum aliud caput est assignabile, ex quo cum aliquâ probabilitatis specie inferri possit, obligationem, de quâ agitur, esse naturalem, & necessariò consequi naturam sacramenti:

21 Antecedens probatur quò ad primam partem, quia ratione dignitatis, & sanctitatis in eucharistâ majoris, quàm in aliis sacramentis *debet quidem vir Christianus eò diligentius cavere*, ut ait Tridentinum sess. 13. cap. 7. *ne absque magnâ reverentiâ, & sanctitate ad percipiendum accedat*; at hinc ex naturâ rei non sequitur, quod hæc magna reverentia, & sanctitas supponat, in habente conscientiam lethalis, sacramentalem confessionem, nam etiamsi hæc non fuisset instituta, haberet eucharistia dignitatem, & sanctitatem in se eamdem, & magnam pariter sanctitatem, ac reverentiam in suscipiente exigeret. Neque dicas, si non esset instituta sacramentalis confessio, nulla esset obligatio, eam ad mortem præmittendi, & adhibendi in mortis articulo, vel periculo, & tamen suppositâ institutione, talis obligatio est ex naturâ rei, & ex vi solius juris naturalis, ergo idem potest rectè dici de obligatione, eamdem præmittendi ad eucharistiæ sumptionem.

22 Contrà enim: Ad aquirendam gratiam pro articulo mortis, tenemur de jure naturæ medium certius, quod possumus; pro sumptione eucharistiæ, solum medium simpliciter sufficiens, quia carentia gratiæ in articulo mortis inducit damnationem æternam, quæ est damnum omnium maximum, & irreparabile, inducit verò damnum minus, & reparabile carentia gratiæ in eucharistiæ sumptione, ideò prioris damni periculum debet ex naturâ rei præcaveri omni meliori modo, & certiore medio, periculum posterioris, sufficit, si præcaveatur modo, & medio per se existimato sufficienti; nil igitur virum, si ad istud præcavendum, & ad eucharistiæ sumptionem, sufficiat ex naturâ rei contritio vera, vel putata; ad illud verò, & ad mortem imminentem præter contritionem, vel attritionem requiratur sacramentalis confessio, ut magis explicat Amicus *num. 6.*

23 Idem antecedens probatur, quò ad secundam partem, quia licèt eucharistia ex suâ propria ratione sit symbolum unitatis, & significet perfectam unionem membrorum ecclesiæ cum Christo, & inter se per gratiam, & charitatem, adeoque ne suâ significatione frustetur, gratiam, & charitatem requirat in eo, à quo sumitur, nihilominus ex hoc non apparet, cur vi solius juris naturalis, talis gratia, & charitas debeat, haberi mediâ sacramentali confessione, nec sufficiat, si habeatur mediâ contritione. Si dicas talem gratiam, & charitatem, debere, haberi modo visibili, sicuti est visiblis ecclesia, cujus unio, & conjunctio per eucharistiam significatur: Impugnaberis; quià non per solam confessionem, sed etiam per contritionem, signis exterioribus manifestam, comparat peccator gratiam, & charitatem modo visibili, & ecclesiæ, ac Christo visibiliter conjungitur; Deindè peccata externa, vel occulta, non solvunt visibiliter unionem cum Christo, & ecclesia, sed dumtaxat peccata externa, & manifestà, ergo visibilis reconciliatio, & reunio per confessionem sacramentalem esset ex vi significationis eucharistiæ præmittenda ad summum ab eo, qui posteriorum, non ab eo, qui priorum dumtaxat peccatorum conscientiam haberet.

24 Idem antecedens probatur, quò ad tertiam partem; quia licèt verè detur connexio inter Pænitentiæ, & eucharistiæ sacramentum, quatenùs utriusque sacramenti conficiendi potestas ad eumdem sacrum ordinem pertinet, eâdemque ordinatione confertur, & sicuti una respicit mysticum, altera verum Corpus Christi, ita unà ad alteram videtur, habere eamdem proportionaliter habitudinem, quam corpus Christi mysticum, ad corpus ejusdem verum: licet inquam hæc ità sint, quò ad utriusque sacramenti potestatem, non inferunt tamen connexionem necessariam, quò ad usum, adeò ut eucharistia sicuti est prior in intentione, tamquam finis, ità debeat esse in usu, & executione posterior, prior verò tamquàm dispositio, & medium pænitentia, si enim illatio ista subsisteret, deberet Pænitentiæ usus sumptionem eucharistiæ præcedere, etiam in habente materiam sufficientem solùm, non necessariam sacramentalis confessionis; & sicuti usus pænitentiæ non est necesse, quod semper fiat in ordine ad usum eucharistiæ, ità usus eucharistiæ, non est necesse, quod semper supponat usum Pænitentiæ; quantum igitur est ex vi connexionis sacramentorum non habetur absoluta necessitas, & naturalis obligatio præmittendi communioni confessionem, usui eucharistiæ, usum Pænitentiæ: Nec dici potest, esse hanc necessitatem, & obligationem saltem in peccatore: Contrà enim, si est solùm in peccatore, eo ipso non provenit ex connexione unius sacramenti cum alio, sed ex eucharistiæ dignitate, & indignitate peccati; at hinc non probari ex naturâ necessitatem præviæ confessionis jam in probatione primæ partis antecedentis ostensum est.

Assert.

25

Præceptũ cõfessionis ad communionẽ præmittendæ est divinũ positivum.

Assert. 3. Præceptum præmittendi communioni confessionem lethalium est divinum positivum antiquissimum à Christo Domino impositum, est per Apostolos ecclesię promulgatum, ac traditum. Ità Cauus *Relect. de Sacram. Panie. part.* 5. Corduba *lib.* 1. *quæstionum theologicarum quæst.* 16. Suarez *disp.* 63 *sec.* 3. §. *Dico tertiò* Vasquez *disp.* 207. *cap.* 4. Arriaga *disp.* 46. *sec.* 2. Lauræa *disp.* 25. *art.* 7. *num.* 125. Gonetus *disp.* 9. *art.* 2. Madernus *quæst.* 7. *art.* 8. & alii contrà Cajetanum, Panormitanum, Armillam item, item Navarrum, Medinam, Palatium, nec non ex parte Rubionem, & Petrum Sotum, quos omnes retulimus *num.* 16. & 20., & contrà ipsos, licèt assertum nostrum sit receptissimum, non est tamen contrà omnes de fide, sed solum contrà contendentes præceptum, de quo agitur, habuisse initium, & originem ex Concilio Tridentino, cæterùm, qui illud reputant naturale simul, & divinum, vel etiam solùm positivum humanum, sed antiquissimum, nullum gravem notam merentur, & istorum opinionem, non esse omninò improbabilem insinuat ex Recentioribus Arriaga nuper *cit. sec.* 2. *num.* 10. & Hetinex *disp.* 6. *quæst.* 6. *num.* 74.

26

Probatur, quia cum ex dictis præceptum præmittendi communioni confessionem verè detur, nec sit, aut purè positivum humanum, aut purè naturale, necessariâ illatione consequitur, esse divinum, & confirmatur, ex eo quod Augustinus *lib.* 3. *de Baptismo cap.* 24. docet, esse indicium juris divini, quando aliquid in ecclesiâ perpetuò servatum est, cujus initium ignoratur; reperitur autem optimè hoc indicium in præcepto asserto, quod *fuisse in Ecclesiâ perpetuò servatum* deducitur, ex eo quod nulla umquam legitur in ipsos facta dispensatio, & antiquitùs viguisse, habetur ex Concilii Niceni, & antiquorum Patrum auctoritatibus, ex quibus nonnullas refert Gonetus *præcit. art.* 4. *num.* 23. Quod item *ejus initium ignoretur* constat, ex eo quod nullibi assignetur, & Patres Concilii Tridentini, consuetudinis ecclesiæ, tale præceptum consequentis, mentionem fecerint, at quando ceperit dissimulaverint, contenti assignare ejus ad ipsum Concilium anterioritatem, & antiquitatem, at non anterioritatis, & antiquitatis tempus, seù gradum; imò ipse Apostolus 1. *Cor.* 11. de tali præcepto, non ut de re tunc novâ, sed antiquiore, & antecedenter constitutâ loquitur, dum probationem, ex quâ sacramentalis confessio deducitur, requirit, ne peccator indignè communicet; si enim, ut de re novâ, & tunc primò, vel à se promulgatâ, vel à Christo institutâ, egisset, immeritò anteà reprehendisset Corinthios, quod sine tali probatione accedendo, manducassent, & bibissent indignè corpus, & sanguinem Domini, ut observant Vasquez *præcit. cap.* 4. *num.* 42. & Amicus *disp.* 26. *num.* 9. fuit igitur assertum præceptum non solùm multo antiquius Concilio Tridentino, sed & anterius Paulo, suam primam Epistolam ad Corinthios scribente, & quamvis Paulus illud primò scriptis promulgaverit, jam fuerat anteà promulgatum verbo non scripto, & traditione aliorum Apostolorum, latumque à Christo Domino illicò, aut saltem non multùm post Eucharistiam, & Pænitentiam sacramentalem, institutam.

Et antiquissimũ adeò ut ejus initium ignoretur:

Et Epistolam 1. Pauli ad Corinthios antecesserit.

27

Talis præcepti congruentiæ.

Nec defuit Christo ad tale præceptum non differendum plurima congruentia; enim verò rationes, quibus nonnulli contendunt, esse præceptum naturale, & ex naturâ rei consequens Sacramentorum Eucharistiæ, & Pænitentiæ institutionem, sunt saltem congruentissimæ, ad suadendum, ipsum debuisse statim post talem institutionem poni, seù ferri, ut non difficilè deduci potest ex dictis à *num.* 21 ad 24

Dices: Nonnulli antiqui Patres ex verbis Apostoli 1. *Cor.* 11. non agnoverunt significari, aut deduci sacramentalem confessionem, sed solùm interiorem discussionem conscientiæ, ejusdemque purgationem à se ipso, non ab alio faciendam; ergo ex verbis Apostoli non significatur, aut deducitur assertum præceptum divinum, ergo tale non est, aut saltem non est tàm antiquum, & ipso met Apostolo, ne dum Concilio Tridentino anterius; probatur antecedens, ex eo quod Chrysostomus *homil.* 28. *in epist.* 1 *ad Cor.* ait de illis verbis Apostoli, *Non jussit alteri alterum probare, sed sibi se ipsum; faciens judicium, ad quod populo non pateat aditus, & probationem, quæ careat testibus*: & Theophilactus *in eamd. Epist.* ità scribit *Non alium sibi judicem attribuo, sed te ipsum tibi ipsi commendo, judica igitur, & explora conscientiam tuam, & sic accede*: Theodoretus item *ibid.* inquit *Sis tui ipsius judex vitam tam ex acte judica, conscientiam scrutare, & examina, & tunc dennuo suscipe.* Confirmatur, ex eo quod Innocentius III: dum in Concilio Lateranensi, ut retulimus *cap. præced. nu.* 61. precepit communionem paschalem, & confessionem annuam, videtur, non agnovisse præceptum confessionis, ad communionem præmittendæ, alioqui agnovisset, communionem paschalem secum ferrè confessionem annuam, nec illam precipiendo, debuisset, distinctum de istâ præceptum tradere.

28

Sed contrà: instantia, quatenùs intendit verbis Cor. 11. non significari primariò, directè, & formaliter sacramentalem confessionem, nobis non adversatur; imò est juxtà doctrinam suprà positam *num.* 13., & 14. quatenùs verò contendit, sacramentalem confessionem, neque etiam ex illis verbis deduci, omninò displicet, ideò nego absolutè antecedens, quò ad lu *deduci*; ad antecedentis probationem, dico ex mente Sanctorum Patrum, quemlibet se præparantem ad Eucharistiam, debere esse judicem sui ipsius, in ordine ad judicandum, se habere, vel non habere lethale numquàm confessum, cæterùm qui agnoscit, & judicat, se habere tale lethale, indigere judicio Confessarii, & confessione, non quidem publicâ, quam solam Chrysostomus excludit, sed omninò privatâ, & secre-

secreta, qualis est sacramentalis. Paulò aliter dici potest, conscientiæ scrutationem, & discussionem, quâ tandem videntur ad Apostoli mentem contenti aliqui Sancti Patres, esse illam, quâ quis inveniat, seù agnoscat, se nullum habere lethale, non confessum; Undè Lugus, cujus suprà *num.* 14. meminimus, duplicem conscientiæ probationem, discussionemque requirit, alteram, quâ quis examinet, utrùm habeat conscientiam lethalis, nec ne? alteram, quâ inveniat, se nullam, lethalis non confessi, conscientiam habere, & hanc secundam conscientiæ scrutationem, ac discussionem (quæ tamen sacramentalem confessionem supponit in eo, qui ex vi primæ discussionis se lethalis reum invenit) ex mente Apostoli, & ex explicatione Sanctorum Patrum, esse sufficientem, pro Euchasistiâ, præparationem, & probationem, quod verissimum est.

29

Ad confirmationem dico; Innocentium, licèt optimè norit præceptum divinum, de confessione communioni præmittendâ, non inutiliter præcepisse, tùm communionem paschalem, tùm cõfessionẽ annuã, quia multi sunt capaces confessionis annuæ, nõ cõmunionis paschalis, ut patet in pueris habẽtibus sufficientem, pro confessione, non pro communione, rationis usum, & in perfectè adultis ab istâ, nõ ab illâ Impeditis: Accedit, quod ubi urget præceptum divinum, potest non incongruè addi humanum ad majorem illius explicationem, & quasi cõfirmationem.

30

Ejusdem præcepti exceptiones pertinentes partim ad non copiam Confessarii, partim ad necessitatem communicandi.

Assert. 4. Præceptum, præmittendi communioni confessionem lethalium, admittit varias exceptiones, seù varios casus, in quibus non obligat; & omnes reducuntur ad non copiam, seù innopiam Confessoris, in necessitate communicandi. Ità Scholastici communissimè, quamvis non sine aliquo dissidio, circà particulates casus, in quibus censeatur, dari, sat gravis necessitas, & sufficiet modus inopiæ, seù non copiæ Confessoris: Talis dissidii Auctores, & potissima capita, mox delibabimus, sed prius universim.

Probatur assertum àpriori, quia est de communi ratione pręcepti affirmativi, etiam divini, non obligare pro semper, adeoque admittere aliquas exceptiones, & aliquos casus, in quibus non obliget: præceptum autem, præmittendi communioni confessionem lethalium, est affirmativum, quia ad faciendum pertinet, & ad positivum confessionis actum inducit: admittit igitur exceptiones, ac casus &c. Quod deindè isti casus reducantur ad non copiam, seù inopiam Confessoris, in necessitate communicandi, declarat Concilium Tridentinum sæpiùs citato *cap.* 7. dum postquàm decrevit à Christianis omnibus, etiam ab iis, Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, servandum esse, quod nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, addit, *modò non desit illis copia Confessoris, quod si necessitate urgente Sacerdos, absque prævia Confessione, celebraverit* &c. Ecce concilium, ab obligatione præmittendi communioni confessionem excipit Sacerdotem communicantem in Missâ, & consequenter quoque laicum communicantem extrà missam; quando deest Confessoris copia, & adest communicandi necessitas; ergo à primo ad ultimum, præceptum præmittendi communioni confessionem lethalium, admittit varias exceptiones &c., seù quod in idem recidit, duæ conditiones requiruntur, ut liceat sine præviâ lethalium confessione eucharistiam sumere, prima est, quod desit copia Confessoris, secunda, quòd urgeat necessitas Eucharistiæ sumendæ; si adsit prima conditio sine secundâ, erit à cõmunione abstinendum; si secunda sine primâ, erit confessio communioni præmittenda, sicque alterutra conditione deficiente, præceptum, de quo agitur, obligat, nec licet cum lethali nõ confesso ad eucharistiam accedere: Supetest jam, quod nonnihil attingamus circà utriusque conditinnis modum, explicando, quando nam censeatur, tùm non esse copia Confessoris, tùm adesse sufficiens necessitas communicandi.

31

32

Qualis pro talis præcepti exceptione debeat esse non copia, seù inopia Confessarii?

Censetur non esse eopia Confessoris, quãdo iste, vel nõ est physicè præsens, vel etiamsi sit præsens physicè, non est quodam modo præsens moraliter, non est scilicet in statu exercendi propriam potestatem. Circà primum: illicò dubitatur, quanto loci intervallo distare debeat à pænitente Cõfessor, ut nõ sit illi physicè præsens; certum est in primis, non sufficere illud intervallum locorũ, quod non impedit, ne unus facilè possit ad alium accedere, & in tali intervallo non debere considerari quantum materialiter sit, sed quantũ impedimentũ afferat accessui, & alloquio unius ad alterum; certũ est insuper, non requiri locorũ intervallum, & impedimentum, tàm magnum, ut afferat physicam accessus, & adloquii impossibilitatem, satis est, quod afferat moralem, sitam in ingenti difficultate prudentum judicio, quod juxtà locorũ personarum, & aliarum circumstantiarũ diversitatem, erit diversum, prudenter enim judicabitur, Petrũ v. gr. facilè conficere duo, vel tria milliaria, non Paulum, aut nec eumdem Petrũ in aliis circumstantiis, ætatis, dispositionis corporis, conditionis viarũ, periculis latronũ &c. ideò non potest una pro omnibus talis distantiæ regula, & intervalli mensura tradi, sed cũ Suario *disp.* 66. *sec.* 4 §. *Ex his igitur disp.* 14. *sec* 5. *n* 83. & aliis cõmuniter relinquenda res est sub indeterminatione, & latitudine prudentũ judicio diversimodè in diversis circũstantiis definiendâ. Circà secundũ, omnes cõveniunt, nõ censeri moraliter præsentẽ Cõfessorẽ, qui licet sit præsens physicè, surditate, linguę offensione, aliave infirmitate laborat, ratione cujus nequit, aut proferre absolutionẽ, aut audire cõfessionẽ, præsertim si hanc, nec nutibus, aliisvè signis, valeat percipere. Censetur similiter, non esse copia, & moralis præsentia confessarũ, quando is, qui adest, ex malitiâ, vel ex ignorantia recusat, confessionem audire, aut absolutionem impendere; vel est simplex

33

Sacerdos, habens jurisdictionem, dumtaxat supra venialia, non supra mortalia, pro quibus solis urget præceptum confessionis, ad communionem præmittendæ: Vel est quidem Confessarius ex approbatis, at non habet facultatem ad reservata, penitens verò non habet mortalia, nisi reservata; eadem est ratio, si pœnitens non habeat nisi mortalia, ex quorum manifestatione illi confessario, qui solus adest, facta sibi, rationabiliter timeat fractionem sigilli, aut aliud grave detrimentum:

34 Extendunt hoc aliqui ad casum, quo Confessori, qui solus adest, nequeat pœnitens confiteri, nisi aut cum minori devotione, & utilitate, aut cum majore rubore, & verecundiâ, sic Richardus *in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 6.* cui favet Sylvester verbo *Eucharistia 3 quæst.14.* censet, non esse moraliter copiam Confessarii, quando deest Confessarius proprius, cui, quis solet, devotius, & utilius confiteri; sic item Rosella in Sum., & aliqui alii Summistæ putant, Sacerdotem Religiosum, quando non adest, nisi confessor sæcularis, posse sine prævia confessione celebrare, ut more suo intrà Religionem confitendo, melius servet suæ Religionis famam. Verum hujus extensionis doctrina communiter jam rejicitur, &, præsertim, ut traditur à Richardo, nec secura; nec practicè probabilis videtur Suario *præcit. sec.4. §. Circà primum*, & benè Gonetus *præcit art. 2. num. 27.* ait reverentiam eucharistiæ sacramento (adde) & divino præcepto debitam, prævalere privatæ utilitati, & devotioni; & peccatorem, in necessitate communicandi, non sufficienter excusari à confessione faciendâ Sacerdoti præsenti, ex eo quod aliquid amplius ruboris, & verecundiæ patiatur cum ipso, quàm cum alio Confessario.

35 *Qualis item debeat esse necessitas communicandi.* Censetur in hypothesi, de qua agitur, esse sufficiens necessitas communicandi ea in primis, quæ oritur ex mortis articulo, seù periculo, quatenus quis stante non copiâ Confessarii, periclitaretur mori sine viatico, nisi istud sine præviâ confessione sumeret; de hâc necessitate, ut potè quæ valdè propria est, & vix majorem admittit, nemo dubitat, quin sufficiat: Huic proximè accedit necessitas dandi viaticum alteri, quæ propterea solet, & ipsa censeri sufficiens, ut liceat Sacerdoti inconfesso celebrare, habet tamen molestam rationem dubitandi, ex eo quod in simili casu, non liceat celebrare Sacerdoti non jejuno, aut non induto sacris vestibus? Verum placet ea disparitas, quæ desumitur, ex eo quod impedimentum peccati sit occultum, & confessionis remedium possit contritione suppleri, sit autem impedimentum externum, & manifestum, nec ullo remedio, ut ità dicam sanabile, defectus jejunii, aut sacrarum vestium, ut magis explicant Lugus *præcit sec.5. num.110.*, & Arriaga *disp.46 sec.3. subsec.2.* Præter eam viatici, aut sumendi, aut dandi aliâ potissima, & indubitata necessitas, sufficiens ad licitam, sine prævia confessione, communionem, censetur, esse periculum gravis infamiæ, quam quis, à communione abstinendo, subiret: Hoc titulo Sacerdos, in ipsâ missæ celebratione, alicujus mortalis non confessi, recordatus, aut in novum lethale lapsus, vix umquam tenetur, aut ad altare Confessarium accersere, aut ab altari, missâ non absolutâ, recedere; quia vix umquam potest alterutrum fieri, sine gravi infamiæ notâ, & forte vix alius casus excogitari potest, nisi is, quo unus Sacerdos alteri missam inserviat, nec alii adsint, ut Arriaga *subsec. præcit. num 31.* observat, evenire posse inter Chartusianos, & inter duos Sacerdotes, qui occasione itineris, soli summo mane conveniant ad celebrandum.

36 Idem quod de Sacerdote, inchoatâ jam missâ, solet concedi, de eodem sacris vestibus induto, procedente ad altare, item de laico, inter alios multos genuflexo ad mensam communionis: Solent hic afferri aliquæ aliæ, tamquam sufficientes, ad præsens intentum, necessitates, sed aut sunt sub controversiâ, aut reducuntur ad titulum infamiæ: Talis est primò necessitas vitandi alienum scandalum, quæ censetur absolutè sufficiens à Suario *præcit. sec. 4. §. Quarta etiam*, ab aliis verò, ut à Vasquio *disp.208. cap.2. num.14.* Lugo *num 118.* & Arriaga *nu. 35.* censetur sufficiens solum, quando alienum scandalum foret cum diffamatione, & infamiâ ejus, qui communionem omitteret: Talis est secundo necessitas satisfaciendi obligationi, quâ quis ex officio tenetur celebrare in die festo, præsertim si alioqui populus sit missâ cariturus, quæ necessitas potest esse non infrequens in rusticanis parvorum oppidorum Parochis, & sufficientissima reputatur à Suario *præcit. sec. 4. §. Ultima causa*, Arriaga *præcit sec.3. num 32.* Goneto *præcit. art.2. nu.28.* & aliis pluribus.

37 Nihilominus, si solum urgeat obligatio officii, & indigentia populi, non verò periculum infamiæ, sentiunt, Parochum debere potius non celebrare, quam celebrare, sine præviâ confessione, Vasquez *præcit. cap. 2. num 8.* Lugus *præcit. sec. 5. num. 114.* & cum exceptione diei Paschatis, Jubilæi, aut solemnissimi Festi Amicus *præcit. disp. 26 num. 19.* Talis est tertiò necessitas implendi præceptum communionis Paschalis, in quâ, etiam abstrahendo ab omni infamiâ, & scandalo, licitum esse, sine præviâ confessione in Confessoris inopiâ communicare, affirmant Paludanus *in 4. dist. 9. quæst 4. conc 10.* Henriquez *lib.8. de Euchar. cap.46. § 4.* Lugus *n 116.* & aliqui alii: Negant verò, & putant in tali casu præceptum communionis paschalis ex se præcisè non obligare D. Antoninus *3. par. sum. tit. 13. cap. 6. §. 7.* Herinex *disp. 6. quæst. 6. num. 79.* Suarez sæpius *cit. sec. 4. §. Major difficultas*, & apud ipsum alii,

38 Non moror hic in librandis momentis, & fundamentis singularum opinionum, quas circà tres postremos necessitatis modos retuli; solum moneo, quamlibet ex ipsis, censeri posse, practicè probabilem, & ferè problematicum esse: Utrùm tres præmemoratæ necessitates sufficiant,

nec

nec ne ad licitè communicandum, sine prævià confessione, ex quo infero, esse omninò probabilius, & ferè certum, non sufficere ullam necessitatem illis tribus minorem, adeòque non licere sine prævià confessione eucharistiam sumere, aut ad satisfaciendum voto communicandi in aliquo peculiari festo, aut ad non interrumpendam consuetudinem frequentis communionis, aut ad non fraudandum se fructu singularis devotionis, aut ad vitandam aliquorum admirationem, aut ad lucrandam indulgentiam, & alias similes tribus præcedentibus minores, & congruentias, ac commoditates potius, quàm necessitates, & urgentias, seù necessitates urgentes, quales requirit Tridentinum.

---

§. III.

Ad quid, tùm antè, tùm post communionem, teneatur, qui, in aliquâ ex prædictis exceptionibus, communicat inconfessus?

39 — *Qui excusatur ab obligatione confessionis tenetur communionis contritionem præmittere, saltem æstimatam?*

ASSERT. I. Ad hoc ut quis, urgente necessitate, & deficiente copiâ Confessoris, licitè communicet, cum conscientiâ lethalis non confessi, necessaria est antè communionem contritio, saltem existimata, nec sufficit attritio cognita ut talis. Ità ex professo Suarez *disp. 66. sec. 5.* & Lugus *disp. 14. sec. 6.* obiter verò Gonetus *præcit. art. 4. num. 30.* idemque supponunt cæteri communissimè, dum ad licitam Eucharistiæ sumptionem prærequirunt statum gratiæ, saltem existimatum, quod sicuti nos *præced.* §. 1. diximus, esse de fide simpliciter, & per se loquendo, ità non possumus, non aliquâ notâ dignos censere, docentes, talem statum non prærequiri in casu carentiæ Confessarii, & urgentis necessitatis communicandi, ut tenentur facere Adversarii præsentis asserti, qui propterea apud Suarium non sunt, nisi quidam Recentiores innominati, apud Lugum affertur nominatim Filliucius, sed qui videtur se posteà retractasse; quicumque autem sint, temeritatis censurâ notantur ab iisdem Suario, & Lugo; item à Turriano in Censuris theologicis *centur. 2. dub. 16.*

Censura opinionis oppositæ.

Quatenus deindè in asserto ponitur, sufficere contritio existimata, adversatur Major *in 4. dist. 9. quæst. 1.* opinatus indignè, illicitè, & peccaminosè communicare eum, qui re verâ non communicat in gratia; & hæc quidem Majoris opinio, in oppositum à præcedente extremum declinans, vix minorem, quàm præcedens, censuram meretur, cum sit contrà communem Scholasticorum sensum, & levi aliundè nitatur fundamento, ut refert Valentia *disp. 6. quæst. 8. punc. 3.* §. *De secundâ quæstione.* Nec in hoc puncto operæ pretium est immorari, solum quo ad primum, quod magis principale, & hujus loci magis proprium est.

40 Probatur assertum, ex eo quia ad hoc ut quis licitè communicet, necesse est, quod sit in statu gratiæ, saltem existimato, ut abundè colligitur, tùm ex *præced.* §. 1. tùm ex magnâ reverentiâ, & sanctitate, quam Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* requirit in eo, qui ad Eucharistiam percipiendam accedet; atqui qui communicat cum conscientiâ lethalis non confessi, absque eo quod communioni præmittat contritionem, saltem existimatam, non communicat in statu gratiæ, nequidem existimato; peccator enim extrà sacramentum, & sacramentalem confessionem, non constituitur in statu gratiæ vero, nisi per contritionem veram; existimato, nisi per contritionem existimatam; nec sufficit attritio cognita, ut talis; ergo ad hoc ut quis urgente necessitate &c.

Dices, hoc totum benè procedere, quando (ut regulariter evenit) communicare sine prævio statu gratiæ impedit Eucharistiæ effectum propter obicem, aut positivum novi peccati, aut negativum carentiæ dispositionis sufficientis; atqui in casu nostro peccator communicans cum solâ attritione, quamvis sit sine prævio statu gratiæ, non impedit Eucharistiæ effectum, nec apponit obicem positivum, cum non committat ullum novum peccatum, nec violet ullum præceptum, nam præceptum confessionis, propter urgentem necessitatem, & Confessarii inopiam, non obligat, præceptum verò contritionis in confessionis defectum, nullo jure datur; Nec item apponit obicem negativum, cum attritio sit sufficiens dispositio ad effectum eucharistiæ, ut potè quæ potest aliquando suâ virtute conferre peccatori attrito primam gratiam, ergo tota nostra probatio nil concludit, & in casu asserti licitum est communicare cum attritione cognitâ, ut tali, absque eo quod sit necessaria contritio, saltem existimata. Sed

41 contrà: Nego absolutè minorem, & dico in casu asserti, peccatorem communicantem cum solâ attritione cognitâ, ut tali, & committere novum peccatum, & præscindendo etiam à novo peccato, non afferre sufficientem dispositionem pro Eucharistiæ effectu: Ratio primi est, quia licet nullo jure positivo detur præceptum, de contritione communioni præmittendâ in defectum confessionis, datur jure divino naturali, quo consequenter ad propriam eucharistiæ naturam, & significationem quilibet tenetur ad eam accedere in gratia, ad quam comparandam, nullum aliud à contritione peccatori medium suppetit in confessionis defectum. Ratio secundi est, quia attritio, quæ in non improbabili sententiâ potest per accidens sufficere peccatori, ad obtinendam virtute eucharistiæ justificationem, & primam gratiam, non debet esse cognita ut talis; sed existimata contritio, cæterùm cognita ut talis, nequidem per accidens est umquam in peccatore sufficiens dispositio pro Eucharistiæ effectu.

Undè habeatur præceptum illius contritionis præmittendæ.

42 Urgebis: Existimatio contritionis nihil confert ratione sui ad effectum sacramenti, nec mutat, aut perficit intrinsecè actum attritionis, ergo si attritio cum existima-

tione contritionis, seù existimata contritio, aliquando est in peccatore sufficiens dispositio ad effectum Eucharistiæ, non est cur nequeat esse sufficiens, etiam se solâ, & cognita ut talis; cum præcipuè hoc magis faveat suavitati divinæ providentiæ, quam nostra doctrina videtur, duriorem reddere, propter difficultatem eliciendi contritionem, quæ cognoscatur, ut talis, & ista quidem difficultas major apparet, si supponatur casus subitæ necessitatis communicandi, & peccator sit obduratus, aut in peccandi consuetudine. Sed contrà: Si ex propriâ sententiâ, & doctrinâ *cap. seq. §. 2.* tradendâ loquerer facile me expedirem, negando, attritionem, quamvis existimatam contritionem, posse umquam peccatori sufficere pro Eucharistiæ effectu: loquendo tamen pro nunc, juxtà aliam sententiam non improbabilem, & fortè communiorem, dico existimationem contritionis ratione sui non conferre ad eucharistiæ effectum, nec mutare attritionis actum in se, benè verò in existimatione, & inducere statum gratiæ existimatum, quamvis non realem, qui status, in sententiâ, in quâ modò procedimus, est aliquando peccatori sufficiens ad communicandum fructuosè, & cum effectu, sicuti est eidem, in omnium sententiâ, contrà Majorem, sufficiens ad cõmunicandũ licitè, & sine novo peccato.

43

Ad illud, quod in instantiæ instaurationi addebatur, dico, favendum esse suavitati divinæ providentiæ, solum quando talis favor non redundat in odium, seù detrimentum reverentiæ sacramenti, cui censendum non est, ex divinâ providentiâ præferri suscipientium utilitatem, ut benè conjici potest ex animadversione positâ *praced. cap. num* 152. & 153. Cum igitur Eucharistiæ sumptio, facta à peccatore cum solâ attritione, cognitâ ut tali, sit regulariter loquendo indigna, & redundans in magnam irreverentiam sacramenti, non habet locum prætensa divinæ providentiæ suavitas, & quoties haberi nequeat contritio, saltem existimata, favendum est reverentiæ sacramenti, potius quam utilitati sumentis, qui propterea tenebitur, cum quocumque proprio incommodo, ab Eucharistiâ sumendâ, abstinere; proprio, inquam, incommodo; nam, si sit ex alio, quam propriæ utilitatis, propriive commodi, fine, puta ad vitandam majorem irreverentiam ipsius Eucharistiæ, quæ v.gr. esset, ab impiis, repentè irruentibus, conculcanda, aut feris projicienda, tunc quia *ex praced. num* 5. minor irreverentia est, eam sumi in statu peccati, quam ab impiis conculcari, aut projici, facilè concedam, fore licitam sumptionem, factam à peccatore cum solâ attritione, cognitâ ut tali, aut etiam fine ista, si in eâ animi turbatione, & temporis angustiâ, non solum non valeat conteri, sed nequidem atteri. Item, si esset Eucharistiæ cum solâ attritione sumptæ irreverentia, ob ignorantiam invincibilem sumentis, qui invincibiliter, & inculpabiliter existimet, peccatorem se cognoscentem solum attritum esse, sufficienter dispositum, & dignè sumere Eucharistiam, licebit quidem peccatori, sic existimanti, cum solâ attritione, cognitâ ut tali, communicare, quemadmodum tradit in terminis Suarez *pracit. sec. 5. §. ex hac vero*: at non licebit, solo titulo proprii commodi, & utilitatis, aut necessitatis communionis, sed ratione ignorantiæ invincibilis, tollentis irreverentiam Sacramenti, & reddentis Eucharistiæ sumptionem materialiter, si minus formaliter dignam, aut potiùs non indignam. Hincque inferas, esse quidem dabiles casus, in quibus liceat peccatori, cum solâ attritione cognitâ ut tali, aut etiam sine ipsâ, eucharistiam sumere, at non præcisè ob inopiam Confessarii, & necessitatem, utilitatemvè communicandi, undè tandem assertum in terminis, & ut jacet, si omnia benè expendantur, nullam patitur exceptionem.

44 Aliqui casus, in quibus licet haberi cõscientiam lethalis Eucharistiam sumere cũ sola attritione, aut etiam sine ipsa.

45

Dubitatur jam, Utrùm, qui in confessione omittit ex oblivione inculpabili aliquod lethale, cujus deindè ante communionem recordetur, teneatur, de ipso antè communionem conteri, si non habeat copiam confessarii, aut, si hanc habeat, confiteri? Casus potest dupliciter procedere; primò supponendo peccatum oblitum, non fuisse in confessione remissum, eo quod confessio non fuerit facta cum dolore universali, ad illud se extendente, adeoque remanserit invalida, aut saltem informis, & sine effectu remissionis peccati obliti, ac aliorum quoque consequenter; in hac hypothesi nulla est ratio dubitandi, quia si confessio fuit invalida, perindè est, ac si non fuisset; si informis, licèt valida, indiget novo dolore, ut formetur, & gratiam peccatorum remissivam, ac pro eucharistiæ sumptione prærequisitam, conferat, erit igitur omnino præmittendus novus dolor, qui quidem sufficiet, si sit attritio, at non propterea quidquam sequitur contrà suprà assertam necessitatem contritionis, & attritionis insufficientiam, quia attritio operans in virtute sacramenti, ut operaretur in proposito, æquivalet contritioni, & de illa nos anteà locuti sumus, se solâ, non ut, Sacramento revivifcente, conjuncta: Deindè hæc non habent locum in nostris principiis, in quibus juxta alibi dicenda, sacramentum pœnitentiæ, quoties est informe, est simul invalidum, & gratia, quam confessio non confert ab initio, nequit posteà haberi, nisi aut per confessionem aliam, aut per contritionem, nullatenus per attritionem, in virtute prioris confessionis reviviscentis. Alius modus, quo casus dubii potest procedere, imò verè in præsenti procedit, est supponendo, peccatum oblitum fuisse in confessione remissum, eo quod extiterit cum dolore universali, valida, formata, & peccatorum confessorum directè, peccati obliti indirectè remissiva; juxtà quem modum, ac sensum.

46

Ad primam dubii partem, communissima est, adeò ut à pluribus supponatur potius, quàm ex professo tradatur negativa responsio, & Auctores, quos contrà ipsam

ſtam refert Diana *tom. 1. tract. de celebrat. Miſſar. reſol.* 48. ſi unum ideſt Joannem Medinam excipias, immeritò falſoque referri, obſervant Lugus *diſp.14. ſec.6. nu.125.* & Arriaga *diſp.46. ſec.3. ſubſec.3. num.34.* Talem igitur negativã reſponſionem amplector, & ſentio eũ, qui recordatur peccati, in antecedenti confeſſione obliti, remiſſi tamen, deficiente Confeſſario, nõ teneri de eo iterum, antè cõmunionem, dolere, & conteri; Ratio eſt, quia obligatio contritionis, ad communionem præmittendæ, in confeſſionis defectum, tota oritur ex neceſſitate accedendi ad euchariſtiam in gratiâ, ad quam in defectum confeſſionis, unicum medium eſt contritio, atqui in caſu noſtro, qui recordatur peccati in confeſſione obliti, ſupponitur conſtitutus in gratia, & habere peccatum illud, ſimul cum aliis in antecedenti confeſſione remiſſum. Nec refert, quod de tali peccato, non fuerit elicitus dolor particularis, & quod per conſequens ſit de ipſo eliciendus, quando memoriæ occurrit, quia ſicut eſt præceptum confitendi quodlibet peccatum in particulari; ità & de quolibet in particulari dolendi: Non refert inquam, quia hæc doctrina, quam tradit Joannes Medina, Codice de Pœnitentia *tract. 1. quæſt. 3. §. Ex dictis ſequitur.* Singularis eſt, & communiter rejecta, receptiſſima verò oppoſita, docentium, dolorem univerſalem, ad peccatorum remiſſionem, ſufficere, nec ullam novi doloris obligationem relinquere, niſi occaſione confeſſionis, cui ſubijciantur.

47 Qui recordatur peccati in confeſſione valida obliti deficiente Cõfeſſario non tenetur antè communionem conteri?

Ad ſecundam dubii partem: videntur favere, & aliquam probabilitatem tribuere reſponſioni negativæ. Henriquez *lib. 8. de Euchar. cap. 46. §. 3.* & Arriaga *mox cit. ſec. 3. ſubſec. 2.*, ſed ille obſcurè loquitur, & limitatè, de adſtante cum aliis ad Altaris linteum, qui poteſt à confeſſionis obligatione excuſari, ex inopiâ Confeſſoris, & neceſſitate communicandi in illis circumſtantiis; Arriaga verò poſt excogitatas, & allatas plures illius probabilitatis ſpeculativæ rationes, tandem *num. 27.* eis non acquieſcit, & non cenſet, poſſe abſolutè defendi contrà ſententiam communem affirmantem, eum, qui recordatur peccati in antecedenti confeſſione obliti, habere per ſe loquendo, & Confeſſario non deficiente, obligationem illud confitendi, antè communionem, etiam ſupponatur fuiſſe remiſſum in confeſſione, in quâ fuit oblitum, quam quidem ſententiam cenſeo indubitanter, amplectendam, cum Suario *diſp. 66 ſec. 4. §. Sed hujus occaſione* Lugo *præcit. ſec. 6. num. 126.* Lauræâ *diſp. 25. art. ult. num. 170.* Maderno *quæſt. 7. art. 8. num. 16.* & unanimi aliorum Scholaſticorum, quamvis non omnes ſe explicent, ſenſu: Ad ſecundam igitur dubii partem, omninò affirmativè reſpondeo, & in reſponſione negativâ, nequidem ſpeculativam probabilitatem, quam ei ſtudet Arriaga, tribuere, agnoſco; Moveor in primis ex praxi fidelium, qui quoties alicujus mortalis, in confeſſione obliti, recordantur, ſoliciti ſunt de Confeſſario, antè communionem adeundo, nec, eo peccato inconfeſſo, audent, ad euchariſtiam accedere: Stante hâc fidelium praxi, & eccleſiæ conſuetudine, quæ eſt optima cujuslibet obligationis, & præcepti interpres, non eſt dubitandum, quin Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 7.* locutum fuerit de confeſſione ſacramentali, non quicumque, ſed omnium lethalium, quorum memoria antè communionem occurrit, ſive occurrat memoria omnium ſimul in ordine ad unicam confeſſionem, ſive alicujus poſt alia, cujus propterea ſit neceſſaria nova confeſſio, ut verificetur, eſſe confeſſa antè communionem omnia. Ratio ulterior eſſe poteſt, quia finis præcepti confeſſionis ſacramentalis ante communionem, non eſt præcisè, quod adhibeatur certius medium ad communicandum in ſtatu gratiæ, ſed inſuper, quod feratur à Confeſſario judicium de diſpoſitione, & dignitate communicandi, pro tali autem judicio, neceſſaria eſt confeſſio omnium, quæ pœnitens poteſt ſivè unâ, ſivè multiplici confeſſione exponere; nec ratione oblivionis, ſeu unius confeſſionis, cum oblivione factæ, debet eſſe melioris conditionis, & ſolutus ab obligatione confitendi antè communionem aliquod peccatum, memoriæ occurrens, cum non ſit ratione illius oblivionis dignior, & aptior ad communicandum, nec commendabilis, ſed potius reprehenſibilis.

48 Quod ſi Confeſſarius non deficiat tenetur illud antè communionem confiteri.

49

Dices, ex unâ parte praxim à nobis allatam non admodùm urgere, quia videtur inducta ſolum ad majorem ſecuritatem, & viget præcipuè apud homines vulgares, ac rudes vix apprehendentes, peccatum in eâ ipsâ confeſſione, in quâ inculpabiliter omittitur, remitti, ìmò de ipſo anxios æquè, ac ſi confeſſio, in qua inculpabiliter omiſſum fuit, non præceſſiſſet; ex aliâ parte, præceptum de confeſſione communioni præmittendâ, fuiſſe impletum per confeſſionem validam, ac formatam, per quam is, cui peccatum oblitum occurrit, reperit ſe in gratiâ, & cum totâ probatione ab Apoſtolo, ad communionem requiſitâ: ergo neque ex praxi, neque ex Apoſtoli, aut Tridentini, aut potius Dei præcepto, ſatis colligitur obligatio confeſſionis, de quâ agitur. Sed contrà: Solicitudo, & propriæ conſcientiæ ſtimulus, quibus quilibet ſatagit peccata oblita, ſi occurrant, antè communionem confiteri, innegabiliter arguunt, allatam praxim eſſe inductam, & receptam, tamquàm ſimpliciter neceſſariam, non dumtaxat, tamquàm utilem, & magis ſecuram. Quod præcipuè vigeat apud vulgares, & rudes, non eſt verum, quatenus apud doctos, & illuſtres non vigeat, quoties caſus occurrunt, ſed ad ſummum, quatenùs apud iſtos minus, rariuſque contingit, alicujus peccati in confeſſione oblivio propter majorem, quam habent peccatorum diſtinguendorum, propriæque conſcientiæ diſcutiendæ peritiam, memoriam item regulariter feliciorem. Ad aliam inſtantiæ partem, patet ex jam dictis, præceptum, de quo agitur,

50

non

non impleri per confeſſionem quamcunq; validam, & formatam, ſed per eam ſolam, quæ ſivè una ſit, ſivè multiplex, eſt omnium peccatorum antè communionem memoriæ occurrentium; Patet item, non habere probationem ab Apoſtolo requiſitam, illum, qui ſe reperit in gratiâ, niſi ſe taliter reperiat ex vi confeſsionis omnium, peccatorum, quorum habet conſcientiam, ſeù ſcientiam; pro aliquo tempore communionem præcedente; & quamvis fieri poſſit multiplex in utramque partem ratiocinium, puto, conſultius eſſe ſtudium ratiocinandi in prædictæ praxis, obligationiſque confirmationem, & favorem potius, quam in deſtructionem, & detrimentum, ut videtur ratiocinari, quamvis alioqui ſubtiliter Arriaga *precit. ſubſec.* 2. ex quo.

51

Urgebis: Etiam confeſſio, quæ fit ad implendum præceptum, confitendi ſingulis annis, aut ad lucrandum jubilæum, debet, eſſe confeſsio omnium peccatorum, & tamen, qui in alterutrâ obliviſcitur alicujus peccati, cujus paulò poſt recordatur, non tenetur illud, aut intrà eumdem annum, aut intrà tempus jubilæi confiteri, ergo, ex eo quod confeſsio communioni præmittenda, debeat eſſe omnium peccatorum, non benè infertur, peccatum in ipſa oblitum, eſſe poſteà, ſi in memoriam redeat, confitendum, intrà tempus communionem præcedens: Et Confirmatur, ex eo quod hujuſmodi peccatum, ut poſtè remiſsum, non dicitur propriè remanere in conſcientiâ, ſeù gravare conſcientiam, & tamen præceptum in Tridentino *cap.* 7. expoſitum, non obligat ad confeſſionem, communioni præviam, niſi eum, *qui eſt ſibi conſcius peccati mortalis*, & ut habetur can. 11. *Quem conſcientia peccati mortalis gravat*. Sed contrà. Utraque confeſſio, quæ in inſtantiâ obiicitur, debet eſſe omnium peccatorum, ſolum titulo propriæ integritatis, & quantum requiritur, ut ſit formaliter integra, eſt autem talis per hoc, quod exponantur omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, ipſo tempore confeſſionis; At confeſſio de quâ agitur, debet eſſe omnium peccatorum, non ſolo titulo integritatis, ſed etiam alio peculiari; non accedendi ad eucharistiam cum conſcientia lethalis, modo ſtatim explicando, in reſponſione ad confirmationem, ad quam dico, peccatum remanere in conſcientiâ, ſeù gravare conſcientiam, non ſolùm quamdiù non eſt remiſsum, ſed inſuper quamdiù retinet obligationem, & onus, quod aliquando confeſſioni ſubijciatur, ut retinet peccatum remiſsum, aut per contritionem, aut per confeſsionem, in quâ fuit oblitum, ſicuti igitur ex mente Tridentini, peccatum remiſsum primo modo eſt in conſcientia, gravat conſcientiam, quantum requiritur ad præſens intentum, ità & remiſsum, ſecundo modo; ſed de iis plura Lugus *præcit. ſec.* 6. à *num.* 124. ad 134.

52

Quamdiù peccatum mortale dicatur in cõſcientia remanere, & cõſcientiam gravare?

53

Aſsert. 2. Poſt factam, in caſu neceſsitatis, & defectu Confeſsarii, Sacerdotalem communionem, ſine præviâ mortalium confeſſione, tenetur Sacerdos, quàm primum confiteri: Præceptum verò, ex quo tenetur eſt eccleſiaſticum, non divinum; nec ad laicos, aut communionem laicam extenditur. Prima pars eſt communiſſima, contrà Petrum Ledeſmam 1. *par. Sum. tract. de Euchar. cap.* 11. & Henricum Villalobos *tom.* 1. *tract.* 7. *dub.* 37. Secunda negans, præceptum eſſe divinum eſt Navarri *in Sum. cap.* 2. *nu.* 10. Sylvii *hic quæſt.* 80. *art.* 4. *quæſit.* 2. Suarii *diſp.* 66. *ſec.* 6. Vaſquii *diſp.* 208. *cap.* 3. *nu.* 16. Lugi *diſp.* 14. *ſec.* 7. *num.* 137. Arriagæ *diſp.* 46. *ſec.* 4. *num.* 35. & aliorum magis communiter contrà gloſſam in cap. *De homine* de celebrat. Miſsar. Scotum *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt. un. in fine*. Lauræam *diſp.* 25. *art. ult. num.* 177. & aliquos alios. Tertia pars negans extendi ad communionem laicam eſt Sylvii *ibid.* Suarii mox *cit. diſp.* 66. *ſec.* 7. Vaſquii *num.* 24. Lugi *num.* 138. Maderni *quæſt.* 7. *art.* 8. *num.* 24. Amici *diſp.* 26. *num.* 22. & aliorum plurium contrà Lauræam *num.* 171. & ut puto alios docentes, præceptum eſſe divinum, quibus in hoc puncto, ex docentibus, eſſe dumtaxat eccleſiaſticum, accedunt Navarrus *præcit. n.* 10. & Henriquez *lib.* 8. *de Euchar. cap.* 45. Porrò aſsertum, univerſim magis placet, tùm quia totum habet plures Patronos, quam Adverſarios, tùm quiâ mediâ incedit viâ, & præceptum confitendi quàm primum, nec antiquiſsimum, & univerſaliſſimum facit, ut faciunt Auctores relati, contrà ſecundam, & tertiam; nec omninò deſtruit, ut deſtruunt Ledeſma, & Villalobos, quorum poſteâ opinionem excitavit, & ex profeſſo tradidit, ſaltem tamquam æque probabilem, ac oppoſitam, Tamburinus in Methodo expeditæ Communionis *lib. un. cap.* 1. §. 6. *num.* 49. & *ſeqq.*

54

Probatur prima aſſerti pars, expreſſis verbis Concilii Tridentini, toties *recit. cap.* 7. ubi poſtquam decrevit, præceptum confeſſionis ſervandum eſſe, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, modò non deſit illis copia Confeſſoris, caput concludit dicendo *Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos, abſque præviâ confeſſione celebraverit, quam primum confiteatur*: Et in Rubricis Miſſalis ſub titulo *De defectibus in diſpenſitionis anima* de eodem Sacerdote dicitur. *Debet, cum primum poterit, confiteri*. Nec refert, quod Rubricæ Miſſalis, ex ſe non habeant vim, obligandi ſub lethali; Concilium verò non adhibuerit verba, præceptum explicantia, ut eſſe ſolent *Jubemus, præcipimus, mandamus*. Non refert, inquam, quia benè obſervat Vaſquez etiam quocumque verbo modi imperativi quandoque tradi præceptum; Nec rubricam Miſſalis attuli, tamquam per ſe inducentem, obligationem ſub lethali; ſed tamquam per ly *Debet confiteri* inſinuantem, quod Eccleſia præceptum, non conſilium, intelligat, per ly *Confiteatur* in verbis Tridentini: Cæterùm, quamvis res non ſit ex terminis perſpicua, non poſſum non ægrè ferre facilitatem recedendi à ſententiis communioribus, præſertim quando agitur de interpretandis verbis

55

Sacerdos verè habet præceptũ confitendi, quàm primùm poſtquam in neceſſitate & defectu Cõfeſſarii celebravit ſine prævia confeſſione.

bis alicujus Concilii, in partem magis laxam, minus faventem præcepto, minusque conformi praxi Ecclesiæ, & pietati fidelium: Et in re præsenti, omnem sustulit ambigendi locum damnatio propositionum, facta ab Alexandro VII. sub die 18. Martii 1666. inter quas, trigesima octava ità habet, *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quàm primùm, est consilium, non præceptum*.

56 — Tale præceptum non est divinum, sed ecclesiasticum.

Probatur secunda pars, quia præceptum, ex quo Sacerdos tenetur &c. neque est immediatè latum à Christo, neque necessariò consequitur ad aliud, à Christo latum, idest ad præceptum probandi se ipsum, ex quo diximus, deduci confessionem communioni præviam; ergo præceptum, quo Sacerdos tenetur &c. non est divinum, sed ecclesiasticum, nec Tridentino, à quo impositum fuit, antiquius: Probatur antecedens, quò ad primam partem, quia nullus sacer textus, nullus Conciliaris canon, imò nullus Auctor ante Concilium Tridentinum facit mentionem talis præcepti, aut alicujus consuetudinis antiquæ, quæ possit esse argumentum illius, à Christo in ecclesiam traditione apostolicâ, deducti: Probatur idem antecedens, quò ad secundam partem, quia licèt Concilium, eodem contextu, quo explicat divinum præceptum, probandi se ipsum, subjiciat preceptum confitendi, quàm primùm, hoc non subjicit, tamquàm ex illo deductum, sed tamquàm à se impositum, in ordine ad fovendam illius observantiam; Cæterùm, præceptum probationis, & confessionis præviæ, obligat, pro tempore communionem antecedente, qui autem omittit actum præceptum pro determinato tempore, regulariter non tenetur, tali tempore transacto, exercere illum actum quam primum, ut ostendit pluribus exemplis Suarez *præcit. sec. 6. §. Dupliciter*; ergo ex obligatione confessionis præviæ, nequit deduci obligatio confitendi quamprimum, neque quod hæc sit ex præcepto divino, eo quod ex præcepto divino sit illa.

57

Dices ex Scoto apud Lauream *num.* 178. ratio precipiendi confessionem præviam, est sensibilis inter communicantes, & Christum unitas, per ipsum eucharistiæ sacramentum significata; atqui hæc ratio non cessat, imò magis urget post communionem; ergo præceptum confessionis præviæ, si non fuit impletum, inducit, aut infert obligationem confitendi quàm primum post communionem, & utraque obligatio, sicut ex eodem motivo, ità ex eodem jure, eodemque Auctore, procedit. Sed contrà. Jam *præced. num.* 23. diximus, unitatem illam sensibilem, nec esse sufficientem, nec potissimam rationem precipiendi confessionem præviam, & in progressu docuimus, hanc fuisse præceptam potissimum, ut cum certiore statu sanctitatis, & gratiæ ad Sacramentum omnium sanctissimum accedatur; absolutè igitur neganda est major propositio, quæ tamen, si permitteretur, & simul concederetur minor, adhuc posset benè negari consequentia, quia non valet illatio, à ratione legis ad legem, neque ubicumque, aut pro quocumque casu est eadem ratio legis, debet esse eadem lex.

58 — Et obligat solos Sacerdotes communicantes in celebratione Missæ.

Probatur tertia pars, quia præcepta juris positivi scripti, præsertim si sint pænalia, aut onerosa; idest onus grave imponentia, non sunt extendenda ultrà id, quod verba scripta sonant; tum quia lex scripta non obligat, nisi ut scripto exprimitur; tùm etiam quia odia, & onera sunt restringenda; atqui præceptum, de quo agitur, est juris positivi scripti, est item pænale, aut saltem onerosum, & verba, quibus scripto exprimitur in Tridentino, nihil sonant de communione, quæ à laicis, aut laicè fit, sed in terminis enunciant Sacerdotem, qui celebraverit, adeòque sacerdotaliter, non laicè communicaverit; Nec refert quod Navarrus ait Concilium idem fuisse enunciaturum, ac definiturum de laicis, si fuisset de ipsis requisitum. Non refert, inquam, in primis, quia hæc est pura divinatio, & cum versemur in re odiosâ, esset potius pro parte negativâ, quàm pro affirmativâ, divinandum; Deinde per id, quod fuisset definiendum, nulla inducitur obligatio, quia superior obligat per id, quod præcipit, non per id, quod præciperet.

59

Dices, Ratio præcepti, quo Sacerdos tenetur, confiteri quamprimùm, sivè sumatur ex unitate sensibili, & reconciliatione externâ cum Christo, & ecclesiâ, sivè ex statu gratiæ ad eucharistiam requisito, procedit etiam de laico, ergo etiam ad laicum extenditur illius præcepti obligatio; implicitè, & ex identitate rationis, seù finis, quamvis non explicitè, & ex sono, seù significatione verborum. Sed contrà. Repeto in primis ex nuper dictis, identitatem rationis non sufficienter inferre extensionem legis, seù præcepti. Deindè nego rationem præcepti, quo sacerdos tenetur, &c. procedere etiam de laico, & dico, talem rationem esse neutram ex assignatis, sed desumi ex periculo communicandi sæpiùs; & per plures continuatas vices, sine præviâ confessione, quod periculum magnum est respectu sacerdotum, ut potè qui ex officio tenentur, frequenter celebrare, ac sæpè in villulis, & oppidis, in quibus non degit alius sacerdos, cui possint confiteri; ad præveniendum igitur hoc periculum, sacerdos quoties semel cum conscientiâ lethalis, urgente necessitate, inconfessus celebravit, peculiari præcepto obligatur, confiteri quàm primùm, nec expectare tempus iterùm celebrandi, in quo redeunte eâdem necessitate, & inopiâ Confessarii, repetenda esset sine necessitate. Hujusmodi finis, & ratio præcepti non procedit de laico, in quo periculum illud modicissimum est, habet enim rarissimam necessitatem communicandi, & multò rariorem inopiam confessarii, cum laicis regulariter communionem sumat à sacerdote, qui ut plurimum est simul Confessor.

Ex

60 *Quid in illo præcepto significetur per ly Quamprimùm.*

Ex quò paulò ante dicebamus, assertum præceptum in Tridentino, & à Tridentino traditum, debere, intelligi, ut verba sonant, tenemur exponere, quid sonet verbum illud *Quamprimùm* in ly *Quamprimùm confiteatur*: Sancius in Selectis *disp.32. nu.4.* vult sonare, seu significare idem, ac statim, adeò ut sacerdos, quoties eo præcepto obligatur, finitâ missâ, debeat statim, & nullâ interpositâ morâ, Confessarium adire. Fagundez de præceptis ecclesiæ *tract.3.lib.3. cap.8.nu.9.* idem, ac suo tempore, idest ante aliam missæ celebrationem, seu quando recurrit aliundè confitendi obligatio: Diana *in tract. de celebrat. Missar. resol.* 60. idem ac intrà triduum, & pro hoc dicendi modo sicut, & pro duobus præcedentibus alios singillatim refert Auctores, quos Lugus *hic disp.14.sect.7. num.* 158. ait referri ferè omnes parùm fideliter, ego non censui operæ pretium ipsos in fonte consulere, eum præsertim nolim aliquem ex relatis ipsorum modis amplecti, nam primus est nimis rigidus, præceptum morale, in rigore metaphysico, intelligit, ipsumque reddit nimis difficile. Secundus est nimis laxus, & præceptum enervat, nec ullam admittit obligationem, quæ ex vi illius sit propria sacerdotii, imò quæ non detur, & in sacerdote, & in laico, independenter ab illo; Deindè qualiscumque obligatio sit, respectu sacerdotis, qui nollet iterum celebrare, nisi post sex menses, non nisi post sex menses, ad confitendum urgeret, & tamen tunc sacerdos dicendus esset cōfiteri, *quàm serò* potiùs, quàm *quamprimùm*. Et quidquid de his sit, secundus ille modus est jam omninò prohibitus auctoritate Alexandri VII., cum inter propositiones ab ipso damnatas, sub die 18. Martii 1666., hæc sit trigesima nona *Illa particula, Quamprimùm, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Tertius est nimis determinatus, & cum ly *Quamprimùm* non habeat in aliis materiis significationem certo tempori affixam, neque debet eam habere in præsenti, In qua significatio, & determinatio tridui aliquando esset nimis stricta, quia aliquando toto triduo perseverat inopia Confessarii, aliquando nimis laxa, quia in principio tridui non confitens,

61

poterit in fine carere copiâ confessarii, & cogi ultrà triduum confessionem differre: His igitur modis rejectis, dico cum Laureâ *præcit.art.ult.num.*174. Lugo *num.*161. Arriagâ *num.*38. Maderno *nu.*29. aliisque magis communiter ly *Quamprimùm* debere intelligi moraliter, idem sonare, ac primâ opportunitate, seu primo opportuno tempore, & significare aliqualem temporis latitudinem, quæ non potest certâ regulâ concludi, sed est in diversis circumstantiis diversimodè determinanda, prudentis arbitrio: Inter hujusmodi autem circumstantias, duæ debent valdè considerari; prima est, tùm præsens, tum futura copia Confessarii. Secunda est periculum, novæ necessitatis celebrandi, aut differendi valdè diù confessionem: Si enim tale periculum non adsit, poterit prudentis judicio, faciliùs extendi ly *Quamprimùm*, & censeri, quod sacerdos non teneatur uti quâcumque primâ Confessarii copiâ, & quacumque primâ opportunitate confiteri, sed quod possit licitè expectare sequentem diem pro primâ opportunitate, sibi magis commodâ, & consuetâ; Si verò tale periculum adsit, & timeatur non futura copia Confessarii, erit strictius judicandum de ly *Quamprimùm*, & tenebitur sacerdos uti omninò primâ opportunitate copiæ Confessarii, etiam sibi parùm commodâ, etiam eâdem die, quâ missam inconfessus celebravit, etiam statim post celebrationem, ut inter Auctores citatos magis expendunt Lugus, & Arriaga, qui ambo observant in Rubricis Missalis *tit. præcit.* pro ly *Quamprimùm* poni *Cum primùm poterit*, quod videtur latitudini morali, & primæ opportunitati mox expositæ, valdè quadrare.

62

Sic explicatis existentiâ, origine, ratione motiva, fine, & verbis præcepti, quo sacerdos tenetur &c. supersunt circa ipsum nonnulla peculiaria, & minoris dubia. Primùm est, Utrùm, quantùm pertinet ad tale præceptum, nomine sacerdotis celebrantis veniat, etiam is, qui non consecrat, sed sumit hostiam, in aliâ missâ consecratam, vel ad faciendum officium feriæ sextæ in Parasceve, vel ad complendum sacrificium, inchoatum ab alio, quem fortè contigit, statim post consecrationem, mori. Respondetur affirmativè, cum Sylvio *præcit. quæst.* 2. §. *De illo autem* Suario *præcit. sec.* 7. circà medium Lugo *num.*139. Amico *nu.* 34. &c. Ratio est, quia uterque sacerdos communicat communione sacerdotali, partialiter sacrificando, & exercendo solemniter actionem, sacerdotis propriam, quæ rectè dicitur celebratio, & is signanter, qui facit officium prædictum feriæ sextæ, in ipsis Rubricis Parasceves, appellatur Celebrans, uterque igitur comprehenditur præcepto quamprimùm confitendi, quoties in necessitate exerceat actionem illam, non præmissâ confessione.

Illo præcepto comprehenditur etiam Sacerdos celebrans in Parasceve.

63

Secundum est. Utrùm tali præcepto comprehendatur sacerdos, qui in necessitate, & inopiâ Confessarii celebrans, sine præviâ confessione, omittit voluntariè contritionem, aut habet propositum non confitendi, etiamsi posset: Item utrùm is, qui absque eo quod, aut urgeat necessitas, aut desit Confessarius, celebrat sine præviâ confessione, ex malitia. Quò ad primam partem, idest quo ad eum, qui aut omittit contritionem, aut habet propositum non confitendi, dico comprehendi, cum Vasquio *num.*23. Amico *num.*33. & Lugo *num.*149. Quò ad secundam, dico non comprehendi, cum Lugo *ibid.* Vasquio *num.*19. Suario *sec.* 7. in fine Amico *num.* 31. Maderno *num.* 25. &c. contrà Sylvium *præcit.* §. *De illo autem*. Ratio responsionis affirmativæ, quoad primam partem, negativæ, quoad secundam est, quia verba, quibus à Concilio tale præceptum exprimitur, sumenda sunt, ut sonant, nec debent

Item celebrans sine contritione, aut cū proposito non confitendi.

debent in suâ propriâ significatione restringi, aut extendi: ex unâ autem parte, dicunt indefinitè, si sacerdos celebraverit, abstrahendo à contrito, & non contrito, à proposito confitendi, vel non confitendi, non debent igitur restringi ad contritum, & habentem propositum confitendi, sed etiam non contritum, & habentem propositum non confitendi comprehendere: ex aliâ parte eadem verba sunt quodammodo sub conditione celebrationis factæ in inopiâ Confessarii, & urgentiâ necessitatis, non debent igitur extendi ad celebrationem factam sine utraque, vel alterutra ex iis conditionibus, & consequenter non comprehendere Sacerdotem, ex voluntariâ malitiâ celebrantem, sine prævià confessione: Ratio autem congruentiæ esse potest, quia iste voluntariè recusat, & contemnit confessionem, & cum malitiosè violet præceptum divinum, confitendi ante communionem, debet à fortiori præsumi violaturus, ecclesiasticum confitendi quam primum post, neque ex hoc moveretur, ad quærendum diligentius Cōfessarium, qui in Confessarii copia confiteri renuit: Præceptum igitur confitendi, quàm primum esset tali Sacerdoti dumtaxat in laqueum, & in perditionem, nō debuit propterea pia Mater Ecclesia, tali præcepto illū comprehendere, licèt procul dubio potuerit, si voluisset; at habuisset tunc alium ab eo, quem nunc habuit talis præcepti finem.

64

Non sic Sacerdos celebrans sine prævia confessione ex malitia.

65

Quid de Sacerdote celebrante sine prævia confessione peccati ante cedenter obliti.

Tertium est: Utrùm comprehendatur Sacerdos, qui celebrat præmissâ confessione, sed factâ cum oblivione peccati, cujus deindè recordatur immediatè antè missam, vel missâ jam inchoatâ? Item, Utrùm is, qui nullius peccati memor, bonâ fide accedit inconfessus, ad celebrandum, in ipsâ verò celebratione, aut peccati antecedenter commissi memoriam aquirit, aut novum committit? Tandem, Utrùm is, cui peccati antecedenter cōmissi occurrit memoria, solum finitâ jam missâ: Quo ad hunc postremum dico nō comprehendi, quia nullatenus habet actualem conscientiam lethalis, dum celebrat, Concilium autem loquitur de solo sacerdote, qui celebrat, alicujus lethalis actualiter conscius, ut facilè deducitur ex contextu verborū. Quo ad reliquos, dico, regulariter loquendo, comprehendi; regulariter, inquam, nam in aliquo casu extraordinario, immediatè antè missam, vel etiam in ipsâ missæ celebratione, haberi potest Confessarii copia, quâ habitâ, si recordatus peccati nolit confiteri, non obligabitur ad confitendum quàm primū post missam, propter doctrinam positam *praced. num.* 64.

66

Cæterùm si (ut ordinariè evenit) Sacerdos, qui immediatè antè missam, multoque magis intrà missam, recordatur peccati antecedenter obliti, aut de novo peccat, non habeat copiam Confessarii, comprehenditur præcepto, quàm primum confitendi, quia in necessitate celebrandi, & defectu Confessarii, sacerdotaliter cōmunicat, adeoq; quantū pertinet ad rem præsentem, celebrat nullâ, aut nō omnium lethalium, quorum est, antequam communicet, conscius, confessione præmissâ. Nec refert quod ex parte contrà sentiant Vasquez sæpiùs *cit. cap.* 3. *n.* 19. & 2c. Arriaga *disp.* 46. *sec.* 4. *nu.* 37. aliique nonnulli: Non refert inquam, quia sentimus cū aliis, multo pluribus, & juxta principia nostræ præcedenti doctrinæ magis conformia loquentibus, ut sunt Suarez *pracit. sec.* 7. §. *Secundò explicandum est*. Amicus *nu.* 28. Lautæa *nu.* 175. Madernus *nu.* 26. Lugus *nu.* 140. (qui tamen postea videtur problematicus) Reginaldus, Bonacina, Molfesius, apud Dianam *tract. de celebrat. Missar. resol.* 61. apud quos videri poterunt, quæ circā postremum hoc dubium patior desiderari.

---

§. IV.

An, & quomodò ad Eucharistiam prærequiratur actualis devotio, carentia venialium, aut aliqua alia dispositio ex parte Animæ?

67

ASSERT. I. In sumente eucharistiam, neque actualis devotio, neque carentia venialium prærequiritur, tamquam dispositio simpliciter necessaria ad primarium illius effectū, idest ad gratiæ habitualis augmentum. Ità D. Thomas *hic qu.* 79. *art.* 8. *in c. & ad* 1. Nugnus, & Sylvius *eod. art.* Gonetus *disp.* 8. *art.* 3. §. 1. Lautæa *disp.* 25. *art.* 7. *nu.* 128. & 129. Henriquez *disp.* 6. *quast.* 6. *nu.* 81. Suarez *disp.* 63. *sec.* 3 Vasquez *disp.* 206. *cap.* 2. Amicus *disp.* 25. *sec.* 1. *nu.* 7. Lugus *disp.* 14 *sec.* 3. & hisce temporibus alii, sive Thomistæ, sive Scotistæ, sive Recentiores cōmuniter, contrà nonnullos magis antiquos, ut D. Antoninum 3. *par. Sum. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Alensem 4. *par. quast.* 10. *memb.* 8. *art.* 3. §. 2. Durandum *in* 4. *dist.* 12. *quast.* 4. *num.* 7. Paludanum *ead. dist. quast.* 1. *art.* 2. *nu.* 11. Cajetanum *hic quast.* 79. *art.* 1. & 1. 2. *quast.* 113 *art.* 3, pro se afferentes D. Thomam *in* 4. *dist.* 12. *quast.* 2. *art.* 1. *quastiun.* 3. & *art.* 2. *quastiunc.* 1. *ad* 2. Verum quod hoc loco S. Doctor tradiderat retractavit in sum. *pracit. art.* 8. Minoris momenti est, quod idem habeatur inter S. Doctoris opuscula *opusc.* 64. cap. de communione, post nocturnam pollutionem; nam Sylvius *cit. art.* 8. monet, tale opusculum verisimiliter non esse D. Thomæ, quatenus verò ipsius sit, non est, cur non censeatur, & ipsum retractatum in Summâ. Quod si aliquis nolit, D. Thomam fuisse sibiipsi contrarium, & se retractasse, non deest modus interpretandi, quod docuit in quarto cohærenter ad id, quod docuit in Summâ, ut videre est apud Setram *disp.* 79. *art.* 8. *dub. un.* cujus interpretationem, tamquam non carentem probabilitate, refert Gonetus mox *cit.* §. 1. *num.* 48.

68

Probatur assertū primò in universum, ex eo quia Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. explicans præparationem necessariam in volente cōmunicare, requirit solū probationem, quā nullus ad cōmunicādū accedat cōscius peccati lethalis nō cōfessi, sed quilibet in gratiâ, quam peccati mortalis conscius per confessionem, sacramentalem aquisierit: nec ul-

Devotio actualis, aut venia lium carentia non est dispositio necessaria ad effectu Eucharistiæ primarium, idest ad augmentum gratiæ

lam facit mentionem devotionis actualis, aut carentiæ venialium, & confessionis ipsorum; ergo signum est, neutram requiri ex obligatione à Concilio Tridentino, aut antè ipsum impositâ; neutra etiam requiritur ex obligatione, ut ità dicam innatâ, & ex naturâ rei, quia nec carentia devotionis actualis, nec existentia venialium est ex naturâ suâ impeditiva augmenti gratiæ; qui igitur ad Eucharistiam accedit cum carentiâ devotionis actualis, & conscientiâ venialium, non accedit cum obice ex naturâ rei impeditivo effectus ejus, siti in augmento gratiæ, nec est ex naturâ rei obligatio aliter accedendi, in ordine ad hujusmodi effectum, & augmentum ex eucharistiâ percipiendum. Confirmatur, ex eo quod si talis obligatio esset ex naturâ rei, militaret pro augmento gratiæ percipiendo ex aliis sacramentis vivorum, æquè ac ex Eucharistiâ, & ex hoc capite, tùm devotio actualis, tùm carentia venialium ad quodlibet sacramentum vivorum, prærequireretur, si prærequireretur ad eucharistiam.

69

Probatur assertum secundò in particulari, de actuali devotione, quia capaces istius non sunt infantes antè usum rationis, amentes perpetui, imò nec amentes, qui aliquando usum rationis habuerunt, & tamen isti omnes sunt capaces effectus eucharistiæ, & recipiendi ex isti augmentum gratiæ; undè etiam olim infantibus, & forte quoque perpetuò amentibus dabatur, imò & nunc danda est amentibus non perpetuis, si antè amentiam ostenderint aliquam eucharistiæ sumendæ voluntatem, ut ex professo tradidimus *praeced. cap. 3. §. 1. & 5.* Verum quia requirentes pro eucharistiæ effectu actualem devotionem, solent in parvulis, & amentibus, non admittere talis effectus capacitatem, remanet argumentum efficax dumtaxat in nostris principiis, non omninò universaliter; potest tamen universalius argumentum desumi à paritate intentionis, quæ in adultis ad percipiendum eucharistiæ effectum non est necesse, quod sit actualis, sed sufficit, si virtualis, aut etiam solum habitualis sit; atqui ad eumdem effectum non potest magis requiri devotio, quàm intentio, cum illa istam supponat, & ista non illa, ad cujuslibet sacramenti effectum in adultis, requiratur; ergo si ad eucharistiæ effectum devotio requireretur, saltem non esset necessaria actualis, sed virtualis, vel habitualis sufficeret.

70

Peccata venialia posuiti vel pliciter se habere ad sumptionem Eucharistiæ,

Probatur assertum tertiò in particulari, de carentiâ venialium, quia ista esse possunt, vel habitualia, quæ scilicet communicans antecedenter commiserit, nec sufficienter retractaverit; vel actualia, quæ communicans actu committat eodem tempore, quo eucharistiam sumit, & hæc possunt vel se habere purè concomitanter, & disparatè, ut si quis in ipso actu communionis eliciat propositum proferendi mendacium officiosum, committendi furtum leve, & similia; vel formaliter pertinere ad ipsam communionem, & specialiter opponi recto usui, ac reverentiæ debitæ sacramento, ut si quis communicet, ex vanâ gloriâ, aut cum distractione formaliter, & per se intentâ; atqui quocumque ex his modis sumantur venialia, non impediunt, quin ex eucharistiâ percipiatur gratiæ augmentum; ergo venialium carentia non est ad tale augmentum percipiendum simpliciter necessaria: Probatur minor quò ad venialia habitualia, quia volens communicare, nullâ lege tenetur, præmittere illorum dolorem, aut confessionem, alioqui eamdem haberet obligationem accedendi ad eucharistiam sine venialium, ac sine lethalium conscientiâ: Probatur eadem minor, quò ad venialia actualia, se habentia concomitanter, & disparatè, quia eo ipso quod sunt ab actu communionis disparata non magis officiunt tali actui, quàm si essent tantum habitualia, nec majorem, quam habitualia, afferunt communicandi indignitatem. Probatur tandem, quo ad venialia formaliter pertinentia ad ipsam communionem, voluntatemvè communicandi, quia licet hæc venialia reddant ipsam communionem, voluntatemvè communicandi venialiter peccaminosam, cum non possit non esse venialiter malus, actus ex fine venialiter malo procedens, non ideò taliter communicans ponit gratiæ sacramentali obicem, quia veniale, qualecumque sit, gratiam, ejusque augmentum compatitur.

71

Etiamsi sint circumstantia, aut finis ipsius sumptionis non impediunt eucharistiæ effectum,

Dices, taliter communicantem ponere obicem negativum, quatenus ponit pro dispositione ad gratiam, ut pro causâ gratiæ actum insufficientem, & veniale; seu actus venialiter malus compatitur, quidem gratiæ augmentum, at non potest ad ipsum disponere, ipsumvè causare, ut tamen ad augmentum gratiæ ex eucharistiâ percipiendum, disponit voluntas communicandi, & illud causat communionis actus. Accedit, quod probabile est peccaturum lethaliter eum, qui ex formali intentione vellet communicare cum repore, cum distractione, cum inani gloriâ, ut ex Nugno insinuat Gonetus *pracit, art. 3. §. 2. nu. 58.* & postea docet ex professo in suo Manuali *3 par. tract. 4. cap. 9. nu. 13.* Non est autem dubium, quin ponat obicem gratiæ, qui in lethali communicat. Sed contra: Amicus *pracit sec. 1. nu. 18.* putat eucharistiæ effectum non impediri quidem per peccatum veniale ex genere suo, benè verò per illud, quod ut finis, aut circumstantia formaliter afficit, & inficit ipsam communionem, voluntatemque communicandi, sicq; admittit, quod intendit instantia. Nihilominus aliter sentio, & nego instantiæ antecedens, nec puto, posse sine lethali, poni obicem, qualiscumque iste sit, effectui eucharistiæ, licet aliter sentiat idem Amicus *nu. 16.* arbitratus non peccare lethaliter eum, qui ponit obicem effectui sacramenti, dummodò sacramentum non recipiat in subjecto indigno, nec reddat ipsum invalidum: Verùm fit injuria sacramento, non solum reddendo ipsum invalidum, sed etiam reddendo ipsum inutile, & sine effectu,

72

&

& sacramentum recipitur in subjecto indigno, eo ipso quod recipitur in subjecto habeote obicem voluntarium, & carente dispositione necessariâ ad ejus effectum: Nego igitur antecedens; ad cujus probationem dico in primis actum venialiter peccaminosum rectè posse causare gratiam ex opere operato, & efficaciâ, ac ut itâ dicam merito sacramenti, quamvis non ex opere operantis, ac merito proprio. Deindè, & magis ad rem, addo, actum communionis non causare gratiam sacramentalem eucharisticam, cum non sit pars sacramenti eucharistiæ, ut pote in usu non consistentis; est igitur solum conditio requisita, ut eucharistia gratiam causet: Voluntas etiam communicandi, quamvis possit esse dispositio, non est tamen necessaria, ut talis, sed præcisè ut conditio, & ad hoc ut adultus communicet modo humano, ad quod optime sufficit voluntas cōmunicādi venialiter peccaminosa.

73 Illud, quod in instantiâ additur, nobis non officit, quia aliud est peccatum veniale, ut tale esse obicem gratiæ per hoc, quod ex formali intentione communicantis afficiat ipsum actum communionis, aliud est, idem peccatum esse obicem gratiæ per hoc, quod sic afficiendo ipsum actum communionis, evadat mortale; primum à nobis negatur, secundum affirmatur, & objicitur in instantiæ additamento, ideo ex isto nihil contrà nos, nec in dubium vertimus, quin communicans cum contemptu lethali sacramenti, & peccans lethaliter in actu communionis, hanc reddat infructuosam, ponatque gratiæ sacramentali obicem.

74 Utrùm deindè, ut censuit cum Hugno Gonetus, & à fortiori anteà docuit Marsilius, relatus à Valquio *disp.206. cap.1. num.5.* Utrùm inquam, verè sentiendum sit eum, qui in ipso actu communionis intendit inanem gloriam, aut vult sponté, & formaliter, ac quasi ex industria distractionem, peccare lethaliter, adeò ut inanis gloria, aut distractio, quæ in actu communionis admissa ex negligentia esset venialis, & levem afferret sacramēto irreverentiam, ex eo quod sit per se intenta, ac formaliter volita evadat lethalis, gravemque afferens irreverentiam sacramento; Existimo probabilius, quod non, quia aliquod malum esse per se intentum, ac formaliter volitum nihil aliud est, quam esse magis voluntatium; malum autem, ex eo quod sit magis voluntarium, crescit in malitiâ intensivè, at non mutat genus, aut speciem, mutaret autem genus, si transiret de veniali in lethale, ergo distractio, aliave culpa in actu communionis ex se venialis, ex eo quod sit formaliter intenta, ac per se volita, est quidem major in suo genere, quàm si sit aliter, utcumque voluntaria, at non mutat genus, neque evadit lethalis.

Nec distractio, aut inanis gloria v. gr. evadit lethalis, ex eo quod sit formaliter volita in actu sumptionis Eucharistiæ.

75 Dices jam primò impugnando assertum directè: Accedens ad eucharistiam indignè non percipit ejus effectum, & gratiæ augmentum; atqui accedens sine devotione actuali, aut cum peccatis venialibus, accedit indignè; ergo non percipit &c. ac per consequens, ad percipiendum eucharistiæ effectum, & gratiæ augmentum, requiritur tamquam dispositio simpliciter necessaria, actualis devotio, & carentia venialium: Major patet, quia sacramentum ex genere suo pendet, quo ad effectum ex conditione subjecti, nec gratiam causat in subjecto indigno, & indisposito. Minor probatur; primò ex eo quod Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* ut dignè quis sacram eucharistiam percipiat, requirit ne absque magnâ reverentiâ, & sanctitate accedat, quomodo autem dari potest magna ad eucharistiam reverentia, sine devotione actuali, aut magna sanctitas, sine carentiâ venialium? Secundò, quia Sancti Patres passim in accedente ad eucharistiam requirunt peculiarem præparationem, & fervorem, ille autem includit actualem devotionem, iste excludit venialia; ergo supponunt accedentem ad eucharistiam, aut sine actuali devotione, aut cum venialibus accedere indignè. Sed contrà: Qui accedit ad sacramentum indignè, indignitate excludente ipsius effectum, peccat lethaliter, adeòque instantia probaret, accedentem ad Eucharistiam sine devotione actuali, aut cū venialibus, peccare lethaliter, quod est nimis probare, & plus quam Adversarii intendunt: Datâ igitur maiore propositione, nego minorem, ad cujus primam probationem adverto, Tridentinum eo *cap. 7.* duplicem assignare pro Eucharistiâ præparationem, seù dignitatem: alteram necessariam secundum quid, idest utilem, & conducentem ad meliorem effectum; alteram necessariam simpliciter, & sine quâ nullus habetur effectus; priorem assignat initio capitis verbis in instantiâ adductis, posteriorem in progressu verbis subsequentibus *Quare communicare volenti* &c. illam tradit verbis continentibus solam exhortationem, istam verbis exprimentibus probationis ab Apostolo traditæ præceptum: Ex Tridentini igitur mente, qui accedit sine magnâ reverentiâ, magnâque sanctitate, accedit parum dignè, aut indignè secundum quid; indignè verò simpliciter, & indignitate excludente effectum gratiæ is solum, qui accedit sine probatione, quâ se in gratiâ, & nullius peccati lethalis non confessi conscium, inveniat. Ad secundam probationem ex Sanctis Patribus dico, istos requirere peculiarem præparationem, fervorem, devotionem, attentionem; tamquam dispositionem utilem, congruam, necessariam secundum quid, sine quâ accedatur parum dignè; non necessariam simpliciter, sine quâ accedatur simpliciter indignè, ut mox proportionaliter dicebatur ad Tridentinum.

76 Duplex ad eucharistiā dignitas, altera necessaria secundum quid, altera simpliciter.

Dices secundò: Eucharistia non causat gratiam sine cooperatione suscipientis; atqui suscipiens sine actuali devotione, nullam adhibet cooperationem, quia nullum elicit, bonum actum, quo ergà sacramentum benè afficiatur, alioqui hoc ipso actualem devotionem haberet: ergo in sic suscipiente Eucharistia gratiam non causat

Major probatur, quia Eucharistia gratiam causat, nutriendo per modum cibi, ergo sicut cibus materialis non nutrit sine cooperatione, & actione viventis, in ipsum, ità eucharistia non causat gratiam sine cooperatione suscipientis, qui fervore supernaturalis charitatis præstet in cibo sacramentali, id quod in cibo materiali, præstat actione caloris naturalis. Sed

77 contrà: In primis dici potest ipsam sumptionem ut est, qualis in adulto esse debet, saltem habitualiter voluntaria, habere sufficientem rationem cooperationis pro nutritione sacramentali: Quia deindè per nos, sine ullâ propriâ voluntarietate, & cum sumptione, ut ità dicam mere passivâ, conferri potest parvulis Eucharistiæ effectus; nego absolutè majorem, ad cujus probationem dico, eucharistiam causare quidem gratiam nutriendo per modum cibi, at non propterea servare cum cibo materiali analogiam in omnibus, & signanter non in cooperatione suscipientis, seu comedentis; ratio est, quia cibus materialis requirit, ut nutriat, talem cooperationem, eo quod à vivente convertatur in propriam substantiam, at cibus sacramentalis potius in se convertit substantiam suscipientis; ideò in nutritione sacramentali, suscipiens potest se habere merè passivè, quamvis in materiali, debeat simul agere.

Cur sacramentalis potius quam materialis cibus nutriat sine cooperatione sumentis?

Dices tertiò: A posteriori constat, accedentes ad Eucharistiam indevotè, & distractè nullum consequi gratiæ augmentum; ergo ad istud ex eucharistiâ consequendum, requiritur, tamquam dispositio simpliciter necessaria, actualis devotio, & attentio, quam affectus, & actus venialiter peccaminosi solent impedire: Antecedens probatur experientiâ quorumdam Sacerdotum, quotidiè celebrantium indevotè, & distractè, in quibus nullum apparet vestigium augmenti gratiæ, quod tamen ut potè quotidianum, deberet esse maximum, & majus, quam in laicis, alioqui valde piis, ex solo opere operantis, & merito proprio suam in se gratiam augentibus.

78 Sed contrà: Nego antecedens, loquendo, ut de facto loquimur, de indevotione, & distractione solum venialiter malâ; ad probationem dico, si illi Sacerdotes, ut videtur ab Adversariis supponi, abstineant, & præserventur à lethalibus, in hâc ipsâ præservatione non leviter apparere augmentum gratiæ, & effectum eucharistiæ; quod si aliundè nullatenus, aut parum appareat, provenire potest, ex eo quia indevotè, & distractè communicans, seù celebrans ponit obicem auxiliis actualibus, sanctis cogitationibus, & piis affectionibus, ex quibus non ex se præcisè, gratiæ sacramentalis augmentum solet innotescere: Hincque viri etiam laici, sed in oratione, & attentione ad divina exercitati, possunt plura auxilia actualia, ad benè operandum, obtinere, & majore bonorum operum exercitio præbere plura, quam illi Sacerdotes, indicia suæ gratiæ habitualis, etsi alioqui minùs intensæ,

Dixi, *loquendo de indevotione, & distractione solum venialiter malâ*, nam si quis adeò indevotè, & distractè accedat, ut ejus indevotio, & distractio se prodat exterius, cum gravi aliorum scandalo, aut formali contemptu sacramenti, talis indevotio, & distractio poterit esse mala lethaliter, quâ ratione non solum impediet gratiæ augmentum, sed & inducet præcedentis gratiæ privationem: at hæc est hypothesis diversa ab eâ, in quâ assertum procedit.

79 Assert. 2. In sumente Eucharistiam, sicuti non est simpliciter necessaria ad primarium illius effectum, actualis devotio; ità nec ulla alia actualis dispositio ex parte Animæ. In hoc asserto videntur convenire Auctores asserti præcedentis, & valdè in terminis Suarez ibi *cit. sec.* 3. §. *Dico secundò*, & Amicus *ibid. cit. num.* 7.

Probatur, ex eo quia sicut actualis devotionis, ita alicujus alterius actualis ex parte animæ dispositionis, capaces non sunt infantes antè usum rationis, amentes perpetui, imò nec amentes, qui aliquando usum rationis habuerunt, & tamen isti omnes modo *præced. n.* 69. insinuato sunt capaces, recipienda ex Eucharistiâ, effectum ipsius primarium, & augmentum gratiæ; ergo in sumente eucharistiam, sicuti non est simpliciter necessaria &c. Nec refert, quod sit aliquantulum diversa ratio de habentibus usum rationis, in quibus, sicuti est ad eucharistiæ effectum simpliciter necessaria ex parte animæ intentio, quæ non est necessaria in infantibus, ità similiter in illis potiùs, quam in istis potest esse necessarius aliquis alius actus, puta actus fidei circa eucharistiæ sacramentum, Imò hujusmodi actum, in quolibet adulto communicaturo, necessarium esse, nos ipsi suprà *cap.* 4. *nu.* 4. insinuavimus.

Non solum actualis devotio, sed nec ulla alia actualis dispositio est simpliciter necessaria ad primarium Eucharistiæ effectum.

80 Non refert inquam; quia in proposito, nomine dispositionis actualis, non venit præcise dispositio, consistens in aliquo actu, sed venit dispositio actualiter existens, adeòque consistens in actu physicè præsente, & exercito in eucharistiæ sumptione; concedo igitur in adultis, non in infantibus, pro Eucharistiæ effectu, simpliciter prærequiri intentionem sumendi eucharistiam, ut sacramentum; & fidem, quod sacramentum sit; at dico sufficere, si talis intentio, & fides tempore sumptionis sacramenti perseveret moraliter, seù habitualiter, quod non sufficit, ut tunc sit dispositio actualis, sed ad summum, ut possit dici dispositio habitualis, aut potius conditio, sine quâ non.

Assert. 3. In sumente Eucharistiam actualis devotio, & carentia venialium actualium est dispositio simpliciter necessaria ad aliquem effectum secundarium: Est item dispositio utilis ad majorem, seù intensiorem effectum primarium. Ità Auctores relati *præced. num.* 67. & in primis, ac à fortiori illi, qui asserto ibi posito adversantur, deindè etiam cæteri, quamvis non omnes æquè expressè.

81 Probatur, & explicatur prima pars; quia ex dicendis *cap. seq.* præter effectum primarium,

Actualis devotio, & carentia venialium actualium est necessaria, ut eucharistia causet dulcedinem spiritualē.

rium, & præcipuum, situm in augmento habituum gratiæ, & charitatis, habet eucharistia, per se loquendo, aliquem effectum secundarium, & minùs præcipuum, huncque triplicem potissimum, nimirum dulcedinem spiritualem internam, remissionem venialium, & collationem auxiliorum copiosiorum, in ordine ad quamcumque bonam operationem; ad istum autem triplicem effectum est simpliciter necessaria in communicante actualis devotio, & carentia venialium actualium, ut quò ad spiritualem dulcedinem expressè tradit D. Thomas hic *quæst. 79. art.* 8 ubi simul manifestè docet, primum præcedens assertum, his verbis: *effectus hu ut sacramenti, non solùm est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis: Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum, per peccata venialia mente distractus; Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis;* Ratio est, quia talis spiritualis dulcedo resultat ex actibus intellectus, & voluntatis, quibus anima pascitur quodammodò, ac fruitur peculiari unione, & præsentia Christi Domini in sacramento suscepti, impediuntur autem illi actus per distractiones ad extranea. Quò ad remissionem venialium, non causatur hæc ab Eucharistiâ, etiamsi de venialibus habitualibus, & præteritis sermo sit, nisi præcedat aliqua ipsorum retractatio, quæ vix esse potest, sine aliquâ actuali devotione; loquendo deindè de solis venialibus actualibus, seu actu exercitis tempore communionis, & dum eucharistia effectum suum causat, magis certum est, numquam ex vi eucharistiæ remitti, alioqui remitterentur, & committerentur eodem tempore, quod, saltem de potentiâ ordinariâ, repugnat. Quò ad collationem auxiliorum copiosiorum, consistunt ista auxilia potissimùm in sanctis cogitationibus, & piis affectionibus, quæ impediuntur, aut saltem non facilè, nec copiosè excitantur in mente distracta, & voluntate malè affectâ, qualis est in eo, qui caret actuali devotione, & committit actualiter venialia. Confirmatur; ex eo quod, qui accedit ad eucharistiam sine actu devotionis, & cum actu venialis peccati, manducat illam spiritualiter, habitu tantùm, non actu; ergo percipit illius effectum, & fructum; habitualem tantum, non actualem, ut ait D. Thomas *præcit. art. 8. ad* 1. atqui collatio auxiliorum, remissio venialium, actualis dulcedo, sunt eucharistiæ effectus, & fructus actualis; ergo.

82 Remissionem venialium.

Collationē copiosiorū auxiliorum

83 Est præterea utilis, ut causet majorem gratiam habitualem.

Probatur secunda pars facilè ex doctrinâ generali, secundùm quam sacramenta novæ legis, in subjecto melius disposito, causant majorem, intensioremvè gratiam habitualem, quod est idem ac dicere, dispositionem subjecti esse utilem ad majorem, intensioremvè effectum primarium cujuslibet sacramenti; atqui perspicuum est accedentem ad eucharistiam cum devotionis actu, & venialium carentiâ, esse melius dispositum, quàm accedentem cum carentiâ devotionis, & actuali, vel habituali affectione ad venialia; ergo.

Dices: Ex his sequitur, accedentem cum venialibus, & sine actuali devotione, frustrare eucharistiam, tùm aliquâ parte sui effectus primarii, tùm multiplici effectu secundario, quod sicuti videtur redundare in aliquam injuriam, & mutilationem sacramenti, ità videtur, in sic accedentem refundere culpam lethalem, & obicem effectus primarii simpliciter, & absolutè; ergo doctrina præsentis asserti, & doctrina primi asserti præcedentis malè inter se cohærent.

84 Sed contrà: Quantum pertinet ad partem effectus primarii dico, partem illam, quæ pendet ex majore, vel minore dispositione suscipientis, esse suscipienti prorsus liberam, nec redundare in injuriam sacramenti, quod suscipiens eam omittat, alioqui teneretur quilibet, ad quodlibet sacramentum accedere cum omni majori dispositione sibi possibili, ne accedendo cum minori, frustraret se ipsum aliquo gradu gratiæ, & sacramentum aliquâ parte sui effectus primarii. Quantum ad effectus secundarios; dico, istos spectare solum ad majorem perfectionem contingentem, non necessarium, sacramento, quod cum in effectu primario habeat totam perfectionem, sibi, & suæ significationi, necessariam, ac per se debitam, nullam patitur injuriam, aut quasi mutilationem, ex eo quod effectibus illis secundariis, ex subjecti incapacitate, frustretur: Undè ex hoc capite præcisè, nequidem veniale peccatum censendum est, quod quis sine devotione actuali, aut cum venialibus ad eucharistiam accedat.

85 Utrùm verò sit id peccatum veniale aliundè, nimirùm, ex eo quod reverentia tanto sacramento debita requirat peculiarem sumentis attentionem, & puritatem? Negat saltem ex parte Vasquez *disp.* 207. *cap.* 2. & absolutè docet, non esse veniale communicare in veniali, anteà etiam *disp.* 206. *cap.* 2. non solùm attentionem non requirit ad effectum primarium eucharistiæ, sed etiam videtur sentire, non esse peccatum veniale, admittere in sumptione eucharistiæ distractiones voluntarias: Idem clarius tradidit Joannes Sanchez in disputationibus selectis *disp.* 23. manifestè docens, nullum prorsùs esse peccatum, communicare cum distractione, ut refert, & non solùm falsum, sed & erroneum censet Gonetus *præcit. art. 3. num.* 59. certè est id contrà communem sensum, ac praxim fidelium, clavibus subjicientium, saltem tamquam venialiter malas, distractiones mentis, & divagationes animi, in actu communionis, voluntariè admissas. Nec refert, quod sumptio eucharistiæ sit manducatio, non oratio, quæ sola videtur mentis attentionem requirere propter injuriam, quæ fit Deo orando, & alloquendo ipsum distractè, & attendendo ad alia, cum ex alia parte nulla fiat injuria cibo per hoc, quod distractè manducetur. Non refert, inquam; quia

quia jam sæpius dixi, non reperiri inter cibum sacramentalem, & materialem, omnimodam analogiam, quantum spectat ad rem præsentem, cum cibus sacramentalis Deum contineat, & sit sine ullâ comparatione dignior materiali, benè potest illi potius, quàm isti iniuriâ fieri, si distractè sumatur; Nec sola oratio, sed & omnis actio, quæ circà Deum Deique cultum versatur, requirit suo modo attentionem, & petit sine distractione, & divagatione ad alia exerceri.

86

Est peccatum veniale communicare cum distractione, aut cũ veniali actuali, saltẽ ut plurimũ loquendo.

Sentio igitur, distractiones, & divagationes animi, tempore communionis cum aliquâ voluntarietate habitas, etiamsi fortè sint cogitationes non aliundè malæ, ex eo præcisè, quod habeantur tempore communionis, esse venialiter peccaminosas, quod si sint quoque malę venialiter aliundè, induere duplicem malitiam venialem: Sentio insuper, idem ferè evenire in qualibet veniali actualiter in communione exercito, ut potè quod vix potest non afferre distractionem, & divagationem animi: De venialibus habitualibus non est eadem ratio, & ad summum, si valdè multa sint, potest censeri redundare in aliquam irreverentiam sacramenti, & imputandum esse ad culpam venialem, quod cum illorum conscientiâ ad eucharistiam accedatur, ut in utramque partem disputatum, videri potest apud Lugum *disp.* 14. *sec.* 2. & Arriagam *disp.*45. *sec.* pariter a.

---

§. V.

De dispositionibus ad eucharistiam requisitis ex parte Corporis, maximè de jejunio.

87

Est de fide prærequiri ad Eucharistiæ sumptionem jejunium corporis.

ASSERT. I. Potissima dispositio, quæ ex parte corporis regulariter requiritur ad licitam, & consequenter ad fructuosam eucharistiæ sumptionem, est jejunium, à mediâ nocte, talem sumptionem, antecedente: In hoc asserto omnes Catholici conveniunt, tamquàm in fidei veritate, contrà hæresim nonnullorum, quorum suppresso nomine fit mentio in Concilio Constantiensi, celebrato anno 1414., quamque posteà anteacto sæculo libenter, & vehementer amplexus est Lutherus cum suis, ut referunt Bellarminus in Controversiis *lib.* 2. *de Missâ cap.* 14. Vasquez *hic disp.* art. *cap.* 1. & Valentia *disp.* 6. *quæst.* 8. *punc.* 3. afferentes etiam, contrà prædictos hæreticos, plura Conciliorum, & antiquorum Patrum testimonia; hæc pro nunc apud ipsos videnda relinquo, & ulterius procedo ad stabiliendum quo jure sit inductum, & quale esse debeat tale jejunium? stabiliendo enim, ac probando, fuisse inductum consuetudine ecclesiasticâ antiquissimâ, & debere esse strictissimum, ac naturale, habebitur unâ simul sufficiens, & abundans probatio asserti præsentis, à quo propterea peculiariter probando, nunc abstineo; solum moneo, me apposuisse illam particulam *Regulariter*, ut innuerem, assertam jejunii necessitatem nonnullas pati exceptiones, & limitationes, de quibus infrà §. *seq.* Apposui etiam ly *à mediâ nocte* &c. quia licèt pro diversitate nationum, aut etiam actionum, diversimodè, idest, vel à solis ortu, vel à solis occasu, vel à meridie, sumatur dierum initium, ex communi tamen ecclesiæ usu, & sensu, quò ad jejunium, sicut & quò ad observantiam festorum, sumitur à mediâ nocte; ea igitur die, quâ quis est communicaturus, necesse est, quod maneat à mediâ nocte, usque ad factam communionem jejunus.

Servandũ à media nocte antecedente.

88

Assert. 2. Prædicti jejunii præceptum, seù necessitas, non est de jure divino, sed de jure ecclesiastico, eoque consuetudinario antiquissimo, & ab Apostolorum tempore. Ità Scholastici communiter, contrà Sotum *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 8. docentem, esse præceptum Christi, quod Amicus *hic disp.* 27. *num.* 1. ait probabile, etiam censuisse Scotum *dist.* 8. *qu.* 3. & Gabrielem *lect.* 30. *in Can. Missæ*; Sed Gabrielis legendi copiam non habeo, Scotum verò, invenio quidem in corpore quæstionis, videri problematicum de jejunio, de quo agitur, dicendo, *Nec istius est aliqua causa principalis, nisi institutio Divina, quam vel Christus discipulis dedit, vel per ipsos promulgavit, vel eis instituendam reliquit*; posteà tamen §. *Ad argumentum* simpliciter amplectitur tertiam partem, quod nimirùm Christus id reliquerit discipulis instituendum, adeoque sit præceptum discipulorum, non ipsius Christi; apostolicum, non divinum, juxtà auctoritatem Augustini, quam ibi Subtilis Doctor attingit, & nos mox ad nostri intenti probationem *num.* 90. afferemus. Interim aliter.

89

Tale jejunium non requiritur de jure divino.

Probatur prima asserti pars, quia prædicti jejunij præceptum non est de jure divino positivo scripto, cũ in nullo Sac. Scrip. text. contineatur; Non de jure divino positivo non scripto, seu tradito cum in nullo Sacræ Scripturæ textu contineatur: Non de jure divino positivo non scripto, seu tradito, cum ullus Apostolus testatus fuerit, se illud à Christo Domino accepisse promulgandum, & aliundè nullum sit sufficiens vestigium id præsumendi; nam ab Apostolorum tempore cepta obligatio, infert solùm apostolicam consuetudinem, & ab Apostolis primùm, non à Christo derivatam, atque ad nos deductam traditionem; Non est item tale præceptum de jure divino naturali, idest ex natura rei necessariò consequens divinam eucharistiæ institutionem, nam imprimis factum Christi, eucharistiam in ultima cæna instituentis, suaderet potius oppositum, cum tunc eam ipse non jejunus sumpserit, & alijs non jejunis dispensaverit: Dignitas deindè, & reverentia ei debita, affert quidem aliquam congruentiam, at non omnimodam necessitatem præcedentis jejunij: nec ex se præcisè intrinsecè malum est,

est, cibum sacramentalem sumere post sumptum materialem, eum præsertim, etiam nunc, seruata lege jejunij, possit ille, paulò postistum sumi; possit scilicet quis, paulò ante mediam noctem, comedere, & paulò post eamdem licitè communicare.

90 — Insignis auctoritas Augustini pro talis jejunij consuetudine ecclesiastica antiquissima.

Probatur secunda pars ex multis antiquis Patribus, & in primis ex Augustino *epist.* 118. in qua respondens ad varias inquisitiones sibi à Ianuario factas, ac singillatim *cap.* 5. *&* 6. ad hanc ipsam, in qua nunc versamur, inter alia hæc habet, *Et liquidè apparet, quandè primùm acceperunt discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos recepisse jejunos. Namquid tamen propterea calumniandum est, universa Ecclesia, quod à jejunis semper accipitur: ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani, prius dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi: Nam ideò per universum orbem mos iste seruatur. Neque enim, quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cænati fratres, ad illud sacramentum accipiendum, convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere:*

91 — Hujusmodi auctoritas expenditur.

Namque Saluator, quo vehementius commendaret Mysterij illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoria discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum: Quo ratiocinio Augustinus, primò tradit expressè, perceptionem Eucharistiæ à jejunis fuisse antiquissimam, & universalem in ly, *Namquid calumniandum est universa ecclesia, quod à jejunis semper accipitur?* Item *Per universum orbem mos iste seruatur*. Secundò affert talis perceptionis rationem in ly, *ut in honorem tanti sacramenti* &c. Tertiò docet, Christum ipsum eam non præcepisse, sed reliquisse instituendam, præcipiendamque ab Apostolis in ly, *Non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis* &c. Quartò soluit argumentum, quod sibi proposuerat, ex facto Saluatoris, assignando peculiarem talis facti rationem, in ly *Namque Saluator quo vehementius* &c. Quintò rejicit cum Apostolo morem, aut potiùs abusum quemdam Corinthiorum, in ecclesiam conuenientium ad profanas cænas, & inter istas communicantium, ac miscentium sacra profanis: in ly *Aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit* &c.

92 — Aliæ auctoritates pro eadem veritate, idest pro jejunio ante communionem seruãdo de jure ecclesiastico.

Hanc Augustini auctoritatem protuli altiùs, & prætuli cæteris, quia totam rem nostram, clarè, & ex professo tractatam, continet; addo jam Isidorum *lib. de div. offic. cap.* 18. ubi idem, quod Augustinus, & ijsdem ferè verbis docet; Cyprianum *lib.* 2. *epist.* 3. vbi idem, quod Augustinus, argumentum, ex facto Christi desumptum, sibi objiciens, respondet, Christum, certa de causa, ad vesperam, & post cænam obtulisse, quia sic prædictum fuerat à Prophetis, nos tamen debere offerre manè, quia resurrectionem Domini celebramus; Tertullianum *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 5. ubi de eucharistia loquens, ait, *Non sciat maritus, quod ante omnem cibum gustes?* omitto alios, quos videre est apud Vasquium *disp.* 211. *cap.* 1. *num.* 7. *& seqq.* Accedunt antiquis Patribus antiqua Concilia, nimirùm Carthaginense III. *Can.* 29. Africanum sub Bonifacio I. *can.* 8. Matisconense II *can.* 6. Bracharense I. *can.* 16. Bracharense II. *can.* 10. Toletanum VII. *cap.* 2. Altisiodorense *cap.* 19. Synodus VI. Trullana *can.* 29. ac tandem Concilium Constantiense *sess.* 13.

93

Circa efficaciam probationis, quæ ex his Concilijs eruitur, aduerto primò, ipsa fuisse in varijs mundi regionibus, & pluribus abhinc sæculis celebrata, nimirùm Carthaginense in Africa, à sæculis circiter duodecim; Matisconense in Gallia, & Bracharense in Lusitania, à sæculis circiter undecim, Toletanum in Hispania, à sæculis circiter decem; Constantiense in Germania, à sæculis ferè tribus: ex primo autem capite colligitur universalitas, ex secundo antiquitas consuetudinis, de qua agitur, & hæc prætereà magis suadetur, ex eo quod in prædicto Carthaginensi III. *can.* 48. supponitur confirmata in Concilio Nicæno, ubi præter Nicæni, à sæculis ferè quatuordecim celebrati, anterioritatem, animaduersione dignum est, ut obseruat Suarez *dispat.* 66. *sect.* 3. quod talis consuetudo non dicatur in Concilio Nicæno instituta, sed confirmata, adeoque antiquior.

94

Aduerto secundò, nil referre, quod in eodem Carthaginensi, sicuti etiam in Matisconensi, & Africano permittitur, non jejunis communicare in feria quinta majoris hebdomadæ: Enim verò hujusmodi permissio, seu exceptio revocata postea fuit in præcit. canone Trullano 29. in quo habetur, *Statuimus, Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, non oportere in quadragesima postrema septimanâ, feriâ quintâ, jejunium soluere, & totam quadragesimam injuriâ afficere*. Quod si ut nonnulli, inter quos *Lugus dispat.* 15. *sec.* 2. *num.* 17. dubitant, canon iste non procedat de jejunio naturali, ante communionem, sed de ecclesiastico quadragesimali, quod prædicta feria quinta solui permitteretur à Concilio Carthaginensi, & restitutum fuerit à Trullano; si inquam res ita sit, nutat quidem nostra probatio, quatenùs nititur *can.* 29. Conciliorum Carthaginensis, & Trullani; at ex alijs Concilijs sufficientissimè subsistit; Permissio verò, non seruandi jejunium naturale, ante communionem in die cænæ, si aliquando viguit, fuit etiam revocata in Concilio Bracharensi I. & aliundè nobis favet in eo, quod suadet jejunij, ante communionem seruandi legem esse ecclesiasticam, non divinam, alioqui oppositum numquam potuisset ab ecclesia permitti.

95

Adverte tertiò, ferè omnia præmemorata Concilia, solùm expressè loqui de jejunio ante communionem seruando à Sacerdote sacrificante, & communicante in missa; nihilominùs communis usus, & sensus eccle-

siæ

siæ declaravit semper, & declarat similiter, procedere de communicantibus extra missam communione laica; idemque expressis terminis protulit, & tamquam dogma definiit Concilium Constantiense *pracit. sess.* 13 §. *in nomine*, dicens. *Sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo ecclesia servavit, & servat, quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, nec à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à jure, vel ecclesia concesso, vel admisso.*

96 Ex his, non solùm remanet abundè probata, tùm necessitas, & lex jejunii, tum quod juris ecclesiastici, non divini sit; verùm etiam remanet abundè solutum potissimum argumentum, quod Sectarii nobis objiciunt ex facto Christi, remanet inquam solutum, quia, ut ex Augustino, & Cypriano retulimus, tale factum fuit ad Mysterium, & ad implendas prophetias, non ad præbendum nobis exemplum, aut præceptum idem faciendi: Remanet insuper solutum, saltem ex parte, argumentum aliud, quod desumunt ex cœnis, quas Corinthii, ad communicandum feriâ quintâ, convenientes, in ecclesiis celebrabant, remanet inquam solutum, quia, ut cum Augustino notavimus, tales cœnæ fuerunt jam ex tunc à Paulo reprehensæ 1. *Cor.* 11.

97 Dices: Paulus ibi post cœnas illas, ac comessationes, eo quod in ecclesiis, & cum pauperum contemptu fierent, reprehensas, in fine capitis ait, *Si quis esurit, domi manducet*, quibus verbis videtur, fidelibus permittere, ut post sumptum domi cibum ad eucharistiam accedant, & confirmatur, ex eo quia hoc fuisse apud plures fideles in usu, usque ad tempora Augustini, colligitur ex Augustino ipso *pracit. epist.* 118. *cap.* 5. ubi respondens inquisitioni, qua interrogatus fuerat, an feriâ quintâ majoris hebdomadæ liceret offerre, & communicare, non solum mane antè sumptum cibum, sed etiam vespere post cœnam; respondet, hoc esse de illo rerum genere, *quod per loca, regionesque variatur*, & de quo anteà *cap.* 2. dixerat *Indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est*; ex quâ responsione constat, tunc in aliquibus ecclesiis consuetum, & licitum fuisse, dictâ feriâ quintâ communicare post cœnam, & consequenter id Apostolum in Corinthiis non reprehendisse, sed solum abusum cœnarum, & comessationum in ecclesiis sub communionis tempus. Sed contrà Bellarminus *pracit. cap.* 14. *ad* 2.

98 allatâ duplici Sanctorum Patrum expositione ostendit, & ly *Si quis esurit, domi manducet*. Gratis, & perperàm inferri, quod Apostolus permiserit, non jejunis, & cibo domi refectis, accessum ad eucharistiam: si tamen hoc admittatur, & Corinthii fuerint redarguti de comessationibus in ecclesiis, eo quod aliundè modo indebito fierent, non eo quod illarum occasione, non jejuni ad eucharistiam accederent, nobis nil officit, cum non negemus, viguisse, & licuisse apud aliquos in primitivâ ecclesiâ morem offerendi, & communicandi post cœnam in feriâ quintâ sanctioris hebdomadæ; Utrùm verò re ipsâ ad hoc alludant, nec ne memorata verba *Si quis esurit*? majorem postularet indaginem, quia totus ille Pauli textus variè admodum à Sanctis Patribus intelligitur, ut videre est apud Vasquium *pracit. disp.* 211. *cap.* 2. *num.* 14. & *seqq.* Ad confirmationem; concedo ex parte, quod objicitur, & dico, Augustinum eo loco duo respondere. Primum est, quod in aliquibus privatis ecclesiis vigeret consuetudo peculiaris offerendi, & communicandi in feriâ quintâ, etiam post cœnam, cui consuetudini dicit, licitum esse in talibus ecclesiis, se accommodare. Secundum est, quod ex consuetudine communi, & magis universali eucharistia semper sumatur à jejunis, & hanc consuetudinem magis commendat, non obstante illâ aliâ peculiari, quæ posteà, ut jam diximus, revocata est, ac prorsus abolita, ideò nunc nullibi licet.

99 Assert. 3. Jejunium, ad eucharistiæ sumptionem, prærequisitum, debet esse naturale, seù naturæ, quod etiam dicitur jejunium jejuni, nec sufficit jejunium ecclesiasticum, seù ecclesiæ, quod etiam dicitur jejunium jejunantis. Ità D. Thomas *hic quæst.* 80. *art.* 8. *ad* 4. D. Antoninus in summâ 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Scotus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 3. §. *Respondeo. Versic. Dico ergo* Durandus *ead. dist. quæst.* 4. *num* 11. Richardus *art.* 2. *quæst.* 2. Sylvester verb. *Eucharistia* 3. *quæst.* 6. & reliqui, tùm Scholastici, tùm Summistæ antiqui æquè, ac recentes contrà Gotfridum, & Joannem Parisiensem, à Sylvestro relatos, quorum tamen opinio, non solùm ob communem aliorum consensum in oppositum, temeritatis notatur, sed etiam propter aliquorum Conciliorum Canones, & universæ ecclesiæ consuetudinem, graviori notæ est obnoxia, adeò ut à Vasquio *disp.* 211. *cap.* 3. *num.* 27. censeatur error in fide.

100 Probatur assertum, & explicatur, quia juxtà D. Thomam mox *cit. resp. ad* 4. & 1. 2 *quæst.* 147. *art.* 6. *ad* 2., Durandum item *pracit. num.* 11. cæterosque communiter, jejunium naturæ importat privationem cujuscumque præassumpti, per modum cibi, vel potus, & qualibet, sivè potus, sivè cibi utcumque modicissimi, sumptione solvitur; Jejunium ecclesiæ consistit in unicâ comestione, & abstinentiâ à carnibus, & nullatenùs per potum, nec per cibum, nisi in notabili quantitate, & secunda, vice sumptum, solvitur; undè post potum, aut unicam comestionem, aut etiam, in materiâ tamen modicissimâ, iteratam, remanet quis jejunans, sed non jejunus, servat jejunium ecclesiæ, sed non Naturæ: Atqui accedens ad eucharistiam, debet esse jejunus, non præcisè jejunans, & debet habere privationem cujuscumque præassumpti, per modum cibi, vel potus; ergo jejunium, ad eucharistiæ sumptionem, prærequisitum, debet esse &c. Minor probatur ex præmemoratis

Iejunium aliud naturæ, aliud Ecclesiæ,

Illud, non illud præcisè ad eucharistiam prærequiritur.

moratis Conciliis, quorum aliqua requirunt, ut communicans sit jejunus, non præcisè jejunans: sic Cartaginense III. statuit *ut Sacramentum altaris, non nisi à jejunis hominibus celebreutur*, & in Constantiensi præallato habetur, quod Eucharistia *non debet à fidelibus recipi non jejunis*, aliqua alia excludunt in terminis quemcumque minimum cibum, vel potum, sic Bracharense II. prohibet *Ne aliquis quocumque cibo præsumpto oblationem consecret in Altari*, & Toletanum VII. *Nullus*, inquit, *post cibum, potumque, quamlibet minimum, Missas facere præsumat*: Idem evincit universalis Ecclesiæ consuetudo optima legum omnium, & Conciliorũ interpres: Confirmat id etiam, & suadet potissima jejunii ad Eucharistiam præmittendi congruentia; nimirum, quod nullus cibus, aut potus in os Christiani intret, priusquam Eucharisticus, ad servandam majorem hujus reverentiam, & ad significandũ, Christum Dominum esse nostrum primum cibum; hujusmodi autem reverentia, & significatio non perfectè subsistit, quoties aliquid, utcumque modicum, alterius cibi præcedat.

Dices: Saltem erit solum irreverentia levis, ac venialis, & leviter solum, venialiterque lædetur prædicta significatio, certè enim minimum quid cibi, aut potus, est levis materia: Accedit, quod in materiâ levi non potest graviter, & sub lethali obligare præceptum ecclesiasticum, quale per nos est præceptum jejunii ante communionem.

101 Sed contra: Quamvis Auctores antiqui, ut observat Vasquez *præcit. cap. 3. num. 28.* nihil de hâc re protulerint, recentes tamen, qui de eâ egerunt, unanimiter asserunt, communicantem post sumptum quid, utcumque minimum, cibi, aut potus, peccare lethaliter, ità ipse Vasquez *ibi*, Suarez *disp. 66. sec. 4. §. Dico secundò.* Amicus *disp. 27. num. 7.* Lugus *disp. 15. sec. 2. num. 22.* Arriaga *disp. 44. sec. 2. subsec. 1.* Lauræa *disp. 25. art. 6. num. 113.* Madernus *quæst. 7. art. 7. num. 6.* & alii, quorum potissima ratio est, quia illud, quod præcepto ecclesiastico prohibetur, non est sumptio modici cibi, sed est cõmunio post talem sumptionem, communio autem semper est res gravissima: Alia ratio esse potest, quia in Eucharistiæ sumptione grave est, & magni momenti, quod significetur, Christum esse nostrum primum cibum; alterius igitur modici cibi sumptio, quamvis sit res levis secundum se, quatenus tamen talem significationem impedit, est res gravis, & materia prohibitionis sub lethali: Neutræ rationi acquiescit Arriaga, & rem probat aliundè, nimirum ex eo quod privatio cujuscumque præsumpti cibi, vel potus, prærequiratur ab Ecclesia ad communionem, ut pura conditio, & in conditionibus non detur parvitas materiæ, sed solum attendatur voluntas ejus, qui eas apponit: Verum non satis deindè probat, quod non detur in conditionibus parvitas materiæ, vel certè, ut id probet, debet relabi in priores rationes, quæ omninò sufficientes sunt. Quod

Non admittit violationem, quæ sit ex parvitate materiæ venialis.

102 si alia addenda esset, dicerem jejunium naturæ consistere quodammodo in indivisibili, quocumque cibo, vel potu substantialiter, adeoque graviter violari, & cibum, potumvè modicissimum, esse materiam levem secundum se, at non violare leviter jejunium naturæ, ideò relatè ad istud, esse rem gravem.

Urgebis, ex iis sequi, etiam guttulam aquæ, quam quis os abluendo trajiciat, aut modicissimum animalculum, quod in os apertum involet, & respirando, simũl cum aere attrahatur in guttur, violare jejunium antè communionem servandum, & communionem sub lethali impedire, quod nimis durum, scrupulosum, ac ferè ridiculum est: Nec sufficienter occurritur, dicendo ista, & id genus alia, non sumi per modum cibi, vel potus, nam hoc ipsum difficillimè explicatur; & præterea non consonat decreto Sancti Sotheris Papæ, quod *tom. 1. Conciliorum* refertur his verbis *Nullus post cibum, potumque, sivè quodlibet minimum sumptum missam facere præsumat*, ubi ly *sivè quodlibet minimum* extenditur etiam ad ea, quæ non sumuntur per modum cibi, vel potus.

103 Sed contrà: Decretum, quod ex Sancto Sothere objicitur non est authenticum, nisi sit illud idem, quod ex Concilio Toletano VII. retulimus *præced. num. 100.* in quo Typographorum, aut aliorum vitio, pro ly *quamlibet minimum* transcriptum fuerit *sivè quodlibet minimum* ut observant Lugus *præcit. sec. 2. num. 30.* & Arriaga *num. 15.* Sic per anticipationem rejectâ auctoritate decreti, quod tamquam ex Sothere emanatum refertur, nego sequelam, quæ in instantiæ instauratione urgetur, & ratam habeo, in sensu mox explicando, responsionem obiter interpositam, pro quâ.

104 Adverto duo requiri ad hoc, ut aliquid sumatur per modum cibi, vel potus: Primũ est, quod sit aliquid comestibile, vel potabile; hujusmodi autem censetur, quidquid per se loquendo potest, in stomacho corrumpi, & alterari, nec integrum, & inalteratum egeritur. Secundum est, quod sumatur per actionem, quæ sit comestio, vel potatio, ad quam actionem maximè requiritur, quod aliquid ab extrinseco ori immissum per se, & ratione sui trajiciatur per guttur; requirunt etiam aliqui, quod trajiciatur sponte, & scienter, seù actione voluntaria, at si hoc admitteretur, nullus posset propriè potare, aut comedere in amentia, aut in somno, & is, qui vinum, aut jusculum ori per vim immissum, contrà propriam voluntatem trajiceret, censeretur, non violare jejunium naturale pro communione necessarium: Dicatur igitur, duo priora sufficere, ad hoc ut aliquid dicatur sumi per modum cibi, vel potus; eademque ad id requiri, adeò ut si in alicujus rei sumptione, ac trajectione, alterutrum desit, talis res non sumatur per modum cibi, vel potus, jejuniumque naturale non violet: Hinc non sumitur per modum potus, quamvis in se sit quid potabile, guttula aquæ, quam quis os

Jejunium naturale non violatur quoties id quod sumitur, aut nec est cibus, nec potus, aut nec per comestionem nec per potationem sumitur.

Non violatur ex aquæ guttula, per modum salivæ trajecta.

abluendo trajicit simul cum saliva, ut suppono, cui remanet immixta, quia talis actio non est potatio, sed salivæ deglutio; Non sumitur item per modum cibi, quamvis in se sit quid comestibile, animalculum, quod in or involat, & respirando in guttur inopinanter attrahitur, quia hujusmodi actio nō est comestio, sed respiratio, seù aeris attractio: Et ex his non solum remanet sufficienter explicata ratio negandi sequelam, quæ in instantiæ instauratione urgebatur, sed insuper habetur generalis regula, ex quâ facile sit in variis casibus diudicare, & deducere, utrùm violatum sit naturale jejunium, & positum cōmunioni impedimentū, nec ne?

Non ex animalculo simul cum aeris inspiratione, seù attractione deglutito.

105 Non per jusculum, quod quis ad experiendum saporem prægustat, & statim expuit.

Deducitur igitur primò, non violari naturale jejunium, nec istius defectu impediri communionem per hoc, quod quis præcisè ad percipiendū saporem, & statim expuendo vinum, aut jusculum prægustans, aliquid ipsius in ore remanens, salivæ admixtum deglutiat, dixi *& statim expuendo*; nam sidiù per os verset, videbitur remanere in majori quantitate, quam ut possit censeri saliva, & per modum salivæ trajici, ità dubitanter Arriaga *disp.* 44. *num.* 17. ubi tamen loquitur de aquâ, quâ or oblivitur, & concludit, non multum esse scrupulizandum.

106 Non per reliquias cibi ex die præcedenti relictas, & inadvertenter trajectas.

Deducitur secundò, non violari per hoc, quod quis deglutiendo salivam, simul cū saliva inadvertenter trajiciat reliquias cibi ex die præcedenti relictus. Dixi *inadvertenter*, nam si præstet cum advertentiâ, & ex industriâ, jam non trajiciet per modum salivæ, quia facilè potest reliquias illas à salivâ separare, & expuere, & quamvis aliqui aliundè, nimirum ex eo quod fuerint præcedenti die in os, immissæ, earumque comestio hesterna potius, quam hodierna, sentiant, illas etiam advertenter, & sponte trajectas, naturale jejunium non violare: Non placet tamen, quia comestio censenda est illius diei, in qua fit cibi in stomachum trajectio, non in os immissio, & est cōmunior sensus Doctorum, inter quos me maximè movet D. Thomas *quæst.* 80. *art.* 8. *ad* 4. ubi docendo, reliquias illas nō impedire Eucharistiæ sumptionem, quod est idem ac dicere, non frangere naturæ jejunium, expressè apponit conditionem *Si causaliter transglutiantur*.

107 Non per aromata, aut tabaci folia ore retenta, & masticata.

Deducitur tertiò; non violari per hoc, quod aromata, aut tabaci folia in ore retineantur, aut etiam masticentur, & conterantur; nam retentio in ore, masticatio, contusio, ex se præcisè, comestio non est, & si quid ipsorum cum salivâ descendit, per modum salivæ, non per comestionem trajicitur, ut de tabachi foliis ex professo tractat Lugus lib. 1. respons. moralium dub. 9. Benè nihilominus Herinex *disp.* 6. *quæst.* 5. *num.* 56. monet, extirpandum esse abusum aliquorum Sacerdotum; ferè toto mane, usque ad missæ celebrationem, tabacum masticantium; sapit enim irreverentiam, quod ore sic fœdo sacra mysteria suscipiant. Accedit, quod ex diutinâ tabaci masticatione potest magna ipsius quantitas deglutiri, adeoque non per modum salivæ, ut in simili ex Arriagâ retulimus *praeced. num.* 105. & invenio etiam in D. Thomâ *praecit. resp. ad* 4. ex hoc capite multò magis displicet, quod Amicus *disp.* 27. *num.* 4. tradit, non violaturum naturale jejunium eum, qui cadens in fluvium casu, multâ aquâ ingurgitetur, multæ enim aquæ trajectio, certè non est per modum salivæ non est item per respirationem, quia non simul cum aere attrahitur; est igitur per potationem, causalem quidem, & involuntariam; at ex hoc non tollitur, quin sit potatio propria, & violativa naturalis jejunii, ut mox advertebam *num.* 104.

108 Non per lapillos, nummos aureos, globulos plūbeos, & similia ab ore in stomachum trajecta.

Deducitur quartò, non violari per hoc, quod quis deglutiat ossicula, lapillos, globulos aureos, argenteos, plumbeos &c. hæc enim non habent rationem comestibilis, & quomodocumque in stomachum trajiciantur non digeruntur, nec alterantur, sed egeruntur integra, & immutata, unde, etiamsi in magna quantitate sumantur, non violant jejunium; & qui ad tutè, & occultè transferendos nummos aureos v. gr. eos deglutiunt, non censentur violare jejunium ecclesiasticum, si de pluribus aureis id præstent in die, in qua sit ex præcepto Ecclesiæ jejunandum. De papyro, frustulo ligni minus solidi, terrâ, cretâ, crustâ parietis, & similibus, habeant ne rationem comestibilis? est in quæstione, & pro parte affirmante facit, quod in stomachis præsertim validioribus patiuntur magnam alterationem, nec egeruntur integra, imò aliqua aliquibus animalibus, ut papyrus muribus, ad nutrimentum inserviunt; ideò de istis consequenter in quæstione est, Utrum jejunium naturale violent?

109 Violatur verò sumendo aliquid per modum medicinæ:

Deducitur quintò, ex adverso violari jejunium naturale, & poni communioni impedimentum, per sumptionem medicinæ, hæc enim est species cibi, vel potus, & potest rectè dici cibus, vel potus medicinalis; peculiaris effectus, quem habet, non impedit, quin in stomacho corrumpatur, aut alteretur, quod sumatur per modum medicinæ, non tollit, quin verè comedatur, aut bibatur, & connotat diversam intentionem sumentis, at non reddit in se intrinsecè diversam ipsam sumptionem; hinc in Rituali Pauli V. titulo *de Commun. infirmor.* expressè habetur *Caeteris fidelibus* (idest benè se habentibus, aut saltem non ad mortem infirmis) *nec etiam per modum medicinæ aliquid sumere licet*.

Item deglutiendo post mediā noctem etiam in somno saccharum vespere ori immissum.

Deducitur sextò, violari per hoc, quod saccharum, aut quid simile antè mediam noctem ori immittatur, ut paulatim liquescens raucedinem, distillationemve temperet, quoties aliquid ipsius (quod non sit jam liquatum, & modum salivæ habens) post mediam noctem in ore remaneat, quod in stomachum fluat, etiamsi in somno: Enim verò quod ad raucedinem, distillationemvè curandam id fiat, non est, nisi sumi per modum medicinæ, quod ex mox dictis non suffragatur: Non suffragatur item, quod fuerit ori immissum ante mediā noctē, aut deglutitū, in somnis;

quia

quia *ex num.* 106. comestio censetur fieri, cum cibus in stomachum trajicitur potius, quam cum in os immittitur, & *ex num.* 104. ad violandum naturæ jejunium, non est necesse, quod deglutio fiat scienter, & cum advertentiâ.

110 Hucusque dicta ad particulares casus, tamquam probabiliora, receptiora, & nostris conformiora principiis accipe, non tamquam omninò certa, & excludentia omnem ab oppositis sententiis probabilitatem. Idem proportionaliter esto judicium de aliis multis, quæ cohærenter ad mox deducta facile erit cuilibet, ad alios particulares casus, alicui ex præcedentibus affines, respondere:

Disputant hic aliqui. Quid sentiendum de eo, qui dubitat, an sit jejunus? Quo in puncto ex communi regulâ, quod *In dubiis melior sit conditio possidentis*, nihil potest sufficienter concludi, quia hoc ipsum, idest ex quânam parte sit possessio, seu possidentis conditio. Utrùm ex parte libertatis accedendi ad communionem, an ex parte legis jejunii servandi antè communionem? controversum, dubiumque est: Ideò res est valdè perplexa, & variis hinc indè dicendi modis exagitata: Aliqui, ut Lugus *pracit. sec.* 2. *num.* 41. distinguunt inter dubium proveniens ex comestionis actu, quatenus quis dubitet, an verè comederit, seu aliquid per modum cibi deglutierit? & dubium proveniens ex comestionis tempore, quatenus, quis sciens se verè comedisse, dubitet, an tunc, quando comedit, esset post mediam noctem, nec ne? & affirmant in primo jejunii dubio, licitam esse cōmunionem, non in secundo: Alii inter utrumque dubium pro re præsenti non distinguunt, & vel in utroque licitam, ut Herinex *disp.* 6. *quæst.* 5. *num.* 59. vel in utroque illicitam, ut Sanchez de matrimonio *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 40. reputant communionem: Verum non est hujus loci difficultatem, ex pluribus moralis doctrinæ principiis deducendam examinare, & ex proposito solvere; ideò pro praxi: dico breviter cum Laureâ *disp.* 25. *art.* 6. *num.* 116. quod si dubitans, an sit jejunus? nullam habet necessitatem cōmunicandi, tutius operatur (id enim, in quo nullum est peccati, nequidem materialis periculum, præstat) si non communicet, ideò ex regulâ generali, quâ in dubiis eligenda est pars tutior, tenetur non communicare: Si verò de jejunio dubitans habeat, vel ob scandalum imminens, vel ob præceptum urgens, communicandi necessitatem, potest licitè communicare, quia est in quodam quasi perplexitate, quâ si non communicet, videtur se exponere periculo scandali, aut violationis præcepti, si communicet, periculo irreverentiæ sacramenti, nec certò constat, quæ pars sit tutior, imò neutra videtur tuta; ideò stante tali perplexitate, & periculo scandali, aut violationis præcepti, pia mater Ecclesia jure præsumitur, non prohibere communionem post fractionem jejunii dubiam, sed solum post fractionem certam.

111 Quid de cōmunicaturo, qui dubitat, an sit jejunus.

§. VI.

Quas exceptiones patiatur præassertum Jejunii præceptum? & reliqua ad præcedentem titulum pertinentia.

112 Præceptū jejunè cōmunicandi non obligat pro viatico in mortis articulo.

ASSERT. I. Potissima, seu universalissima præasserti præcepti exceptio, est articulus, seu periculum mortis, in hoc scilicet præassertū præceptū non obligat, & licitè potest à quolibet, sivè Sacerdote, sivè laico, etiam non jejuno, sumi sacrum Viaticum. Est exceptio certa, ac recepta apud omnes, & quamvis, ut inductione factâ ostendit Lugus *disp.* 15. *sec.* 3. *nu.* 58. in nullo Concilio expressè statuatur, imò à Conciliis Constantiensi antiquioribus, ad Eucharistiæ sumptionem jejunium prærequirentibus, nequidem memoretur, Concilium ipsum Constantiense in verbis jam relatis *nu.* 95. eam supponit ex consuetudine Ecclesiæ antiquissimâ, quam quidem idem Lugus *num.* 59. putat, credibile esse, ortum habuisse à Pontificum, & fortasse Apostolorum auctoritate, & decreto, quod ad nos non devenerit, aut etiam ab initio non fuerit scriptis mandatum, sed solum usu ipso; idque non leviter confirmat absoluta locutio Rit. Rom. *pracit. tit. de Commun. infirm.* verbis illis *Potest viaticum brevi morituris dari non jejunis*. Præter hanc Ecclesiæ praxim, Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, omniumque fidelium sensu, & consensu commendatum.

113 Probatur assertum, ratione desumptâ ex maximâ necessitate, & indigentiâ, quam habemus Eucharistiæ sumendæ in mortis articulo, ex quâ necessitate sicuti suprà *cap.* 3. §. 3. deduximus, congruentissimum esse divinum præceptum, de Eucharistiâ in tali articulo (subintellige semper, sivè periculo) sumenda, ità nunc deducimus, congruentissimum esse exceptionem ejusdem articuli, à præcepto Ecclesiastico, non communicandi absque jejunio, adeò ut propter maximū morientis dispendium, non fuerit expediens, Ecclesiam velle, aliquem mori absque communione, potius quam cōmunicare absque jejunio, quamvis absolutè potuerit id velle, & ad id obligare, non obstante quod præceptum communionis, in articulo mortis, divinum sit, sicuti hoc non obstante, potuit velle, quod Sacerdos moriatur, sine communione, potius quam quod consecret sine sacris vestibus, aut si Latinus sit, in fermentato; & universaliter potest Ecclesia præcipere aliquid, aut prohibere taliter, quod neque etiam pro observando præcepto divino, liceat id omittere, aut facere; undè quādo ex duobus præceptis divino uno, humano altero nequit utrumq; observari, non illicò censendum est, prævalere divinum, ex eo præcisè quod divinum sit, sed aliundè, nimirum ex usu, fine, modo utriusq; præcepti, & similibus investigandū est, quodnam prævaleat: Hincque obiter deducitur, Vasquium

diſp. 211. *cap.* 4. *num.* 35. alioſque nonnullos probare parum efficaciter præfixum aſſertum, dum illud probant ex eo præcisè, quod præceptum communicandi jejunè ſit eccleſiaſticum, præceptum communicandi in articulo mortis ſit divinum, ideò iſtud ſit fortiùs, & præ illo ſervandum, quoties nequit ſervari utrumque; melior eſt igitur probatio à nobis poſita, & deſumpta ex maxima neceſſitate &c.

114

Quot es quis nequit tunc ſine notabili incommodo illud ſumere jejunus

Ex his habes pro communione per modum viatici non ceſſare ſimpliciter præceptum jejunij, ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod aliter quis periclitetur, ſine viatico mori, cæterùm ſi morti proximus cum præcepto divino ſumendi viaticum, poſſit ſimul ſervare præceptum eccleſiaſticum communicandi jejunè, debet utrumque ſervare, & jejunus viaticum ſumere; ſubintellige, quod poſſit commodè, non eſt enim in hoc ſcrupuloſè procedendum, nec tenetur infirmus ad ſumendum jejunè viaticum aut curare, quod ſibi noctu deferatur, aut cum notabili incommodo differre medicinæ, cibi, potus ſumptionem, non item, ut damnatus ad mortem jejunus viaticum ſumat, tenetur judex, in ſequentem diem differre executionem ſententiæ, cum eccleſiæ benignitas, & praxis ſatis declaret oppoſitum, quod inſinuat etiam præallata verba Ritualis Romani, in quo illa expedita, & illimitata loquendi forma *Poteſt viaticum brevi morituris dari non jejunis* parum apta videretur, ſi eſſet ſcrupuloſius, & cum notabili incommodo, pro brevi morituris, procurandus modus, quo viaticum daretur ipſis jejunis. Et ecce cur dixerim, aſſertam exceptionem eſſe potiſſimam, ac univerſaliſſimam, eſt ſcilicet huiuſmodi, quia eſt indubitata, in praxi frequens, laicis, æquè ac ſacerdotibus communis, nec multa diſquiſitione indigens, vixque ullam admittens limitationem, ut facilè fiet magis perſpicuum conſideranti.

Debet autem incómodi modus benignè, non ſcrupuloſè attendi.

115

Porrò neceſſitas non carendi viatico, & ejus utilitate, tanta ab aliquibus cenſetur, ut quis non ſolùm, ne ipſemet, ſed etiam ne alius ſine viatico decedat, poſſit non jejunus communicare, poſſit, ſcilicet non jejunus celebrare ſacerdos, ad conficiendam eucharistiam, quæ infirmo per modum viatici detur, quoties illa nequeat aliter haberi: ita docuit in primis Major *in* 4. *diſt.* 9. *qu.* 3. *ad* 5. cujus ſententiam, & probabilem ſimpliciter reputat, & alijs nonnullis tribuit Artiaga *diſp.* 44. *ſect.* 3. *ſubſect.* 4. *num.* 41. eam verò Gonetus *diſp.* 9. *art.* 2. *nu.* 43. non ſolum falſam, ſed, & temeratiam cenſet; Vaſquez *diſput.* 211. *cap.* 5. *num.* 61. nullo modo probabilem exiſtimat Amicus *diſputat. & num.* 27. admittit eſſe probabilem per rationes, & media intrinſeca, improbabilem per auctoritatem, & media extrinſeca, cùm ferè omnes Auctores eam rejiciunt, & meritò; neque enim eſt eadem conſuetudo, quod quis communicet non jejunus propter neceſſitatem viatici alienam, ſicuti propter neceſſitatem viatici propriam; Non eſt etiam eadem ratio, quia neceſſitas viatici aliena eſt extrinſeca, & ſubjectivè (ſi non objectivè) minor, quàm neceſſitas propria, quæ intrinſeca eſt: Deindè illa neceſſitas contingit rariſſimè, iſta frequenter, cum enim aſſervari in eccleſiis ſoleat pro communione infirmorum eucharistia, rariſſimum eſt, quod haberi nequeat, niſi ſacerdos non jejunus communicet, & celebret ad eam conficiendam; eſt verò frequentiſſimum, quod in mortis articulo, ſeu periculo conſtitutus, nequeat, commodè viaticum ſumere, niſi ſumat non jejunus; habuit igitur eccleſia multò majorem rationem, excipiendi à lege jejunij neceſſitatem, ſumendi viaticum pro ſe ipſo, quam neceſſitatem dandi illud alij, hincque non ſolum per media extrinſeca, ſed & per intrinſeca, improbabilem, & omninò improbandam cenſeo ſententiam ex Majore, aliiſque nonnullis relatam. Nec obſtat, quod *cap præced. num.* 35 dixerimus, in neceſſitate dandi viaticum alteri, licere ſacerdoti exiſtenti in lethali celebrare ſine prævia confeſſione, cujus tamen præmittendę neceſſitas, quę de jure divino maior eſt, quam neceſſitas præmittendi jejunium, quę de jure eccleſiaſtico. Non obſtat, inquam, quia iam *ib.* aſſignata eſt diſparitas, & parùm refert, quod una obligatio ſit juris divini, altera eccleſiaſtici, nã licet illa ſit ex genere ſuo fortior, iſta benè poteſt eſſe univerſalior, & obligare pro aliquo caſu, pro quo illa non obliget, pendet quippe hoc ex intentione ejus, qui obligationem imponit, potius quam ex majore, vel minore ipſius poteſtate

Non eſt eadem ratio de viatico dando alteri, nec ex hoc capite poteſt ſacerdos celebrare nõ jejunus.

116

Aſſert. 2. Reliquæ præaſſerti præcepti exceptiones, ſeù reliqui caſus, in quibus præaſſertum præceptum non obligat, reducuntur ad tria capita, nimirum ad neceſſitatem perficiendi ſacrificium, ad periculum irreverentię ſacramenti, & ad factam à Summo Pontifice diſpenſationem,

Probatur univerſim, ex eo quia ſingula hæc tria capita continent ſufficientem rationem, ob quam præceptum jejunii non obliget, nam quo ad duo priora, obligatio perficiendi ſacrificium, & conſulendi reverentiæ ſacramenti, oritur ex natura rei, & ex præcepto divino naturali: pęceptum autem poſitivum, quale eſt pęceptum jejunij, ſeu jejunè communicandi ex genere ſuo ceſſat, quoties ejus obſervantia impendit obſervantiam pręcepti naturalis, nec ullus dubitat, quin ſit magis vitandum, quod eſt intrinſecè malum, ut eſt non perficere ſacrificium, non conſulere reverentię ſacramenti, quam quod eſt malum ſolùm, quia prohibitum, ut eſt communicare non jejunè: Quo ad tertium, quia cujuslibet præcepti obligatio ceſſat per diſpenſationem rationabiliter, & ex juſta cauſa factam, ab habente poteſtatem legitimam, & æqualem ei, per quam obligatio inducta eſt, eſt autem obligatio jejunè communicandi inducta per eccleſiaſticã poteſtatem, & hæc plenariè reſidet in Summo Pontifice; ergo. Explico jam magis ſingu-

117

Tria capita ſub quibus continentur varijs caſus communicand non jejunè extra mortis articulum.

singula capita, sub singulis recensendo, seù ex singulis deducendo varios casus in quibus licet eucharistiam non jejunè sumere.

118

Casus contenti sub primo capite, quod est necessitas perficiendi sacrificium.

Sub primo capite primus casus sit, quando Sacerdos in sumptione deprehendit alteram speciem, ex substantiali materiæ defectu, fuisse invalidè consecratam; puta sumendo hostiam, invenit, eam esse hordeaceam, non triticeam; vel hauriendo calicem, invenit, se in eo aquam pro vino apposuisse; in quo quidem casu, quia nequit haberi in unica specie perfectio sacrificii, tenetur sacerdos, ut rubricis ipsis Missalis præscribitur, aliam materiam loco ejus, in quâ substantialem defectum deprehendit, consecrare, & sumere, quamvis per sumptionem speciei substantialiter defectuosæ, & invalidè consecratæ jejunium fregerit. Non est tamen eadem ratio, si (quod vix potest moraliter contingere) inveniatur, esse substantialiter defectuosa utraque species; nam in hâc hypothesi cum sacrificium non sit inchoatum, nulla est necessitas ipsum perficiendi, & ne imperfectum relinquatur non jejunè communicandi, sed erit omninò à sacrificio cessandum, nisi ex aliquo alio capite habeatur, non jejunè communicandi, ratio.

119

Secundus sit, quando sacerdos inchoato jam sacrificio, & factâ unius saltem speciei consecratione, recordatur, se non esse jejunum; imò etiamsi non jejunus malâ fide ad consecrandum accesserit post factam unius speciei consecrationem, tenebitur prosequi, & sumere, nec peccabit sumendo non jejunus, dummodò antè sumptionem pœniteat, ut debet, de accessu ad consecrandum cum malâ fide fracti jejunii. Dixi *& factâ unius saltem speciei consecratione*, quia antè omnem consecrationem non est inchoatum essentialiter sacrificium, & qui recordatur, se aliquid comedisse, aut bibisse, non tenetur prosequi, imò fortè nec licitè potest solo titulo perfectionis sacrificii, ad hunc quippè casum D. Thomas *quæst. 83. art. 6. ad 2.* ait *tutius reputarem, quod missam inceptam desereret nisi grave scandalum timeretur*, quod cum aliqua etiam sacerdotis infamiâ vix potest non timeri in missis, quæ publicè celebrantur, nec sufficienter vitabitur, per hoc quod sacerdos publicè protestetur, sibi in memoriam venisse fractum jejunium, nam hoc ipsum importare potest aliquam infamiæ, incuriæque notam, & præterea non facilè ab omnibus credetur, sine suspicione gravioris missæ prosequendæ impedimenti, in casu igitur, de quo agitur, aliundè quàm titulo perfectionis sacrificii, vix potest non semper licere missæ prosecutio, quamvis celebrans communicaturus sit non jejunus, ut in simili aliquid diximus suprà *num. 36.*

120

Tertius sit, quando sacerdos unâ saltem specie consecratâ repente decedit, aut in phrænesim incidit, aut aliter redditur impeditus, & impotens ad perficiendum, consummandumque sacrificium, nec adest alius sacerdos jejunus, sed solum non jejunus, qui possit ejus vices supplere, tunc enim debet ille, ejus loco, consecrationem prosequi, sacrificium perficere, & consummare, adeòque communicare non jejunè. Et quidem in his tribus relatis casibus, sicuti apertè constat, quod remaneret sacrificium imperfectum, & mutilum, nisi sumeretur sacramentum à sacerdote non jejuno; ità incontroversa, ac indubitanter omnes admittunt, id esse licitum, imò necessarium.

Adest & quartus, in quo tamen, sicuti supponitur sacrificium jam substantialiter perfectum, ità res non admittitur adeò indubitanter, & incontroversè: Casus est, quando celebrans post sumptam calicis ablutionem, seù purificationem, deprehendit remansisse reliquias hostiæ à se sumptæ, aut particularum à se consecratarum, ad aliquos laicos communicandos; tales quippè reliquias, etsi D. Antoninus *3. par. sum. tit. 13. cap. 6. §. 9.* Rosella verb. *Eucharistia 3. num. 13.* & quidam alii putent, esse vel in crastinum asservandas, vel alteri jejuno, & ad communicandum disposito tradendas; nihilominus sumendas esse ab ipso celebrante, quamvis non ampliùs jejuno, tradunt Cajetanus in Sum. verb. *Missæ celebratio*. Herinex *hic disp. 6. quæst. 5. num. 65.* Vasquez *disp. 209. cap. 5. num. 31.* Madernus *quæst. 7. art. 7. nu. 15.* Marchinus de miss. sacrif. *par 3. cap. 3. num. 17.* & cæteri valdè communiter, ratio est, quia talium reliquiarum sumptio est una, & eadem moraliter actio cum ea, quam celebrans jejunus inchoavit, & spectat ad aliquale complementum, quamvis non ad essentiam prioris sacrificii; quæ ratio, quia non militat de reliquiis, aut ab alio celebrante relictis, aut ab ipso eodem celebrante, solùm postquam ab Altari in Sacristiam se recepit, deprehensis, non est in his casibus idem sentiendum, quod in casu præcedenti, quidquid in contrarium, quoad reliquias relictas ab alio celebrante, opinetur Marchinus *præcit. cap. 3. num. 19.* apud quem, sicut & apud Vasquium *præcit. cap. 5.* Suarium item *disp. 66 sec. 6.* habes alia nonnulla ad casum principalem mox expositum, ejusque tùm ampliationes, tum restrictiones pertinentia.

121

122

Casus contenti sub secundo capite, quod est periculum irreverentiæ sacramenti.

Sub secundo capite continentur casus, in quibus eucharistiæ imminet, aut ab ingruente incendio combustio, aut ab irruentibus infidelibus injuriosa contrectatio, aut à brutis comestio, aliove hujusmodi ingens irreverentia, quæ nequeat vitari, nisi per hoc, quod eam quis sumat, nullus verò adsit jejunus, qui possit sumere: Ratio autem, cur in his casibus, præceptum jejunii non obliget, & liceat non jejuno sumere, habetur, ex eo quod ipsum præceptum, jejunii ad eucharistiam præmittendi, est institutum in favorem reverentiæ sacramenti, ut autem ex D. Bernardo refert, & infert Suarez *præcit. sec. 6.* in fine sicut, quod propter charitatem est institutum, non debet contrà charitatem militare, ità non debet obligare contrà reverentiam sacramenti, quod est

prop-

propter talem reverentiam introductum. Porrò in prænunciatis casibus Lugus *disp.* 15. *sec.* 4. *num.* 87. monet non à sacerdote tantùm, sed & à laico non jejuno posse eucharistiam sumi, & consumi, cum hoc discrimine, quod sacerdos poterit sibi illam ex se sumere, laicus præsente sacerdote debebit sumere de manu sacerdotis.

123

Potest similiter sub præsenti secundo capite collocari casus, quo Celebrans post sumptam ablutionem deprehendat reliquias consecratas ex alterius sacrificio, aut postquàm ab altari recessit, licitè scilicèt tales reliquias non jejunus sumet, si sit in loco, in quo nequeant reverenter asservari, nec alia missa eo die celebranda sit, sicque quod *præced. num.* 121. dicebamus, non licere titulo perfectionis sacrificii, aut unitatis actionis, licebit aliquando titulo reverentiæ debitæ sacramento, ut observant Suarez *præcit. sec.* 6. §. *Ad primum*, & Herinex *præcit. quæst.* 5. *num.* 66.

Casus contenti sub tertio capite, quod est Summi Pontificis dispensatio

Sub tertio capite, de facto tot continentur casus, quot recensentur concessæ à Summo Pontifice non jejunè communicandi dispensationes, inter istas autem prima sit, quã Carolo V. Imperatori concessam fuisse facultatem accedendi ad eucharistiam non jejunè, scribit Famianus Strada *lib.* 1. *de bello Belgico*, Secunda, & hujus nostri sæculi sit, quã Paulus V. anno 1619. concessit Dominæ de Londey in Galliis, quotidianam post prandium communionem, ad compescendum horribilem corporis tremorem, quo etiam cum vitæ periculo à Dæmone vexabatur, & corripiebatur statim, post sumptum potum, nisi ei confestim eucharistia ministraretur, ut tamquàm ocularis, & de visu testis, refert Gonetus *hic disp.* 9. *art.* 2. *num* 44.

124

Teria eaque celebrior, & singulorum annorum sit, quâ Cardinalis hic Romæ in sacello Pontificio celebrat, & absolvit primam missam antè mediam noctem, sumpto, si velit, in vigiliã Nativitatis talem mediam noctem præcedente, cibo, seù prandio consueto: Si velit, inquam, nam dum hæc in alma Urbe, & circã festa ipsa Natalitia scribo, curavi scire, tùm re ipsã Cardinalis missam illam celebrans, in die vigiliæ comedat, an à mediã nocte vigiliæ initiativã servet jejunium naturale, usque ad primam Missam Nativitatis nocte sequenti celebratam, & comperio, plures tale jejunium servare, aliquos tamen comedere, quod sufficit, ut censeatur, quot annis cuilibet Cardinali hujusmodi missam celebraturo, id licere ex tacitã Summi Pontificis dispensatione concedentis ei, quod pro tunc celebret, & communicet non jejunè, ne cogatur jejunium naturale nimis diù sustinere.

125

Scio quidem, hanc dispensationem fuisse in dubium revocatam à Lugo *hic disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 56. non quod negaverit, Cardinali eam missam celebratur, licere in vigilia Nativitatis prandium, seu cibum sumere, imò absolutè supponit hoc fieri, sed quod crediderit Summum Pontificem pro tali missa, anticipare initium diei Natalis Domini, & velle istud initium non à media nocte, sed ab una, vel altera ante mediam noctem hora computare potiùs quam dispensare, quòd intra diem vigiliæ missa celebretur à non ieiuno; fundamentum ita credendi desumitur potissimum, ex eo quod missa illa censenda sit celebrari, & esse intra diem Nativitatis potius, quàm intra diem vigiliæ: primò quia, si intra hunc esset, Cardinalis in nocte Nativitatis celebraturus teneretur in die vigiliæ manè non celebrare, ne eadem vigiliæ die celebraret bis, postquam verò in nocte celebrasset, posset in sequenti die Natalis celebrare tres missas, æquè ac quilibet alius sacerdos, quod tamen non præstat: Secundò, idem Cardinalis volens posteà in die Natalis celebrare posset in nocte purificationem sumere, quod est contra praxim, & illius missæ rubricam. Tertiò si vigilia in Dominica occurreret, adstantes illi missæ satisfacerent præcepto audiendi missam in die dominico, non audiendi missam in festo Natalis Domini. Nihilominùs hisce rationibus non satis movet, nec propter ipsas puto, recedendum esse ab antiqua, facili, & communi opinione docente, in casu, de quo agitur, dispensari à Pontifice præceptum jejunè communicandi, non mutari, seu anticipari initium diei Natalis; dico igitur, missam illam verè celebrari intra diem vigiliæ, non tamen sequi ea, quæ Lugus infert,

Controversia inedès de Cardinale celebrante ante mediam noctem primam missam nativitatis.

126

Resolvitur sustinendo in tali celebratione dispensationem jejunii.

quia dispensatio Pontificis est purè purè quo ad anticipationem missæ, & jejunium in favorem Cardinalis celebrantis, non quo ad alia, & in favorem aliorum, adeò ut, quo ad alia, & respectu aliorum, talis missa eodem modo se habeat, ac si celebraretur post mediam noctem. Quod, & proportionaliter responderet in sua sententia Lugus ipse, si ei objiciatur, quod facta anticipatione diei natalis, liceret etiam aliis in mane vigiliæ pransis, ad eam missam communicare, liceret item illius missæ tempore ante mediam noctem carnes comedere: responderet scilicet, anticipationem diei natalis esse purè purè quo ad celebrationem illius missæ, non quo ad aliquid aliud. Responsio igitur, quam etiam Lugus in sua sententia tenetur adhibere, solvit difficultates, quas ipse Lugus communi sententiæ objicit, nec continent difficultates illæ sufficiens fundamentum ab ista recedendi, unde meritò ab ista simpliciter non recesserunt, quamvis, & post Lugum scripserint, & Lugum in hoc puncto viderint Arriaga *disp.* 44. *sect.* 2. *subs.* 5. & Madernus *præcit. art.* 7. *num.* 12. Stet itaque sua opinioni Lugi probabilitas, at non major, quàm in ista alia, quæ saltem quia communior, facilior, & antiquior est, mihi videtur præferenda; cæterum puto, non posse statui quidquam certi, nisi accedat oraculum Summi Pontificis, mentem suam proferentis, & explicantis, quid intendat in proposito casu concedere, & dispensare.

127

Sic positis, & expositis exceptionibus, prima

Quænam alia præter jejunium requiratur ex parte corporis dispositio ad euchari stiam?

ma præfixi tituli partem constituentibus, reliqua constituentia secundam partem, & pertinentia ad præcedentem titulum, nihil aliud sint, quàm dispositiones aliæ, de quibus dubitari potest, an & quomodò ad licitam, & fructuosam eucharistiæ sumptionem ex parte corporis requirantur: Inter hujusmodi porrò dispositiones, vix occurrit aliqua, quæ positiva sit, nam in communicaturo non est excogitabilis necessaria ulla corporea qualitas; vestitus verò, & ornatus ad corpus pertinens, debet quidem esse peculiaris in sacerdote celebraturo, at in homine laicè communicaturo, qualiscumque ille sit, dummodò prò conditione personæ honestus, & decens, sufficit, nec adest lex aliqua ecclesiastica, sivè scripta, sivè non scripta, quâ ad communionem laicam accedens teneatur, peculiarem vestitus, aut ornatus corporei speciem adhibere: Dixi *dummodo pro conditione personæ honestus, & decens*: nam in mulieribus præsertim habitus nimium fucatus, & notabilem aliquarum partium corporis, puta sinus, aut brachiorum nuditatem admittens, sicuti redolet animi indevotionem, ità redundat in irreverentiam sacramenti, & à sacrâ mensâ arcendus est, saltem tamquàm venialiter malus, & reddens accedentem pro effectu sacramenti minus dispositum, si non prorsùs indignum, undè olim arcebantur ab eucharisticâ communione mulieres utentes ementitis capillis, & ornamentis à christianâ modestiâ alienis, ut apud Marchinum *pracit.par.3. cap.4.num.2.* refert S. Cyprianus *lib.2.Epist.10.* & *lib.3 Epist.14.*, item *serm. de lapsis*; Nuper etiam hic Romæ Innocentius XI. pro suæ pastoralis pietatis zelo districtè sacerdotibus prohibuit, ne sacrum cibum ministrent mulieribus gestantibus, aut sinum magnâ ex parte patentem, aut brachia, usque ad medietatem, nudata, solisve chirothecis cooperta, imò quod nec iisdem sacramentalem absolutionem impendant, quoties semel admonitæ sic adhùc incedant, & accedant ad Pænitentiæ sacramentum: De dispositione igitur positivâ, ex parte corporis necessariâ (subintellige secundùm quid, & necessitate congruentiæ) in accedente ad Eucharistiam vix aliud videtur dicendum, quàm quod quilibet debeat accedere honestè, modestèque indutus, seù ornatus.

Loquendo in primis de dispositione positiva.

128

129 Non nihil ampliùs superest dicendum de dispositione ex parte corporis negativâ, seù privativâ, consistente in carentiâ sordium, quæ quidem, si tales sint, ut afferant quamdam adstantibus nauseam, ac quasi horrorem, reverentia sacramenti omninò exigit, nequis cum illis publicè, & in aliorum consortio, sacræ mensæ se sistat, ut à fortiori deducitur ex eo quod, quando olim eucharistia solebat in manus dari, cum quidam manibus immundis eam sibi à sacerdote datam accepisset, non invenit in ipsis nisi cinerem, teste Cypriano *Serm. de lapsis*. Confirmatur id ipsum magis ad rem, ex eo quod Cap. *Tua nos* de Clerico egroto. Leprosus prohibetur communicare in loco publico, ut refert Arriaga *disp. 44. sec. 1. in fine*. Quod si sordes non sint adeò manifestæ, nec adstantium occulos offendentes, vix ex propriâ ratione præcisè possunt, reverentiæ sacramento debitæ obesse, adeò ut ipsarum carentia censenda sit dispositio, ad eucharistiam licitè sumendam, necessaria:

Deindè, & magis de negativa, seù privativa.

130 Nihilominùs in sorde carnalis pollutionis res non caret controversiâ, & ei qui in talem sordem culpabiliter incidit, non licere eâdem die ad cõmunionem accedere, etiamsi confessionem, & veram pænitentiam interponat, referuntur docuisse D. Bonaventura *in 4. dist. 12. art. 2. quæst. 3.* D. Thomas *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. quæstinc. 2.* Richardus *ead. dist. art. 2. quæst. 1.* & Marsilius *quæst. 6. art. 4.* quorum verba recitat Lugus *hic disp. 15. sec. 1. num. 1.* quosque secutus fuerat Navarrus in Manuali *cap. 21. num. 51.* sed in posteriori editione, eodem loco mutavit sententiam. Aliqui etiam putarunt, nequidem licere communicare, ei qui eâdem die pollutionem est passus absque omni prorsùs culpâ, sed pecare venialiter, si nulla peculiari causâ urgente communicet, favere videntur itâ sentientibus D. Augustinus *serm 244. de tempore* post medium, & D. Gregorius *resp. 11.* ad Augustinum Cantuariensem. Sententiam extremè oppositam tradidit Joannes Sancius in disputationibus selectis *disp. 23. num. 30.* citatus, & notatus tamquàm singularis à Lugo *num. 4.* in eo, quod velit quocumque modo evenerit pollutio, dummodo confessione purgetur, si fuerit peccaminosa, non posse inferre venialem culpam in communicante eadem die.

131 Adverto, in pollutione tria posse spectari. Primò scilicèt labem materialem, & sordem corporis; secundò maculam peccati, & sordem animi; tertiò commotionem spirituum, & distractionem, seù divagationem mentis. Primum in quâlibet pollutione contingit, & est id in quo formaliter consistit pollutio physicè considerata: Secundum, & tertium non in quâlibet pollutione reperiuntur, nec spectant ad ipsam formaliter; sed secundum, sæpè se habet solùm antecedenter, & ut causa; tertium subsequenter, & ut effectus; utrumque prætereà se tenet ex parte animæ, non propriè ex parte corporis, ex parte cujus nunc pollutionem consideramus; Nec certè de culpâ, & maculâ animæ, quæ pollutionem, maculamque corporis, aut antecedat, ut causa, aut subsequatur, ut effectus, aut ut circumstantia comitetur, quidquam hic agendum recurrit, sed quomodo talis culpæ carentia, seù pænitentia sit dispositio ad eucharistiæ sumptionem necessaria? sufficienter deducitur ex doctrinâ generali quâ *præced.* §. 1. & 2. ad communionem prærequisivimus statum gratiæ, & in habente conscientiam peccati mortalis præviam confessionem, hâc verò positâ non censuimus præterea necessarium, quod peccatum aliquo notabili tempore præcesserit, nec fuerit commissum eâdem die, quidquid universaliter videantur contrà sensisse nonnulli,

nulli, quos ex professo impugnat Suarez in præsenti *disp. 66. sect.* 8. His animadversis sit.

132 Mundities à pollutione nocturna quomodo, & quando sit dispositio ad Eucharistiam sumendam necessaria.

Assert. 3. Requiruntur quidem ad licitam eucharistiæ sumptionem præter jejunium naturale aliquæ aliæ ex parte corporis dispositiones, at tantùm ex necessitate secundùm quid, seù ex decentiâ; & signanter non majori necessitate requiritur mundities à pollutione carnali, sumptâ formaliter, & ut præcisè se tenente ex parte corporis, quamvis alioqui pollutio etiam non peccaminosa, quandoque ratione effectus subsequentis inducat sub veniali obligationem, non communicandi eâdem die. Hoc assertum, quo ad postremas particulas, est contrà Joannem Sancium in suâ opinione, ut jam diximus, singularem; quò ad reliqua adversari videntur Auctores mox relati *num.*30. at re verâ non adversantur, loquuntur enim, aut de pollutione ratione effectus, ut nos loquimur in postremis asserti particulis, aut de eâdem, ut se tenente ex parte animæ, & habente annexum peccatum mortale à quo nos modò abstrahimus, contenti doctrinâ generali, suprà, ut animadversum est, traditâ. Est igitur totum assertum receptissimum, & docent ipsum ferè in terminis D. Thomas *hic quæst.* 80. *art.*7. Thomistæ *eod. art.* Suarez *disp.*68. *sec.*2. Lugus *disp.*15 *sec.*1. Arriaga *disp.*44 *sec.*1. cæterique passim.

133 Probatur in primis universim ex jam dictis de necessitate accedendi ad eucharistiam, cum decenti, honestoque vestitu, & ornatu, excludente, tùm nimium fucum, & immodestam nuditatem, tùm ex adverso nimium squallorem, sordes, & fœditates patentes, ac quasi horrorem ingerentes, quæ quidem necessitas ex genere suo, seù secundùm se præcisè est ex purâ decentiâ, & non ex obligatione culpæ, nequidem venialis, nisi simul adsit, aut accedentis indevotio, aut aliorum scandalum, ex quibus solis capitibus, dicebamus, peccare venialiter eos, qui aut nimium fucati, aut nimium sorditati ad eucharistiam accedunt, undè etiam sæpè sic accedentes, neque venialiter peccarent, si in occulto accederent.

134 Probatur deindè singillatim de munditie à pollutione carnali sumptâ formaliter &c. quia pollutio sic sumpta, vel supponitur importare maculam, seù sordem corporalem omninò præteritam, ac abstersam, &, sic, ut potè pura denominatio extrinseca, eucharistiæ sumendæ non officit, nec ullam affert de præsenti indecentiam, alioqui à fortiori eucharistiæ sumendæ officeret, & indecentiam de præsenti afferret, etiam postquàm omnino præterita, & per pœnitentiam deleta est: Vel supponitur importare sordem corporalem adhùc existentem in aliquâ parte corporis, & tunc decet quidem eam auferre, antequam eucharistia sumatur, nihilominus, cum non sit ex se ingens, ac patens, nec corpus magis fœdet, quam lutum v. gr., aut aliqua alia sordes excrementia, undè nam erit venialiter malum, habere, in eucharistiæ sumptione, aliquam partem corporis illâ potiùs, quam istâ sorde inquinatam? ex purâ igitur decentia, & necessitate secundum quid, nequidem inducente obligationem sub veniali requiritur ad eucharistiam, tamquam dispositio, mundities à pollutione carnali, sumptâ &c.

135 Probatur tandem singillatim, quo ad postremas particulas, idest quo ad ly *Quamvis alioqui pollutio* &c. probatur inquam, ex eo quia quandoque pollutio, etiam non peccaminosa, præsertim quando, licèt nocturnâ, & in somnis contingit, cum turpi imaginatione relinquit post se quemdam sensum voluptatis, & motum spirituum generationi inservientium, quo sensu, & motu mens ad carnalia excitatur, à spiritualibus distrahitur, & animus redditur parùm aptus ad actualem devotionem, & piam affectionem, idque sæpè sæpiùs non sine voluntarietate, ad culpam venialem sufficiente, accedere autem ad eucharistiam cum hujusmodi distractione, & indevotione aliqualiter voluntariâ, & malâ venialiter, nequit carere culpâ veniali, ex doctrinâ *præced.* §.4. in fine; qui igitur ex pollutione remanet tali modo effectus, seù talem ex pollutione effectum experitur, sicuti peccat venialiter, si ad eucharistiam accedat, ità tenetur sub veniali non accedere, quo usque talis effectus durat, quod est pollutionem, etiam non peccaminosam, quandoque ratione effectus subsequentis, inducere sub veniali, obligationem non communicandi eâdem die.

136 Quomodò item sit dispositio necessaria mundities à pollutione habita in copula conjugali.

Quod mox dictum est de simplici pollutione nocturnâ non peccaminosâ, inducente quandoque sub veniali obligationem, abstinendi intrà eamdem diem à communione, procedit à fortiori de pollutione habita in copulâ conjugali, hæc quippè magis voluntarium, & majorem quàm simplex pollutio nocturna, solet post se relinquere sensum voluptatis, & motum spirituum generationi inservientium, præsertim in eo, qui copulæ conjugalis debitum petiit, qui certè facilius debet intrà eamdem diem à communione arceri, quàm alter conjux, ad reddendum debitum conjugale in copulam consentiens.

Dices nos in hoc mitius, quàm par est sentire, cum Concilium Eliberitanum, relatum in Cap. *Omnis Sexus* de Consecratione *dist.* 2. conjugatis absolutè præscribat abstinentiam à copulâ per tres dies antè communionem, quod est idem, ac dicere abstinentiam à communione per tres dies post copulam. Mitius pariter sentimus de simplici pollutione, quia viri polluti non debent esse, in ordine ad communionem melioris conditionis, quàm fœminæ menstruatæ, de quibus fuit olim sancitum, quod non auderent ad sacram mensam accedere, vel Christi corpus attingere, ut referunt Dionysium Alexandrinus, & Timotheus similiter Alexandrinus apud Vasquium

137 quium *in comment. art. 7. quæst. 80.* Sed contrà: Canon Concilii Eliberitani, vel solum continebat consilium, vel si præceptum, non amplius viget: Idem dicito ad illud de mulieribus menstruatis, de quibus, quando adhuc vigeret prohibitio, non esset hæc extendenda ad viros pollutos, quia de istis non haberetur eadem lex prohibens, licet forte adesset eadem ratio legis: solum autem in obligationibus, quæ ex naturâ rei, non in iis, quæ ex lege positiva, infertur ex paritate rationis par obligatio, seù prohibitio.

CAPUT V.

De effectibus Eucharistiæ.

1 Quemadmodum ex parte, & animæ, & corporis, in capite præcedenti consideravimus dispositiones, ità ex parte utriusque, in præsenti considerabimus effectus eucharistiæ, cui certè etiam præcisè, ut Sacramento, Scholastici, & Sancti Patres tribuunt, tùm ex parte animæ, tùm ex parte corporis effectus multos, & miros; ex his, non est dubium, quin primus, & potissimus sit gratia habitualis, quæ sicuti, quatenus abstrahit à primâ, & secundâ, est, ex dictis suo loco de Sacram. in gen. *lib. 2. cap. 4.* §. 1., effectus communis cuilibet sacramento novæ legis, ità quatenus supponit pro gratiâ secundâ, seù pro gratiæ augmento, est ex dicendis in præsenti effectus aliquo modo proprius sacramenti eucharistiæ, & quamvis hoc negaverint hæretici, qui aut omnibus sacramentis causalitatem in gratiam, aut gratiam ipsam absolutè negarunt: hactenus tamen nullus, qui id concesserit alicui alii sacramento, negàvit speciatim eucharistiæ, ut observat Vasquez *disp. 203. cap. 1. num. 1.* undè etiam, ut ex Bellarmino retulimus suprà *cap. 4. num. 2.* Lutherus, Calvinus, & alii eorumdem temporum Sectarii, qui justificationem, in solâ per ipsos remissione peccatorum, non in infusione gratiæ sitam, ab aliquibus sacramentis mediâ fide causari voluerunt; dixerunt, eam hoc modo maximè causari ab eucharistiâ, & quidem eo melius, quo quis est magis impænitens, & plurium sibi, graviorumvè peccatorum conscius; quo in puncto Suarez hic *disp. 63. sec. 1.* in principio, ut admiratione dignum notat, quod errores extremè oppositos copulando, eucharistiæ tribuerint, mortalia remittere sine ullâ prorsùs pænitentiâ, & sine gratiæ infusione: Porrò licèt indubitanter primus, & potissimus eucharistiæ effectus sit gratia habitualis justificans, & sanctificans; nihilominus attendentes facilitatis magis, quam dignitatis ordinem, præmittemus reliquos effectus, ut istis breviùs expeditis, liberior relinquatur locus effectui gratiæ, circà cujus ab eucharistiâ causalitatem, præter ea, quæ repeti possunt *ex præcis. cap. 4.* de Sacram. in gen. plura, remanent peculiaria, propter peculiarem rationem permanentiæ in nullo alio novo sacramento repertæ; item propter duplicem modum communicandi sub unâ, vel sub duplici specie.

2 Errores Sectariorum circà præcipuum eucharistiæ effectum.

---

§. I.

Enumerantur, & explicantur alii Eucharistiæ effectus, præter gratiam habitualem.

Assert. I. Inter effectus, quos præter gratiam habitualem Eucharistia operatur ex parte animæ, seù inter effectus eucharistiæ spirituales alios ab habituali gratiâ, aliqui in primis assignant multiplex auxilium gratiæ actualis suo tempore conferendæ ad varios actus, variaque opera, inservientia vitæ spiritualis conservationi, perfectioni, & augmento: Verùm talia auxilia, vel sumuntur, quatenus sunt suo modo effectus communis cuilibet sacramento, & id quo differt gratia sacramentalis à non sacramentali, nec non una gratia sacramentalis ab alia; vel quatenus sunt effectus proprius eucharistiæ, conducunt scilicet ad actiones, & operationes eucharistiam potius, quàm ullum aliud Sacramentum consequentes: In primo sensu explicata jam fuerunt, agendo de Sacram. in gen. *præcis. cap. 4.* §. 5. In secundo reducuntur ad alios particulares effectus, de quibus statim; ideò abstineo hic à talibus auxiliis singillatim expendendis, & primo loco enumerandis inter spirituales eucharistiæ effectus, inter quos proptereà.

3 Inter effectus eucharistiæ ex parte animæ alios à gratia habituali.

Primus sit dulcedo quædam, & delectatio spiritualis consistens potissimum in actibus ferventioris amoris circà divinam, & fortioris spei de æternâ felicitate, per se ipsos procul dubio animam suavissimè afficientibus, & delectantibus: Excitantur isti actus effectivè ab auxiliis actualibus, gratiam habitualem eucharisticam consequentibus; objectivè ex præsentia, & peculiari possessione Christi Domini, tamquam objecti amati; nec non ex apparentiâ, ac fiduciâ plurium, efficaciorumve mediorum ad salutem conducentium, & similibus: Ratione istius effectus Ecclesia eucharistiæ accõmodat illud Gen. 49. *Pinguis est panis ejus, & præbebit delicias Regibus*: item illud aliud Psal. 79. *Parasti in dulcedine tuâ pauperi Deus*: Ratione ejusdem in Clementinâ unicâ *De Reliq. & Vener. Sanctor.* eucharistia vocatur *panis habens omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis*: Ab aliquibus etiam alludendo ad illud Isa. 60. *Mamillâ Regum lactaberis* appellatur *Divinorum uberum lac Isaiæ vaticinio promissum*; & à Sanctis Patribus, ac piis Scriptoribus passim insignitur egregiis aliis allegoriis, ac sententiis miram dulcedinem, suavitatemque redolentibus, quarum nonnullas selectiones videre est apud Gonetum *hic disp. 8. art. 1. num. 2. & seqq.*

4 Primus esse potest dulcedo, & delectatio spiritualis:

Major probatur, quia Eucharistia gratiam causat, nutriendo per modum cibi, ergo sicut cibus materialis non nutrit sine cooperatione, & actione viventis, in ipsum, ità eucharistia non causat gratiam sine cooperatione suscipientis, qui fervore supernaturalis charitatis præstet in cibo sacramentali, id quod in cibo materiali, præstat actione caloris naturalis. Sed contrà: In primis dici potest ipsam sumptionem ut est, qualis in adulto esse debet, saltem habitualiter voluntaria, habere sufficientem rationem cooperationis pro nutritione sacramentali: Quia deindè per nos, sine ullâ propriâ voluntarietate, & cum sumptione, ut ità dicam mere passivâ, conferri potest parvulis Eucharistiæ effectus; nego absolutè majorem, ad cujus probationem dico, eucharistiam causare quidem gratiam nutriendo per modum cibi, at non propterea servare cum cibo materiali analogiam in omnibus, & signanter non in cooperatione suscipientis, seu comedentis; ratio est, quia cibus materialis requirit, ut nutriat, talem cooperationem, eo quod à vivente convertatur in propriam substantiam, at cibus sacramentalis potius in se convertit substantiam suscipientis; ideò in nutritione sacramentali, suscipiens potest se habere merè passivè, quamvis in materiali, debeat simul agere.

77

Cur sacramentalis potius quam materialis cibus nutriat sine cooperatione sumentis?

Dices tertiò: A posteriori constat, accedentes ad Eucharistiam indevotè, & distractè nullum consequi gratiæ augmentum; ergo ad istud ex eucharistiâ consequendum, requiritur, tamquam dispositio simpliciter necessaria, actualis devotio, & attentio, quam affectus, & actus venialiter peccaminosi solent impedire: Antecedens probatur experientiâ quorumdam Sacerdotum, quotidiè celebrantium indevotè, & distractè, in quibus nullum apparet vestigium augmenti gratiæ, quod tamen ut potè quotidianum, deberet esse maximum, & majus, quam in laicis, alioqui valde piis, ex solo opere operantis, & merito proprio suam in se gratiam augentibus. Sed contrà: Nego antecedens, loquendo, ut de facto loquimur, de indevotione, & distractione solum venialiter malâ; ad probationem dico, si illi Sacerdotes, ut videtur ab Adversariis supponi, abstineant, & præserventur à lethalibus, in hâc ipsâ præservatione non leviter apparere augmentum gratiæ, & effectum eucharistiæ: quod si aliundè nullatenus, aut parum appareat, provenire potest, ex eo quia indevotè, & distractè communicans, seù celebrans ponit obicem auxiliis actualibus, sanctis cogitationibus, & piis affectionibus, ex quibus non ex se præcisè, gratiæ sacramentalis augmentum solet innotescere: Hincque viri etiam laici, sed in oratione, & attentione ad divina exercitati, possunt plura auxilia actualia, ad benè operandum, obtinere, & majore bonorum operum exercitio præbere plura, quam illi Sacerdotes, indicia suæ gratiæ habitualis, etsi alioqui minùs intensæ.

78

Dixi, *loquendo de indevotione, & distractione solum venialiter malâ*, nam si quis adeò indevotè, & distractè accedat, ut ejus indevotio, & distractio se prodat exterius, cum gravi aliorum scandalo, aut formali contemptu sacramenti, talis indevotio, & distractio poterit esse mala lethaliter, quâ ratione non solum impediet gratiæ augmentum, sed & inducet præcedentis gratiæ privationem: at hæc est hypothesis diversa ab eâ, in quâ assertum procedit.

Assert 2. In sumente Eucharistiam, sicuti non est simpliciter necessaria ad primarium illius effectum, actualis devotio; ità nec ulla alia actualis dispositio ex parte Animæ. In hoc asserto videntur convenire Auctores asserti præcedentis, & valdè in terminis Suarez ibi *cit. sec.* 3. §. *Dico secundò*, & Amicus *ibid. cit. num.*7.

79

Probatur, ex eo quia sicut actualis devotionis, ita alicujus alterius actualis ex parte animæ dispositionis, capaces non sunt infantes antè usum rationis, amentes perpetui, imò nec amentes, qui aliquando usum rationis habuerunt, & tamen isti omnes modo *præced. n.*69. insinuato sunt capaces, recipienda ex Eucharistiâ, effectum ipsius primarium, & augmentum gratiæ; ergo in sumente eucharistiam, sicuti non est simpliciter necessaria &c. Nec refert, quod sit aliquantulum diversa ratio de habentibus usum rationis, in quibus, sicuti est ad eucharistiæ effectum simpliciter necessaria ex parte animæ intentio, quæ non est necessaria in infantibus, ità similiter in illis potiùs, quam in istis potest esse necessarius aliquis alius actus, puta actus fidei circa eucharistiæ sacramentum, imò hujusmodi actum, in quolibet adulto communicaturo, necessarium esse, nos ipsi suprà *cap.*4.*nu.*4. insinuavimus. Non refert inquam; quia in proposito, nomine dispositionis actualis, non venit præcisè dispositio, consistens in aliquo actu, sed venit dispositio actualiter existens, adeòque consistens in actu physicè præsente, & exercito in eucharistiæ sumptione; concedo igitur in adultis, non in infantibus, pro Eucharistiæ effectu, simpliciter prærequiri intentionem sumendi eucharistiam, ut sacramentum; & fidem, quod sacramentum sit; at dico sufficere, si talis intentio, & fides tempore sumptionis sacramenti perseveret moraliter, seù habitualiter, quod non sufficit, ut tunc sit dispositio actualis, sed ad summum, ut possit dici dispositio habitualis, aut potiùs conditio, sine quâ non.

Non solum actualis devotio, sed nec ulla alia actualis dispositio est simpliciter necessaria ad primarium Eucharistiæ effectum.

80

Assert. 3. In sumente Eucharistiam actualis devotio, & carentia venialium actualium est dispositio simpliciter necessaria ad aliquem effectum secundarium: Est item dispositio utilis ad majorem, seù intensiorem effectum primarium. Ità Auctores relati *præced. num.*67. & in primis, ac à fortiori illi, qui asserto ibi posito adversantur, deindè etiam cæteri, quamvis non omnes æquè expressè.

Probatur, & explicatur prima pars; quia ex dicendis *cap. seq.* præter effectum primarium,

81

Actualis devotio, & carentia venialium actualium est necessaria, ut eucharistia causet dulcedinem spirituale.

rium, & præcipuum, situm in augmento habituum gratiæ, & charitatis, habet eucharistia, per se loquendo, aliquem effectum secundarium, & minùs præcipuum, huncque triplicem potissimum, nimirum dulcedinem spiritualem internam, remissionem venialium, & collationem auxiliorum copiosiorum, in ordine ad quamcumque bonam operationem; ad istum autem triplicem effectum est simpliciter necessaria in communicante actualis devotio, & carentia venialium actualium, ut quò ad spiritualem dulcedinem expressè tradit D. Thomas hic *quæst* 79. *art.* 8 ubi simul manifestè docet, primum præcedens assertum, his verbis: *effectus hu us sacramenti, non solùm est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis: Quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum, per peccata venialia mente distractus; Non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis*; Ratio est, quia talis spiritualis dulcedo resultat ex actibus intellectus, & voluntatis, quibus anima pascitur quodammodò, ac fruitur peculiari unione, & præsentia Christi Domini in sacramento suscepti, impediuntur autem illi actus per distructiones ad extranea. Quò ad remissionem venialium, non causatur hæc ab Eucharistiâ, etiamsi de venialibus habitualibus, & præteritis sermo sit, nisi præcedat aliqua ipsorum retractatio, quæ vix esse potest, sine aliquâ actua i devotione; loquendo deindè de solis venialibus actualibus, seu actu exercitis tempore communionis, & dum eucharistia effectum suum causat, magis certum est, numquam ex vi eucharistiæ remitti, alioqui remitterentur, & committerentur eodem tempore, quod, saltem de potentiâ ordinariâ, repugnat. Quò ad collationem auxiliorum copiosiorum, consistunt ista auxilia potissimùm in sanctis cogitationibus, & piis affectionibus, quæ impediuntur, aut saltem non facilè, nec copiosè excitantur in mente distractâ, & voluntate malè affectâ, qualis est in eo, qui caret actuali devotione, & committit actualiter venialia. Confirmatur; ex eo quod, qui accedit ad eucharistiam sine actu devotionis, & cum actu venialis peccati, manducat illam spiritualiter, habitu tantùm, non actu; ergo percipit illius effectum, & fructum; habitualem tantum, non actualem, ut ait D. Thomas *præcit. art.* 8. *ad* 1. atqui collatio auxiliorum, remissio venialium, actualis dulcedo, sunt eucharistiæ effectus, & fructus actualis; ergo.

82 Remissionem venialium.

Collationē copiosiorū auxiliorum

83

Est præterea utilis, ut causet majorem gratiam habitualem.

Probatur secunda pars facilè ex doctrinâ generali, secundùm quam sacramenta novæ legis, in subjecto melius disposito, causant majorem, intensioremvè gratiam habitualem, quod est idem ac dicere, dispositionem subjecti esse utilem ad majorem, intensioremvè effectum primarium cujuslibet sacramenti; atqui perspicuum est accedentem ad eucharistiam cum devotionis actu, & venialium carentiâ, esse melius dispositum, quàm accedentem cum carentiâ devotionis, & actuali, vel habituali affectione ad venialia; ergo.

Dices: Ex his sequitur, accedentem cum venialibus, & sine actuali devotione, frustrare eucharistiam, tùm aliquâ parte sui effectus primarii, tùm multiplici effectu secundario, quod sicuti videtur redundare in aliquam injuriam, & mutilationem sacramenti, ità videtur, in sic accedentem refundere culpam lethalem, & obicem effectus primarii simpliciter, & absolutè; ergo doctrina præsentis asserti, & doctrina primi asserti præcedentis malè inter se cohærent.

84

Sed contrà: Quantum pertinet ad partem effectus primarii dico, partem illam, quæ pendet ex majore, vel minore dispositione suscipientis, esse suscipienti prorsus liberam, nec redundare in injuriam sacramenti, quod suscipiens eam omittat. alioqui teneretur quilibet, ad quodlibet sacramentum accedere cum omni majori dispositione sibi possibili, ne accedendo cum minori, frustraret se ipsum aliquo gradu gratiæ, & sacramentum aliquâ parte sui effectus primarii. Quantum ad effectus secundarios; dico, istos spectare solum ad majorem perfectionem contingentem, non necessarium, sacramento, quod cum in effectu primario habeat totam perfectionem, sibi, & suæ significationi, necessariam, ac per se debitam, nullam patitur injuriam, aut quasi mutilationem, ex eo quod effectibus illis secundariis, ex subjecti incapacitate, frustretur: Undè ex hoc capite præcisè, nequidem veniale peccatum censendum est, quod quis sine devotione actuali, aut cum venialibus ad eucharistiam accedat.

85

Utrùm verò sit id peccatum veniale aliundè, nimirùm, ex eo quod reverentia tanto sacramento debita requirat peculiarem sumentis attentionem, & puritatem? Negat saltem ex parte Vasquez *disp.* 207. *cap.* 2. & absolutè docet, non esse veniale communicare in veniali, anteà etiam *disp.* 206. *cap.* 2. non solùm attentionem non requirit ad effectum primarium eucharistiæ, sed etiam videtur sentire, non esse peccatum veniale, admittere in sumptione eucharistiæ distractiones voluntarias: Idem clarius tradidit Joannes Sanchez in disputationibus selectis *disp.* 23. manifestè docens, nullum prorsùs esse peccatum, communicare cum distractione, ut refert, & non solùm falsum, sed & erroneum censet Gonetus *præcit. art.* 3. *num.* 59. certè est id contrà communem sensum, ac praxim fidelium, clavibus subjicientium, saltem tamquam venialiter malas, distractiones mentis, & divagationes animi, in actu communionis, voluntariè admissas. Nec refert, quod sumptio eucharistiæ sit manducatio, non oratio, quæ sola videtur mentis attentionem requirere propter injuriam, quæ fit Deo orando, & alloquendo ipsum distractè, & attendendo ad alia, cum ex alia parte nulla fiat injuria cibo per hoc, quod distractè manducetur. Non refert, inquam; quia

quia jam sæpius dixi, non reperiri inter cibum sacramentalem, & materialem, omnimodam analogiam, quantum spectat ad rem præsentem, cum cibus sacramentalis Deum contineat, & sit sine ullâ comparatione dignior materiali, benè potest illi potius, quàm isti iniuriâ fieri, si distractè sumatur; Nec sola oratio, sed & omnis actio, quæ circà Deum Deique cultum versatur, requirit suo modo attentionem, & petit sine distractione, & divagatione ad alia exerceri.

86 *Est peccatum veniale communicare cum distractione, aut cũ veniali actuali, falsè ut plurimũ loquendo.*

Sentio igitur, distractiones, & divagationes animi, tempore communionis cum aliquâ voluntarietate habitas, etiamsi fortè sint cogitationes non aliundè malæ, ex eo præcisè, quod habeantur tempore communionis, esse venialiter peccaminosas, quod si sint quoque malę venialiter aliundè, induere duplicem malitiam venialem: Sentio insuper, idem ferè evenire in qualibet veniali actualiter in communione exercito, ut potè quod vix potest non afferre distractionem, & divagationem animi: De venialibus habitualibus non est eadem ratio, & ad summum, si valdè multa sint, potest censeri redundare in aliquam irreverentiam sacramenti, & imputandum esse ad culpam venialem, quod cum illorum conscientiâ ad eucharistiam accedatur, ut in utramque partem disputatum, videri potest apud Lugum *disp.* 14. *sec.* 2. & Arriagam *disp.*45. *sec.* pariter 2.

---

§. V.

De dispositionibus ad eucharistiam requisitis ex parte Corporis, maximè de jejunio.

87 *Est de fide prærequiri ad Eucharistiæ sumptionem jejunium corporis.*

ASSERT. I. Potissima dispositio, quæ ex parte corporis regulariter requiritur ad licitam, & consequenter ad fructuosam eucharistiæ sumptionem, est jejunium, à mediâ nocte, talem sumptionem, antecedente: In hoc asserto omnes Catholici conveniunt, tamquàm in fidei veritate, contrà hæresim nonnullorum, quorum suppresso nomine fit mentio in Concilio Constantiensi, celebrato anno 1414., quamque posteà antecacto sæculo libenter, & vehementer amplexus est Lutherus cum suis, ut referunt Bellarminus in Controversiis *lib.* 2. *de Missâ cap.* 14. Vasquez *hic disp.* 211. *cap.* 1. & Valentia *disp.*6. *quæst.*8. *punc.*3. afferentes etiam, contrà prædictos hæreticos, plura Conciliorum, & antiquorum Patrum testimonia; hæc pro nunc apud ipsos videnda relinquo, & ulterius procedo ad stabiliendum quo jure sit inductum, & quale esse debeat tale jejunium? stabiliendo enim, ac probando, fuisse inductum consuetudine ecclesiasticâ antiquissimâ, & debere esse strictissimum, ac naturale, habebitur unâ simul sufficiens, & abundans probatio asserti præsentis, à quo propterea peculiariter probando, nunc abstineo; solum moneo, me apposuisse illam particulam *Regulariter*, ut innuerem, assertam jejunii necessitatem nonnullas pati exceptiones, & limitationes, de quibus infrà §. *seq.*

Servandũ à media nocte antecedente.

Apposui etiam ly *à mediâ nocte* &c. quia licèt pro diversitate nationum, aut etiam actionum, diversimodè, idest, vel à solis ortu, vel à solis occasu, vel à meridie, sumatur dierum initium, ex communi tamen ecclesiæ usu, & sensu, quò ad jejunium, sicut & quò ad observantiam festorum, sumitur à mediâ nocte; ea igitur die, quâ quis est communicaturus, necesse est, quod maneat à mediâ nocte, usque ad factam communionem jejunus.

88

Assert. 2. Prædicti jejunii præceptum, seù necessitas, non est de jure divino, sed de jure ecclesiastico, eoque consuetudinario antiquissimo, & ab Apostolorum tempore. Ità Scholastici communiter, contrà Sotum *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 8. docentem, esse præceptum Christi, quod Amicus *hic disp.*27. *num.* 1. ait probabile, etiam censuisse Scotum *dist.*8. *qu.* 3. & Gabrielem *lect.* 10. *in Can. Missæ*; Sed Gabrielis legendi copiam non habeo, Scotum verò, invenio quidem in corpore quæstionis, videri problematicum de jejunio, de quo agitur, dicendo, *Nec istius est aliqua causa principalis, nisi institutio Divina, quam vel Christus discipulis dedit, vel per ipsos promulgavit, vel eis instituendam reliquit*; posteà tamen §. *Ad argumentum* simpliciter amplectitur tertiam partem, quod nimirùm Christus id reliquerit discipulis instituendum, adeoque sit præceptum discipulorum, non ipsius Christi; apostolicum, non divinum, juxtà auctoritatem Augustini, quam ibi Subtilis Doctor attingit, & nos mox ad nostri intenti probationem *num.* 90. afferemus. Interim aliter.

89 *Tale jejunium non requiritur de jure divino.*

Probatur prima asserti pars, quia prædicti jejunij præceptum non est de jure divino positivo scripto, cũ in nullo Sac. Scrip. text. contineatur; Non de jure divino positivo non scripto, seu tradito cum in nullo Sacræ Scripturæ textu contineatur: Non de jure divino positivo non scripto, seu tradito, cum ullus Apostolus testatus fuerit, se illud à Christo Domino accepisse promulgandum, & aliundè nullum sit sufficiens vestigium id præsumendi; nam ab Apostolorum tempore cepta obligatio, infert solùm apostolicam consuetudinem, & ab Apostolis primùm, non à Christo derivatam, atque ad nos deductam traditionem; Non est item tale præceptum de jure divino naturali, idest ex natura rei necessariò consequens divinam eucharistiæ institutionem, nam imprimis factum Christi, eucharistiam in ultima cæna instituentis, suaderet potius oppositum, cum tunc eam ipse non jejunus sumpserit, & alijs non jejunis dispensaverit: Dignitas deindè, & reverentia ei debita, affert quidem aliquam congruentiam, at non omnimodam necessitatem præcedentis jejunij: nec ex se præcisè intrinsecè malum

est,

est, cibum sacramentalem sumere post sumptum materialem, eum præsertim etiam nunc, seruata lege jejunij, possit ille, paulò post istum sumi; possit scilicet quis, paulò ante mediam noctem, comedere, & paulò post eamdem licitè communicare.

90 — Insignis auctoritas Augustini pro talis jejunij consuetudine ecclesiastica antiquissima.

Probatur secunda pars ex multis antiquis Patribus, & in primis ex Augustino *epist.* 118. in qua respondens ad varias inquisitiones sibi à Ianuario factas, ac singillatim *cap.* 5. *&* 6. ad hanc ipsam, in qua nunc versamur, inter alia hæc habet, *Et liquidò apparet, quandò primùm acceperunt discipuli corpus, & sanguinem Domini, non eos recepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est, universa Ecclesia, quod à jejunis semper accipitur: ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani, prius dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi: Nam ideò per universum orbem mos iste seruatur. Neque enim, quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cænati fratres, ad illud sacramentum accipiendum, convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere:*

91 — Hujusmodi auctoritas expenditur.

Namque Saluator, quo vehementius commendaret Mysterij illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, & memoria discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideò non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum: Quo ratiocinio Augustinus, primò tradit expressè, perceptionem Eucharistiæ à jejunis fuisse antiquissimam, & universalem in ly, *Numquid calumniandum est universa ecclesia, quod à jejunis semper accipitur?* Item *Per universum orbem mos iste seruatur*. Secundò affert talis perceptionis rationem in ly, *ut in honorem tanti sacramenti* &c. Tertiò docet, Christum ipsum eam non præcepisse, sed reliquisse instituendam, præcipiendamque ab Apostolis in ly, *Non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis* &c. Quartò soluit argumentum, quod sibi proposuerat, ex facto Saluatoris, assignando peculiarem talis facti rationem, in ly *Namque Saluator quo vehementius* &c. Quintò rejicit cum Apostolo morem, aut potiùs abusum quemdam Corinthiorum, in ecclesiam conuenientium ad profanas cænas, & inter istas communicantium, ac miscentium sacra profanis: in ly *Aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit* &c.

92 — Aliæ auctoritates pro eadem veritate, idest pro jejunio ante communionem seruãdo de jure ecclesiastico.

Hanc Augustini auctoritatem protuli altiùs, & prætuli cæteris, quia totam rem nostram, clarè, & ex professo tractaram, continet; addo jam Isidorum *lib. de div. offic. cap.* 18. ubi idem, quod Augustinus, & ijdem ferè verbis docet; Cyprianum *lib.* 2. *epist.* 3. vbi idem, quod Augustinus, argumentum, ex facto Christi desumptum, sibi objiciens, respondet, Christum, certa de causa, ad vesperam, & post cænam obtulisse, quia sic prædictum fuerat à Prophetis, nos tamen debere offerre manè, quia resurrectionem Domini celebramus; Tertullianum *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 5. ubi de eucharistia loquens, ait, *Non sciat maritus, quod ante omnem cibum gustes?* omitto alios, quos videre est apud Vasquium *disp.* 211. *cap.* 1. *num.* 7. *& seqq.* Accedunt antiquis Patribus antiqua Concilia, nimirùm Carthaginense III. *Cant.* 29. Africanum sub Bonifacio I. *cant.* 8. Matisconense II *cant.* 6. Bracharense I. *cant.* 16. Bracharense II. *cant.* 10. Toletanum VII. *cap.* 2. Altisiodorense *cap.* 19. Synodus VI. Trullana *cant.* 29. ac tandem Concilium Constantiense *sess.* 13.

93

Circa efficaciam probationis, quæ ex his Concilijs eruitur, aduerto primò, ipsa fuisse in varijs mundi regionibus, & pluribus abhinc sæculis celebrata, nimirùm Carthaginense in Africa, à sæculis circiter duodecim; Matisconense in Gallia, & Bracharense in Lusitania, à sæculis circiter undecim, Toletanum in Hispania, à sæculis circiter decem; Constantiense in Germania, à sæculis ferè tribus: ex primo autem capite colligitur universalitas, ex secundo antiquitas consuetudinis, de qua agitur, & hæc prætereà magis suadetur, ex eo quod in prædicto Carthaginensi III. *can.* 48. supponitur confirmata in Concilio Nicæno, ubi præter Nicæni, à sæculis ferè quatuordecim celebrati, anterioritatem, animaduersione dignum est, ut obseruat Suarez *disput.* 66. *sect.* 3. quod talis consuetudo non dicatur in Concilio Nicæno instituta, sed confirmata, adeoque antiquior.

94

Aduerto secundò, nil referre, quod in eodem Carthaginensi, sicuti etiam in Matisconensi, & Africano permittitur, non jejunis communicare in feria quinta majoris hebdomadæ: Enim verò hujusmodi permissio, seu exceptio revocata postea fuit in præcit. canone Trullano 29. in quo habetur, *Statuimus, Apostolicas, ac paternas traditiones sequentes, non oportere in quadragesima postrema septimanà, feriâ quintâ, jejunium soluere, & totam quadragesimam injuriâ afficere*. Quod si ut nonnulli, inter quos *Lugus dispu.* 15. *sec.* 2. *num.* 17. dubitant, canon iste non procedat de jejunio naturali, ante communionem, sed de ecclesiastico quadragesimali, quod prædicta feria quinta solui permitteretur à Concilio Carthaginensi, & restitutum fuerit à Trullano; si inquam res ita sit, nutat quidem nostra probatio, quatenùs nititur *can.* 29. Conciliorum Carthaginensis, & Trullani; at ex alijs Concilijs sufficientissimè subsistit; Permissio verò, non seruandi jejunium naturale, ante communionem in die cænæ, si aliquando viguit, fuit etiam revocata in Concilio Bracharensi I. & aliundè nobis favet in eo, quod suadet jejunij, ante communionem seruandi legem esse ecclesiasticam, non divinam, alioqui oppositum numquam potuisset ab ecclesia permitti.

95

Adverte tertiò, ferè omnia præmemorata Concilia, solùm expressè loqui de jejunio ante communionem seruando à Sacerdote sacrificante, & communicante in missa; nihilominùs communis usus, & sensus eccle-

siæ

ſiæ declaravit ſemper, & declarat ſimiliter, procedere de communicantibus extra miſſam communione laica; idemque expreſſis terminis protulit, & tamquam dogma definiit Concilium Conſtantienſe *præcit. ſeſſ.* 13 §. *in nomine*, dicens. *Sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata conſuetudo eccleſiæ ſervavit, & ſervat, quod hujuſmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, nec à fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à jure, vel eccleſia conceſſo, vel admiſſo.*

96 Ex his, non ſolùm remanet abundè probata, tùm neceſſitas, & lex jejunii, tum quod juris eccleſiaſtici, non divini ſit; verùm etiam remanet abundè ſolutum potiſſimum argumentum, quod Sectarii nobis objiciunt ex facto Chriſti, remanet inquam ſolutum, quia, ut ex Auguſtino, & Cypriano retulimus, tale factum fuit ad Myſterium, & ad implendas prophetias, non ad præbendum nobis exemplum, aut præceptum idem faciendi: Remanet inſuper ſolutum, ſaltem ex parte, argumentum aliud, quod deſumunt ex cœnis, quas Corinthii, ad communicandum feriâ quintâ, convenientes, in eccleſiis celebrabant, remanet inquam ſolutum, quia, ut cum Auguſtino notavimus, tales cœnæ fuerunt jam ex tunc à Paulo reprehenſæ 1. *Cor.* 11.

97 Dices: Paulus ibi poſt cœnas illas, ac comeſſationes, eo quod in eccleſiis, & cum pauperum contemptu fierent, reprehenſas, in fine capitis ait, *Si quis eſurit, domi manducet*, quibus verbis videtur, fidelibus permittere, ut poſt ſumptum domi cibum ad euchariſtiam accedant, & confirmatur, ex eo quia hoc fuiſſe apud plures fideles in uſu, uſque ad tempora Auguſtini, colligitur ex Auguſtino ipſo *præcit. epiſt.* 118. *cap.* 5. ubi reſpondens inquiſitioni, qua interrogatus fuerat, an feriâ quintâ majoris hebdomadæ liceret offerre, & communicare, non ſolum mane antè ſumptum cibum, ſed etiam veſpere poſt cœnam; reſpondet, hoc eſſe de illo rerum genere, *quod per loca, regioneſque variatur*, & de quo anteà *cap.* 2. dixerat *Indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt*; ex quâ reſponſione conſtat, tunc in aliquibus eccleſiis conſuetum, & licitum fuiſſe, dictâ feriâ quintâ communicare poſt cœnam, & conſequenter id Apoſtolum in Corinthiis non reprehendiſſe, ſed ſolum abuſum cœnarum, & comeſſationum in eccleſiis ſub communionis tempus. Sed contrà Bellarminus *præcit. cap.* 14. *ad* 2.

98 allatâ duplici Sanctorum Patrum expoſitione oſtendit, & ly *Si quis eſurit, domi manducet*. Gratis, & perperàm inferri, quod Apoſtolus permiſerit, non jejunis, & cibo domi refectis, acceſſum ad euchariſtiam: ſi tamen hoc admittatur, & Corinthii fuerint redarguti de comeſſationibus in eccleſiis, eo quod aliundè modo indebito fierent, non eo quod illarum occaſione, non jejuni ad euchariſtiam accederent, nobis nil officit, cum non negemus, viguiſſe, & licuiſſe apud aliquos in primitivâ eccleſiâ morem offerendi, & communicandi poſt cœnam in feriâ quintâ ſanctioris hebdomadæ; Utrùm verò re ipsâ ad hoc alludant, nec ne memorata verba *Si quis eſurit*? majorem poſtularet indaginem, quia totus ille Pauli textus variè admodum à Sanctis Patribus intelligitur, ut videre eſt apud Vaſquium *præcit. diſp.* 211. *cap.* 2. *num.* 14. & *ſeqq.* Ad confirmationem; concedo ex parte, quod objicitur, & dico, Auguſtinum eo loco duo reſpondere. Primum eſt, quod in aliquibus privatis eccleſiis vigeret conſuetudo peculiaris offerendi, & communicandi in feriâ quintâ, etiam poſt cœnam, cui conſuetudini dicit, licitum eſſe in talibus eccleſiis, ſe accommodare. Secundum eſt, quod ex conſuetudine communi, & magis univerſali euchariſtia ſemper ſumatur à jejunis, & hanc conſuetudinem magis commendat, non obſtante illâ aliâ peculiari, quæ poſteà, ut jam diximus, revocata eſt, ac prorſus abolita, ideò nunc nullibi licet.

99 Aſſert. 3. Jejunium, ad euchariſtiæ ſumptionem, prærequiſitum, debet eſſe naturale, ſeù naturæ, quod etiam dicitur jejunium jejuni, nec ſufficit jejunium eccleſiaſticum, ſeù eccleſiæ, quod etiam dicitur jejunium jejunantis. Ità D. Thomas *hic quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 4. D. Antoninus in ſummâ 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Scotus *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 3. §. *Reſpondeo. Verſic. Dico ergo* Durandus *ead. diſt. quæſt.* 4. *num* 11. Richardus *art.* 2. *quæſt.* 2. Sylveſter verb. *Euchariſtia* 3. *quæſt.* 6. & reliqui, tùm Scholaſtici, tùm Summiſtæ antiqui æquè, ac recentes contrà Gotfridum, & Joannem Pariſienſem, à Sylveſtro relatos, quorum tamen opinio, non ſolùm ob communem aliorum conſenſum in oppoſitum, temeritatis notatur, ſed etiam propter aliquorum Conciliorum Canones, & univerſæ eccleſiæ conſuetudinem, graviori notæ eſt obnoxia, adeò ut à Vaſquio *diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 27. cenſeatur error in fide.

100 *Jejunium aliud naturæ, aliud Eccleſiæ.*

Probatur aſſertum, & explicatur, quia juxtà D. Thomam mox *cit. reſp. ad* 4. & 1. 2 *quæſt.* 147. *art.* 6. *ad* 2., Durandum item *præcit. num.* 11. cæteroſque communiter, jejunium naturæ importat privationem cujuſcumque præaſſumpti, per modum cibi, vel potus, & qualibet, ſivè potus, ſivè cibi utcumque modiciſſimi, ſumptione ſolvitur; Jejunium eccleſiæ conſiſtit in unicâ comeſtione, & abſtinentiâ à carnibus, & nullatenùs per potum, nec per cibum, niſi in notabili quantitate, & ſecunda, vice ſumptum, ſolvitur; undè poſt potum, aut unicam comeſtionem, aut etiam, in materiâ tamen modiciſſimâ, iteratam, remanet quis jejunans, ſed non jejunus, ſervat jejunium eccleſiæ, ſed non Naturæ: Atqui accedens ad euchariſtiam, debet eſſe jejunus, non præcisè jejunans, & debet habere privationem cujuſcumque præaſſumpti, per modum cibi, vel potus; ergo jejunium, ad euchariſtiæ ſumptionem, prærequiſitum, debet eſſe &c. Minor probatur ex præmemoratis

Illud, non illud præcisè ad euchariſtiam prærequiritur.

moratis

moratis Conciliis, quorum aliqua requirunt, ut communicans sit jejunus, non praecisè jejunans: sic Cartaginense III. statuit *ut Sacramenta altaris, non nisi à jejunis hominibus celebrentur*, & in Constantiensi praelato habetur, quod Eucharistia *non debet à fidelibus recipi nisi jejunis*, aliqua alia excludunt in terminis quemcumque minimum cibum, vel potum, sic Bracharense II. prohibet *Ne aliquis quocumque cibo praesumpto oblationem consecret in Altari*, & Toletanum VII. *Nullus*, inquit, *post cibum, potumque, quamlibet minimum, Missas facere praesumat*. Idem evincit universalis Ecclesiae consuetudo optima legum omnium, & Conciliorū interpres: Confirmat id etiam, & suadet potissima jejunii ad Eucharistiam praemittendi congruentia; nimirum, quod nullus cibus, aut potus in os Christiani intret, priusquam Eucharisticus, ad servandam majorem hujus reverentiam, & ad significandū, Christum Dominum esse nostrum primum cibum; hujusmodi autem reverentia, & significatio non perfectè subsistit, quoties aliquid, utcumque modicum, alterius cibi praecedat.

Dices: Saltem erit solum irreverentia levis, ac venialis, & leviter solum, venialiterque laedetur praedicta significatio, certè enim minimum quid cibi, aut potus, est levis materia: Accedit, quod in materiâ levi non potest graviter, & sub lethali obligare praeceptum ecclesiasticum, quale per nos est praeceptum jejunii ante communionem.

102 Sed contra: Quamvis Auctores antiqui, ut observat Vasquez *praecit. cap. 3. num. 28.* nihil de hâc re protulerint, recentes tamen, qui de eâ egerunt, unanimiter asserunt, communicantem post sumptum quid, utcumque minimum, cibi, aut potus, peccare lethaliter, ità ipse Vasquez *ibi*, Suarez *disp. 66. sec. 4. §. Dico secundò*. Amicus *disp. 27. num. 7.* Lugus *disp. 15. sec. 2. num. 22.* Arriaga *disp. 44. sec. 2. subsec. 1.* Laurea *disp. 25. art. 6. num. 113.* Madernus *quaest. 7. art. 7. num. 6.* & alii, quorum potissima ratio est, quia illud, quod praecepto ecclesiastico prohibetur, non est sumptio modici cibi, sed est cōmunio post talem sumptionem, communio autem semper est res gravissima: Alia ratio esse potest, quia in Eucharistiae sumptione grave est, & magni momenti, quod significetur, Christum esse nostrum primum cibum; alterius igitur modici cibi sumptio, quamvis sit res levis secundum se, quatenus tamen talem significationem impedit, est res gravis, & materia prohibitionis sub lethali: Neutrae rationi acquiescit Arriaga, & rem probat aliundè, nimirum ex eo quod privatio cujuscumque praesumpti cibi, vel potus, praerequiratur ab Ecclesia ad communionem, ut pura conditio, & in conditionibus non detur parvitas materiae, sed solum attendatur voluntas ejus, qui eas apponit: Verum non satis deindè probat, quod non detur in conditionibus parvitas materiae, vel certè, ut id probet, debet relabi in priores rationes, quae omninò sufficientes sunt. Quod

Non admittit violationem, quae sit ex parvitate materiae venialis.

si alia addenda esset, dicerem jejunium naturae consistere quodammodo in indivisibili, quocumque cibo, vel potu substantialiter, adeoque graviter violari, & cibum, potumvè modicissimum, esse materiam levem secundùm se, at non violare leviter jejunium naturae, ideò relatè ad istud, esse rem gravem.

Urgebis, ex iis sequi, etiam guttulam aquae, quam quis os abluendo trajiciat, aut modicissimum animalculum, quod in os apertum involet, & respirando, simul cum aere attrahatur in guttur, violare jejunium antè communionem servandum, & communionem sub lethali impedire, quod nimis durum, scrupulosum, ac ferè ridiculum est: Nec sufficienter occurritur, dicendo ista, & id genus alia, non sumi per modum cibi, vel potus, nam hoc ipsum difficillimè explicatur: & praetereà non consonat decreto Sancti Sotheris Papae, quod *tom. 1. Conciliorum* refertur his verbis *Nullus post cibum, potumque, sivè quodlibet minimum sumptum missam facere praesumat*, ubi ly *sivè quodlibet minimum* extenditur etiam ad ea, quae non sumuntur per modum cibi, vel potus.

103 Sed contra: Decretum, quod ex Sancto Sothere objicitur non est authenticum, nisi sit illud idem, quod ex Concilio Toletano VII. retulimus *praeced. num.* 100. in quo Typographorum, aut aliorum vitio, pro ly *quamlibet minimum* transcriptum fuerit *sivè quodlibet minimum* ut observant Lugus *praecit. sec. 2. num. 30.* & Arriaga *num. 15.* Sic per anticipationem rejectâ auctoritate decreti, quod tam quam ex Sothere emanatum refertur, nego sequelam, quae in instantiae instauratione urgetur, & ratam habeo, in sensu mox explicando, responsionem obiter interpositam, pro quâ.

104 Adverto duo requiri ad hoc, ut aliquid sumatur per modum cibi, vel potus: Primū est, quod sit aliquid comestibile, vel potabile; hujusmodi autem censetur, quidquid per se loquendo potest, in stomacho corrumpi, & alterari, nec integrum, & inalteratum egeritur. Secundum est, quod sumatur per actionem, quae sit comestio, vel potatio, ad quam actionem maximè requiritur, quod aliquid ab extrinseco ori immissum per se, & ratione sui trajiciatur per guttur; requiritur etiam aliqui, quod trajiciatur spontè, & scienter, seu actione voluntaria, at si hoc admitteretur, nullus posset propriè potare, aut comedere in amentia, aut in somno, & is, qui vinum, aut jusculum ori per vim immissum, contrà propriam voluntatem trajiceret, censeretur, non violare jejunium naturale pro communione necessarium: Dicatur igitur, duo priora sufficere, ad hoc ut aliquid dicatur sumi per modum cibi, vel potus; eademque ad id requiri, adeò ut si in alicujus rei sumptione, ac trajectione, alterutrum desit, talis res non sumatur per modum cibi, vel potus, jejuniumque naturale non violet: Hinc non sumitur per modum potus, quamvis in se sit quid potabile, guttula aquae, quam quis os

Jejunium naturale non violatur quoties id quod sumitur, aut nec est cibus, nec potus, aut nec per comestionem nec per potationem sumitur.

Non violat ex aquae guttula, per modum salivae trajectio.

abluendo trajicit ſimul cum ſaliva, ut ſuppono, cui remanet immixta, quia talis actio non eſt potatio, ſed ſalivæ deglutio; Non ſumitur item per modum cibi, quamvis in ſe ſit quid comeſtibile, animalculum, quod in os involat, & reſpirando in guttur inopinanter attrahitur, quia hujuſmodi actio nō eſt comeſtio, ſed reſpiratio, ſeù aeris attractio: Et ex his non ſolum remanet ſufficienter explicata ratio negandi ſequelam, quæ in inſtantiæ inſtauratione urgebatur, ſed inſuper habetur generalis regula, ex quâ facile ſit in variis caſibus diudicare, & deducere, utrùm violatum ſit naturale jejunium, & poſitum cōmunioni impedimentū, nec ne?

Non ex animalculo ſimul cum aeris inſpiratione, ſeù attractione deglutito.

Deducitur igitur primò, non violari naturale jejunium, nec iſtius defectu impediri communionem per hoc, quod quis præcisè ad percipiendū ſaporem, & ſtatim expuendo vinum, aut juſculum prægustans, aliquid ipſius in ore remanens, ſalivæ admixtum deglutiat, dixi *& ſtatim expuendo*; nam ſi diù per os verſet, videbitur remanere in majori quantitate, quam ut poſſit cenſeri ſaliva, & per modum ſalivæ trajici, ità dubitanter Arriaga *diſp.* 44. *num.* 17. ubi tamen loquitur de aquâ, quâ os oblivitur, & concludit, non multum eſſe ſcrupulizandum.

105 Non per juſculum, quod quis ad experiendum ſaporem prægustat, & ſtatim expuit.

Deducitur ſecundò, non violari per hoc, quod quis degluttiendo ſalivam, ſimul cū ſaliva inadvertenter trajiciat reliquias cibi ex die præcedenti relictus. Dixi *inadvertenter*, nam ſi præſtet cum advertentiâ, & ex induſtriâ, jam non trajiciet per modum ſalivæ, quia facilè poteſt reliquias illas à ſalivâ ſeparare, & expuere, & quamvis aliqui aliundè, nimirum ex eo quod fuerint præcedenti die in os, immiſſæ, earumque comeſtio heſterna potius, quam hodierna, ſentiant, illas etiam advertenter, & ſpontè trajectas, naturale jejunium non violare: Non placet tamen, quia comeſtio cenſenda eſt illius diei, in qua fit cibi in ſtomachum trajectio, non in os immiſſio, & eſt cōmunior ſenſus Doctorum, inter quos me maximè movet D. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 4. ubi docendo, reliquias illas nō impedire Euchariſtiæ ſumptionem, quòd eſt idem ac dicere, non frangere naturæ jejunium, expreſsè apponit conditionem *Si caſualiter tranſglutiantur.*

106 Non per reliquias cibi ex die præcedenti relictas, & inadvertenter trajectas.

Deducitur tertiò; non violari per hoc, quod aromata, aut tabaci folia in ore retineantur, aut etiam maſticentur, & conterantur; nam retentio in ore, maſticatio, contuſio, ex ſe præcisè, comeſtio non eſt, & ſi quid ipſorum cum ſalivâ deſcendit, per modum ſalivæ, non per comeſtionem trajicitur, ut de tabachi foliis ex profeſſo tractat Lugus lib. 1. reſponſ. moralium dub. 9. Benè nihilominus Herinex *diſp.* 6. *quæſt.* 5. *num.* 56. monet, extirpandum eſſe abuſum aliquorum Sacerdotum, ferè toto mane, uſque ad miſſæ celebrationem, tabacum maſticantium; ſapit enim irreverentiam, quod ore ſic fœdo ſacra myſteria ſuſcipiant. Accedit, quod ex diutinâ tabaci maſticatione poteſt magna ipſius quantitas deglutiri, adeoque non per modum ſalivæ, ut in ſimili ex Arriagâ retulimus *præced. num.* 105. & invenio etiam in D. Thomâ *præcit. reſp. ad* 4. ex hoc capite multò magis diſplicet, quod Amicus *diſp.* 27. *num.* 4. tradit, non violaturum naturale jejunium eum, qui cadens in fluvium caſu, multâ aquâ ingurgitetur, multæ enim aquæ trajectio, certè non eſt per modum ſalivæ non eſt item per reſpirationem, quia non ſimul cum aere attrahitur; eſt igitur per potationem, cauſalem quidem, & involuntariam; at ex hoc non tollitur, quin ſit potatio propria, & violativa naturalis jejunii, ut mox advertebam *num.* 104.

107 Non per aromata, aut tabaci folia ore retenta, & maſticata.

Deducitur quartò, non violari per hoc, quod quis deglutiat oſſicula, lapillos, globulos aureos, argenteos, plumbeos &c. hæc enim non habent rationem comeſtibilis, & quomodocumque in ſtomachum trajiciantur non digeruntur, nec alterantur, ſed egeruntur integra, & immutata, unde, etiamſi in magna quantitate ſumantur, non violant jejunium; & qui ad tutè, & occultè transferendos nummos aureos v. gr. eos deglutiunt, non cenſentur violare jejunium eccleſiaſticum, ſi de pluribus aureis id præſtent in die, in qua ſit ex præcepto Eccleſiæ jejunandum. De papyro, fruſtulo ligni minus ſolidi, terrâ, cretâ, cruſtâ parietis, & ſimilibus, habeant ne rationem comeſtibilis? eſt in quæſtione, & pro parte affirmante facit, quod in ſtomachis præſertim validioribus patiuntur magnam alterationem, nec egeruntur integra, imò aliqua aliquibus animalibus, ut papyrus muribus, ad nutrimentum inſerviunt; ideò de iſtis conſequenter in quæſtione eſt, Utrum jejunium naturale violent?

108 Non per lapillos, nummos aureos, globulos plúbeos, & ſimilia ab ore in ſtomachum trajecta.

Deducitur quintò, ex adverſo violari jejunium naturale, & poni communioni impedimentum, per ſumptionem medicinæ, hæc enim eſt ſpecies cibi, vel potus, & poteſt rectè dici cibus, vel potus medicinalis; peculiaris effectus, quem habet, non impedit, quin in ſtomacho corrumpatur, aut altereretur, quod ſumatur per modum medicinæ, non tollit, quin verè comedatur, aut bibatur, & connotat diverſam intentionem ſumentis, at non reddit in ſe intrinſecè diverſam ipſam ſumptionem; hinc in Rituali Pauli V. titulo *de Commun. infirmior.* expreſsè habetur *Cæteris fidelibus* (ideſt benè ſe habentibus, aut ſaltem non ad mortem infirmis) *nec etiam per modum medicinæ antè aliquid ſumere licet.*

109 Violatur verò ſumendo aliquid per modum medicinæ:

Deducitur ſextò, violari per hoc, quod ſaccharum, aut quid ſimile antè mediam noctem ori immittatur, ut paulatim liqueſcens raucedinem, diſtillationemve temperet, quoties aliquid ipſius (quod non ſit jam liquatum, & modum ſalivæ habens) poſt mediam noctem in ore remaneat, quod in ſtomachum fluat, etiamſi in ſomno: Enim verò quod ad raucedinem, diſtillationemvè curandam id fiat, non eſt, niſi ſumi per modum medicinæ, quod ex mox dictis non ſuffragatur: Non ſuffragatur item, quod fuerit ori immiſſum ante mediā noctē, aut deglutitū, in ſomnis; quia

Item degluttiendo poſt mediā noctem etiam in ſomno ſaccharum veſpere ori immiſſum.

quia *ex num.* 106. comestio censetur fieri, cum cibus in stomachum trajicitur potius, quam cum in os immittitur, & *ex num.* 104. ad violandum naturæ jejunium, non est necesse, quod deglutio fiat scienter, & cum advertentiâ.

110 Hucusque dicta ad particulares casus, tamquam probabiliora, receptiora, & nostris conformiora principiis accipe, non tamquam omninò certa, & excludentia omnem ab oppositis sententiis probabilitatem. Idem proportionaliter esto judicium de aliis multis, quæ cohærenter ad mox deducta facile erit cuilibet, ad alios particulares casus, alicui ex præcedentibus affines, respondere.

Disputant hic aliqui. Quid sentiendum de eo, qui dubitat, an sit jejunus? Quo in puncto ex communi regulâ, quod *In dubiis melior sit conditio possidentis*, nihil potest sufficienter concludi, quia hoc ipsum, idest ex quânam parte sit possessio, seu possidentis conditio. Utrùm ex parte libertatis accedendi ad communionem, an ex parte legis jejunii servandi antè communionem? controversum, dubiumque est: Ideò res est valdè perplexa, & variis hinc indè dicendi modis exagitata: Aliqui, ut Lugus *præcit. sec.* 2. *num.* 41. distinguunt inter dubium proveniens ex comestionis actu, quatenus quis dubitet, an verè comederit, seu aliquid per modum cibi deglutierit? & dubium proveniens ex comestionis tempore, quatenus, quis sciens se verè comedisse, dubitet, an tunc, quando comedit, esset post mediam noctem, nec ne? & affirmant in primo jejunû dubio, licitam esse cõmunionem, non in secundo: Alii inter utrumque dubium pro re præsenti non distinguunt, & vel in utroqua licitam, ut Herinex *disp.* 6. *quæst.* 5. *num.* 59. vel in utroque illicitam, ut Sanchez de matrimonio *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 40. reputant communionem: Verum non est hujus loci difficultatem, ex pluribus moralis doctrinæ principiis deducendam examinare, & ex proposito solvere; ideò pro praxi: dico breviter cum Laureâ *disp.* 25. *art.* 6. *num.* 116. quod si dubitans, an sit jejunus? nullam habet necessitatem cõmunicandi, tutius operatur (id enim, in quo nullum est peccati, nequidem materialis periculum, præstat) si non communicet, ideò ex regulâ generali, quâ in dubiis eligenda est pars tutior, tenetur non communicare: Si verò de jejunio dubitans habeat, vel ob scandalum imminens, vel ob præceptum urgens, communicandi necessitatem, potest licitè communicare, quia est in quodam quasi perplexitate, quâ si non communicet, videtur se exponere periculo scandali, aut violationis præcepti, si communicet, periculo irreverentiæ sacramenti, nec certò constat, quæ pars sit tutior, imò neutra videtur tuta; ideò stante tali perplexitate, & periculo scandali, aut violationis præcepti, pia mater Ecclesia jure præsumitur, non prohibere communionem post fractionem jejunii dubiam, sed solum post fractionem certam.

111 Quid de communicaturo, qui dubitat, an sit jejunus.

§. VI.

Quas exceptiones patiatur præassertum præceptum? & reliqua ad præcedentem titulum pertinentia.

112 Præceptû jejunè cõmunicandi non obligat pro viatico in mortis articulo.

ASSERT. I. Potissima, seu universalissima præassertì præcepti exceptio, est articulus, seu periculum mortis, in hoc scilicet præassertû præceptû non obligat, & licitè potest à quolibet, sivè Sacerdote, sivè laico, etiam non jejuno, sumi sacrum Viaticum. Est exceptio certa, ac recepta apud omnes, & quamvis, ut inductione factâ ostendit Lugus *disp.* 15. *sec.* 3. *nu.* 58. in nullo Concilio expressè statuatur, imò à Conciliis Constantiensi antiquioribus, ad Euchatistiæ sumptionem jejunium prærequirentibus, nequidem memoretur, Concilium ipsum Constantiense in verbis jam relatis *nu.* 95. eam supponit ex consuetudine Ecclesiæ antiquissimâ, quam quidem idem Lugus *num.* 59. putat, credibile esse, ortum habuisse à Pontificum, & fortasse Apostolorum auctoritate, & decreto, quod ad nos non devenerit, aut etiam ab initio non fuerit scriptis mandatum, sed solum usu ipso; idque non leviter confirmat absoluta locutio Rit. Rom. *præcit. tit. de Commun. infirm.* verbis illis *Potest viaticum brevi morituris dari non jejunis*. Præter hanc Ecclesiæ praxim, Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, omniumque fidelium sensu, & consensu commendatum ...

113 Probatur assertum, ratione desumptâ ex maximâ necessitate, & indigentiâ, quam habemus Eucharistiæ sumendæ in mortis articulo, ex quâ necessitate sicuti suprà *cap.* 3. §. 3. deduximus, congruentissimum esse divinum præceptum, de Eucharistiâ in tali articulo (subintellige semper, sivè periculo) sumenda, ità nunc deducimus, congruentissimam esse exceptionem ejusdem articuli, à præcepto Ecclesiastico, non communicandi absque jejunio, adeò ut propter maximû morientis dispendium, non fuerit expediens, Ecclesiam velle, aliquem mori absque communione, potius quam cõmunicare absque jejunio, quamvis absolutè potuerit id velle, & ad id obligare, non obstante quod præceptum communionis, in articulo mortis, divinum sit, sicuti hoc non obstante, potuit velle, quod Sacerdos moriatur, sine communione, potius quam quod consecret sine sacris vestibus, aut si Latinus sit, in fermentato; & universaliter potest Ecclesia præcipere aliquid, aut prohibere taliter, quod neque etiam pro observando præcepto divino, liceat id omittere, aut facere; undè quãdo ex duobus præceptis divino uno, humano altero nequit utrumq; observari, non illicò censendum est, prævalere divinum, ex eo præcisè quod divinum sit, sed aliundè, nimirum ex usu, fine, modo utriusq; præcepti, & similibus investigandû est, quodnam prævaleat: Hincque obiter deducitur, Vasquium

disp. 211. *cap.* 4. *num.* 35. aliosque nonnullos probare parum efficaciter præfixum assertum, dum illud probant ex eo præcisè, quod præceptum communicandi jejunè sit ecclesiasticum, præceptum communicandi in articulo mortis sit divinum, ideò istud sit fortiùs, & præ illo servandum, quoties nequit servari utrumque; melior est igitur probatio à nobis posita, & desumpta ex maxima necessitate &c.

114

Quot es quis nequit tunc sine notabili incommodo illud sumere jejunes

Ex his habes pro communione per modum viatici non cessare simpliciter præceptum jejunij, sed solum ex suppositione, quod aliter quis periclitetur, sine viatico mori, cæterùm si morti proximus cum præcepto divino sumendi viaticum, possit simul servare præceptum ecclesiasticum communicandi jejunè, debet utrumque servare, & jejunus viaticum sumere; subintellige, quod possit commodè, non est enim in hoc scrupulosè procedendum, nec tenetur infirmus ad sumendum jejunè viaticum aut curare, quod sibi noctu deferatur, aut cum notabili incommodo differre medicinæ, cibi, potus sumptionem, non item, ut damnatus ad mortem jejunus viaticum sumat, tenetur judex, in sequentem diem differre executionem sententiæ, cum ecclesiæ benignitas, & praxis satis declaret oppositum, quod insinuat etiam præallata verba Ritualis Romani, in quo illa expedita, & illimitata loquendi forma *Potest viaticum brevi morituris dari non jejunis* parum apta videretur, si esset scrupulosiùs, & cum notabili incommodo, pro brevi morituris, procurandus modus, quo viaticum daretur ipsis jejunis. Et ecce cur dixerim, assertam exceptionem esse potissimam, ac universalissimam, est scilicet huiusmodi, quia est indubitata, in praxi frequens, laicis, æquè ac sacerdotibus communis, nec multa disquisitione indigens, vixque ullam admittens limitationem, ut facilè fiet magis perspicuum consideranti.

Debet autem iccò mod' modus benignè, non scrupulosè attendi.

115

Portò necessitas non carendi viatico, & ejus utilitate, tanta ab aliquibus censetur, ut quis non solùm, ne ipsemet, sed etiam ne alius sine viatico decedat, possit non jejunus communicare, possit, scilicet non jejunus celebrare sacerdos, ad conficiendam eucharistiam, quæ infirmo per modum viatici detur, quoties illa nequeat aliter haberi: ita docuit in primis Major *in 4. dist. 9. qu. 3. ad* 5. cujus sententiam, & probabilem simpliciter reputat, & alijs nonnullis tribuit Artiaga *disp. 44. sect. 3. subsect. 4. num.* 41. eam verò Gonetus *disp. 9. art. 2. nu.* 43. non solum falsam, sed, & temerariam censet; Vasquez *disput.* 211. *cap.* 5. *num.* 61. nullo modo probabilem existimat Amicus *disputat. & num.* 27. admittit esse probabilem per rationes, & media intrinseca, improbabilem per auctoritatem, & media extrinseca, cùm ferè omnes Auctores eam rejiciunt, & meritò; neque enim est eadem consuetudo, quod quis communicet non jejunus propter necessitatem viatici alienam, sicuti propter necessitatem viatici propriam; Non est etiam eadem ratio, quia necessitas viatici aliena est extrinseca, & subjectivè (si non objectivè) minor, quàm necessitas propria, quæ intrinseca est: Deindè illa necessitas contingit rarissimè, ista frequenter, cum enim asservari in ecclesiis soleat pro communione infirmorum eucharistia, rarissimum est, quod haberi nequeat, nisi sacerdos non jejunus communicet, & celebret ad eam conficiendam; est verò frequentissimum, quod in mortis articulo, seu periculo constitutus, nequeat, commodè viaticum sumere, nisi sumat non jejunus; habuit igitur ecclesia multò majorem rationem, excipiendi à lege jejunij necessitatem, sumendi viaticum pro se ipso, quam necessitatem dandi illud alij, hincque non solum per media extrinseca, sed & per intrinseca, improbabilem, & omninò improbandam censeo sententiam ex Majore, aliisque nonnullis relatam. Nec obstat, quod *cap praced. num.* 35 diximus, in necessitate dandi viaticum alteri, licere sacerdoti existenti in lethali celebrare sine prævia confessione, cujus tamen præmittendę necessitas, quę de jure divino maior est, quam necessitas præmittendi jejunium, quę de jure ecclesiastico. Non obstat, inquam, quia iam *ib.* assignata est disparitas, & parùm refert, quod una obligatio sit juris divini, altera ecclesiastici, nã licet illa sit ex genere suo fortior, ista benè potest esse universalior, & obligare pro aliquo casu, pro quo illa non obliget, pendet quippe hoc ex intentione ejus, qui obligationem imponit, potius quam ex majore, vel minore ipsius potestate

Non est eadem ratio de viatico dando alteri, nec ex hoc capite potest sacerdos celebrare nõ jejunus.

116

Assert. 2. Reliquæ præasserti præcepti exceptiones, seù reliqui casus, in quibus præassertum præceptum non obligat, reducuntur ad tria capita, nimirum ad necessitatem perficiendi sacrificium, ad periculum irreverentię sacramenti, & ad factam à Summo Pontifice dispensationem,

Probatur universim, ex eo quia singula hæc tria capita continent sufficientem rationem, ob quam præceptum jejunii non obliget, nam quo ad duo priora, obligatio perficiendi sacrificium, & consulendi reverentiæ sacramenti, oritur ex natura rei, & ex præcepto divino naturali: pręceptum autem positivum, quale est pręceptum jejunij, seu jejunè communicandi ex genere suo cessat, quoties ejus observantia impendit observantiam pręcepti naturalis, nec ullus dubitat, quin sit magis vitandum, quod est intrinsecè malum, ut est non perficere sacrificium, non consulere reverentię sacramenti, quam quod est malum solùm, quia prohibitum, ut est communicare non jejunè: Quo ad tertium, quia cujuslibet præcepti obligatio cessat per dispensationem rationabiliter, & ex justa causa factam, ab habente potestatem legitimam, & æqualem ei, per quam obligatio inducta est, est autem obligatio jejunè communicandi inducta per ecclesiasticã potestatem, & hæc plenariè residet in Summo Pontifice; ergo. Explico jam magis singu-

117

Tria capita sub quibus continentur variis casue communicand non jejunè extra mortis articulum.

singula capita, sub singulis recensendo, seù ex singulis deducendo varios casus in quibus licet eucharistiam non jejunè sumere.

118 Casus contenti sub primo capite, quod est necessitas perficiendi sacrificium.

Sub primo capite primus casus sit, quando Sacerdos in sumptione deprehendit alteram speciem, ex substantiali materiæ defectu, fuisse invalidè consecratam; puta sumendo hostiam, invenit, eam esse hordeaceam, non triticeam; vel hauriendo calicem, invenit, se in eo aquam pro vino apposuisse; in quo quidem casu, quia nequit haberi in unicâ specie perfectio sacrificii, tenetur sacerdos, ut rubricis ipsis Missalis præscribitur, aliam materiam loco ejus, in quâ substantialem defectum deprehendit, consecrare, & sumere, quamvis per sumptionem speciei substantialiter defectuosæ, & invalidè consecratæ jejunium fregerit. Non est tamen eadem ratio, si (quod vix potest moraliter contingere) inveniatur, esse substantialiter defectuosa utraque species; nam in hâc hypothesi cum sacrificium non sit inchoatum, nulla est necessitas ipsum perficiendi, & ne imperfectum relinquatur non jejunè communicandi, sed erit omninò à sacrificio cessandum, nisi ex aliquo alio capite habeatur, non jejunè communicandi, ratio.

119 Secundus sit, quando sacerdos inchoato jam sacrificio, & factâ unius saltem speciei consecratione, recordatur, se non esse jejunum; imò etiamsi non jejunus malâ fide ad consecrandum accesserit post factam unius speciei consecrationem, tenebitur prosequi, & sumere, nec peccabit sumendo non jejunus, dummodò antè sumptionem pæniteat, ut debet, de accessu ad consecrandum cum malâ fide fracti jejunii. Dixi *& factâ unius saltem speciei consecratione*, quia antè omnem consecrationem non est inchoatum essentialiter sacrificium, & qui recordatur, se aliquid comedisse, aut bibisse, non tenetur prosequi, imò fortè nec licitè potest solo titulo perfectionis sacrificii, ad hunc quippè casum D. Thomas *quæst. 83. art. 6. ad 2.* ait *melius reputarem, quod missam inceptam desereret nisi grave scandalum timeretur*, quod cum aliqua etiam sacerdotis infamiâ vix potest non timeri in missis, quæ publicè celebrantur, nec sufficienter vitabitur, per hoc quod sacerdos publicè protestetur, sibi in memoriam venisse fractum jejunium, nam hoc ipsum importare potest aliquam infamiæ, incuriæque notam, & prætereà non facilè ab omnibus credetur, sine suspicione gravioris missæ prosequendæ impedimenti, in casu igitur, de quo agitur, aliundè quàm titulo perfectionis sacrificii, vix potest non semper licere missæ prosecutio, quamvis celebrans communicaturus sit non jejunus, ut in simili aliquid diximus suprà *num. 36.*

120 Tertius sit, quando sacerdos unâ saltem specie consecratâ repente decedit, aut in phrænesim incidit, aut aliter redditur impeditus, & impotens ad perficiendum, consummandumque sacrificium, nec adest alius sacerdos jejunus, sed solum non jejunus, qui possit ejus vices supplere, tunc enim debet iste, ejus loco, consecrationem prosequi, sacrificium perficere, & consummare, adeòque communicare non jejunè. Et quidem in his tribus relatis casibus, sicuti apertè constat, quod remaneret sacrificium imperfectum, & mutilum, nisi sumeretur sacramentum à sacerdote non jejuno; ità incontroversa, ac indubitanter omnes admittunt, id esse licitum, imò necessarium.

121 Adest & quartus, in quo tamen, sicuti supponitur sacrificium jam substantialiter perfectum, ità res non admittitur adeò indubitanter, & incontroversè: Casus est, quando celebrans post sumptam calicis ablutionem, seù purificationem, deprehendit remansisse reliquias hostiæ à se sumptæ, aut particularum à se consecratarum, ad aliquos laicos communicandos; tales quippè reliquias, etsi D. Antoninus *3. par. sum. tit. 12. cap. 6. §. 9.* Rosella verb. *Eucharistia 3. num. 13.* & quidam alii putent, esse vel in crastinum asservandas, vel alteri jejuno, & ad communicandum disposito tradendas; nihilominus sumendas esse ab ipso celebrante, quamvis non ampliùs jejuno, tradunt Cajetanus in Sum. verb. *Missæ celebratio*. Herinex *hic disp. 6. quæst. 5. num. 65.* Vasquez *disp. 209. cap. 5. num. 31.* Madernus *quæst. 7. art. 7. nu. 15.* Marchinus de miss. sacrif. *par. 3. cap. 3. num. 17.* & cæteri valdè communiter, ratio est, quia talium reliquiarum sumptio est una, & eadem moraliter actio cum ea, quam celebrans jejunus inchoavit, & spectat ad aliquale complementum, quamvis non ad essentiam prioris sacrificii; quæ ratio, quia non militat de reliquiis, aut ab alio celebrante relictis, aut ab ipso eodem celebrante, solùm postquam ab Altari in Sacristiam se recepit, deprehensis, non est in his casibus idem sentiendum, quod in casu præcedenti, quidquid in contrarium, quoad reliquias relictas ab alio celebrante, opinetur Marchinus *præcit. cap. 3. num. 19.* apud quem, sicut & apud Vasquium *præcit. cap. 5.* Suarium item *disp. 66. sec. 6.* habes alia nonnulla ad casum principalem mox expositum, ejusque tùm ampliationes, tum restrictiones pertinentia.

122 Casus contenti sub secundo capite, quod est periculum irreverentiæ sacramenti.

Sub secundo capite continentur casus, in quibus eucharistiæ imminet, aut ab ingruente incendio combustio, aut ab irruentibus infidelibus injuriosa contrectatio, aut à brutis comestio, aliove hujusmodi ingens irreverentia, quæ nequeat vitari, nisi per hoc, quod eam quis sumat, nullus verò adsit jejunus, qui possit sumere: Ratio autem, cur in his casibus, præceptum jejunii non obliget, & liceat non jejuno sumere, habetur, ex eo quod ipsum præceptum, jejunii ad eucharistiam præmittendi, est institutum in favorem reverentiæ sacramenti, ut autem ex D. Bernardo refert, & infert Suarez *præcit. sec. 6.* in fine sicut, quod propter charitatem est institutum, non debet contrà charitatem militare, ità non debet obligare contrà reverentiam sacramenti, quod est prop-

propter talem reverentiam introductum. Porrò in prænunciatis casibus Lugus *disp.* 15. *sec.* 4. *num.* 87. monet non à sacerdote tantùm, sed & à laico non jejuno posse eucharistiam sumi, & consumi, cum hoc discrimine, quod sacerdos poterit sibi illam ex se sumere, laicus præsente sacerdote debebit sumere de manu sacerdotis. Potest simili-

123

liter sub præsenti secundo capite collocari casus, quo Celebrans post sumptam ablutionem deprehendat reliquias conseeratas ex alterius sacrificio, aut postquàm ab altari recessit, licitè scilicèt tales reliquias non jejunus sumet, si sit in loco, in quo nequeant reverenter asservari, nec alia missa eo die celebranda sit, sicque quod *præced. num.* 121. dicebamus, non licere tiuulo perfectionis sacrificii, aut unitatis actionis, licebit aliquando titulo reverentiæ debitæ sacramento, ut observant Suarez *præcit. sec.* 6. §. *Ad primum*, & Herinex *præcit. quæst.* 5. *num.* 66.

Casus contenti sub tertio capite, quod est Summi Pontificis dispensatio

Sub tertio capite, de facto tot continentur casus, quot recensentur concessæ à Summo Pontifice non jejunè communicandi dispensationes, inter istas autem prima sit, quâ Carolo V. Imperatori concessam fuisse facultatem accedendi ad eucharistiam non jejunè, scribit Famianus Strada *lib.* 1. *de bello Belgico*, Secunda, & hujus nostri sæculi sit, quâ Paulus V. anno 1619. concessit Dominæ de Londey in Galliis, quotidianam post prandium communionem, ad compescendum horribilem corporis tremorem, quo etiam cum vitæ periculo à Dæmone vexabatur, & corripiebatur statim, post sumptum potum, nisi ei confestim eucharistia ministraretur, ut tamquàm ocularis, & de visu testis, refert Gouetus *hic disp.* 9. *art.* 2. *num* 44. Teria eaque celebrior, & singulorum annorum sit, quâ Cardiualis hic Romæ in sacello Pontificio celebrat, & absolvit primam missam antè mediam noctem, sumpto, si velit, in vigiliâ Nativitatis talem mediam noctem præcedente, cibo, seù prandio consueto; Si velit, inquam, nam dum hæc in alma Urbe, & circà festa ipsa Natalitia scribo, curavi scire, tùm re ipsâ Cardinalis missam illam celebrans, in die vigiliæ comedat, an à mediâ nocte vigiliæ initiativâ servet jejunium naturale, usque ad primam Missam Nativitatis nocte sequenti celebratam, & comperio, plures tale jejunium servare, aliquos tamen comedere, quod sufficit, ut censeatur, quot annis cuilibet Cardinali hujusmodi missam celebraturo, id licere ex tacitâ Summi Pontificis dispensatione concedentis ei, quod pro tunc celebret, & communicet non jejunè, ne cogatur jejunium naturale nimis diù sustinere.

124

125

Scio quidem, hanc dispensationem fuisse in dubium revocatam à Lugo *hic disp.* 15. *sect.* 2. *num.* 56. non quod negaverit, Cardinali eam missam celebratur, licere in vigilia Nativitatis prandium, seu cibum sumere, imò absolutè supponit hoc fieri, sed quod crediderit Summum Pontificem pro tali missa, anticipare initium diei Natalis Domini, & velle istud initium non à media nocte, sed ab una, vel altera ante mediam noctem hora computare potiùs quam dispensare, quòd intra diem vigiliæ missa celebretur à non ieiuno; fundamentum ita credendi desumitur potissimum, ex eo quod missa illa censenda sit celebrari, & esse intra diem Nativitatis potius, quàm intra diem vigiliæ: primò quia, si intra hunc esset, Cardinalis in nocte Nativitatis celebraturus teneretur in die vigiliæ manè non celebrare, ne eadem vigiliæ die celebraret bis, postquam verò in nocte celebrasset, posset in sequenti die Natalis celebrare tres missas, æquè ac quilibet alius sacerdos, quod tamen non præstat: Secundò, idem Cardinalis volens posteà in die Natalis celebrare posset in nocte purificationem sumere, quod est contra praxim, & illius missæ rubricam. Tertiò si vigilia in Dominica occurreret, adstantes illi missæ satisfacerent præcepto audiendi missam in die dominico, non audiendi missam in festo Natalis Domini. Nihilominùs hisce rationibus non satis movet, nec propter ipsas puto, recedendum esse ab antiqua, facili, & communi opinione docente, in casu, de quo agitur, dispensari à Pontifice præceptum jejunè communicandi, non mutari, seu anticipari initium diei Natalis; dico igitur, missam illam verè celebrari intra diem vigiliæ, non tamen sequi ea, quæ Lugus infert, quia dispensatio Pontificis est purè putè quo ad anticipationem missæ, & jejunium in favorem Cardinalis celebrantis, non quo ad alia, & in favorem aliorum, adeò ut, quo ad alia, & respectu aliorum, talis missa eodem modo se habeat, ac si celebraretur post mediam noctem. Quod, & proportionaliter responderet in sua sententia Lugus ipse, si ei objiciatur, quod facta anticipatione diei natalis, liceret etiam aliis in mane vigiliæ pransis, ad eam missam communicare, liceret item illius missæ tempore ante mediam noctem carnes comedere: responderet scilicet, anticipationem diei natalis esse purè putè quo ad celebrationem illius missæ, non quo ad aliquid aliud. Responsio igitur, quam etiam Lugus in sua sententia tenetur adhibere, solvit difficultates, quas ipse Lugus communi sententiæ objicit, nec continent difficultates illæ sufficiens fundamentum ab ista recedendi, unde meritò ab ista simpliciter non recesserunt, quamvis, & post Lugum scripserint, & Lugum in hoc puncto viderint Arriaga *disp.* 44. *sect.* 2. *subs.* 5. & Madernus *præcit. art.* 7. *num.* 12. Stet itaque sua opinioni Lugi probabilitas, at non maior, quàm in ista alia, quæ saltem quia communior, facilior, & antiquior est, mihi videtur præferenda; cæterum puto, non posse statui quidquam certi, nisi accedat oraculum Summi Pontificis, mentem suam proferentis, & explicantis, quid intendat in proposito casu concedere, & dispensare.

Controversia inde da Cardinale celebrante ante mediam noctem primam missam nativitatis.

126

Resolvitur sustinendo in tali celebratione dispensationem jejunii.

127

Sic positis, & expositis exceptionibus, prima

Quænam alia præter jejunium requiratur ex parte corporis dispositio ad euchari stiam?

ma præfixi tituli partem constituentibus, reliqua constituentia secundam partem, & pertinentia ad præcedentem titulum, nihil aliud sint, quàm dispositiones aliæ, de quibus dubitari potest, an & quomodò ad licitam, & fructuosam eucharistiæ sumptionem ex parte corporis requirantur: Inter hujusmodi porrò dispositiones, vix occurrit aliqua, quæ positiva sit, nam in communicaturo non est excogitabilis necessaria ulla corporea qualitas; vestitus verò, & ornatus ad corpus pertinens, debet quidem esse peculiaris in sacerdote celebraturo, at in homine laicè communicaturo, qualiscumque ille sit, dummodò prò conditione personæ honestus, & decens, sufficit, nec adest lex aliqua ecclesiastica, sivè scripta, sivè non scripta, quâ ad communionem laicam accedens teneatur, peculiarem vestitus, aut ornatus corporei speciem adhibere: Dixi *dummodo pro conditione personæ honestus, & decens* nam in mulieribus præsertim habitus nimium fucatus, & notabilem aliquarum partium corporis, puta sinus, aut brachiorum nuditatem admittens, sicuti redolet animi indevotionem, ità redundat in irreverentiam sacramenti, & à sacrâ mensâ arcendus est, saltem tamquàm venialiter malus, & reddens accedentem pro effectu sacramenti minus dispositum, si non prorsùs indignum, undè olim arcebantur ab eucharisticâ communione mulieres utentes ementitis capillis, & ornamentis à christianâ modestiâ alienis, ut apud Marchinum *precit. par. 3. cap. 4. num. 2.* refert S. Cyprianus *lib. 2. Epist. 10.* & *lib. 3 Epist. 14.*, item *serm. de lapsis*; Nuper etiam hic Romæ Innocentius XI. pro suæ pastoralis pietatis zelo districtè sacerdotibus prohibuit, ne sacrum cibum ministrent mulieribus gestantibus, aut sinum magnâ ex parte patentem, aut brachia, usque ad medietatem, nudata, solisve chirothecis cooperta, imò quod nec iisdem sacramentalem absolutionem impendant, quoties semel admonitæ sic adhùc incedant, & accedant ad Pænitentiæ sacramentum: De dispositione igitur positivâ, ex parte corporis necessariâ (subintellige secundùm quid, & necessitate congruentiæ) in accedente ad Eucharistiam vix aliud videtur dicendum, quàm quod quilibet debeat accedere honestè, modestèque indutus, seù ornatus.

Loquendo in primis de dispositione positiva.

128

129

Deindè, & magis de negativa, seù privativa.

Non nihil ampliùs superest dicendum de dispositione ex parte corporis negativâ, seù privativâ, consistente in carentiâ sordium, quæ quidem, si tales sint, ut afferant quamdam adstantibus nauseam, ac quasi horrorem, reverentia sacramenti omninò exigit, nequis cum illis publicè, & in aliorum consortio, sacræ mensæ se sistat, ut à fortiori deducitur ex eo quod, quando olim eucharistia solebat in manus dari, cum quidam manibus immundis eam sibi à sacerdote datam accepisset, non invenit in ipsis nisi cinerem, teste Cypriano *Serm. de lapsis*, Confirmatur id ipsum magis ad rem, ex eo quod Cap. *Tua nos* de Clerico ægroto. Leprosus prohibetur communicare in loco publico, ut refert Arriaga *disp. 44. sec. 1. in fine.* Quod si sordes non sint adeò manifestæ, nec adstantium occulos offendentes, vix ex propriâ ratione præcisè possunt, reverentiæ sacramento debitæ obesse, adeò ut ipsarum carentia censenda sit dispositio, ad eucharistiam licitè sumendam necessaria: Nihilominùs in forde carnalis pollutionis res non caret controversiâ, & ei qui in talem sordem culpabiliter incidit, non licere eâdem die ad cõmunionem accedere, etiamsi confessionem, & veram pænitentiam interponat, referuntur docuisse D. Bonaventura *in 4. dist. 12. art. 2. quæst. 3.* D. Thomas *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. quæstinc. 2.* Richardus *ead. dist. art. 2. quæst. 1.* & Marsilius *quæst. 6. art. 4.* quorum verba recitat Lugus *hic disp. 15. sec. 1. num. 1.* quosque secutus fuerat Navarrus in Manuali *cap. 21. num. 51.* sed in posteriori editione, eodem loco mutavit sententiam. Aliqui etiam putarunt, nequidem licere communicare, ei qui eâdem die pollutionem est passus absque omni prorsùs culpâ, sed pecare venialiter, si nulla peculiari causâ urgente communicet, favere videntur ità sentientibus D. Augustinus *serm 244. de tempore* post medium, & D. Gregorius *resp. 11.* ad Augustinum Cantuariensem. Sententiam extremè oppositam tradidit Joannes Sancius in disputationibus selectis *disp. 23. num. 30.* citatus, & notatus tamquàm singularis à Lugo *num. 4.* in eo, quod velit quocumque modo evenerit pollutio, dummodo confessione purgetur, si fuerit peccaminosa, non posse inferre venialem culpam in communicante eadem die.

130

131

Adverto, in pollutione tria posse spectari. Primò scilicèt labem materialem, & sordem corporis; secundò maculam peccati, & sordem animi; tertiò commotionem spirituum, & distractionem, seù divagationem mentis. Primum in quâlibet pollutione contingit, & est id in quo formaliter consistit pollutio physicè considerata: Secundum, & tertium non in quâlibet pollutione reperiuntur, nec spectant ad ipsam formaliter; sed secundum, sæpè se habet solùm antecedenter, & ut causa; tertium subsequenter, & ut effectus; utrumque præterea se tenet ex parte animæ, non propriè ex parte corporis, ex parte cujus nunc pollutionem consideramus; Nec certè de culpâ, & maculâ animæ, quæ pollutionem, maculamque corporis, aut antecedat, ut causa, aut subsequatur, ut effectus, aut ut circumstantia comitetur, quidquam hic agendum recurrit, sed quomodo talis culpæ carentia, seù pænitentia sit dispositio ad eucharistiæ sumptionem necessaria? sufficienter deducitur ex doctrinâ generali quâ *præced.* §. 1. & 2. ad communionem prærequisivimus statum gratiæ, & in habente conscientiam peccati mortalis præviam confessionem, hâc verò positâ non censuimus præterea necessarium, quod peccatum aliquo notabili tempore præcesserit, nec fuerit commissum eâdem die, quidquid universaliter videantur contrà sensisse nonnulli,

nulli, quos ex professo impugnat Suarez in præsenti *disp. 66. sect.* 8. His animadversis sit,

132 *Mundities à pollutione nocturna quomodo, & quando sit dispositio ad Eucharistiam summendam necessaria.*

Assert. 3. Requiruntur quidem ad licitam eucharistiæ sumptionem præter jejunium naturale aliquæ aliæ ex parte corporis dispositiones, at tantùm ex necessitate, secundùm quid, seù ex decentiâ; & signanter non majori necessitate requiritur munditiès à pollutione carnali, sumptâ formaliter, & ut præcisè se tenente ex parte corporis, quamvis alioqui pollutio etiam non peccaminosa, quandoque ratione effectus subsequentis inducat sub veniali obligationem, non communicandi eâdem die. Hoc assertum, quoad postremas particulas, est contrà Joannem Sancium in suâ opinione, ut jam diximus, singularem; quò ad reliqua adversari videntur Auctores mox relati *num.* 30. at re verâ non adversantur, loquuntur enim, aut de pollutione ratione effectus, ut nos loquimur in postremis asserti particulis, aut de eâdem, ut se tenente ex parte animæ, & habente annexum peccatum mortale à quo nos modò abstrahimus, contenti doctrinâ generali, suprà, ut animadversum est, traditâ. Est igitur totum assertum receptissimum, & docent ipsum ferè in terminis D. Thomas *hic quæst.* 80. *art.* 7. Thomistæ *eod. art.* Suarez *disp.* 68. *sec.* 2. Lugus *disp.* 15 *sec.* 1. Arriaga *disp.* 44. *sec.* 1. cæterique passim.

133 Probatur in primis universim ex jamdictis de necessitate accedendi ad eucharistiam, cum decenti, honestoque vestitu, & ornatu, excludente, tùm nimium fucum, & immodestam nuditatem, tùm ex adverso nimium squallorem, sordes, & fœditates patentes, ac quasi horrorem ingerentes, quæ quidem necessitas ex genere suo, seù secundùm se præcisè est ex purâ decentiâ, & non ex obligatione culpæ, nequidem venialis, nisi simul adsit, aut accedentis indevotio, aut aliorum scandalum, ex quibus solis capitibus, dicebamus, peccare venialiter eos, qui aut nimium fucati, aut nimium sorditati ad eucharistiam accedunt, undè etiam sæpè sic accedentes, neque venialiter peccarent, si in occulto accederent.

134 Probatur deindè singillatim de munditie à pollutione carnali sumptâ formaliter &c. quia pollutio sic sumpta, vel supponitur importare maculam, seù sordem corporalem omninò præteritam, ac abstersam, & sic, ut potè pura denominatio extrinseca, eucharistiæ sumendæ nòn officit, nec ullam affert de præsenti indecentiam, alioqui à fortiori eucharistiæ sumendæ officeret, & indecentiam de præsenti afferret, etiam, postquàm omninò præterita, & per pœnitentiam deleta est: Vel supponitur importare sordem corporalem adhùc existentem in aliquâ parte corporis, & tunc decet quidem eam auferre, antequam eucharistia sumatur, nihilominus, cum non sit ex se ingens, ac patens, nec corpus magis fœdet, quam lutum v. gr., aut aliqua alia fordes excrementitia, undènam erit venialiter malum, habere, in eucharistiæ sumptione, aliquam partem corporis illâ potiùs, quam istâ sorde inquinatam? ex purâ igitur decentia, & necessitate secundum quid, nequidem inducente obligationem sub veniali requiritur ad eucharistiam, tamquam dispositio, munditiès à pollutione carnali, sumptâ &c.

135 Probatur tandem singillatim, quo ad postremas particulas, idest quo ad ly *Quamvis alioqui pollutio* &c. probatur inquam, ex eo quia quandoque pollutio, etiam non peccaminosa, præsertim quando, licèt nocturna, & in somnis contingit, cum turpi imaginatione relinquit post se quemdam sensum voluptatis, & motum spirituum generationi inservientium, quo sensu, & motu mens ad carnalia excitatur, à spiritualibus distrahitur, & animus redditur parùm aptus ad actualem devotionem, & piam affectionem, idque sæpè sæpiùs non sine voluntarietate, ad culpam venialem sufficiente, accedere autem ad eucharistiam cum hujusmodi distractione, & indevotione aliqualiter voluntariâ, & malâ venialiter, nequit carere culpâ veniali, ex doctrinâ *praced.* §. 4. in fine; qui igitur ex pollutione remanet tali modo effectus, seù talem ex pollutione effectum experitur, sicuti peccat venialiter, si ad eucharistiam accedat, itâ tenetur sub veniali non accedere, quo usque talis effectus durat, quod est pollutionem, etiam non peccaminosam, quandoque, ratione effectus sub sequentis, inducere sub veniali, obligationem non communicandi eâdem die.

136 *Quomodò item sit dispositio necessaria munditiès à pollutione habita in copula conjugali.*

Quod mox dictum est de simplici pollutione nocturnâ non peccaminosâ, inducente quandoque sub veniali obligationem, abstinendi intrà eamdem diem à communione, procedit à fortiori de pollutione habita in copulâ conjugali, hæc quippè magis voluntarium, & majorem quàm simplex pollutio nocturna, solet post se, relinquere sensum voluptatis, & motum spirituum generationi inservientium, præsertim in eo, qui copulæ conjugalis debitum petiit, qui certè faciliùs debet intrà eamdem diem à communione arceri, quàm alter conjux, ad reddendum debitum conjugale in copulam consentiens.

Dices nos in hoc mitius, quàm par est sentire, cum Concilium Eliberitanum, relatum in Cap. *Omnis Sexus* de Consecratione *dist.* 2. conjugatis absolutè præscribat abstinentiam à copulâ per tres dies antè communionem, quod est idem, ac dicere abstinentiam à communione per tres dies post copulam. Mitius pariter sentimus de simplici pollutione, quia viri polluti non debent esse, in ordine ad communionem meliora conditionis, quàm fœminæ menstruatæ, de quibus fuit olim sancitum, quod non auderent ad sacram mensam accedere, vel Christi corpus attingere, ut referunt Dionysium Alexandrinus, & Timotheus similiter Alexandrinus apud Vasquium

137 quium *in comment. art. 7. quaest.* 80. Sed contrà: Canon Concilii Eliberitani, vel solum continebat consilium, vel si praeceptum, non amplius viget. Idem dicito ad illud de mulieribus menstruatis, de quibus, quando adhuc vigeret prohibitio, non esset haec extendenda ad viros pollutos, quia de istis non haberetur eadem lex prohibens; licet forte adesset eadem ratio legis: solum autem in obligationibus, quae ex naturâ rei, non in iis, quae ex lege positiva, infertur ex paritate rationis par obligatio, seu prohibitio.

CAPUT V.

De effectibus Eucharistiae.

1 QUemadmodum ex parte, & animae, & corporis, in capite praecedenti consideravimus dispositiones, ità ex parte utriusque, in praesenti considerabimus effectus eucharistiae, cui certè etiam praecisè, ut Sacramento, Scholastici, & Sancti Patres tribuunt, tùm ex parte animae, tùm ex parte corporis effectus multos, & miros; ex his, non est dubium, quin primus, & potissimus sit gratia habitualis, quae sicuti, quatenus abstrahit à primâ, & secundâ, est, ex dictis suo loco de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 1., effectus communis cuilibet sacramento novae legis, sità quatenus supponit pro gratiâ secundâ, seu pro gratiae augmento, est ex dicendis in praesenti effectus aliquo modo proprius sacramenti eucharistiae, & quamvis hoc negaverint haeretici, qui aut omnibus sacramentis causalitatem in gratiam, aut gratiam ipsam absolutè negarunt; hactenus tamen nullus, qui id concesserit alicui alii sacramento, negavit speciatim eucharistiae, ut observat Vasquez *disp.* 203. *cap.* 1. *num.* 1. undè etiam, ut ex Bellarmino retulimus suprà *cap.* 4. *num.* 2. Lutherus, Calvinus, & alii eorumdem temporum Sectarii, qui justificationem, in solâ per ipsos remissione peccatorum, non in infusione gratiae sitam, ab aliquibus sacramentis mediâ fide causari voluerunt; dixerunt, eam hoc modo maximè causari ab eucharistiâ, & quidem eo melius, quo quis est magis impoenitens, & plurium sibi, graviorumve peccatorum conscius; quo in puncto Suarez hic *disp.* 63. *sec.* 1. in principio, ut admiratione dignum notat, quod errores extremè oppositos copulando, eucharistiae tribuerint, mortalia remittere sine ullâ prorsùs poenitentiâ, & sine gratiae infusione: Porrò licèt indubitanter primus, & potissimus eucharistiae effectus sit gratia habitualis justificans, & sanctificans; nihilominus attendentes facilitatis magis, quam dignitatis ordinem, praemittemus reliquos effectus, ut istis breviùs expeditis, liberior relinquatur locus effectui gratiae, circà cujus ab eucharistiâ causalitatem, praeter ea, quae repeti possunt *ex praecit. cap.* 4. de Sacram. in gen. plura, remanent peculiaria, propter peculiarem rationem permanentiae in nullo alio novo sacramento repertae: item propter duplicem modum communicandi sub unâ, vel sub duplici specie.

2 *Errores Sectariorum circà praecipuum eucharistiae effectum.*

§. I.

Enumerantur, & explicantur alii Eucharistiae effectus, praeter gratiam habitualem.

3 *Inter effectus eucharistiae ex parte animae alios à gratia habituali.*

ASSERT. I. Inter effectus, quos praeter gratiam habitualem Eucharistia operatur ex parte animae, seu inter effectus eucharistiae spirituales alios ab habituali gratiâ, aliqui in primis assignant multiplex auxilium gratiae actualis suo tempore conferendae ad varios actus, variaque opera, inservientia vitae spiritualis conservationi, perfectioni, & augmento: Verùm talia auxilia, vel sumuntur, quatenus sunt suo modo effectus communis cuilibet sacramento, & id quo differt gratia sacramentalis à non sacramentali, nec non una gratia sacramentalis ab alia; vel quatenus sunt effectus proprius eucharistiae, conducunt scilicet ad actiones, & operationes eucharistiam potius, quàm ullum aliud Sacramentum consequentes: In primo sensu explicata jam fuerunt, agendo de Sacram. in gen. *praecit. cap.* 4. §. 5. In secundo reducuntur ad alios particulares effectus, de quibus statim; ideò abstineo hìc à talibus auxiliis singillatim expendendis, & primo loco enumerandis inter spirituales eucharistiae effectus, inter quos propterea.

4 *Primus esse potest dulcedo, & delectatio spiritualis:*

Primus sit dulcedo quaedam, & delectatio spiritualis consistens potissimum in actibus ferventioris amoris circà divinam, & fortioris spei de aeternâ felicitate, per se ipsos procul dubio animam suavissimè afficientibus, & delectantibus: Excitantur isti actus effectivè ab auxiliis actualibus, gratiam habitualem eucharisticam consequentibus; objectivè ex praesentia, & peculiari possessione Christi Domini, tamquam objecti amati; nec non ex apparentiâ, ac fiduciâ plurium, efficaciorumve mediorum ad salutem conducentium, & similibus: Ratione istius effectus Ecclesia eucharistiae accómodat illud Gen. 49. *Pinguis est panis ejus, & praebebit delicias Regibus*: item illud aliud Psal. 79. *Parasti in dulcedine tuâ pauperi Deus:* Ratione ejusdem in Clementinâ unicâ *De Reliq. & Vener. Sanctor.* eucharistia vocatur *panis habens omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis:* Ab aliquibus etiam alludendo ad illud Isa. 60. *Mamillâ Regum lactaberis* appellatur *Divinorum uberum lac Isaia vaticinio promissum*: & à Sanctis Patribus, ac piis Scriptoribus passim insignitur egregiis aliis allegoriis, ac sententiis miram dulcedinem, suavitatemque redolentibus, quarum nonnullas selectiones videre est apud Gonetum *hic disp.* 8. *art.* 1. *num.* 2. *& seqq.*

5 *Secundus, remissio venialium;*

Secundus, remissio peccatorum venialium, quam eucharistiæ sacramento tribuit Tridentinum *sess.13.cap.2.* dicens, Christum sumi voluisse sacramentum *hoc tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis*, & parum aliter Ambrosius *lib.5. de Sacram. cap.4.* scripsit, quod *iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*; sunt autem quotidianæ culpæ, & quotidiana infirmitas venialia peccata; de quibus clarius Innocentius III. *de Myst. Altar. cap. 44.* ait *Eucharistia venialia delet*, & Pius V. in Catechismo *Remitti verò Eucharistiâ, & condonari leviera peccata, quæ venialia dici solent, non est, quod dubitari debeat.* Et certè ex primo præcedente effectu iste secundus effectus deducitur; fervor enim, seu fervens actus charitatis venialia destruit, & ista (ut est doctrina communis, & tradit in terminis D. Thomas *hic quæst. 79. art. 4. ad 1.*) etsi non contrarientur charitati, quantum ad habitum, contrariantur tamen ei, quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc Sacramentum: Verum quia iste

6

modus delendi venialia est immediatè ex opere operantis, & effectus sacramenti solum mediatus; plures docent aliter etiam, idest immediatè, ex opere operato per eucharistiam venialia deleri, vel independenter ab omni actu ipsorum retractativo, vel cum quâcumq; retractatione virtuali, qualis contineri censetur in actuali devotione, aut in intentione dignè communicandi, aut in alio simili bono affectu: Quod sine ullo prorsùs actu retractativo venialia deleantur, mihi difficile est, quia sicuti committi, ità nec remitti posse de lege ordinariâ videntur, sine propriâ voluntate; Quod deleantur cum retractatione virtuali, imperfectâ, & insufficiente ad illorum remissionem extrà sacramentum, valdè favet perfectioni eucharistiæ, in majori rigore salvat, esse ejusdem effectum, est magis ad mentem D. Thomæ nuper *cit. art. 4.* & tandem traditur à majori parte Scholasticorum, ideò est mihi plurimum probabile.

7 *Tertius, præservatio à mortalibus;*

Tertius, præservatio à peccatis mortalibus, nam Tridentinum, ubi suprà, post ly *Quo liberemur à culpis quotidianis* habet, *& à peccatis mortalibus præservemur*: Innocentius pariter *præcit. cap. 44.* post ly *Venialia delet* ait *Mortalia cavet*: Ratio est, quia mortale peccatum se habet, ut nostra spiritualis mors, & cum ad eucharistiam spectet, nostram spiritualem vitam gratiæ conservare, ac fovere, ad eamdem spectat consequenter à spirituali morte peccati præservare, & præcavere, quod quidem præstat dupliciter potissimum, partim scilicet roborando nostras vires internas; partim fugando nostros hostes externos, aut quibusnam nos armis muniendo, contrà ipsorum impugnationes, ac tentationes: Primum præstat conferendo uberiora auxilia, quibus illuminatur intellectus, & excitatur voluntas ad frequentiores, ac ferventiores actus bonos: Secundum, arcendo per præsentiam Christi Domini, & memoriam, seu repræsentationem passionis Dominicæ, quam continet, dæmones; nec non suavitate spiritualis dulcedinis detinendo, & alienando animam à materialibus mundi deliciis. Ad primum pertinet illud Psal.103. *Panis cor hominis confirmat*: Ad secundum illud aliud Psal.22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* De hoc effectu egregiè D. Thomas *præcit. quæst.79. art.6.* & latè Lugus *disp. 12. sec.4.*

8 *Quartus, gloria, seu gloriæ adeptio.*

Quartus, gloriæ, seu gloriæ adeptio; hunc effectum insinuat Tridentinum *sess.13. cap.2.* dicens, Christum voluisse eucharistiam, esse *pignus futuræ nostræ gloriæ* & *cap. 8.* hortando fideles ad devotam, & frequentem sumptionem ejusdem, *cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam pervenire valeant*: Est autem gloria eucharistiæ effectus, non solum modo aliis sacramentis communi, quo ut quodlibet sacramentum causat gratiam, quæ est gloriæ semen, & dat ad gloriam jus, sed modo etiam ipsius proprio, & peculiari, nimirum tùm titulo rei contentæ, quæ est Christus Dominus, per quem patet nobis ac gloriam aditus; tum titulo rei, per singulas sacramentales species ex diversis rebus in unum coalescentes, significatæ, quæ est unio fidelium cum Christo, & inter se in gratiâ, & charitate, ista verò unio non habetur perfectè, nisi in statu gloriæ; tùm denique titulo prærogativæ pignoris, quam ex Tridentino retulimus, & circà quam D. Thomas *opusc.58. cap.25.* ità discurrit, *Si ergo corpus Christi sumptum pignus est vitæ æternæ, & pignus non dimittitur, nisi id, pro quo impignoratur, accipiatur, profectò per hoc ad vitam æternam perducimur.*

9 *Quid de perseverantia in gratia.*

Alios etiam invenies eucharistiæ effectus spirituales à diversis memorari, sed aut cum aliquo ex præcedentibus coincidunt, aut Sacramento eucharistico minus propriè conveniunt: Ex primo capite omitto primò perseverantiam in gratiâ, quæ verè quidem ab eucharistiâ causatur, at partim cum præservatione à lethalibus, partim cum adeptione gloriæ coincidit; cum priore quidem, si perseverantia sumatur, ut abstrahens à finali, cum posteriore, si ut finalis: Omitto secundò unionem quamdam spiritualem cõmunicantis cum Christo: at hæc nõ est, nisi unio per gratiam, & charitatem, & charitatis actus, sicq; coincidit partim cũ effectu primario, qui est gratiæ, & charitatis habitualis augmẽtũ, partim in spirituali dulcedine, quam diximus maximè consistere in actibus ferventioris, ac tenerioris amoris. Ex

De spirituali unione cum Christo.

10 *De remissione culpæ lethalis;*

secundo capite omitto remissionẽ, tùm culpæ lethalis, tùm pænæ temporalis; primam quidem, quia si ipsâ eucharistia causat solum valdè rarò, & per accidens, quod est talẽ remissionem, fiet eucharistiæ effectus, esse minus propriũ; imò in re mihi probabilius est, nullatenus esse eucharistiæ effectũ, & neque per accidens umquã remitti in eucharistiæ sumptione ex opere operato culpã lethalẽ, ut seq. §.2. ostendetur: Secundam verò, idest remissionem pænæ temporalis, quia licèt

De remissione pænæ temporalis.

eucha-

eucharistiæ sacramentum causando, ut ex dictis causat, remissionem culparum venialium, causet consequenter aliquam remissionem temporalis pœnæ, eo quod non soleat fieri sine aliqua pœnæ remissione remissio culpæ; nihilominùs hoc est causare pœnę remissionem concomitanter, & indirectè, adeoque impropriè: licet item excitando ad actus virtutum, quibus per modum satisfactionis, aut meriti, solet aliquid pœnæ remitti, ad pœnæ remissionem conducat, conducit tamen causando valdè remotè, nec id spectat ad institutionem, & finem eucharistiæ, ut sacramenti, cum sit ipsa instituta quidem ad satisfaciendum, in ratione sacrificii, ac tantum ad spiritualiter nutriendum, in ratione sacramenti, ut egregiè ratiocinatur S. Doct. sæpiùs *cit. qu. 79. art. 5. in c.* Porrò, quia actibus virtutum ab eucharistia excitatis, non minus quàm excitatis aliundè potest quis per modum satisfactionis, impetrationis, aut meriti congruè obtinere aliquam remissionẽ temporalis pœnæ, aut quid simile aliis, si illos pro aliis offerat, imò, & ad id valere potest ipse actus communionis, ut est actus virtutis religionis, forrè non sine speciali efficacia ex præsentia Christi, ut notat Suarez *disp. 63. sect. 10. in fine*, consequens est, eucharistiam posse indirectè, & minùs propriè aliquem effectũ in aliis à sumente, iisdemq; prodesse, sive vivi sive defuncti sint: Hincq; Gonetus *disp. 8. art. 1. num. 10.* infert, & refert Sacr. Congreg. Cardinalium jure optimo damnasse librũ quemdam Theophili Raynaudi, in quo habebatur communionem pro mortuis *esse sordem non ferendam, pium fraudem, escam falsi fructus, strophani prætextu pietatis sectoriam falsitatis; imò consensus connubiales mortuis magis eucharistia prodesse*, &c.

11 Quomodo eucharistia possit causare aliquem effectũ etiam in aliis à sumente aliisq; prodesse.

Assert. 2. Inter effectus, quos Eucharistia operatur ex parte corporis, seu inter effectus eucharistiæ corporales.

Primus sit fomitis repressio, seu mitigatio, quam causat eucharistia, non solum excitando in parte superiore fervorem charitatis, ex cujus in partem inferiorem redundantia compescuntur ipsius motus, & debilitatur concupiscentiæ vigor, juxtà Augustinum *lib. 83. quæstionum qu. 36.* dicentem, *Augmentum charitatis est diminutio cupiditatis*, & Cathechismum Pii V. in quo de eucharistia habetur, *dum charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguat, necesse est*; sed insuper magis propriè, & magis directè, arcendo ut *num. 7.* dicebatur Dæmones, ne pravos fomitis motus concitent, aut providentia Dei extrinseca, sumptioni tamen eucharistiæ debita, subtrahendo alias exteriores eorumdem motuum occasiones, aut actualibus auxiliis eamdem consequentibus inducendo effectus, & actus bonos motibus illis reprimendis accommodatos: Plures hujus effectus rationes, sicut & pręclaras pro ipso Sanctorum Patrum sententias, proferunt in præsenti inter alios Suarez *disput. 64. sect. 1.* & Gonetus *præcitat. art. 1. nu. 11. & 12.*

12 Inter effectus eucharistiæ ex parte corporis primus esse potest, fomitis mitigatio.

13 Secundus, gloriosa corporis resurrectio, quæ cum fuerit à Christo Domino *Jo. 6.* expressè promissa Eucharistiam sumenti verbis illis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die* non videtur dubitari posse, quin sit specialis, & proprius eucharistiæ effectus; & tamen cũ ex aliâ parte omnes prædestinati, sivè eucharistiam aliquando sumpserint, sivè non, gloriosam corporum resurrectionem consequantur, videtur effectus omnibus justis cõmunis, & ab eucharistia independens: Duplici potissimũ viâ res explicatur, primò scilicèt, aliqui dicunt, quod sicuti martyrium, & virginitatẽ v. gr. consequitur in gloriosis corporibus propria aureola, quæ nõ est, nisi quidam peculiaris ipsorum decor, ità ad aureolæ modum, ex vi eucharistiæ ponatur in iisdẽ quædam peculiaris perfectio, & claritas, nõ ponenda in corporibus gloriosis eorũ, qui non fuerunt cõmunionis eucharistiæ participes; sicque sit proprius, & specialis eucharistiæ effectus gloriosa corporum resurrectio, secundum hujusmodi peculiarem perfectionem, & modum, etsi non secundum substantiam: Hanc viam Suarez *disp. 64. sec. 2. §. Prima sententia*, fatetur piè excogitatam, at censet, esse relinquendam tamquam nullâ fundatam auctoritate; & quamvis Gonetus *num. 17.* aliquas ei auctoritates accommodet, fortè sunt nimis universales, nec quadrant taliter, quod ei afferant sufficientem probabilitatem: Secundò igitur alii magis communiter independenter ab omni peculiari perfectione, pulcritudine, claritate, quâ corpora Beatorum, qui fuerunt eucharistiæ participes à corporibus cæterorum discernantur, docent, resurrectionem gloriosam esse peculiarem eucharistiæ effectũ, eo quod præter titulum communem gratiæ sanctificantis, quo debetur, ac datur omnibus justis consequenter ad gloriam animæ, iis, qui dignè communicarunt, debeatur, ac detur titulo peculiari, & eucharistiæ proprio; nimirum ex vi carnis, & substantiæ Christi, quam communicans in se suscepit; imò in se quasi convertit, quæque cum sit maximè vivifica, ac tamquam resurrectionis semen, tribuit (nisi culpæ obex superveniat) speciale jus resurgendi ad vitam immortalem humanis corporibus, in quibus fuit dignè suscepta: hunc titulum, seù hoc jus valdè illustrat ex Cyrillo Alexandrino, & Ireneo Gonetus *num. 13. & 14.* Addi potest tertia via, qua nec propter solũ titulum, ut ità dicam sine re, nec propter peculiarem perfectionem, sine sufficienti auctoritate excogitatam, gloriosa resurrectio dicatur proprius Eucharistiæ effectus, non secundum totam corporis gloriam, sed secundum augmentum correspondens augmento gratiæ ab eucharistiâ causato; hanc viam exponit, & simul cum priore amplectitur Lugus *disp. 12. sec. 5. num. 107.* Quidquid sit de viarum diversitate, certus maneat terminus, & indubitatum existat, gloriosam resurrectionem, & beatam immortalitatem corporum, inter eucharistiæ

Secundus, gloriosa corporis resurrectio

14

effectus, jure recenseri, in cujus rei confirmationem facit, quod eucharisticum Sacramentum appellatum fuerit à Patribus Concilii Nicæni *Symbolum resurrectionis*, ab Ignatio Epist. ad Ephes. *Pharmacum immortalitatis, præservativum contrà mortem*, & à Punicis antonomasticè *Vita*, ut refert Augustinus *lib. de peccat. merit. & remiss. cap. 24.*

15 *Tertius, unio quædam, & quodammodò unitas inter corpus cōmunicantis, & corpus Christi.*

Tertius quædam specialis, unio, ac quodammodo unitas inter corpus communicantis, & corpus Christi; carnem illius, & carnem istius, consistens non in solâ utriusque corporis, & carnis, physica propinquitate, & entitativo contactu; hujusmodi enim propinquitas, & contactus, non tàm est Eucharistiæ effectus, quàm usus, & conditio ad eucharistiæ effectus prærequisita, sed in quâdam morali habitudine, quæ ex tali propinquitate, contactuque relinquitur, & ratione cujus Christus, postquam fuit in corpore communicantis sacramentaliter susceptus, & sumptus per modum cibi, nisi aut sumptio fuerit indigna, aut obex peccati supervenerint, remanet circà idem corpus, ità benè affectus, & amoris vinculo, ità quodammodò conjunctus, ut ipsum, tamquam proprium, seù cum proprio unum reputet, ejusque peculiarem curam, ac providentiam gerat; eo ferè pacto, quo inter Conjuges, post matrimonii consummationem, remanet talis quædam habitudo, seù tale jus, & talis affectus unius in corpus alterius, ut dicatur esse utriusque unum corpus, & una caro, seù duo in carne unâ.

16 Hocce exemplum valdè arrisit Vasquio adeò ut *disp. 204 cap. 4. num. 35.* dixerit, Matrimonium spirituale animæ cum Christo habere sponsalia per fidem; contrahi per charitatem, consummari per Eucharistiam; Nec mirum, cum enim iste Auctor eâ totâ disputatione magno labore, ac studio contendat, fulcire, ac stabilire peculiarem, ex vi eucharistiæ, unionem rigorosam, & aliquo modo naturalem, ac substantialem, libenter amplectitur quidquid occurrit tali unioni, seù unitati explicandæ opportunum: Ego verò existimo quidem, hujusmodi unionem esse quid diversum ab unione spirituali per charitatem, & affectum, at puto esse puram habitudinem moralem, seù moralitatem modo explicato, nec posse dici naturalem, aut substantialem, aut corporalem, nisi impropriissimè; quatenus extrema, quæ ea moralitate afficiuntur, & dicuntur uniri, seù unum fieri, & pro unò haberi, naturæ substantiæ corporeæ sunt; Undè Vasquio, pro sententiâ suo tempore excitatâ à Cardinali de Mendoza, decertanti, si aliquid amplius intendit, non assentior, sicuti nec Mendozæ assentiuntur Suarez *disp. 64 sec. 3.* Lugus *præcit. sec. 5.* in fine. Arriaga *disp. 42. sec. 5. num. 32.* Herinex *disp. 7 quæst. 1. num. 13.* & alii multi, quamvis etiam non paucos pro Mendozâ sentientes referat Vasquez omninò in hâc re videndus *cit. disp.* 204. per totam.

17 Circà eucharistiæ effectus hucusque positos, & expositos, duo universim observanda occurrunt: Primum est, in ipsis ferè omnibus exponendis servari posse analogiam, seù proportionem ad effectus cibi, & potus corporalis, ut in multis servavi, & insinuat D. Thomas: Ego eam dissimulavi, quia plus prolixitatis, quàm utilitatis afferre visa est, &, ut sæpiùs dixi, vix habetur ex ipsâ ullum efficax argumentum, cum nec possit, nèc debeat in omnibus adamussim procedere; Si quis tamen sit in illam propensior, facilè poterit, suæ propensioni consulere, & aut propriâ consideratione, aut S. Doctoris, aliorumvè præsertim Thomistarum lectione, varios talis analogiæ modos in variis Eucharistiæ effectibus comperire.

Secundum, quod observandum occurrit, est majorem partem eorumdem effectum, & signanter tres priores assignatos in animâ, nec non primum ex assignatis in corpore, pati difficultatem in eo, quod effectus sacramentales ex genere suo debeant esse infallibiles, infallibiliterque sequi suum sacramentum, dignè, ac sine obice susceptum, & tamen, non quisquis taliter eucharistiam suscipit, consequitur, atque experitur delectationem spiritualem in animâ v. gr., & fomitis mitigationem in corpore: Sicuti insuper aliundè suadetur, quod non obtineat infallibiliter remissionem venialium, & præservationem à lethalibus; non primam, quia secus accessurus ad eucharistiam, non deberet esse solicitus de se prius à venialibus emundando; non secundam, quia secus dignè communicans haberet illicò infallibilem certitudinem de sua futurâ permanentiâ in gratiâ, & de ipsâ met perseverantiâ finali.

18 *Effectus Eucharistiæ etiam secundarii sunt infallibiles, & quomodò.*

Ab hâc difficultate, & ratione dubitandi, fortasse quis levi negotio se expediet, dicendo, infallibilitatem deberi effectibus sacramentalibus primariis, non aliis quibuscumque, etiam secundariis, quales sunt illi, quos mox sub Eucharistiæ sacramentò recensuimus; Nihilominus, & melius concedendo effectibus sacramentalibus, etiam secundariis suam, quantum est ex parte sacramenti, infallibilitatem; dico, hanc in præmemoratis eucharistiæ effectibus, non desiderari, & istos sæpè in re adesse, etsi non percipiantur, quoties verò suis opportunis temporibus in re non adsunt, id ex indispositione subjecti provenire, non ex conditione sacramenti eucharistici, cui secundum se contingens, & accidentale, non necessarium, & infallibile sit illos producere: *Sæpè in re adsunt, etsi non percipiantur*; quia aliqui ex illis, ut venialium remissio, demonis fugatio, remotio alicujus tentationis ab extrinseco imminentis, non sunt regulariter à nobis perceptibiles; aliqui alii, ii præsertim, qui in propriis actibus vitalibus consistunt, propter incertitudinem temporis, quo conteruntur, facilè possunt, aut non adverti, aut etiamsi advertantur, judicari aliundè, quàm à præteritâ Eucharistiæ sumptione provenientes: *Quoties in re non adsunt, id provenit ex subjecti indispositione*, quia indispositio, afferens obicem alicui effectui eucharistiæ secundario

non

non est solùm peccatum letnale, sed etiam veniale, etiam distractio naturalis, & inculpabilis, etiam non cooperatio alicui gratiæ actuali sufficienti, aliaque id genus, quæ & sæpè nobis sunt occulta, & faccillimè, ac frequentissimè comitantur, aut subsequuntur eucharistiæ sumptionem: Ex his capitibus Suarez *disp. 63. sec. 9.* colligit, nullum posse ex experientiâ argumentum sumi, ad judicandum, an eucharistiæ effectus sit infallibilis, nec ne?

19

Qualis singillatim sit infallibilitas remissionis venialium;

Ad illud, quod singillatim addebatur contrà remissionem venialium, & præservationem à lethalibus; pro primâ dico, accessurum ad eucharistiam, jure adhùc esse solicitum de præviâ à venialibus, emundatione, tùm quia hæc per eucharistiam habetur infallibiliter ex parte sacramenti, non infailibiliter absolutè; tùm multò magis quia est dispositio maximè conducens ad digniorem, & fructuosiorem communionem; ac præterea sacramentalis confessio videtur ad venialium remissionem magis per se instituta, quàm eucharistiæ sumptio; fortè tamen, ut insinuat Herinex *disp. 7. quæst. 1. num. 4.* non est abs re nimis sæpè, & scrupulosè venialia confitentibus, suggerere, quod sint quandoque contenti ea aliis mediis, præsertim communione, debere. Pro secundâ dico similiter, dignè communicantem habere illam infallibilem certitudinem solum conditionatè, quantum est ex parte sacramenti, & nisi per ipsum met steterit, cæterùm remanere simpliciter incertum de gratia per lethale imposterum non amittendâ, & de finaliter perseverando; Ratio à priori sit, quia ut tradit D. Thomas *hic quæst. 79. art. 6. ad 1.* præservatio à lethalibus, & quilibet alius sacramenti effectus recipitur in homine secundum hominis conditionem, juxtà regulam generalem, quâ quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; homo autem in via ejus est conditionis, ut habeat liberum arbitrium, quod flecti possit in bonum, & malum, ideo in ipso, pro statu viæ, sacramenti effectus, secundùm talem arbitrii flexibilitatem recipitur, & virtus à peccato præservativa non aufert possibilitatem peccandi: Hincque Augustinus *lib. 21. de Civit. cap. 25.* hæreticis annumerat nonnullos arbitratos quemcumque, qui semel fuerit particeps corporis, & sanguinis Christi, omnimodâ certitudine, absolutâque infallibilitate consecuturum æternam vitam, & ab æterno igne liberationem.

Et præservationis à lethalibus.

20

Eucharistiæ sacramentum prodest animæ, & corpori,

Ex dictis habetur, eucharistiæ sacramentum nec prodesse soli corpori, ut referuntur sensisse quidam Armeni; nec item soli animæ, sed utrique, cum aliquos utrique effectus conferat, *sedatque in anima, & corporis præsidium*, ut loquitur Damascenus *lib. 4. fidei cap. 14.* item *Animam, & corpus sanctifices*, ut scribit Cyrillus Hierosolymitanus *cathec. 4.* Nec, ut puto, adversantur Turrecremata, & Petrus Martinez, qui teste Suario hic *disp. 64. sec. 1.* docuerunt, eucharistiam nihil omninò efficere in corpore; forte enim loquuntur de efficientiâ propriissimè dicta, quæ terminetur ad peculiares qualitates in corpore ex vi eucharistiæ productas, quas neque nos astruimus, ut patet recolendo effectus corporis, seù corporales, suprà eucharistiæ attributos: Accedit, quod hi ipsi effectus, qualescumque sint, aut referuntur, aut consequuntur ad effectus spirituales, qui causantur in animâ; sicque tandem in aliquo sensu, idest primariò & principaliter dici potest eucharistia in solâ animâ operari; ut non propterea, absolutè loquendo, recedendum est à præassertâ doctrinâ de eucharistiæ effectibus, partim spiritualibus, partim corporalibus, partim in animâ, partim in corpore: Sicuti, nec septenarius ipsorum numerus, quem assignavimus, censendus est diminutus, ex eo quod nonnulli graves Doctores, imò & Sancti Patres majorem numerum assignent; enimverò vel eumdem effectum in plures diviserunt, vel concionatoriè magis quàm Scholasticè loquendo in aliquibus effectibus multiplicarunt non tam res ipsas quàm vocabula; hâc ferè ratione valdè multos eucharistiæ effectus proferunt Sancti Chrysostomus, & Cyprianus, apud Gonetum *disp. 8. art. 1.* in fine, eosdemque Richardus *in 4. dist. 9. art. 1. quæst. 2.* sub analogiâ duodecim fructuum ligni vitæ ad duodenarium numerum extendit, & describit hoc triplici carmine.

21

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget
Hostia spem, purgat, reficit, vitam dat, & unit,
Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.

Inflammat scilicèt charitatem, memorat passionem Christi, sustentat contrà lapsum ex propriâ infirmitate, roborat ad benè operandum, auget spem, purgat à venialibus, reficit spirituali dulcedine, dat vitam gratiæ, unit moraliter Christo, confirmat fidem, munit contrà Dæmones, remittit fomitem. Ad quotum instar potes etiam, si velis, septem effectus à nobis assertos duplici carmine complecti sic.

22

Septem ipsius effectus contenti, & expressi duobus versiculis.

Præservat, purgat, reficit, beat Hostia mentem,
Carnem unit, vita reddit, fomitemque remittit.

Præservat scilicèt à mortalibus, purgat à venialibus, reficit spirituali dulcedine, beat adeptione gloriæ, mentem idest animam (ecce quatuor effectus spirituales) Carnem, seù corpus unit moraliter, carni, seù corpori Christi, vitæ reddit immortali per gloriosam resurrectionem, fomitem remittit per diminutionem motuum ipsius (ecce tres effectus corporales) Sed de his satis, procedamus jam ad effectum dignitate, utilitate, causalitate primum, omnique titulo primarium, nimirum gratiam habitualem, juxtà cujus divisionem in primam, & secundam. Esto:

§. II.

§. II.

Quàm certum ſit, Euchariſtiam cauſare gratiam habitualem ſecundam, & quàm probabile cauſare aliquando primam?

23

ASSERT. I. Eſt fidei certitudine certum, euchariſtiam per ſe cauſare, pro effectu habere gratiæ habitualis augmentum, ſeù gratiam habitualem, quam ſecundam vocant. Hoc aſſertum videtur habere adverſarios illos omnes, & ſolos hæreticos, qui aut omnibus novis ſacramentis cauſalitatem in gratiam, aut gratiam ipſam habitualem abſolutè negant, de quibus alibi, cæterùm inter Catholicos, non ſolùm quò ad ſubſtantiam, ſed etiam quò ad certitudinis modum, communiſſimè recipitur, ſaltem poſt Concilium Tridentinum; quod addo propter antiquiores Scholaſticos non paucos, qui in hoc puncto, aut nullam fecerunt mentionem certitudinis fidei, aut etiam ſenſerunt virtute euchariſtiæ augeri juſtificationem, & habitualem gratiam, non ſecundùm ſuam eſſentiam, & entitatem, ſed dumtaxat ſecundùm robur proveniens ab actualis gratiæ auxiliis, quod eſt in re non aliam gratiam, quam actualem pro euchariſtiæ effectu aſtruere; pro hâc ſententiâ Alenſem, & Bonaventuram refert Vaſquez *hic diſp.* 203. *cap.*1. ubi multò plures, hoſque, tamquàm à ſe in fonte viſos, recitat pro nullâ, circà gratiæ habitualis ab euchariſtiâ cauſalitatem, mentione factâ certitudinis fidei, aut definitionis eccleſiæ: At nec ex hoc ſufficienter deducitur, quod talem certitudinem poſitivè negaverint, nec eam ampliùs poſt Tridentinum ullus Catholicus negat, aut negare poteſt. Ideò

24 *Eſt de fide euchariſtiā per ſe cauſare augmentum gratiæ habitualis.*

Probatur aſſertum ex Concilio Tridentino, quod in primis *ſeſſ.* 7. *can.* 6. 7. & 8. agens univerſim de novis ſacramentis, quorum unũ omninò eſt euchariſtia, ſtatuit, ea continere gratiam, quàm ſignificant, hanc ſemper, & omnibus non ponentibus obicem, quantum eſt ex parte Dei, conferre, nec eſſe ſigna ſolùm externa acceptæ per fidem gratiæ, nec item ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere: ubi nomine gratiæ non venit gratia actualis, ſed gratia juſtificationis, hanc quippè Sectarii ipſi ibi damnati dicebant, per fidem promiſſionis accipi, etſi aliundè malè explicarent, & non in habitu inhærente, in quo verè collocanda eſt, ſed in ſolâ remiſſione peccatorum, & imputatione juſtitiæ Chriſti collocarent. Deinde *ſeſſ.*13. *cap.* 2. agens ſingillatim de ſacramento euchariſtiæ ait *ſumi, tamquàm ſpiritualem animarum cibum, quo homines alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*; ali autem, & confortari ad vivendum vita Chriſti, & propter Chriſtum, eſt ali, & confortari in vita ſpirituali juſtificationis, & habitualis gratiæ, quæ ſola dat ſimpliciter vivere, unde etiam Chriſtus *Io.*6. dixit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet* (ſubintellige virtute ipſius carnis, & ſanguinis) *vitam æternam*, quam certè non habemus per gratiam actualem, ſed per ſolam juſtificantem habitualem. His Tridentini locis intercluditur aditus intelligendi de gratia actuali Concilium Florentinum in decreto fidei §. *Tertium eſt*, ubi de euchariſtia habetur *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè ſumentis eſt adunatio hominis ad Chriſtum, & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc ſacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur.*

25 *Eſtq; id etiã rationi cõgruentiſſimum.*

Aſſertam veritatem ſic quò ad certitudinis gradum, ac modum comprobatam, tribus definitionibus eccleſiæ, quo ad ſubſtantiam confirmo tribus rationibus D. Thomæ *hic quæſt.* 79. *art.*1. luculenter oſtendentibus, quàm congruum, & conveniens fuerit, tribui euchariſtiæ ſacramento efficaciam, virtutemq; conferendi habitualis gratiæ augmentum; Prima deſumitur ex re in euchariſtiæ ſacramento contenta; Secunda ex re repræſentata; tertia ex re continente, ſeu repræſentante. Res contenta eſt Chriſtus Dominus, qui ſicuti vitam gratiæ attulit mundo, in quem venit viſibiliter, ita debet eamdem afferre homini, in quem ingreditur ſacramentaliter; Res repræſentata eſt potiſſimum Chriſti Domini paſſio, quæ fuit cauſa meritoria totius gratiæ, & effectum, quem ſuo merito præſtitit mundo, in quo Chriſtus extitit viſibiliter, debet quoq; præſtare homini, in quo Chriſtus exiſtit ſacramentaliter: Res continens, ſeu repræſentans ſunt ſigna ſenſibilia, nimirùm ſpecies panis, & vini, quæ ſivè ſecundum uſum, ſivè ſecundum propriam naturam conſiderentur, dicunt peculiarem analogiam ad gratiam habitualem, ab euchariſtia cauſandam ſecundum uſum enim ſunt cibus, & potus, & corporaliter nutriendo ſuſtentant, roborant, augent vitam corporalem; ſecundùm propriam naturam coaleſcunt in unum ex multis, panis ſcilicèt ex multis granis, vinum ex multis acinis; congruit igitur ſacramentum ex talibus ſpeciebus conſtitutum ſpiritualiter, ſeù per modum ſpiritualis nutritionis ſuſtentare, roborare, augere vitam ſpiritualem, quæ eſt vita gratiæ; item ſpiritualiter unire, ac conjungere multos fideles cum Chriſto, & inter ſe, quod maximè fit per habitum gratiæ, & charitatis: Quæ omnia latius explicata, & accommodatiſſimis Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum ſententijs illuſtrata tradunt S. Doctor, & ejus expoſitores *præcit. art.*1.

26

Dices, ferè omnes has congruentiæ rationes, ſicut, & præcedentes definitiones eccleſiæ, Conciliorumque auctoritates, non tam procedere de gratiæ habitualis augmento, ſeu de ſecundâ gratiâ, quàm de primâ, aut certè deabſtrahente ab utrâque, ut quo ad

pri-

primam, & secundam congruentiam facilè constat, ex eo quod Christus veniens visibibiliter in mundum abstulit mortem peccati, & primam potissimum gratiam contulit, eamdemque potissimum sua passione promeruit: Quo ad auctoritates, quæ fecit adducta primo loco, procedit de effectu omnibus novis sacramentis communi, qui est gratia, non secunda præcisè, sed à prima, & secunda abstrahens, quæ verò fuit adducta tertio loco, assignat pro Eucharistiæ effectu adunationem hominis ad Christum, at hæc per gratiam primam, æquè ac per secundam fit, ergo nostra probatio ferè tota inefficax est in ordine ad secundam gratiam determinatè, de qua sola assertum procedit: imo, quia militat de gratia prima, æquè, aut fortè etiam magis, quàm de secunda nimis probat, & nil concludit. Sed contra: Auctoritates, & congruentiæ alioqui de se indifferentes ad probandam gratiam primam, vel secundam, statim ad secundam determinantur per hoc, quod simul apponatur aliqua de secunda determinatè procedens, ut verè procedit auctoritas secundo, & congruentia tertio loco adducta; nam altera animam, & confortare per modum spiritualis cibi, eam spiritualiter nutrire, ejus spiritualem vitam augere, supponit, animam jam anteà spiritualiter vivere, jam habere vitam gratiæ, & primam gratiam: sicuti cibus, & nutritio corporalis supponit vitam corporalem, nec in cadavere exercetur, aut mortuum vivificat, sed viventi datur ad ejus vitam sustentandam, augendamque: Aliundè etiam prætallatæ congruentiæ, & auctoritates determinantur in proposito ad secundam gratiam, nimirùm ex eo quod supra *cap.* 4. §. 1. ostendimus, esse catholicum dogma, quod eucharistia prærequirat in sumente statum gratiæ, seu primam gratiam, non prærequireret autem, si esset ad ipsam causandam per se instituta: Accedit; quod eucharistia est ex sacramentis vivorum, quæ juxtà tradita de *Sacr. in gen. lib.* 2. *c.* 4. §. 6. ex genere suo habent numquam causare per se primam gratiam, imò fortè nec per accidens, ut de eucharistia ipsa in particulari mox subjicio. Ideò

27

28
Duplex modus causandi gratiam per accidens.

Adverto, & ex mox *cit.* §. 6. recolo, dupliciter intelligi posse, quod aliquod sacramentum causet per accidens gratiam, sivè primam, sivè secundam; primò quatenùs causet per virtutem prorsus extrinsecam, & sibi accidentaliter aliundè adjunctam, qua ratione musicus v. gr. per accidens ædificat, quia peritia ædificandi extrinseca est, & accidentaliter adjungitur arti canendi, eademque ratione per accidens causaret gratiam sacramentum, si hæc ad sacramenti præsentiam conferetur ex pura benignitate, & misericordiâ Dei, aut præcisè ex opere operantis, non ex propriâ institutione, virtuteque sacramenti, nec ex opere operato: Secundò quatenus causet per virtutem propriam quidem, & suo modo intrinsecam, at convenientem solùm secundariò, nimirum in ordine ad secundarium institutionis finem, & ex secundariâ Institutoris intentione, quâ ratione sicuti *eod.* §. 6. dicebamus, baptismum, & pœnitentiam aliquando causare per accidens secundam gratiam, itâ nunc quærimus, utrùm eucharistia aliquando causet per accidens primam.

29
Quid addat gratia prima suprà secundam.

Adverto, & recolo insuper in præsenti providentiâ, in quâ non datur status medius inter statum gratiæ, & statum culpæ, gratiam primam differre à secunda, non præcisè ex eo quod illa, non ista adveniat subjecto habenti omnimodam ipsius privationem, sed ex eo quod illa, non ista adveniat subjecto habenti maculam culpæ lethalis, adeoque illa, non ista secum afferat talis maculæ abstersionem, & remissionem peccati: Quærere igitur, utrum eucharistia possit causare per accidens primam gratiam, est quærere, utrum possit per accidens causare simul cum gratiâ remissionem lethalis peccati; Utrùm v. gr. communicans cum lethali, sed bonâ fide, eo quod de illo, aut sit invincibiliter immemor, aut si memor, in inopiâ Confessarii se contritum putet, cum in re contritus non sit, utrùm inquam sic communicans consequatur gratiam talis peccati remissivam ex opere operato, & virtute intrinsecâ eucharistiæ, secundariâ tamen.

30
Auctores affirmantes eucharistiâ causare per accidens primam gratiam.

In hoc germanissimo quæstionis sensu, eucharistiam aliquandò causare per accidens primam gratiam, affirmant Richardus *in 4. dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 1. Sotus *dist.* 7. *quæst. un. art.* 7. & *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 4. Capreolus *dist.* 13. *art.* 1. Vega *lib.* 9. *in Trident. cap.* 34. Cajetanus 3. *par. quæst.* 72. *art.* 7. Nugnus *quæst.* 62. *art.* 1. Gonetus *disp.* 3. *de sacram. in gen. art.* 5. § 5. & *disp.* 8. *de Euchar.* 1. *num.* 20. Suarez *disp.* 7. *sec.* 2. & *disp.* 63. *sec.* 1. Amicus *disp.* 4. *de Sacram. in gen. sec.* 5. Arriaga *ibid. disp.* 16. *sec.* 1. *subsec.* 2. Madernus *quæst.* 3. *art.* 6. Herinex *disp.* 4. *quæst.* 1. *nu.* 12. Mastrius *disp.* 1. *quæst.* 10. *art.* 2. Lauræa *disp.* 26. *art.* 1. *num.* 5. & *art* 2. *num.* 53. Uno verbo major tùm Antiquiorum, tùm Recentiorum Scholasticorum pars; ex Thomistis, vix aliqui dubitanter locuti, ex Scoticis, valde, pauci excipiuntur; utrique suum pro suâ affirmante sententiâ proferunt Doctorem, pro quâ quidem apud Subtilem clariora sunt verba, adeò ut, qui ex ejus scholâ contrarium sentiunt, illa non explicent, sed dicant, fuisse textui addita, non ab ipso Scoto tradita; verba Doctoris Sancti non sunt itâ omninò clara, & admittunt aliquam explicationem, de quâ infrâ *num.* 49.

31
Auctores id negantes.

Negant verò, & oppositam in eodem sensu sententiam tradunt ex Scotistis Centinus *disp.* 3. *de Sacram. Confirmat.* & Gavatius *disp.* 12. *de Sacram. Euchar. quæst* 1. *cap.* 2. ex Recentioribus Vasquez *disp.* 205. *cap.* 4. Gaspar Hurtadus *disp.* 3. *diffic* 4. Bernal *disp.* 11. *sec.* 2. Lugus *disp.* 12. *sec.* 1. Esparza *lib.* 10. *quæst.* 26. *art.* 2. Villalobos *trac.* 4. *diffic.* 7. & aliqui alii pro se afferentes ex antiquioribus Bonaventuram, Alensem, Gersonem, Ocham, Gabrielem, aliosque nonullos, inter quos tamen Bonaventura, Alensis,

&

& Gerso obscurius, ac dubitanter magis, quàm asseveranter loquuntur; Ochamus verò, & Gabriel videntur procedere ex fundamento nimis universali, & falso, quo omnibus prorsus sacramentis, etiam baptismo, & pœnitentiæ negant virtutem causandi ex opere operato primam gratiam, ut retulimus *præcit.* §. 6. *de Sacram. in gen. num.* 100. Nihilominus, sivè isti Antiquiores, idem, quod prædicti Recentiores, absolutè docuerint, sivè non, saltem ipsis multum favent. His positis sit

32 — *Sententia negans præfertur, ut probabilior.*

Assert. 2. Probabilius est, eucharistiam, ut sentiunt Auctores nuper relati *num.* 31. neque per accidens causare umquàm gratiam habitualem primam, seù gratiam simul cum remissione culpæ lethalis; est tamen etiam probabile oppositum, traditum ab Auctoribus antecedenter relatis, quorum propterea sententiam, nec absolutè falsam, nec simpliciter improbabilem, sed dumtaxat minùs probabilem, seù minùs probabiliter veram censemus. Istud posterius asserti membrum peculiari probatione non indiget, nam Auctores contrà prius membrum sentientes, cum valdè multi, & magnæ notę sint, ex hoc ipso aliquam suæ sententię conciliant probabilitatem, quàm ulterius corroborant propria ejusdem sententiæ fundamenta mox afferenda, & impugnanda quidem, quatenus procedunt absolutè, & simpliciter, at non ità convellenda, quin sufficiant ad sustinendam aliqualem ipsius probabilitatem, ut facilè fiet omnia consideranti perspicuum. Interim assertum, quò ad primum, ac principalius membrum.

Et sua at minor admittitur probabilitas in sententia affirmante.

33 — *Virtus causandi primam gratiam in Eucharistia ex nullo capite satis constat;*

Probatur unico argumento, eoque negativo, & trito, sed firmissimo; si singulæ ejus partes contrà Adversariorum responsiones, & evasiones firmiter urgeantur, ut in progressu urgere studebo; interim argumentum sic efformo: Eucharistiæ, aliisvè sacramento non est adscribendum, posse causare, neque per accidens aliquid, quod posse esse ejus effectum, non sit, aut expressum in Scriptura, aut traditum à Sanctis Patribus, aut definitum ab ecclesia, aut deductum ex naturâ, & institutione ipsius sacramenti; atqui gratiam habitualem primam posse esse eucharistiæ effectum, non est expressum in Scripturâ, aut traditum &c. ergo eucharistiæ non est adscribendum, posse causare, neque per accidens gratiam habitualem primam; quod tamen Inferrimus, tamquam probabilius dumtaxat, non tamquam simpliciter certum, quia minor propositio, præsertim quò ad secundam, & quartam partem est dumtaxat probabilior, non certa simpliciter; ergo à primo ad ultimum probabilius est, eucharistiam &c. Major patet; quia quilibet effectus conveniens alicui sacramento, convenit ex liberâ voluntate supernaturali Dei, & hęc nobis ex solâ ipsius Dei revelatione innotescit, non est igitur adscribendus eucharistiæ, aliisvè sacramento effectus, de quo non innotescat Dei voluntas ex ipsius Dei revelatione; atqui Dei revelatio non innotescit nobis aliundè, quàm ex Scripturâ, traditione, definitione ecclesiæ, & deductione ex aliis revelatis, ergo non est adscribendus eucharistiæ, aliisvè sacramento effectus aliquo ex his capitibus non innotescens, & qui non sit, aut expressus in Scripturâ &c.

34 — *Non ex Scriptura;*

Minor propositio, quò ad primam, & secundam partem, probatur facilè; quia ipsimet Adversarii nullum proferunt Scripturæ textum expressè tribuentem eucharistiæ remissionem lethalium, & primam justificationem, auctoritatem verò Sanctorum Patrum proferunt quidem multiplicem, at in nulla fit mentio alicujus antiquæ, & apostolicæ traditionis, nulla item est satis expressa pro remissione lethalium, quò ad culpam immediatè, & directè ab eucharistiâ, ut sacramento; sed aliquæ procedunt de præservatione, non de remissione; aliquæ de venialibus, non de lethalibus; aliquæ de emundatione à lethalibus, quò ad reliquias pravorum affectuum, non quò ad culpam; aliquæ de remissione lethalium quò ad pœnam ab eucharistiâ, ut sacrificio; aliquę de remissione indirectâ, & mediatâ, seù medio opere operantis; de hâc redibit sermo infrà *num.* 49. agendo singillatim de mente D. Thomæ; de reliquis explicationibus, quænam, præ aliis, sit diversis diversorum Patrum sententiis adhibenda, judicandum est ex contextu ipsarum sententiarum; istarum quædam, hæque ex difficilioribus in terminis recitatæ, & cohærenter ad contextum expositæ videri possunt apud Vasquium *disp. præcit. cap.* 5. In universum moneo, Sanctos Patres, ubi nobis obiiciuntur, tamquam tribuentes eucharistiæ remissionem lethalium, nec mentionem facere bonæ fidei, nec attritionis in communicante; si quid igitur ex terminis probarent, probarent in eucharistia virtutem remittendi lethalia, etiam in communicante cum lethalibus malâ fide, aut saltem sine attritione, quorum primum est hæreticum, secundum in ipsâ ferè omnium Adversariorum opinione falsum; in proposito igitur Sancti Patres, ubi à nobis explicandi sunt, indigent ab ipsis quoque Adversariis explicari.

Non ex traditione SS. PP.

35 — *Non ex ulla definitione Ecclesiæ.*

Minor eadem, quò ad tertiam partem, si sermo sit de Ecclesiæ definitone formali, & propriâ, extrà controversiam est, quia tamen censeri potest arguitivè; & æquivalenter ab ecclesia definitum illud, quod aut ex communi ecclesiæ sensu supponitur, aut ex alicujus universalis Concili Canone deducitur, faciunt hic difficultatem, rationemque dubitandi, tùm verba, quibus in quâdam ecclesiæ oratione postulamus, ut eucharistiæ sacramentum *sit nobis ablutio scelerum, sit remissio omnium delictorum*; tùm censura quâ in Concilio Tridentino *sess.* 13. *can.* 5. anathematizatur, qui dixerit *præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex eâ non alios effectus provenire*; nam in prioribus verbis malè ecclesia nos doceret illam postulationem,

nem, nisi supponeret, ablutionem scelerum, & remissionem delictorum posse tamquam effectum ex eucharistia provenire, in posteriore censurâ, dum damnatur, remissionem peccatorum esse eucharistiæ fructum, non utcumque, sed præcipuum, vel unicum, insinuatur esse aliqualiter fructū, sed inter alios ex minus præcipuis: Neuter autem locus potest congruè intelligi de peccatis venialibus, quia in primo loco fit mētio scelerum, & delictorū, quibus vocabulis solent significari graviora peccata, non venialia; in secundo Tridentinum censetur damnare illius temporis Sectarios non gratiam, sed remissionem peccatorū eucharistiæ assignantes, loquebantur autem ipsi de lethalibus.

36 His non obstantibus prædicta tertia pars minoris propositionis probatur eludendo utramque dubitandi rationem; ad primam enim dico, verba illius orationis ex terminis nimis probare, ut universim præmonui circà auctoritates Sanctorum Patrum, indigent igitur etiam penes Adversarios, explicatione aliquâ, & limitatione; quantum mea interest, credideri, opportunè intelligi de ablutione scelerum, & remissione delictorum ab eucharistia, aut ut sacrificio, aut, medio opere operantis, & priori intelligentiæ favet, quod oratio verba illa continens recitetur pro vivis, & defunctis, tamquam postcōmunio à Sacerdotibus in missâ, consummato sacrificio. Ad rationem secundam desumptam ex Canone Tridentini, potest talis canon, utcumque intelligi de venialibus, à quibus nos eucharistiæ virtute liberari idem Concilium anteà *cap.2.* tradiderat: Sed esto, de lethalibus procedat, expressè definiendo, horum remissionem non esse eucharistiæ effectum præcipuum, vel unicum, non insinuatur, esse minus præcipuum, sed Concilium nihil voluisse de hoc definire, & meritò, quia cum non esset de hoc controversia Catholicorum cum hæreticis, sed Catholicorum inter se, voluit Concilium dissimulare, & Scholasticorum disputationi relinquere.

37 Minor eadem, quo ad quartam partem, difficilior est, quia ex ratiocinio, in quo magna potest esse varietas, pendet, & Adversarii quidem multipliciter, ac, ut ipsi putant efficaciter pro suo intento, ex naturâ, & institutione, aut specificâ eucharistiæ, aut genericâ Sacramenti deducendo, ratiocinantur, nos verò contendimus, ex hoc capite oppositum non solum negativè ipsorum ratiocinationes solvendo, sustinere, sed & positivis argumentis; ac deductionibus stabilire, sic igitur formo probationem: Ex naturâ, & institutione, sivè genericâ, sivè specificâ sacramenti eucharistiæ non benè deducitur vis, & efficacia ipsius ad causandam aliquando primam gratiam, imò melius, ac probabilius deducitur oppositum; ergo gratiam habitualem primam posse esse eucharistiæ effectum, non constat, ut deductum ex sacramenti naturâ, & institutione; consequentia paret, antecedens quatenus procedit de natura, & institutione generica explicatum, probatumque, in ordine ad quodlibet sacramentum vivorum, suppono *ex precit. §.6. de Sacram. in gen. nu.103. & seqq.* quatenus verò procedit de naturâ, & institutione specifica ipsius eucharistiæ, probatur, quia ex hac habet eucharistia, quod sit instituta sub speciebus cibi, & potus ad significandam, ac per consequens ad causandam gratiam per modum nutritionis, seù refectionis spiritualis, atqui cibus, potus, nutritio corporalis habet vim, & efficaciam reficiendi, ac roborandi in vita corporis hominem vivum, at non faciendi primò vivere, aut à morte excitandi cadaver: ergo eucharistia ex propria ratione cibi, potus, nutritionis sacramentalis habet vim, & efficaciam reficiendi, ac roborandi in vita spirituali hominem jam in ipsa constitutum, at non conferendi mortuo spirituali morte peccati primam vitam spiritualem, seù primam gratiam: Neque dicas in hoc, sicut in aliis multis, non procedere comparationem, & analogiam cibi, potus, nutritionis corporalis ad spiritualem. Contrà enim ex una parte gratis id dicitur, & deberet prius assignari necessitas talis exceptionis, ut assignari solet in aliis, in quibus prædicta comparatio, & analogia non procedit; ex alia parte pro hujusmodi analogia in proposito, & in sensu à nobis intento servanda adest in terminis auctoritas Pii V. in Catechismo, in quo agendo de eucharistiæ effectibus habetur, *Constat quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ità etiam animæ, quæ spiritu non vivit sacra mysteria non prodesse, ac propterea panis, & vini speciem habent, ut significent non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vitâ conservandæ causâ instituta esse.*

39 Dices, ex unâ parte non deesse rationē, ac necessitatem illius exceptionis, & ex aliâ cōfirmationem desumptā à Catechismo, esse apud nos, coherenter ad alibi dicta, infirmā, & vix alicujus roboris: Ratio, & necessitas exceptionis habetur ex diversitate cibi naturalis, seù corporalis à sacramētali, in eo quod ille nō est de se vivens, & à suscipiente vivificatur per hoc, quod ipsius actione vitualî convertatur in propriā substantiā; cibus spiritualis, seù sacramentalis est de se vivens, ut potè spiritualis vitæ fontem cōtinens, & suscipientem in se cōvertit potius, quam ipse in suscipientē convertatur, potest igitur mortuo applicatus ipsum vivificare, quamvis id nō possit proportionaliter cibus corporalis, neque in hoc debet procedere inter utrumque analogia: Confirmatio desumpta à Catechismo infirma probatur, ex eo quod nos ipsi suprà *lib.1. cap.2. §.4 nu.85.* diximus, verba Catechismi, quamvis editi jussu Pii V., continere illorū solum, qui Catechismū cōposuerunt, non ipsius Summi Pontificis auctoritatem, aut definitionē, & sicuti ibi censuimus, nō esse efficax argumentū, quod ex Catechismo desumebatur pro conversione aquæ in vinū, ità non debemus, nunc censere efficax argumentū, quod ex eodē desumitur pro numquam tribuenda eucharistiæ remissione lethaliū. Sed cōtrà: Ut ab hâc posteriore instantiæ parte incipiam, profiteor iterum

40

Non ex natura, & institutione generica, aut specifica sacramenti eucharistiæ.

38

Imò ea specifica habetur oppositū

Notabilis diversitas cibi naturalis à sacramentali.

libenter, verba Catechismi non continere Pontificis definitionem, imò si hanc continerent, argumentum ex ipsis desumptum esset in proposito nimium, inferret quippè fidei certitudinẽ: verùm nec negari potest, quin sint alicujus non contemnendæ auctoritatis, & quin afferant cæteris paribus majorem probabilitatem, quam solam nunc intendimus, & quando suprà pro conversione aquæ in vinum Catechismi verbis non aquievimus, non est, quia non agnosceremus suam ex ipsis probabilitatem tali conversioni accedere, sed quia suppetebat aliundè pro non conversione majoris probabilitatis fundamenta: Deindè eo loco verba Catechismi non erant absoluta, & assertiva, ut in præsenti, sed potius recitativa; videbantur enim (ut patebit ea recolenti *præcit. num.* 85.) solum referre quorumdam Scriptorum sententiam, & judiciũ, ideò minoris erant auctoritatis. Ad aliam, & priorem instantiæ partem dico, quod ex diversitate illa cibi corporalis à spirituali, naturalis à sacramentali haberetur quidẽ aliqua ratio cõgruentiæ pro eucharistiæ virtute ad primam gratiam, & remissionem lethalis, quando aliundè de virtute ipsâ eucharistiæ communicatâ constaret, at non habetur sufficiens ratio absolutæ necessitatis pro eâ, et iam aliundè nõ innotescente, astruendâ, quia non obstante allata unius cibi ab alio diversitate, debet adhuc inter utrumque servari ea tota, quæ potest, analogia, proportio, paritas; & sicuti, quod cibus sacramentalis sit modo infimato vivens, & convertens suscipientem in se, non facit, quod eucharistia possit, per se vivificare à morte peccati, ità nec faciet, quod possit vivificare per accidens, cum ratio viventis, seù vitam continentis, & in se suscipientem convertentis per se, non per accidens illi cibo conveniat.

41

42 Urgebis. Sacramenta mortuorum possunt causare per accidens gratiã secundam, quam causant per se sacramenta vivorum, ergo sacramenta vivorum possunt causare per accidens gratiam primam, quam causant per se sacramenta mortuorum, & sicuti non esset bona hæc illatio, Baptismus non auget vitam per se, ergo neque auget per accidens, ità non est bona illa à nobis facta, eucharistia nõ vivificat à morte peccati per se, ergo neque vivificat per accidens. Confirmatur, ex eo quod neque valet similis illatio in extremâ unctione, quæ tamen est sacramentum vivorũ sicut eucharistia, ergo non est, cur valeat in eucharistiâ ipsâ, quæ ut potè continens totius gratiæ fontem, & extremâ unctione, aliove quolibet sacramento vivorum excellentior, non debet carere aliquâ causandæ gratiæ virtute, quâ extrema unctio, aliudvè sacramentum vivorum non careat. Sed contrà. Concedo antecedens, nego consequentiam, cũ enim gratia secunda contineatur in primâ, nõ prima in secundâ, ex institutione primariâ, quam habent sacramenta mortuorum ad causandam gratiam primam per se, constat eorumdem institutio secundaria, ad causandam gratiã secundam per accidens: non sic ex institutione primariâ, quam habent sacramẽta vivorũ ad causandã per se gratiam secundam, constat, aut benè infertur eorumdẽ institutio secundaria ad causandam per accidens gratiam primam, ut magis explicabamus sæpius *cit.* §.6. *de Sacram. in gen. nu.* 114. Ad confirmationem, permittendo, quod non valeat similis illatio pro extremâ unctione, & quod possit ista causare per accidens primam gratiam, quam ut potè sacramentum vivorũ nequit causare per se, dico, non idcircò idem benè concludi de eucharistiâ, cui nos, non ex ratione specificâ subalternâ sacramenti vivorũ, sed ex suâ ratione specificâ athomâ, negamus virtutem causandi per accidens primam gratiam, eo quod nõ constet de ipsius ad id secundariâ institutione, sicuti de istâ videtur constare pro extremâ unctione, de cujus susceptore Scriptura *Jacobi* 5. ait *Si in peccatis sit remittentur ei*, & cujus effectũ Tridentinum *sess.* 14. *c.* 2. explicat dicens *Delicta, si qua sint, adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*: Etiãsi igitur (quod tamquã datũ, nõ tamquã concessum accipe) sacramentũ vivorum ex suâ ratione communi abstrahat ab eo, quod causet, vel non causet per accidens primam gratiam, & quod aliquod de facto causet, peculiaris est pro eucharistia ratio nõ causandi; Nec obstat continentia fontis gratiæ, & excellẽtia ipsius super alia sacramẽta: Enim verò virtus causandi gratiam in sacramentis tota est ex modo institutionis, & significationis, qui modus ex dictis est in eucharistia totus in ordine ad secundã gratiam.

43

Non valet paritas ab extremâ unctione ad eucharistiam in ordine ad causandam per accidens primam gratiam.

44 Dices aliter: Sacramenta novæ legis cõferunt gratiã non ponentibus obicem, item semper, & omnibus ea ritè suscipientibus; & si quis oppositum dixerit, anathematizatur in Tridentino *sess.* 7. *can.* 6. & 7. atqui accedens ad eucharistiã in lethali, sed bonâ fide, modo explicato *praeced. n.* 29. non ponit obicem, & eam ritè suscipit; ergo taliter accedenti eucharistia conferet gratiam, quæ erit gratia prima, & secum afferens peccati lethalis remissionem, conferet autem, non ex institutione primariâ, & per se, ut supponitur, ergo ex institutione secundariâ, & per accidens: Minor probatur, quia taliter accedens non peccat, imò accedit cum totâ probatione, & dispositione, à Concilio Tridentino *sess.* 13. *cap.* 7. requisitâ, ad communicandum dignè, & cum fructu: Deindè, si taliter accedens non reciperet gratiam, videretur fraudari fiducia, quam quilibet bonâ fide communicans habet de eucharistiæ utilitate, quin & multum detraheretur de bonitate, & misericordia, qua Deus non denegat gratiam facientibus, quod est in se, qua item per sacramenta paravit nobis faciliorẽ viã ad salutem, congruit igitur, ut per quodlibet ipsorũ suppleat aliquã insufficientiam nostræ dispositionis, saltem inculpabiliter putatæ sufficientis. Sed contrà: Concedo majorem, distinguo minorẽ, quæ etiã potest absolutè negari, distinguo inquãm, accedens ad eucharistiam in lethali, sed bonâ fide, non ponit (aut, clarius, non habet) obicem positivum,

45 Communicans in lethali bona fide communicat cum obice negativo, etsi nō positivo.

sitivum, concedo: negativum, nego, & pro notitiâ terminorum repete, quæ dicebamus de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 7. in fine: Rursùs ritè suscipit negativè, quatenus non cum novâ positivâ indignitate concedo, positivè, quatenus cum sufficienti positivâ dispositione nego minorem, & consequentiam; ad minoris probationem, dico, posse accedere cum obice negativo impeditivo effectus sacramenti eum etiam, qui accedendo non peccat, ut eveniret in non baptizato, qui se inculpabiliter baptizatum existimaret, & ad eucharistiam accederet. Ad probationem ex Concilio requisitam, dico, nullam ibi mentionem fieri de ejus sufficientiâ, ad communicandum cum fructu, ex terminis igitur Concilii sufficit illa, ad communicandum sine peccato, & dignè negativè, at non semper ad communicandum dignè positivè, & cum fructu. Ad illud, quod additur de communicantis fiduciâ, &

46 Dei bonitate, ac misericordiâ Esparza *præcit. quæst.* 26. *ad* 4. contraponit, esse maxime indebitam peccatori, imò & divinæ justitiæ peccati lethalis remissionem, & tantumdem debitam ejusdem ultionem, adeò ut proptereà non sit facile favendum fiduciæ communicantis, & bonitati Dei contrà id, quod peccatoris indignitati, & divinæ justitiæ debetur: Absolutè dico, tali fiduciæ, & bonitati sufficere, quod illa non fraudetur, quoties nullus datur ex parte communicantis, nec positivus obex, nec negativus, & quod ista reddat faciliorem per sacramenta viam salutis, modo singulis sacramentis proportionato, non est autem proportionatus eucharistiæ modus ille, supplendi insufficientiam dispositionis pro remissione lethalis. Tandem ad ly *facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam* dico, procedere potissimum de gratia actuali dandâ ex liberâ Dei volitione misericorditer, non de habituali dandâ ex institutione, & ex opere operato infallibiliter.

47 Sic directè resolutâ, quo ad omnes suas partes, instantiâ, redeo ad partem ipsius primam, & principaliorem; eamque dico, & posse in Adversarios retorqueri, & nimis probare. Retorquetur; quia peccatum lethale, etiam inculpabiliter ignoratum, est obex effectui eucharistiæ, ut potè quæ requirit in suscipiente statum gratiæ, huncque verum, non putatum, sicuti Pœnitentia requirit veram, non putatam attritionem, undè sicuti bona fides, qua quis se attritum putet, non sufficit ad effectum Pœnitentiæ, ità nec illa, qua quis se putet in gratia, sufficit ad effectum eucharistiæ, si igitur juxtà Tridentinum sacramenta non conferunt suum effectum accedenti cum obice, consequens est, eucharistiam non conferre suum effectum ei, qui existimans, se esse in gratia, accedit in lethali cum solâ attritione. Nimis probat, quia in non ponente obicem, & habente probationem à Tridentino requisitam, non requiritur ad eucharistiæ effectum attritio, si igitur existens in lethali inculpabiliter ignorato, non poneret obicem, & haberet probationem à Tridentino requisitam, probaretur ex hoc, non esse in sic accedente necessariam pro eucharistiæ effectu attritionem, & sicuti etiam non attritus sacramentum sumeret sine peccato, ità etiam non attritus sumeret cum fructu, quod secundum ipsos Adversarios, saltem secundum majorem ipsorum partem nimium est, & falsum.

48 Dices tandem, in hoc rationū ferè æquilibrio convenientissimum est, aliquam saltem majoris probabilitatis præponderantiam agnoscere in eâ parte, pro qua stat auctoritas D. Thomæ, ista autem in casu hucusque disputato omninò stat pro remissione lethalis ab eucharistiâ, enim verò *hic qu.* 79. *art.* 3. postquam initio dixit, hoc sacramentum secundum se habere virtutem ad remittendum quæcumque peccata; in progressu loquens etiam per comparationem ad eum, qui recipit, assignat duplicem modum, quo potest peccati mortalis remissionem operari. *Uno modo* inquit, *non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primò justificatur à peccato* (hunc modum explicavimus *præced. cap.* 3. §. 2. at est ad rem præsentem impertinens, & in eo sensu, in quo ibi votum explicatur, ex remissione mortalis, ab eucharistiâ percepta in voto, non potest quidquam inferri de remissione ejusdem, ab eucharistia perceptâ in re, seù in actu, etsi alioqui in consuetâ voti acceptione, quod præstat sacramenti votum, multo magis præstare possit sacramenti actus) *Alio modo*, prosequitur S. Doctor, *etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, & affectum non habet: Fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed devotè, & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentū gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Hoc ipsum, & clarius, tradiderat *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. illis verbis *Si aliquis factâ diligenti discussione sua conscientia, quamvis fortè non sufficienti, ad Corpus Christi devotè accedat aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem prætérfugiat, non peccat, imò magis ex vi Sacramenti peccati remissionem consequetur: Undè Augustinus dicit in quodam sermone, quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos*; Ubi observandum est, tùm ly *ex vi Sacramenti*, tùm dictū Augustini, quo suum S. Doctor confirmat, qui etiam anteà *dist.* 7. *qu.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. idem proportionaliter docuerat de Sacramento Confirmationis, & posteà *dist.* 23. *qu.* 1. *art.* 2. idem docens de Extremâ Unctione repetit. *Sicut etiam de Eucharistiâ, & Confirmatione suprà dictum est.*

Auctoritates, quas, ex D. Thoma pro sua sententia Adversarii allegant.

Sed contrà: In primo testimonio ly *consequetur gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati* potest commodè intelligi de gratiâ actuali dilectionis, & charitatis, quæ ab eucharistia causetur in cōmunicante bonâ fide cū lethali, hancq; moveat ad cōtritionē peccati remissivā, adeò ut per consequens Eucharistia primā gratiā peccati remissivam causet mediatè, & medio opere operātis, nō immediatè, ex opere operato, &

49 Patiuntur aliquam pro nostra interpretationem;

efficaciâ purè sacramentali, quod & potest ritè accommodari secundo testimonio, intelligendo per ly *ex vi Sacramenti* vim mediatam, & quamvis ipsa secundi testimonii verba nullum præseferant talis intelligentiæ vestigium, parum id refert, quia, quæ S. Doctor tradit in libris sententiarum, intelligi semper debent in eo sensu, in quo loquitur in Summâ, in quâ aliquando etiam à se alibi dicta retractat; ex hoc capite pariter parùm refert, quod *dist.* 23. de eucharistiâ obiter reperitur, de eucharistiâ inquam; nam de Confirmatione, & Extremâ Unctione nolo nunc rem examinare: Verba Augustini ab ipso S. Doctore memorata Vasquez *hic disp.* 205. *cap.* 5. *num.* 33. ait in Augustino non inveniri: si Augustini sunt intelligi possunt de vivificatione mediatâ, conformiter ad explicationem, quam S. Doctori adhibuimus, quamque textui cohærere probat Vasquez *cap.* 4. *num.* 22. *&* 23. contrà verò contendit, & Vasquii observationes eludere studet Arriaga *præcit. subsec.* 2.

50 In hoc circà mentem D. Thomæ dissidio videtur mihi sufficientissimè concludi, quod non omninò expressè, & indubitatè stet pro Adversariis, cæterum negare vix possum, quin ipsis aliquantulum faveat, & quando, ut in instantiâ objiciebatur, versaremur in rationum æquilibrio, is qualiscumque favor Angelicæ auctoritatis non leviter me moveret, ad agnoscendam aliquam in adversâ opinione probabilitatis præponderantiam; at censeo, rationes, & alia fundamenta multum pro nobis distare ab æquilibrio, & prævalere ambiguitati, aut etiam aliquali contrarietati auctoritatis Divi Thomæ, ad hoc ut meritò possimus in assertâ majori probabilitate persistere, fatendo probabilitatem oppositam etiam ex D. Thomæ auctoritate nonnihil augeri.

51 *Rectè distinguitur triplex ad Eucharistiam accessus, fructuosus, peccaminosus, & neuter.*

Ex dictis habetur, tripliciter posse ad eucharistiam accedi, nimirùm accessu fructuoso, accessu peccaminoso, accessu neutro, & inter duos priores, tamquam inter extremos medio; Accessus fructuosus est, quando in accedente nullus datur gratiæ sacramentalis obex, neque positivus, & culpabilis; neque negativus, & inculpabilis. Accessus peccaminosus est, quando datur obex positivus, & culpabilis; nimirum peccatum lethale cognitum, ut verè in conscientiâ existens actu, vel habitu; & sic accedens dicitur etiam accedere fictè, seù cum fictione. Accessus neuter est, quando datur obex tantum negativus, & inculpabilis, cujusmodi est carentia gratiæ, seù culpa lethalis, sed inculpabiliter, ac invincibiliter ignorata; eadem est ratio de carentiâ characteris baptismi similiter ignota, & ex hâc concedendus est ad eucharistiam accessus neuter independenter ab eo, quod possit, nec ne causare per accidens primam gratiam, & remissionem lethalis: Accedens fructuosè aquirit novam gratiam: accedens peccaminosè committit novum peccatum; accedens neutrè, neque gratiam aquirit, neque peccatum committit: Primus dignè, secundus indignè, tertius dignè in existimatione, indignè in re communicat.

---

§. III.

Quando, & quamdiu Eucharistia gratiam secundam, seù gratiæ augmentum causet?

52 ASSERT. I. Eucharistia causat gratiam secundam, seù gratiæ habitualis augmentum, nec antequam sit sumpta in re, etiamsi sit sumpta in voto, aut præ manibus habeatur; nec dum intrà os sumpta in ipso permanet; nec dum in via ab ore ad stomachum existens per guttur trajicitur; sed cum primum secundùm aliquam sui partem stomachum, seù ventriculum attingere, & ingredi incipit, aut saltem est quasi in gutturis, & stomachi confinio. Prima pars, de eucharistiâ sumpta in voto, est contrà nonnullos, quorum suppresso nomine meminimus in tract. de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 4. *num.* 57. censeri à fortiori potest contrà Sectarios, arbitratos eucharistiam præstare effectum suum, quicumque iste sit, solum excitando fidem, quam certè desiderata, & visu, aut contactu percepta, absque eo quod in re manducetur, excitare potest. Secunda pars est contrà Beccanum *hic cap.* 22. *quæst.* 6. *num.* 2. & aliqualiter contrà Vasquium *disp.* 203. *cap.* 2. *num.* 18. ubi videtur hærere problematicus. Tertia est contrà Suarium *disp.* 63. *sec.* 4. §. *Ut ergo*. Lugum *disp.* 12. *sec.* 2. Arriagam *disp* 41. *sec.* 1. & nonnullos alios ad quos accedit Sylvius *quæst.* 79. *art.* 1. ubi licet absolutè doceat, neminem, nisi Deum, qui efficit, nosse instans, quo eucharistiæ effectus conferantur, addit tamen, probabile esse conferri, quando manducatur, seù deglutitur: Quarta pars contrà præcedentes Auctores est Cajetani *hic quæst.* 79. *art.* 1. Goneti *disp.* 8. *art.* 2. Mastrii *disp.* 3. *quæst.* 17. *art.* 2. *num* 414. Gavatii *disp.* 12. *quæst.* 3. *cap.* 1. Herinex *disp.* 7. *quæst.* 2. *num.* 17. Præpositi *quæst.* 79. *art.* 1. *dub.* 2. Coninchi *art. & dub. cit.* aliorumque plurium, sivè ex Thomistis, sivè ex Scotistis, sivè ex Recentioribus.

53 *Eucharistia non causat gratiam antequam sit sumpta in re.*

Probatur prima asserti pars; quia in præsenti agitur de eucharistia causante gratiam ex efficaciâ sacramentali, & ex opere operato, si autem aliqualiter gratiam causat in voto, aut excitando fidem, antequam sit suscepta in re, causat ex opere operantis, ut quo ad votum tradidimus *præcit.* §. 4. *num.* 60. quo ad fidem habetur à simili, imò à fortiori ex eo quod sacramenti votum, non fides à sacramento excitata, dici soleat aliquo modo, nimirùm spiritualiter, sacramenti susceptio.

Probatur secunda pars: Ex *præced. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *num.* 7. *sumptio* eucharistiæ, ejusque applicatio ad causandam gratiam non habetur saltem de lege ordinariâ aliter, quàm

per

per manducationem, quò ad species panis, & potationem, quò ad species vini; atqui per hoc, quod eucharistia intrà os sumpta in ipso permaneat, non habetur manducatio, si sit intrà os, quò ad species panis, neque potatio, si quò ad species vini, ergo eucharistia per hoc, quod intrà os sumpta in ipso permaneat, non est applicata, ut oportet ad causandam gratiam, ac per consequens, dum sic permanet, gratiam non causat, commune quippè est cuilibet causæ, quod non nisi applicata causet, applicationemque ad causandum requirat, tamquàm conditionem sine quâ non; Probatur minor (in quâ, quod de manducatione dicetur respectu specierum panis, intellige proportionaliter de potatione respectu specierum vini) quia, qui cibum aliquantulum in ore retentum expuit, & ejicit, non dicitur manducasse, nec censetur jejunium naturale, cui manducatio maximè opponitur, solvisse; idque etiamsi talem cibum masticaverit, nam licet manducatio, & manducare, quò ad vocalem solum, deriventur à *Mando*, quod cibum masticare, seù dentibus, & ore atterere significat; quò ad rem, & propriam ad significandum institutionem, important aliquid ampliùs, & manducatio inchoativè ad summum, at nec essentialiter, nec principaliter in masticatione consistit, alioqui animalia, quæ carnes integras vorant, & aves, quæ dentibus carent, & sine ullâ attritione, integra frumenti grana, deglutiunt non dicerentur propriè manducare, & comedere, nec nos ipsi propriè manducaremus particulas consecratas, quas non solemus dentibus atterere, multò minus manducaremus carnes Christi, quæ quatenùs sub speciebus indivisibiliter existunt, nequeunt atteri, aut dividi; insufficienter igitur Vasquez *præcit. cap. 2. num. 17.* ex ætimologiâ verbi *mandugo* infert, negari non posse, species verè manducari, cum sunt in ore, & intrà dentes conteruntur, & quando sic certum esset manducari, videretur posteà cohærentius loqui, si talibus speciebus fructum sacramenti absolutè concederet, nec indefinitum Dei judicio relinqueret, Utrùm qui dignè sumpsit eucharistiam, eamque habens in ore, antequam trajiciat, moritur fructum illius recipiat, an non?

54 Neque dum intrà os sumpta, in ipso existit; aut etiam masticatur, & atteritur dentibus.

55 Porro nos in hoc casu, ex opposito fundamento non veræ manducationis, absolutè sentimus, fructum non recipi, & sententiam confirmamus ex praxi, quia non datur viaticum infirmis, non valentibus deglutire, & quatenus contingat dari, non prævisâ deglutiendi difficultate, aliquo liquore adhibito, sollicitè procuratur deglutio, quod si necesse sit, species ab ore infirmi extrahere, & aliter consumere, aut sinere quod intrà os corrumpantur, non dubito, quin tali infirmo, deglutiendi facilitatem recuperanti, dandum iterum sit viaticum, cujus præcepto per præcedentem sumptionem non satisfecit, sicut nec satisfaceret præcepto communionis paschalis, qui sumptam in paschate eucharistiam non trajiceret, sed ex ore rejiceret, aut in ore corrumperet: Hincque Herinex *præcit. quæst. 2. num. 16.* monet communicantes non debere tenues, quas sumunt species, diutius in ore retinere, ne ipsas exponendo periculo corruptionis, antequam trajiciantur, exponant se pariter periculo carendi ipsarum fructu, addit verò hoc periculum esse majus in speciebus vini, quàm in speciebus panis, quia illæ citiùs evaporant, istæ tardiùs à calore naturali, qui in ore debilior est corrumpuntur.

56 Neque dum existens in via ab ore ad stomachum per guttur trajicitur.

Probatur tertia, & quarta pars; quia manducatio, per quam eucharistia intelligitur applicata ad causandam gratiam, debet esse perfecta, & completa; atqui non est talis, dum per guttur eucharistia trajicitur, sed cum primùm, secundùm aliquam sui partem &c. ergo eucharistia causat gratiam, non dum per guttur trajicitur, sed cum primùm &c. Major patet, quia manducatio est eucharistiæ applicatio, nisi igitur illa sit perfecta, & completa; non erit perfecta, & completa, ut ad causandum esse debet eucharistiæ applicatio: Deindè gratiæ promissio, facta eucharistiam manducantibus, magis propriè intelligitur, si intelligatur de id præstantibus perfectè, & completè: Tandem, si sufficeret manducatio nondum completa, sed adhùc in viâ, & in fieri, non esset assignabile, cur non sufficeret manducatio præcisè inchoata per primum ingressum in guttur, aut etiam per sumptionem in ore, quod tamen jam impugnatum est. Minor probatur; quia dum cibus per guttur trajicitur, est in quodam motu successivo, nec apparet, cur in unâ potius, quàm in alia parte talis motus? cur per correspondentiam ad unam potius, quàm ad aliam partem gutturis dicatur ipsius manducatio perfici: Deindè manducatio est actio ordinata ad nutritionem, nutritionemque proximè, ac immediatè antecedens, non est igitur perfecta, & completa, antequàm cibus perveniat ad locum, in quo per sui alterationem, & corruptionem debet nutritioni inservire, qui locus non est in ullâ parte gutturis, sed in stomacho; solùm igitur quando cibus stomachum attingit, dicitur manducatus, & manducatio perfecta.

Sed cum primùm attingit, & ingreditur stomachû, seù ventriculum.

57 Dices primò guttur duplici parte constare, alterâ externâ, & superiore versus os, alterâ internâ, inferiore versùs stomachum, & dari terminum, ac quasi lineam, unam partem ab alterâ, unum spatium ab altero, dividentem; esto autem cibus, quo usque eo termino non pertransito existit in parte, & spatio superiore, non sit manducatus, & manducatio non sit perfecta; benè talis est cum primùm, eo termino pertransito, incipit existere in parte, & spatio inferiore, quamvis nondum stomachum attingat; ergo loquendo quò ad hoc de Eucharistiâ, ut de aliis cibis, ipsa quoque intelligitur manducata, & ejus manducatio perfecta, cû primùm est in inferiori parte gutturis, in hâc per consequens est sufficienter applicata

ad

ad causandum, & causat, antequam attingat stomachum, seù ventriculum. Sed contrà: In eo, quod cibus intelligatur manducatus, cum primùm pertransiit terminum dividentem partem gutturis inferiorem à superiore, Adversarii ipsis non conveniunt, nam Lugus *præcit. sec.* 2. *num.* 40. requirit cibum, ità pertransiisse, ut non possit ampliùs naturaliter extrahi, & revocari, impugnat verò hoc Arriaga *præcit. sec.* 1. *num.* 4. & ad hoc ut cibus dicatur manducatus, vel non manducatus putat impertinens, quod irrevocabilis, vel revocabilis sit; Quidquid sit de tali dissidio, dico, totum guttur esse spatium, & organum manducationis, non nutritionis; totamque actionem, quæ in qualibet ejus parte exercetur esse manducationem, quæ propterea, quousque cibus in gutture existit, etiamsi existat in spatio interiore, & inferiore, non est facta, & perfecta, sed fit, & perficitur. Neque dicas, per hoc præcisè, quod aliquid cibi, vel potus, ab ore in interiorem gutturis partem trajiciatur, solvitur naturale jejunium, & aquæ gutta v. gr. taliter trajecta, sivè ad stomachum pervenerit, sivè non impedit ex jejunii defectu sumptionem eucharistiæ; ergo quia per talem trajectionem præcisè habetur completa, perfectaque manducatio, & potatio, quæ jejunio naturali, ut *num.* 54. dicebamus opponitur. Contrà enim: Cum à parte imeriori gutturis in stomachum facillimus sit, citissimus, & naturaliter inimpedibilis descensus, quidquid talem partem ingreditur, censetur illicò ad stomachum pervenire, ideò jure censetur naturale jejunium solvere, at non præcisè quia est in interiori gutture, sed quia supponitur illicò stomachum attingere, nec potest de opposito constare: cæterùm constito, aut supposito, quod gutta illa aquæ v. gr. in faucibus, interiorivè gutture remaneret, vel consummeretur, nullatenus stomachum attingendo, salvo meliori judicio, dicerem, nec jejunio naturæ, nec sumptioni eucharistiæ obesse.

58

Manducatio perfecta, & completa in quo consistat?

59

Dices secundò: Eucharistia causat gratiam, dum manducatur, non cum jam manducata est, Christus enim promisit vitam gratiæ manducanti, adeòque ei, qui manducat; non ei, qui manducavit suum Corpus, & sanguinem; atqui cum primùm attingit stomachū, seù cum primò est intrà stomachum, jam manducata est, ergo tunc non causat, aut saltem non incipit tunc causare gratiam, sed antecedenter, dum adhùc existit in gutture, præsertim in ejus extremâ parte inferiore, ex quâ immediatè post erit in stomacho: talis enim pars, & instans ei correspondens est terminus intrinsecus manducationis, in quò propterea ista censeri debet perfecta, & completa intrinsecè, quamvis non extrinsecè. Et verò, quod eucharistia, dum existit in tali parte, & in instanti intrinsecè terminativo manducationis gratiam causet, confirmatur efficaciter aliundè, nimirùm ex eo quod, ut nos ipsi docuimus de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 4. *num.* 69. reliqua sacramenta consistentia in sumptione, & usu, causant gratiam in suo termino intrinseco, quo ipsorum substantia, & usus ultimò perficitur, ac completur, non in termino extrinseco, in quo ultimò perfecta, & completa sunt; ergo eucharistia, quæ quamvis in usu non consistat, in eo tamen, seù in sumptione gratiam causat, debet hanc causare, dum sumptio, & manducatio ultimò perficitur, & est in suo termino intrinsece, non quando est jam perfecta, & in termino extrinseco, quod in idem recidit, ac si dicatur, dum ipsa eucharistia ultimò est in gutture, non dum primò est in stomacho. Sed contrà: Nego antecedens, & quod eucharistia causet gratiam, cum jam manducata est, præter supradicta suadetur, ex eo quod causet cum analogiâ ad nutritionem, nutritio autem ex cibo habetur solùm, cum jam est manducatus. Nec obstat promissio Christi facta manducanti, nam in primis est facta manducanti, manducatione perfectâ, & completâ, etiam extrinsecè, modò explicato. Deindè est facta manducanti, non reduplicativè relatè ad tempus manducationis, sed specificativè relatè ad tempus subsequens, non enim facta est manducationi, ut causæ gratiæ, sed ut conditioni, de cujus ratione non est existere, dum ponitur id, cujus est conditio, sicuti est de ratione causæ (subintellige physicæ) existere, dum ponitur effectus, cujus est causa.

60

Quod Eucharistia causet gratiam dum est in extrema gutturis parte; ac quasi in ipsius, & stomachi confinio.

61

Ad confirmationem fateor ab eâ me nonnihil moveri, & inclinari ad agnoscendam aliquam in eo dicendi modo probabilitatem, quam etiam insinuare volui, dum suprà in fine asserti posui particulas illas, aut saltem est quasi in gutturis, & stomachi confinio; non est tamen hoc necessariò concedendum, aut censendum probabilius; undè ad argumentum pro confirmatione adductum, quatenùs videtur hujusmodi modum suadere, & doctrinam à nobis hucusque traditam destruere, concedo antecedens, nego consequentiam; & eucharistiæ à cæteris sacramentis pro re præsenti disparitas est, quia eucharistia (licèt causet gratiam in sumptione, & usu, & iste per manducationem habeatur) in termino extrinseco manducationis adhùc permanet, adeòque potest physicè operari, reliqua verò sacramenta in termino extrinseco suæ sumptionis primò non sunt, ideò nec possunt physicè operari, debemus igitur reliquis sacramentis tribuere physicam gratiæ causalitatem in termino sumptionis intrinseco, nec possumus tribuere post, at Eucharistiæ possumus, & propter prællatas rationes, probabilius loquendo, debemus, eamdem causalitatem tribuere post intrinsecum sumptionis terminum, & cum ipsius sumptio in manducatione consistens primò non est.

62

Aliquam habet probabilitatē.

63

Circà id, quod usquè modò probatum, ac propugnatum est, eucharistiam causare gratiam, cum primum attingit stomachum, quæstio esse potest. Utrùm per ly *Cum primum* importetur instans, an tempus?

Verùm Eucharistia causet gratiam in tẽpore, in an instanti dum primò attingit punctum, an dum attingit partem stomachi?

tempus? & per ly *Attingit stomachum* importetur contactus in stomachi parte, an in puncto? est autem idem proportionaliter quæstionis locus apud alios Auctores ponentes, eucharistiam gratiam causare, aut cum primùm ingreditur internum spatium gutturis, aut cum primùm pervenit ad extremum, & stomacho immediatum gutturis terminum. Qui continuum sivè permanens, sivè successivum, componunt, aut ex solis indivisibilibus (quæ in continuo successivo instantia, in continuo permanente puncta nominantur) aut ex indivisibilibus simul, & partibus, videant quid respondeant, & unusquisque loquatur, ac sentiat cohærenter ad sua principia: Nos, qui utrumque continuum ex solis partibus proportionalibus, in infinitum divisibilibus, constituimus, dicimus ly *Cum primum* importare brevissimam, determinatam tamen morulam temporis, & ly *attingit stomachum* referri ad modicissimam, sed pariter determinatam stomachi partem, adeò ut eucharistia causet, seù causare incipiat gratiam in quâdam determinatâ brevissimâ morulâ, in quâ secundum quamcumque modicissimam sui partem attingit primam quamdam modicissimam partem stomachi, & perficitur, ac completur secundùm suum terminum extrinsecum manducatio; eo proportionaliter modo, quo de Sacram. in gen. *præcit. num. 69. & seqq.* dicebamus, reliqua sacramenta causare propriam gratiam in determinatâ, brevissimâque morulâ, in quâ perficiuntur, & complentur in se ipsis secundùm suum terminum intrinsecum: Recole, & ad rem præsentem accommoda ibi dicta, nec quidquam supererit in quæstione, quæ, licèt difficilis, ferè tota philosophica est, desiderandum. Interim pro secundâ tituli parte sit

64

Assert. 2. Eucharistia tamdiù causat, & auget gratiam, quamdiù ipsa in stomacho permanet, & dispositio in subjecto augetur. Itâ Cajetanus *hic quæst. 79. art. 1.* Nugnus *eod. art.* Gonetus *disp. 8. art. 2.* Suarez *disp. 63. sec. 7.* Amicus *disp. 25. sec. 2.* Lugus *disp. 12. sec. 2. num. 46.* Coninchus *quæst. 79. art. 1. dub. 2.* Hiqueus *in 4. dist. 8 quæst. 3. num 23.* & tùm aliqui alii Scotistæ, tùm plures Thomistæ, & Recentiores contrà Sotum *in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1.* Ledesmam *1. par. quarti quæst. 20. art. 1.* Vasquium *disp. 203. cap. 2. num. 50.* Tannerum *disp. 5. quæst. 7. dub. 2.* Arriagam *disp. 41. sec. 2.* Esparzam *quæst. 69. ad 4.* Madernum *quæst. 7. art. 3.* Gavatium *disp. 15. quæst. 3. cap. 2.* Herinex *disp. 7. quæst. 2 num 20.*, & alios valdè multos, ex quibus etiam nonnulli sententiam à nobis assertam repræhendunt, tamquàm contrà omnes antiquos sine sufficienti fundamento excogitatam, & solùm circà Cajetani tempora exortam; Verùm antiqui majori ex parte quæstionem dissimularunt, nec positivè adversantur; & quidquid sit, an olim fuerit opinio quasi singularis, ac malè audierit? nunc si non est simpliciter communior, est saltem à tam multis recepta, ut non possit malè audiri, nec repræhendi, cum præsertim pia sit, & ad praxim accommodatissima, undè Mastrius *disp. 3. quæst. 17. art. 2. num. 416.* etsi eam absolutè non amplectatur, sed relinquat sub problemate, ait tamen optime eum facere, qui ob reverentiam tanti sacramenti, disponit se ad recipiendum gratiæ augmentum, quamdiù intrà se ipsum species sacramentales conservat; idem consulit Pontius *disp. 44. quæst. 10. num. 87.*

65

Dixi assertam sententiam fuisse solùm circà tempora Cajetani exortam, quia aut ab ipso Cajetano duxit originem, aut ab Auctoribus ei ferè contemporaneis, nimirùm à Majore, & Gabriele, quibus priùs quàm Cajetano eam sententiam tribuit Suarez *præcit. sec. 7.* in principio, at in ipsis Herinex *præcit. quæst. 2.* in fine ait se nihil simile reperire, & Cajetanum facit primum dictæ sententiæ Auctorem, ut & videtur facere Arriaga *præcit. sec. 2. num. 8.* Ego Majorem, & Gabrielem sicuti non legi, ità non judico, sed referre omitto; fortè enim solùm ex parte assertum positum docuerunt, hincque omitto pariter Paludanum *in 4. dist. 17. quæst. 8.* in fine docentem eucharistiam pro quolibet instanti, pro quo in stomacho permanet, habere vim conferendi gratiam, at dumtaxat si propter obicem non contulerit priùs: Omitto item Ruardum Tapper *art. 15. §. Manifestum* post medium, arbitratum eucharistiam in stomacho permanentem continuò gratiam augere, etiamsi dispositio non augeatur, dummodò subjectum non sit, aut non evadat indispositum: Isti, & si qui cum istis sentiunt, mihi visi sunt omittendi, quia dum ex unâ parte favent, ex aliâ adversantur præfixo asserto, quod, ut jacet,

66

Eucharistia auget gratiam quamdiù ipsa in stomacho permanet, & crescit dispositio subjecti.

Probatur. **Eucharistiæ sacramentum, quo usque in stomacho speciebus incorruptis permanet**, habet ex unâ parte sufficientem virtutem, & applicationem ad causandam gratiam, nam virtutem habet potissimum ex præsentiâ, & continentiâ Christi, qui ex alibi dictis sub speciebus semel consecratis existit, quò usque istæ incorruptæ permanent; applicationem habet, ex eo quod sit manducatum, & per manducationem positum in eo loco, in quo cibus nutritioni deservit; ex aliâ parte operatur ut causa naturalis, quæ in subjecto magis disposito operatur majorem effectum, non solum cum primò applicatur, sed etiam quamdiù applicata remanet, & causa, quæ meliorem effectum produxisset in principio, si invenisset majorem dispositionem, manens applicata majorem producit effectum in medio, vel in fine, pro ut in medio, vel in fine majorem dispositionem invenit: ergo Eucharistiæ Sacramentum, quo usque in stomacho permanet producit majorem successivè gratiam, pro ut majorem successivè invenit dispositionem, quod est idem ac dicere, tamdiù causat, & auget gratiam, quamdiù ipsa &c. Quod si dispositio non augeatur, nec augebitur successivè gratia, sicuti nec causa natu-

ralis

ralis producit novum, majoremvè effectum, non adveniente novâ, majorivè dispositione, juxtà illud tritum Idem manens idem semper facit idem. Confirmatur hoc totum ex analogiâ, & proportione cibi, ac potus naturalis, qui tamdiù naturali nutritioni inservit, & vitam corporalem corroborat, quamdiù in stomacho permanet, & calor naturalis in ipsum agit; cum igitur eucharistia sit per modum cibi, ac potus instituta, nostraque ad ipsam dispositio, & cooperatio se habeat, ut caloris naturalis in cibum, ac potum actio, consequens est, quod ipsa quoque tamdiù nutritione supernaturali augeat vitam gratiæ, quamdiù in stomacho permanet, & nostra dispositio augetur; subintellige, vel intensivè per novos bonos actus, vel extensivè per continuationem priorum; quod si neutro modo augeatur, sed cesset omnis nostra dispositio, cessabit pariter gratiæ augmentum, & eucharistiæ, quamvis in stomacho permanentis, causalitas; sicuti cessante omni actione caloris naturalis cessat omnis ex cibo, ac potu, quamvis in stomacho permanente, nutritio, & vitæ corporalis corroboratio.

67

Omni dispositione cessante, etiamsi eucharistia permaneat, gratiam non auget.

Dices primò, totam hanc probationem præseferre aliquam congruentiam pro assertâ eucharistiæ efficaciâ, & causalitate explicandâ; supposito quod ista aliundè constaret, at non continere sufficientem necessitatem asserendi, & inducendi ipsam, si aliundè non constat, ut re verâ non constat, neque ex Scripturâ, neque ex traditione, neque ex definitione ecclesiæ, neque ex naturâ, & institutione, ex quibus solis capitibus constare sufficienter potest de eucharistiæ efficaciâ, & causalitate in ordine ad novam gratiam, quemadmodum nos ipsi argumentabamur suprà *num.* 33. & *seqq.* probando, eucharistiam non habere virtutem, & efficaciam causandi gratiam primam peccati mortalis remissivam. Sed contrà; Dico, assertam efficaciam, & causalitatem constare ex naturâ, & institutione, secundum quam eucharistia habet rationem cibi, ac potus, & est sacramentum etiam post manducationem, sumptionemve permanens; ex his autem duobus principiis formatam, deductamque esse totam nostram præcedentem probationem ultrò fatebitur, quisquis eam aliquali attentione perlegerit. Neque dicas, esse quidem optima, & valida duo hæc principia benè intellecta, at nostram deductionem ex ipsis non benè intellectis procedere, nam analogia cibi, & potus est tantùm in eo, quod Christi corpus, & sanguis sub speciebus cibi, & potus sumantur, gratiamque per modû alimenti significent, non in aliis conditionibus, alioqui in proposito inferretur, eucharistiam non solum quamdiù est in stomacho, sed multo magis, postquam est corrupta, gratiam augere, quia cibus corporalis, maximè postquam est corruptus, nutrit. Aliud principium de sacramenti eucharistiæ permanentiâ procedit de ipsius substantia, non de sumptione, & usu, & tamen gratia sumptioni, & usui promissa est, quò ad gratiæ igitur causalitatem idem sentiendum de eucharistiâ, quod de aliis sacramentis in sumptione, & usu consistentibus, quæ omnia semel, & totam simul suam gratiam causant; nec ipsam augent, etiamsi post sumptionem augeatur in subjecto dispositio. Contrà enim; Sicuti præfixum assertum solùm probabilius, non de fide, aut theologicè certum reputo, ità ejus probationem protuli, non ut evidenter, & demonstrativè, sed ut valdè probabiliter, ac congruenter, nec non ex meliori, quamvis non unicâ prædictorum principiorum intelligentiâ, deductâ & quatenùs talem eam sustinendo;

68

Ad primam impugnationem; dico, & *ex præced. num.* 41. repeto, prædictam analogiam debere servari, quantùm potest, etsi non possit servari in omnibus simpliciter, & signanter non in eo, quod eucharistia causet gratiam, etiam postquam est corrupta, sicuti nutrit, postquam est corruptus cibus corporalis; Enim verò iste, postquam est corruptus, adhùc remanet secundum aliquid suæ substantiæ, in quâ, seu per quam habetur nutritio, at postquàm eucharistia est corrupta, nihil in stomacho remanet de substantiâ Christi, à quâ potissimum debet causari gratia, & nutritio sacramentalis; Deinde cibus corporalis nutrit per conversionem sui in substantiam viventis, cibus eucharisticus, ut *præced. num.* 39. & alibi attigimus, potius per conversionem sumentis in substantiam propriam: bene autem potest, quod jam est corruptum in aliud converti, an non aliud in se convertere; ideò &c.

69

Cur corporalis, non eucharisticus cibus nutriat post quàm est corruptus?

Ad secundam impugnationem, jam suprà *num.* 61., & 62., dictum est, quomodò gratia sit promissa manducationi, sumptioni, & usui, absque eo quod, quò ad gratiæ causalitatem, idem sit de eucharistiâ, quod de aliis sacramentis in sumptione, & usu consistentibus sentiendum; & sicuti ibi dicebamus, eucharistiam, non alia sacramenta, causare gratiam in extrinseco sumptionis termino, quia ipsa, & nullù aliud sacramentum in tali extrinseco termino permanet, ità quatenùs ipsa, & nullum aliud sacramentum permanet etiam ulteriùs post talem terminum, poterit etiam ulteriùs gratiam causare, etsi nullum aliud sacramentum id possit Nec mirum, quod reliqua sacramenta semel, & totam simul suam gratiam producant, cum semel, & unico instanti habeant perfectum, & completum esse; secùs eucharistia, quæ ex istâ institutione, & naturâ durat aliquo tempore in esse perfecto, & completo postquam istud semel habuit, imò postquàm fuit perfectè, & completè manducata.

70

Eucharistia à sacramentis aliis diversificatur quò ad gratiam in usu causandum.

Urgebis ex Arriagâ *præcit. sec.* 2. *n.* 10. Antè Cajetanum, aliosvè Auctores ei ferè contemporaneos, fideles, & Scholastici optimè intellexerunt totam eucharistiæ institutionem, ejus ad cibum corporalem analogiam, & à cæteris sacramentis in ratione permanentiæ diversitatem; & tamen nullam fecerunt mentionem virtutis, & efficaciæ ad causan-

71

causandam gratiam, quamdiù post sumptionem in stomacho remanet incorrupta: Imò etiam nunc, si constaret, quod Christus, ut certè potuit, noluerit talem virtutē, & efficaciam eucharistię tribuere, adhùc benè intelligeretur, subsistere tota prædicta institutio, analogia, & diversitas; ergo ex his capitibus non habetur sufficiens deductio, ac necessitas talis virtutis, & efficacię, cumque nec habeatur aliundè, recurrit, & remanet in roboro argumentum ab initio instantiæ factum. Sed contrà: Argumentū, ut potè negativum est ex genere suo infirmum, & quod Antiquiores Scholasticę nullam fecerint mentionem virtutis, & efficacię, de quâ modo agitur, non evincit, hanc fuisse ab omnibus, aut negatam, aut ignoratam. Deindè cum Mysteria fidei reddita fuerint successu temporis explicatiora, non est mirum, quod eodem successu facta ex illis fuerit aliqua deductio, aut simpliciter, aut quò ad majoris explicationis, ac probabilitatis modum nova; & talis esse potuit ea, quam nunc asserimus, & sine quâ intelligi quidem potuit Eucharistię institutio, ad corporalem cibum analogia, à reliquis sacramentis diversitas, ac non æquè benè, & ęquè congruenter, ac cum ipsâ; & quando nunc constaret oppositum, cōstaret pariter Christum noluisse Eucharistiam instituere cum omni majore congruitate, cum quâ potuisset, quæ tamen major congruitas, dum de opposito non constat servari, & astrui debet, quantum potest, ideò &c.

72

73

Argumēta ab absurdis contrà virtutem eucharistię ad conferendū effectum toto tempore, quo in stomacho permanet.

Dices secundò, ex eo quod eucharistia causet, & augeat gratiam, quousque in stomacho permanet, sequi plura valdè difficilia, & aliquā absurdi speciem præseferentia: Sequitur primò, peccantem lethaliter, dum adhùc eucharistiam in stomacho retinet, ponere obicem gratiæ sacramentali, & contrahere malitiam sacrilegii, sicut si in lethali communicasset, adeòque sicut tenetur in statu gratiæ communicare, ità teneri statum gratiæ servari toto tempore, quo post communionem species remanent incorruptę. Sequitur secundò, toto eodem tempore teneri communicantem servare jejunium naturale, nam ex D. Thomâ *hic quæst. 80. art. 8. ad 6.* tale jejunium servandum est antè sumptionem, quia in sumptione percipitur sacramenti effectus; servandum est igitur ulterius toto eo tempore, quo idem effectus percipitur post sumptionē. Sequitur tertiò, communicantem in lethali posse consequi eucharistię effectum, si antequam species in stomacho corrumpantur, sui peccati obicē per pænitentiam auferat. Sequitur quartò, Eucharistiam per hoc, quod in stomacho existat, esse sufficienter applicatam ad suum effectum conferendum, & hunc collaturā, etiamsi miraculosè ponatur in stomacho, aliter quàm per manducationem. Sequitur quintò, conferri posse etiam adultis eucharistię effectum sine libero ipsius usu, conservatio enim ejus in stomacho, aut è contrà ejus digestio non est libera hominis actio, imò nec proprius Sacramēti usus. Sequitur sextò, sumentem in communione hostiam grandiorem, aut plures simul particulas consequi ex hoc præcisè majorem gratiam, quia ex hoc pręcisè diutiùs remanet species in stomacho, quod Esparza *præcit. resp. ad 4.* reputat magnum inconveniens, eo quod ex honestissimo alioqui majoris gratię motivo inducat fideles ad avidè desiderandum, aut etiam solicitè curandum aliquid cōtrarium ritui Ecclesiæ, omnibus communicantibus, æquales, exiguas, & singulis singulas particulas ministrantis. Ecce in quot ambages, perplexitates, difficultates asserta doctrina nos conjicit, & quidē, quod pejus est, sponte, ut ità dicam, ac volentes, dum illam nulla certâ, & absolutâ necessitate coacti, sed dumtaxat majoris congruitatis, & probabilitatis specie allecti amplectimur. Sed contrà: Non possum his terriculamentis retrahi ab eo, quod utilitati, pietatique fidelium, dignitati, naturæ, institutioni Sacramenti magis est consonum: Ideò

74

Solvitur primū desumptum ab obligatione manendi toto eo tempore in statu gratiæ.

Ad primum. Dico, gratiam sacramentalem, quam Eucharistia causat, ut permanens in stomacho, non esse ejus infallibilem, & primarium effectum, sed pendere à subsequente dispositione cōmunicanti omninò liberâ, & sicuti ponerè tali gratiæ obicem negativum, cessando ab actibus ad ipsam disponentibus, non est lethale sacrilegium, ità eidem ponere obicem positivum, peccando lethaliter, non addit peccato, quod committitur peculiarem lethalis sacrilegii malitiam; ex obice igitur, qui ponitur gratiæ sacramentali non est eadem necessitas non peccandi, dum eucharistia in stomacho permanet, ac dum per manducationem in stomacho ponitur. Aliundè tamen, idest ex injuriâ, & irreverentiâ, quæ fit Christo intimè præsenti, & peculiariter unito, facile cōcedam, peccantem lethaliter post communionem, dum adhuc habet species in stomacho incorruptas, contrahere ex hoc novam malitiam lethalis sacrilegii, ut concedunt in præsenti Suarez *præcit. sec. 7.* propè finem, & Amicus *præcit. sec. 2. num. 42.*, & colligi potest à fortiori ex supradictis *cap. 2. §. 4. nu. 61.*

75

Solvitur secundum desumptū ab obligatione servandi toto eodē tempore jejunium naturæ.

Ad secundū. Negatâ necessitate servandi toto eo tempore jejunium naturale, repeto ex nuper dictis, effectum sacramēti, qui percipitur in sumptione, idest per nos, cū species primò attingunt stomachū, est effectus infallibilis, & omninò primarius, non sic effectus, qui percipitur tempore sequenti, & quia jejunium cōmunionem antecedens ad priorem effectum conducit, jejunium subsequens ad posteriorem, benè S. Doctor ex effectu sacramenti in sumptione infert antecedentis jejunii necessitatē, absque eo quod possit, ex effectu post sumptionē continuato inferri eadē necessitas jejunii subsequentis, quamvis certè sit maxima congruentia, etiā istud servandi per aliquod tēpus, & saltem quo usque species in stomacho perseverant; imò *ibid.* D. Thomas observat, consuevisse olim multò diutiùs servari.

76

Ad tertium, Suarez loco pręcit. sequelam absolutè concedit, & id reputatum Christi benignitate maxime dignum, tùm humanæ

Solvitur tertium de sumptum à peccato indignæ communionis retractatio dum adhue species perseverant.

fragilitati maximè accommodatum: Nec propterea licitè quis poterit communicare in lethali, si habeat animum confitendi statim post communionem, antequàm species corrumpantur: Non propterea in quam id licitè quis poterit, adhuc enim peccabit, tùm contrà præceptum positivum, quo habens conscientiam lethalis tenetur communioni confessionem præmittere; tum contrà obligationem non ponendi obicem gratiæ sacramentali pro eo tempore, pro quo Sacramentum est institutum ad eam primò, & infallibiliter causandam, quod respectu Eucharistiæ est tempus sumptionis, seu perventionis ad stomachum, non permanentiæ in eodem, ut habetur *ex præced. nu.*74. Si quis tamen in priore sequelâ scrupulum sentiat, poterit eam negare, dicendo, eucharistiam, quamdiu in stomacho permanet, causare gratiam solùm, quando fuit suscepta dignè, & cœpit habere suum effectum ab initio, cæterùm subsequentem ablationem obicis ab initio reperti, sicuti non facit, quod eucharistia fuerit dignè suscepta, ità non prodesse ad ipsius effectus; Qui hoc posterius magis approbaverit, poterit consequenter dicere, communicantem indignè non teneri posteà, dum species permaneant, quam primùm pœnitere, ne peccatum appositi ad sacramentalem gratiam obicis aggravet, obicemque ipsum, quem posset per pœnitentiam auferre continuet; Qui verò magis approbaverit prius, & prædictam sequelam concesserit, probabiliùs agnoscet in indignè communicante obligationem, quàm primum pœnitendi, quo usque species perseverant, ut insinuat Lugus *præcit. sec.*2. *num.*59. in fine, & Suarez etiam fatetur, quamvis addat, posse hominem ob inadvertentiam facilè excusari.

77

Solvitur quartum de sumptu ab Eucharistia in stomacho posita aliter, quàm per manducationem.

Ad quartum. Dico in primis, posse non sine aliquâ probabilitate sequelam permitti, ut Auctores in eam propendentes affertendo attigimus suprà *lib.*1. *cap.*3. §.1. *num* 8. Admittendo deindè, eam melius negari, dico eucharistiam nō per hoc præcisè, quod in stomacho existat, esse sufficienter applicatam, sed requiri, quod sit in stomacho posita modo ordinario, libero, & per manducationem, hancque esse Sacramento, nō quidem virtutem agendi, sed conditionem, sine quâ sacramentum ipsum non agit.

78

Solvitur quintum de sumptum à libero eucharistiæ usu.

Ad quintum. Nego absolutè sequelam, quia liber usus adhuc requiritur, saltem antecedenter, ad hoc ut eucharistia ponatur in stomacho: Deindè, postquam in stomacho posita est, quamvis eius cōservatio, aut digestio non sit actio nobis libera, benè talis est nostra cooperatio, & dispositio, sine quâ per nos eucharistia in stomacho permanens gratiam non causat; hujusmodi autem cooperatio, & dispositio dici potest usus Eucharistiæ affectivus, & si non effectivus; vel quò ad ipsius efficaciam, & si non quo ad entitatem: Undè præsens sequela procedit ad summum contrà sentientes, eucharistiam in stomacho permanentem, successivè gratiam augere, etiamsi nulla accedat nova dispositio, at ex hac parte, nobis novam successivè dispositionem requirentibus, favet; & sicuti nova dispositio, neque in dormiente, neque in valdè distracto reperitur, ità à nobis facilè explicatur, quomodò neque dormiens, neque valde distractus novam successivè gratiam ex Christi Domini præsentiâ, & suscepti sacramenti permanentiâ, consequatur.

79

Solvitur sextum de sumptum ab abusu procurādi in communione grandiores hostias aut plures particulas.

Ad sextum. Nego pariter sequelam; quia non ex hoc præcisè, quod species in stomacho diutiùs remaneant, maior gratia causatur, sed ut sæpiùs decantatum est, ex eo quod simul major successivè dispositio succedat, quæ quidem, si tota ponatur brevioris temporis spatio, tantam gratiam consequetur is, cui minus, ac is, cui plus species in stomacho perseverant, siguidem non per se, & præcisè ex quantitate specierum, sed per accidens, & ex dispositione liberè adjunctâ species magis perseverantes majorem gratiam causant, ex majoris gratiæ desiderio debent fideles excitari, ad augendas, & accelerandas in communione dispositiones, non verò, ut contendebat Esparza, induei ad exquirendas contrà Ecclesiæ ritum grandiores hostias, aut plures particulas, qui abusus fuit olim, ut referunt Suarez *præcit. sec.* 7. paulò post initium, & Herinex *præcit. quæst.* 2. in fine damnatus ab Inquisitoribus in Hispania; & nuper hic Romæ ab Innocentio XI. in decreto circà Communionem quotidianam edito sub die 12. Februarii 1679. in quo Episcopis, & Parochis injungitur, ut inter alia admoneant *nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas*: Sed de hoc aliquid iterum §. *seq.* præsertim *num.* 90. & 91.

Ex dictis habetur coronis, quæ Adversarij nobis objiciunt, tamquàm absurda, & incommoda, aliqua; nimirùm tertium, & quartum, probabiliter talia non esse; & dato quod omnia talia sint, nullum concludenter deduci ex nostri secundi asserti doctrinâ legitime expositâ.

---

§. IV.

Quantam Eucharistia gratiam causet? Et utrum majorem per majores, aut plures ejusdem rationis species?

80

Quomodo assignabile, vel non assignabile sit, quanta gratia eucharistia causet?

ASSERT. 1. Nequit determinatè assignari, quanta sit, seu quot sint gradus gratiæ, quam eucharistia, absolutè loquendo, causat; Cōparativè tamen ad alia sacramenta, aut ad subjecti dispositiones, rectè dicitur, ipsâ, cæteris paribus, causare gratiā majorem, quam ullum aliud Sacramentum, præsertim iterabile, item eo majorem, quò subjectum est magis dispositum, sivè antecedenter, sivè concomitanter, non solùm ad manducationē, sed etiam ad permanentiam specierū in stomacho. Hoc assertum, quo ad postremas particulas, de dispositionibus comitantibus permanentiā specierū

in

in ſtomacho, eſt corollarium doctrinæ nuper traditæ §. *præced.*, quò ad reliqua eſt quaſi compeadium eorum, quæ dicebamus de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 7. quo ex loco repetenda eſt ejus probatio, & explicatio; nec non obiter deducendum, quod ſicuti ibi *num.* 125. tradebatur omnes, qui baptizantur antè uſum rationis, reportare æqualem, at minimam, quam baptiſmus conferat gratiã, ità ex Euchariſtiã, ſi etiam parvulis ante uſum rationis, ut olim dabatur, daretur, iſti conſequeter omnes gratiam æqualem, at minimam, quam euchariſtia conferat, minoremque omni eã, quam ſolet conſequi quilibet adultus ſine obice communicans.

81 *Species ſacramentales quænam ſint ejuſdem,*

Ecce breviter, ſed ſufficienter expeditam primam tituli partem, pergo ad ſecundam, in quã per ſpecies ejuſdem rationis intelligo ſpecies panis ad alias ſpecies panis; ſpecias vini ad alias ſpecies vini comparatas; verè enim inter ſe, tùm illæ, tùm iſtæ ejuſdem rationis formaliter, & ſacramentaliter ſunt, ejuſdem quippè rationis gratiam ſecundum omnes ſignificant, & eodem modo Chriſti Domini ſubſtantiam continent, quamvis aliquando contingat, eſſe diverſæ rationis materialiter, & relatè ad ſubſtantias proprias, quatenùs v. gr. quædam ſint ſpecies vini albi; quædam rubei; quædam panis azymi, quædam fermentati; at hoc impertinenter ſe habet ad præſens intentũ, in quo nomine ſpecierum diverſæ rationis veniunt ſpecies panis, comparatæ ad ſpecies vini; iſtæ enim ab illis habent aliquam, etiam in ratione ſacramenti, diverſitatem, quæ ſecundùm nonnullos eſt ſpecifica, & penes ſignificationem diverſæ gratiæ ſacramentalis, quamvis ſecundum nos non ſit propriè ſpecifica, nec penes ſignificationẽ ſacramentalis, ſed ſolum penes rem ſignificantem, & continentiam Chriſti Domini, ut ſuppono *ex lib. præced. cap.* 8. §. 1.

Quænam diverſæ rationis,

82 Porrò inter ſpecies ejuſdem rationis, ſpecies majores ſunt. V. gr. grandiores hoſtiæ, ſpecies plures ſunt v. gr. plures particulæ, aut plures partes ejuſdem hoſtiæ diviſæ, & ſeparatæ, quæ quidem particulæ, aut partes hoſtiæ, ſi ſint diviſæ, & ſeparatæ etiam moraliter, adeò ut non cenſeantur unus cibus, ſunt plura numero, etiam moraliter ſacramenta, ſi phyſicè dumtaxat, ſunt plura numero ſacramenta ſolùm phyſicè, ut explicatum eſt *eod. cap.* 8. §. 2. De hujuſmodi ſpeciebus, ſivè grãdioribus, ſivè pluribus, quod eſt idem, ac de majori quantitate ſpecierũ, ſivè continuã, ſivè diſcreta ſtatuendum eſt, utrùm per ſe conferant ad majorem proportionaliter quantitatem gratiæ? Loquendo de pluribus, etiam quando ſumuntur ſucceſſivè, una poſt aliam, ſucceſſione tamen, & poſterioritate phyſicã dumtaxat, ac non notabili, nam ſi hæc ſit etiam moralis, & cum magnã notabiliter interruptione, erunt ſimpliciter diverſa numero ſacramenta, & diverſæ communiones, quã ratione certum eſt, plures ſpecies cauſare plures effectus, gratiamque per ſe augere, alioqui eſſet per ſe inutile ad euchariſtiam pluries in vitã, & frequenter accedere.

83 *Major quãtitas ſivè continua, ſivè diſcreta ſpecierũ nil per ſe confert ad majorẽ quantitatẽ gratiæ.*

Aſſert. 2. Euchariſtia non cauſat per ſe majorem gratiam, neque per majores, neque per plures ejuſdem rationis ſpecies, etiam ſucceſſivè ſumptas; quod eſt idem ac dicere, major quantitas ſpecierum ſacramentalium, ſivè continua, ſivè diſcreta, per ſe nil confert ad majorem quantitatem ſacramentalis gratiæ. Hoc aſſertum eſt ad mentem D. Thomæ *hic quæſt.* 79. *art.* 7. *ad* 3. traditur ex profeſſo à Suario *diſp.* 63. *ſec.* 5. & à Lauræa *diſp.* 26. *art.* 1. *nu.* 9., ſupponitur verò obiter ferè ab omnibus, dum hoc idem tractant de ſpeciebus diverſæ rationis; ſolùm videntur aliqualiter adverſari ſentientes, Euchariſtiam quamdiù in ſtomacho permanet (permanet autem diutiùs, quò ſpecies ſunt grandiores, aut plures) gratiam augere per ſe, & independenter ab eo, quod ſubjecti diſpoſitio augeatur, ut ſenſit Ruardus Tapper relatus præced. num. 65. cui favent Arriaga *diſp.* 41. *ſec.* 2. *num.* 11. & Madernus *quæſt.* 7. *art.* 3. *num.* 8. contendentes, euchariſtiam in ſtomacho permanentem, ſi auget ſuccedente novã diſpoſitione gratiam, augere per ſe, & augmentum aliquod, & ſi minus, collaturam, etiam quando nova diſpoſitio non ſuccedet.

84 Probatur aſſertum. Euchariſtia cauſat per ſe gratiam juxtà ſpecierum ſignificationem, & virtutem cauſandi in ipſis contentam; atqui ſpecies ejuſdem rationis, ex eo quod ſint majores, aut plures, etiam ſucceſſivè ſumptæ, nec ſignificant diverſam, majoremvè gratiam, nec continent majorem gratiæ cauſandæ virtutem, ergo euchariſtia non cauſat per ſe majorem gratiam, neque per majores &c. Major patet, quia commune eſt ſacramentis cauſare per ſe gratiam, quam ſignificant, & cujus cauſandæ virtutem habent: Minor probatur, quia ſpecies, ſicuti ſunt ejuſdem rationis, ità habent ejuſdem rationis ſignificationem, & ex eo quod ſint majores, aut plures, etiam ſucceſſivè ſumptæ modo explicato, ſicuti non ſunt majus ſacramentum, aut plura ſacramenta; ità nec habent majorem ſignificationem, aut plures ſignificationes in ordine ad majorem gratiam, aut plures gratias: Non continent item majorem gratiæ cauſandæ virtutem, quia hæc attenditur penes præſentiam Chriſti Domini, fontis omnis gratiæ, Chriſtus autem eſt præſens totus ſub hoſtiã parvã, æquè ac ſub grandiore, ſub unã particula, æquè ac ſub pluribus etiam ſucceſſivè: Nec refert, quod ſub pluribus ſit præſens pluries; Nam ly *pluries* ſicuti nil plurificat de Chriſti ſubſtantiã, & entitate; ità nec de virtute gratiæ cauſativa: deindè Chriſtus eſt ſuo modo præſens pluries etiam in pluribus partibus continuis unius, ejuſdemque hoſtiæ, utrumque exiguæ. Confirmatur ad cauſandam majorem gratiam nil per ſe confert, quod ſpecies ſacramentales ſint majores intenſivè, ſint ſcilicèt magis intenſæ in colore, in ſapore, &c.

ergo pariter nil confert, quod sint majores extensivè, magis scilicèt extensæ in quantitare,

85 Dices: Eucharistia causat gratiam majorem per majores, aut plures species, si illam causat per species secundùm se totas, seù secundùm quamlibet ipsarum partem, atqui verè causat per species secundùm se totas; ergo verè causat grariam majorem per species majores, aut plures: Major videtur clara, quia si secundùm quamlibet partem specierum causat gratiam, cuilibet parti specierum correspondet suus gradus gratiæ, & ubi sunt plures specierum partes, plures causantur gratiæ gradus, sunt autem plures specierum partes, ubi sunt majores; aut plures species, Minor probatur primò, quia reliqua Sacramenta, vt suppono *ex lib. 2. de Sacram. in gen. cap.4. §.4. num.74.* causant gratiam se totis, ergo multò magis Sacramentum Eucharistiæ, quod est reliquis perfectius, & babet totum suum esse simul, quod non habent reliqua Sacramenta, ut potè in successiuo consistentia. Secundo, quia si non causat secundùm se totam, seù secundùm totas species, non esset secundùm se totam efficax, utilis, & fructuosa, quod maximè apparet absurdum in pluribus particulis successiuè sumptis, in quibus omnes aliæ à primâ sumerentur sine nouo gratię effectu, & haberent rationem panis communis potiùs, quàm sacramenti.

86 *In quo sensu sacramenta causẽt gratiam se totis?* Sed contrà; Tota instantia laborat in ęquiuoco, & solùm indiget legitimâ terminorum explicatione, pro quâ adverto primò, dum alibi dictum est, sacramenta causare gratiam se totis, sensum non fuisse, quod causent unum gradum gratiæ secundùm unam, alium secundùm aliam sui partẽ; sed quod debeant habere totam suam perfectionem essentialem, antequàm causent, & secundùm illam per modum unius sumptam causare, idque ad brevissimam distinctionem reduci potest, dicendo, sacramenta causare gratiam se totis indivisibiliter, non divisibiliter. Adverto secundò, aliud esse sacramentum eucharistiæ causare se toto, aliud causare secundùm totas species, cum enim in quâlibet parte specierum, sicuti est totus Christus, ità sit aliquo modo totum eucharistiæ sacramentum, rectè dici posset, causare se toto gratiam, quàm secundùm aliquam specierum partem, non secundùm totas species causaret. Adverto tertiò, quod sicuti reliqua sacramenta dicuntur causare, & quidem physicè, se totis per hoc, quod omnes ipsorum partes faciant unum cum parte vltimâ, secundùm quam solam existunt, dum causant, ità eucharistia dici potest, causare etiam secundùm totas species per hoc, quod aliæ specierum partes habeant rationem vnius cum eâ, quæ primò est applicata ad causandum, licèt aliæ nondum sint ratione sui applicatæ, & cum posteà successiuè applicantur, nouam gratiam non conferant. His animaduersis, & ad doctrinam positam *præcis.* §. 4. consequentibus.

87 Ad instantiam directè; posset, datâ majore, negari absolutè minor, & adhùc juxta secundam animadversionem salvaretur, eucharistiæ sacramentum causare gratiam se toto: Sed meliùs distinguo majorem; Eucharistia causat gratiam majorem &c. si causat per species, secundùm se totas, seù secundum quaslibet partes divisibiliter, & quasi seorsim sumptas concedo; si causat per species secundùm se totas, at sumptas indivisibiliter, & ut habentes rationem unius, nego majorem; atquè verè causat per species secundùm se totas, seù secundùm quaslibet ipsarum partes sumptas indivisibiliter, & ut habentes rationem unius. concedo; sumptas divisibiliter, & quasi seorsim, nego minorem, & consequentiam, distinctionisque intelligentiam suppono ex nuper dictis in primâ, & tertiâ animadversione, ex quibus simul constat, quid dicendum sit ad utramque minoris probationẽ, & ad secundam singillatim addo, in pluribus particulis successivè sumptis, alias à primâ, præter utilitatem per se, quam habent, quatenùs faciendo unum cum primâ, censentur, eamdem gratiam, quam prima causat, causare; posse quoque, licèt per accidens, habere utilitatem respectu novæ gratiæ, quatenùs, si dum successivè sumuntur, subjecti dispositio continuò augeatur, etiam novam successivè gratiam stomachũ attingendo, seù ingrediendo singulæ per accidens conferent, & effectum, quem per se causant indivisibiliter, poterunt per accidens causare, etiam divisibiliter.

In quo sẽsu id præstet etiam Eucharistia?

88 Urgebis; impugnando principalem instantiæ solutionem, & doctrinam tertiæ animadversionis; Dum ex pluribus particulis successivè sumptis prima ad stomachum perveniens gratiam causat, reliquæ, ut potè nec dum sumptæ, nec dum stomachum pertingentes, non sunt adhùc ad gratiam causandam applicatæ; ergo nõ possunt dici causare simul cum primâ, & quatenùs faciunt cum illâ unum; ergo ex hoc capite non salvatur ulla ipsarum utilitas, & efficacia. Accedit, quod si in proposito deberet servari aliqua ad reliquorum sacramentorũ partes analogia, sicuti à reliquis sacramẽtis gratia causatur, quando ultima, non quando prima ipsorum pars ponitur; ità ab eucharistia causanda esset, quando ultima, non quando prima ex pluribus particulis successivè sumptis, aut etiam ex ejusdem hostię partibus ad stomachum pervenit, cum quâ reliquæ particulæ, aut hostiæ partes, utpotè adhùc in stomacho permanentes, & ad causandum applicatæ, bene intelligerẽtur simul causare, & per modum unius se habere.

89 Sed contrà: distinguo antecedens; dum ex pluribus &c. reliquę non sunt adhùc ad causandum applicatæ, ratione sui præcisè cõcedo, ratione totius, seù unius, quod faciunt cum primâ nego; & dico, hoc eodem modo esse sumptas, manducatas, & stomachum pertingentes, quàmvis nec, dum taliter se habentur, seorsim, ac ratione sui. Neque dicas: ergo si supponamus, Sacerdotem successivè sumentem partes hostiæ, sump-

sumpta prima parte subitò mori, aliæ partes in altari relictæ simul cum prima causassent in illo sacerdote gratiam sacramentalem. Contra enim, causassent ratione totius, quod faciebant cum prima, non ratione sui seorsim, qua ratione postea sunt relictæ, ideò non causassent ea ratione, qua sunt relictæ, quod solum esset absurdum. Ad illud, quod addebatur de reliquorum sacramentorum analogia, dico, ipsa, ut potè in usu consistentia, solum in ultima, non in prima, aut aliqua alia sui usus parte esse essentialiter completa, ideò in ea sola posse operari, & esse sufficienter ad operandum applicata: eucharistia verò ut potè permanens, & in usu non consistens est ante usum essentialiter completa, & statim ac secundum aliquam specierum partem ingreditur stomachum, est sufficienter applicata ad operandum, nec debet expectari, quod ad stomachum pertingat secundum ultimam specierum partem, alioqui in præcedenti suppositione sacerdos, qui sumpta prima hostiæ parte decederet, omni sacramenti effectu privaretur.

Cur reliqua sacramenta causent solùm quando ponitur ultima ipsorũ pars, eucharistia statim ac est secundum primã partem applicata.

90 Urgebis aliter impugnando singillatim id, quod ultimo loco in principalis instantiæ solutione addebatur. Gratiam, quam eucharistia causat dependenter a subjecti dispositione, adhuc causat per se, nec causat per accidens, ex eo quod subjecti dispositio accedat; atqui per nos ex dictis eo ultimo loco, eucharistia, per plures particulas successivè sumptas, causat novam, majoremque gratiam, si subjecti dispositio continuò augeatur, quod est idem, ac dicere dependenter à majori subjecti dispositione: ergo eucharistia, per plures particulas successivè, sumptas causat, seu causare potest majorem gratiam per se: Major probatur, quia est per se, quod eucharistia aliquam in subjecto dispositionem ad gratiam causandam requirat, & quod agens naturale, ad cujus modum eucharistia operatur in subjecto magis disposito producat majorem effectum: & hinc obiter contra supra dicta §. *præced.* probari potest, eucharistiam diutiùs in stomaco permanentem augere per se gratiam, quam ex ibi dictis successivè aliquandò auget, nec ex eo, quod dispositionem successivè majorem ad hoc requirat, benè inferri, quod augeat solum per accidens; Undè, & in proposito sic potest ulteriùs argui: Species grandiores, aut plures diutiùs in stomacho permanent, quàm minores, aut pauciores, atqui eucharistia diutiùs in stomacho permanens majorem gratiam per se causat, ergo pariter majorem gratiam per se causat per species grandiores, aut plures. Sed contrà: Subjecti ad sacramentum dispositio, alia est simpliciter necessaria, sine qua sacramentum omni caret effectu, & tota sua significatione frustratur; hujusmodi est respectu eucharistiæ status gratiæ, & aliqua voluntas, seu intentio eam suscipiendi: Alia est necessaria secundum quid, seu utilis, sine ipsa tamen subsistit sacramenti effectus, & significatio;

91

hujusmodi est respectu eucharistiæ actualis devotio, & quilibet virtutis actus: Prior dispositio cadit sub obligatione culpæ lethalis & per se requiritur: posterior est accedenti ad sacramentum omninò libera, ex supererogatione, & accidentaliter ponitur. Hinc ad instantiam distinguo majorem, gratiam quam eucharistia dependenter a subjecti dispositione simpliciter necessaria, & per se requisita, causat per se, concedo; dependenter à subjecti dispositione necessaria secundum quid, & communicanti omninò libera, nego; hujus autem secundi generis est dispositio, quæ successivè augetur, dum per plures particulas successivè sumitur, aut diutiùs in stomacho permanet, ideò adhibita eadem distinctione ad minorem, nego consequentiam, & similiter alias illationes subsequenter factas contra præcedentis, aut præsentis paragraphi doctrinam, pro qua etiam à fortiori militant, quæcumq; mox *seq.* §. dicemus de speciebus diversæ rationis ostendentes eucharistiam per utramque simul panis, & vini speciem, non causare per se loquendo minorem gratiam, quam per alterutram seorsim. Sit igitur

Cum quanam subjecti dispositione eucharistia causet gratiam per se cum quanã causet per accidens.

---

§. V.

Utrùm Eucharistia saltem majorem gratiam causet per diversa, quàm per ejusdem rationis species?

ASSERT. Eucharistia non causat per se loquendo majorem gratiam per diversæ, quàm per ejusdem rationis species & cæteris paribus, tantam quis gratiam reportat ex communione sub unica, & alterutra seorsim panis, vel vini specie, quantam ex communione sub duplici, & utraque simul. Ita Cajetanus *hic quæst.*80.*art.*12. Nugnus, & Sylvius *eod. art.* Sotus *in* 4.*dist.*12.*qu.*1.*art.*12. Gonetus *disp.*8.*art.*4. & reliqui Thomistæ; ex Scotistis Gavatius, Herinex *disp.* 7.*quæst.*3. Lauræa *disp.*26 *art.*1.*num.*8. & plures alii ex Recentioribus Suarez *disput.*63.*sect.*6. Coninchus *qu.*80.*art.*1.*dub.*2. Amicus *disp.*25 *sect.*3. Arriaga *disput.*42.*sect* 4. Espatza *lib.*10. *quæst.*69. Madernus *quæst.*7.*art.*4. & cum tota Thomistarum schola, majoriq; Scotistarum parte cæteri Scholastici, sivè antiqui, sivè recentes magis communiter contra Alensem *in* 4.*qu.*11 *membr.*2. *art.*4. §.3. Casalium *lib.*2. *de cæna, & calice Domini*. Arboreum *in cap.* 6. *Joann.* Vasquium *hic disp.*215.*cap.*2. Gasparem Hurtadum *disput.*10.*difficult.*6 Præpositum *qu.*80.*art.*12.*dub.*3. Lugum *disp.*12.*sect.*3. & ex Scotistis Mastrium *disp.*3. *quæst.*17. *num.* 407. Pontium, Hiqueum &c. Sicque asserta sententia est procul dubiò communior, atque receptior, præsertim post Tridentinum & exortum antea, damnatumque errorem, quo communio sub unica specie rejiciebatur; nihilominus sententia assertæ opposita non est adeò Sectatoribus destituta, aut Tridentino malè cohærens, proditoriè errori

92 Eucaristia cæteris paribus per utrãq; speciem non causet majorem gratiam, quam per alterutram.

Sententia opposita est minùs probabilis, at nullam meretur cẽsuram.

tori favens, ut mereator aliquam censuram, quam propterea immeritò à nonnullis Recentioribus ei inuri, fatentur cæteri communiter, & signanter Amicus *n.* 57. ac Gonetus *nu.* 63. clariùs verò Suarez §. *Conclusio ergo*, & Herinex *nu.* 21.

93 Ex eo, quod in asserto mox posito Thomistæ conveniant, vix relinquitur locus dubitandi, quin pro eo steterit Sanctus ipsorum Doctor, & Doctor, cujus tamen ex professo non memini, quia nullibi, quod sciam, rem ex professo tractat, sed solum indirectè, & obiter mentem suam insinuat *hic quæst.* 80. *art.* 12 *ad* 3. quatenùs ait, non sequi aliquod detrimentum, ex eo, quod à populo corpus sine sanguine sumatur, & aliquantò magis *opusc.* 58. *cap.* 29. circa finem, ubi habet hæc verba, *Sicut sumit sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi, & est eis tam utilis, & tam dulcis, ut sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de calice.*

94 Probatur assertum primò: Species diversæ rationis non causant diversæ rationis gratiam, ergo in ordine ad hanc causandam se habent, ut species ejusdem rationis, ergo non causant per se loquendo majorem gratiam illæ, quàm istæ; & sicuti istæ per se, & cæteris paribus tantam gratiam conferunt singulæ, quantam duæ, vel plures: tantam una, quantam alia, ita & illæ, adeò ut per se, & cæteris paribus, sicuti tantam gratiam consequitur, qui unam solam, ac qui duas particulas sumit, tantam, qui unam, ac qui aliam; ita tantam consequatur, qui solas species panis, aut solas species vini, ac qui ambas, tantam item, qui unas, ac qui alias; ergo à primo ad ultimum eucharistia non causat, per se loquendo, majorem gratiam &c. consequentia patet, quia si diversæ rationis gratiam non causant, in ordine ad gratiam causandam accidentaliter omninò, & impertinenter se habet, quod diversæ rationis sint, ac per consequens in ordine ad gratiam causandam non se habent aliter quàm species ejusdem rationis, sed ut ipsæ; & sive inter se, sive cum ipsis comparentur, non majorem gratiam causant, quàm ipsæ, sub eâdem proportionaliter comparatione consideratæ: Antecedens probatur: Species, sive diversæ, sive ejusdem rationis sint, causant gratiam, quam significant: atqui species diversæ rationis non significant gratiam diversæ rationis: ergo. Minor propositio, in qua est tota argumenti difficultas, & cum adversariis controversia probatur, ex eo, quod species diversæ rationis non habent significationem sacramentalem diversam, & eucharistiæ sacramentum, quatenus ex re significante, & significatione componitur, nullam habet sub diversis speciebus diversitatem specificam, nequidem partialem, est sub diversis, æquè, ac sub iisdem speciebus, idem specificè sacramentum, totum, ac integrum sub alterutrâ diversarum specierum seorsim, ut ostensum est *lib. præced. cap.* 8. §. 1. *nu.* 16. *& seqq.* ubi simul soluta sunt argumenta pro diversâ in diversis speciebus gratiæ significatione militantia, quæ opportunè, importunè hic ab Adversariis urgentur, at nos omittimus, ne actum agamus, recolantur igitur, quo ad hoc punctum, ibi dicta, dum ego prosequor reliqua ad assertam doctrinam pertinentia, & ulteriorem ejus, tum probationem, tum à contrariis argumentis aliundè militantibus propugnationem subjicio.

Species eucharistiæ diversæ rationis non habent diversam significationem, nec significant diversâ gratiam.

95 Probatur secundò: Non est tribuenda eucharistiæ virtus causandi etiam per diversæ rationis species diversam, & majorem gratiam, sine peculiari necessitate; neq; hæc est asserenda, nisi deducatur ex scriptura, Traditione, Definitione ecclesiæ, aut natura, & institutione sacramenti; atqui nulla est hujusmodi necessitas, quæ taliter deducatur; ergo non est tribuenda eucharistiæ &c. Major quoad primam partem constat ex regulâ generalissimâ, non multiplicandi, nec diversificandi sine necessitate entitates; quo ad secundam infertur ex doctrina omnium sacramentorum effectibus communi, de qua in præcedentibus sæpè, maximè verò *num.* 33. Minor probatur, discurrendo per singula quatuor capita: & quidem, quò ad duo priora, scripturam scilicet, & traditionem, Adversarii ipsi nihil proferunt, ex quo contendant, deduci in diversæ rationis speciebus virtutem causandi diversam, majoremve gratiam; imo cum Christus *Jo.* 6. promittat vitam æternam sumentibus species panis, seorsim, æque ac sumentibus species panis, & vini simul, dicendo de illis, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, sicut de istis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, ex Scriptura aliqualiter deducitur, quod species diversæ rationis habeant similem potiùs, quam diversum effectum, & quod in unâ sit tanta, quanta in utrâque virtus causandi gratiam, quâ ad vitam æternam perducamur. Cum item suprà *cap.* 3. §. 6. *num.* 123. *&* 124. retulerimus, ab Apostolorum temporibus, & Christianæ Religionis initio viguisse consuetudinem communicandi aliquandò sub utraque, aliquandò sub unica specie, habetur non leve indicium, & primitivæ ecclesiæ fideles, & Apostolos ipsos existimasse, non minorem gratiam communicantes sub unica, quàm communicantes sub utraque specie reportare; quod est ex traditione deduci convenientiam negandi potius, quam necessitatem tribuendi eucharistiæ virtutem causandi per diversæ rationis species diversam, majoremve gratiam.

Opponitur ex nullo capite satis deducitur,

Idest neq; ex Scriptura,

Neq; ex Traditione;

96 Quo ad tertium caput, ecclesiæ scilicet definitionem, ex ista vix aliquid amplius, quàm ex Scriptura pro se deducunt Adversarii: Proferunt tamen auctoritatem Clementis VI. qui concedendo Regi Galliæ (aliqui, ut Vasquez *præcit. cap.* 2. *num.* 8. ponunt pro Rege Galliæ Regem Angliæ, sed

aut

nil refert, & fortè fuit error Amanuensis, aut Typographi) usum etiam calicis, & utriusque speciei in Bulla concessionis, ait, *Concedimus, ut quotiescumq; volueritis, liceat communicare sub utraque specie, ad augmentum gratiæ*, sentit igitur Summus Pontifex, ex utraque specie majorem gratiam reportari, quàm ex unica. Proferunt insuper Tridentinum *sess. 21. cap. 3.* dicẽs, *Quod ad fructum attinet nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt*, quibus verbis videtur supponere, accipientes unicam speciem defraudari aliqua gratia, at non necessaria ad salutem, quod ponit ad insinuandum unius speciei acceptione impleri communionis præceptum, cujus observantia est ad salutem necessaria, & transgressio, ut potè lethaliter peccaminosa gratia ad salutem necessaria privat: cæterum voluisse Concilium illud primum supponere, vehementer confirmatur, ex eo, quod Franciscus Blanco Archiepiscopus Compostellanus, qui Tridentino interfuit, refert, id fuisse unanimem Patrum Concilii sententiam, sed definitum expresse non fuisse, ne hæreticis daretur extra tempus occasio vociferandi. Nihilominus, ut ab hoc postremo incipiam, vel Lugus *præcitat. sect. 3. num. 68.* ubi ex Compostellano id profert, vel inquam Lugus malè Compostellanum retulit, vel Compostellanus falsum protulit, cum alioqui incredibile sit, Tridentinos Patres repentè conspirasse in sententiam ad ea usque tempora à paucissimis traditam, imò constet oppositũ sensisse plures, qui in Tridentino claruerunt, puta Petrũ Soto, Alphonsum à Castro, Hesselanum, Catharinum, Salmeronem ipsum Concilii Præsidem Hosium, & alios, quorum meminit Herinex *præcit. qu. 3. nu. 22.* ubi propterea cum Arriaga *disp. 42. sect. 2.* vehementer miratur, vel citationem Lugi, vel relationem Compostellani, alterutram apertè falsam reputans: Hinc igitur nullum adminiculum jure prætenditur pro adducta Tridentini interpretatione in favorem sententiæ oppositæ, aliundè verò ea interpretatio est parum congrua, tùm quia reddit Concilii locutionem valdè impropriam, sicuti esset valdè impropria locutio, qua diceretur nulla gratia ad salutem necessaria defraudari eum, qui audit missam in die festo, aut aliud præceptum implet; tum quia non est conformis contextui, nam ly, *Quod ad fructum attinet*, nequit aptè referri ad impletionem præcepti communicandi, cum hęc non sit eucharistię fructus: Ideò melius Concilium intelligitur, si favendo nostræ sententiæ, dicatur sensum ipsius esse, quod nullo gratiæ augmento defraudentur, qui unam speciem solam accipiunt, & benè posse gratiæ augmentum venire nomine gratię necessarię ad salutem, quia verè ad hanc conducit, licet sine eo possit hæc haberi, adeoque est gratia verè ad salutem necessaria secundum quid, licet non simpliciter, & fortè Concilium usum est tali modo loquendi obscuriore, & minus usitato, ut præsenti controversiæ, quæ ex tunc inter Catholicos vigebat, & nunc adhuc viget, locum relinqueret, nec in ea quidquam clarè definiret,

97 Neque ex ecclesiæ definitione;

98

Ad auctoritatem primò ab Adversariis prolatam ex Clemente VI. dico ly *Ad augmentum gratiæ* supponere pro augmento obtinendo ex opere operantis, & sensum esse, quod Pontifex concedat Regi illud privilegium sub spe, & confidentia, quod ab utraque specie expressius Christi passionem repræsentante, sit excitandus ad majorem devotionem, ferventioresque actus charitatis, quibus gratiæ augmentum promereatur.; & quando Pontifex fuisset locutus de augmento ex opere operato, non deberet intelligi cæteris paribus, sed supposita majori Regis dispositione, ad quam ipsa privilegii concessione videbatur ipsum hortari; Accedit, quod debet ibi Pontifex considerari, ut privatus Doctor sensus suum proferens, non ut caput ecclesię ex cathedrâ loquens, atque definiens: ejus autem, ut privati Doctoris auctoritati contraponi potest auctoritas Concilii Moguntini sub Sebastiano *cap. 32.* dicentis, *Jam nec hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub unâ specie communicandi morem ad salutem sumentium æque utilem, ac efficacem esse, quam alterum sub utrâque*, quod Concilium, etsi dumtaxat Provinciale, nec à Sede Apostolicâ confirmatum, adhuc propter graves Patres in eo congregatos, & communem sensum, quem supponit in verbis illis, *Nec quisquam fidelis dubitare debet*, facit auctoritatem non contemnendam, nec postponendam Pontificis, ut privati Doctoris sententiæ.

99 Neque ex natura, & institutione sacramenti.

Quo ad quartum caput: majorem habemus cum Adverseriis concertationem, quia sicuti nos nostram, ita ipsi suam opinionem volunt, ex eo maximè deduci: ex naturâ scilicet, & institutione eucharistici sacramenti, sicuti nos arguimus; non esse majorem utriusque, quàm unius speciei effectum, ita ex eâdem mer ipsi majorem, diversumque esse arguunt; & licet ex hac parte ipsorum argumenta desinant in diversitatem specificam sacramenti, diversamque gratiæ significationem, quam putant ex natura, & institutione suâ habere diversæ rationis species, adeoq; ut *præced. n. 94.* observavimus, supponi possint alibi soluta; nihilominus re melius consideratâ, censui, non esse dissimulanda ea, quæ sub proprijs hujus loci terminis exposita peculiarem difficultatem, doctrinamvè continent; & malo aliqua aliàs tradita denuò attingere, quàm aliqua alia intacta omninò præterire: Idque præstò libenter etiam, ex eo quod Adversariorum argumenta rejiciendo fiet nobis opportunum obiter contra ipsos arguere, & positivè ostendere, quomodò ex naturâ, & institutione sacramenti nostra melius, quàm ipsorum opinio deducatur.

100

Dices primò: eucharistia est instituta sub ratione spiritualis convivii, in quo species panis, & Christi corpus significant; & causant gratiam nutrientem ad modum spiritualis

tualis cibi, species vini, & Christi sanguis gratiam nutrientem ad modum spiritualis potus; atqui in convivio materiali cibus, & potus sunt res diversæ, diversosque effectus causant, cibus famem, potus, sitim satiat, unus non præstat idem, quod alter, nec alteruter idem, quod uterque; solum item in utroque, non in alterutro habetur convivii materialis totalitas, & integritas; ergo in convivio spirituali eucharistico gratia nutriens ad modum cibi, & gratia nutriens ad modum potus sunt diversæ; species illam, & species istam causans, causant effectus diversos, non una eumdem, quem altera &c. solum item in utraq; specie, non in alterutra habetur totalitas, & integritas convivii spiritualis eucharistici; ergo ex eucharistiæ institutione, & proportione convivij spiritualis ad materiale deducitur, eucharistiam per diversæ rationis species causare, & significare diversas gratias, majoremque gratiam reportari ex cōmunione sub utraq; quam sub alterutra specie; imo sub alterutra non sumi totum, & integrum sacramentum. Sed contra; ut tradidi *lib præced. cap.* 8. §. 1. *nu.* 20. & in proposito eleganter prosequitur Esparza *præcis. qu.* 69. *ab art.* 3. *ad* 7. sicuti fames, & sitis spiritualis non sunt diversi appetitus, ita cibus, & potus spiritualis non debent esse diversæ, sed una, & eadem famem simul, ac sitim explet cibus simul & potus est: nec est, cur hoc videatur mirū in spiritualibus, cum etiam in corporalibus aliquod simile vestigium appareat, idemq; lac infantibus, tamquam cibus, & potus inserviat: Hinc unico ictu tota instantia diruitur: & in significatione gratiæ ad modum cibi, & ad modum potus, quamvis ex parte rei signifi.ātis, & modi significandi detur diversitas, gratia ipsa significata diversa in se non est: sed quæ per modum cibi nutrit, & famem spiritualē depellit, nutrit una simul per modum potus, & depellit spiritualem sitim, sicq; repeto, quod dicam *præcis* §. *n.* 38. & dico iterum, spiritualie eucharistiæ convivium, quatenus per gratiam spiritualiter nutrit, habere suam totalitatem, & integritatem etiam in singulis speciebus seorsim, unam speciē præstare idem, quod præstat altera: alterutrā tantum, quantum utraque, nec posse in hoc servari convivii spiritualis cum corporali paritatem, propter famis à siti, cibi à potu distinctionē, diversitatemq; in corporalibus communiter repertam, non in spiritualibus.

101 *In spiritualibus non differt fames à siti, nec cibus à potu.*

Gratia, quæ est effectus eucharistiæ habet una, & eadem ratione cibi, & potus.

102 Dices secundò, & simul urgebis, ac instabis, præcedentem instantiam species panis significant, & conferunt simul cum gratia habituali auxilia actualia diversa ab iis, quæ correspondent speciebus vini; ergo gratia per utrasq; species significata, quamvis non sit diversa en̄titative, & physicè est diversa, ut sacramentalis, cum ex dictis suo loco gratiæ sacramentales, tùm ab invicem, tùm à nō sacramentalibus differant tantùm per hoc, quod secū n ferant auxilia actualia diversa; quidquid igitur sit de analogia cibi, & potus; diversæ rationis species in eucharistiæ sacramento significant gratias sacramentales diversas, & una confert aliquos gratiæ habitualis gradus, cum jure ad talia auxilia actualia; alia alios, cum jure ad alia auxilia diversa: Probatur antecedens, quia, sicuti panis cor hominis confortat, vinum lætificat, ita auxilia consequentia species panis dantur ad spirituale animi robur, consequentia species vini ad spiritualem lætitiam juxtà illud, quod ecclesia Auctore D. Thomâ canit,

Dedit fragilibus Corporis ferculum,
Dedit, & tristibus Sanguinis poculum.

103 Sed contra: Dici in primis potest, non omnem diversitatem auxiliorum actualium inferre novos, & distinctos gradus gratiæ habitualis, & species vini posse habere pro effectu peculiaria gratiæ actualis auxilia, superaddendo istorum jus gratiæ habituali, jam antecedenter per species panis collatæ, non simul cum actuali jure novam gratiam habitualem conferendo, & juxtà hanc doctrinam, quam aliqualiter approbant Arriaga *disput.* 42. *sect.* 3. *num.* 15. & Aversa *quæst.* 7. *sect.* 3. posset concessio instantiæ antecedente, negari consequentia: Puto tamen, esse absolutè melius, & ad nostra principia conformius, si negetur antecedens, ad cujus probationem dico, per quamlibet speciem ex parte rei significatæ conferri auxilia, pro spirituali robore, tùm pro spirituali lætitia, quamvis ex parte rei significantis, & modò significandi, melius, & expressius priora auxilia respondeant speciei panis, & Christi corpori, posteriora speciei vini, & Christi sanguini, sicque per quamdam accommodationem ad rem significantem, & modum significandi Divus Thomas posuit, & ecclesia canit in Hymno Sanctissimi Sacramenti illud, *Dedit fragilibus* &c. Cæterùm cum spirituales tristitias, & concupiscentiæ ardores patiantur laici, æquè ac sacerdotes, malè concederetur solis sacerdotibus species conferens auxilia lætificantia, & refrigerantia; Cum item etiam laici, sub solâ specie panis communicantes, à Sanctis Patribus dicantur, in eucharistiæ sumptione lætificari, imò inebriari, signum est, ex sensu Sanctorum Patrum speciem ipsam panis causare effectus proprios potus, pro quo mira sunt, & egregia verba Paschasii *lib. de corp. & sangu. Domini cap.* 20. dicentis *illo cibo* (de eucharistico loquitur) *interiorem hominem inebriari*.

Species eucharistiæ diversæ rationis non solùm non causant distinctas gratias habituales, sed nec diversa auxilia actualia.

Dices tertiò: Species panis significant, ac continent formaliter, & vi verborum solùm Christi corpus, species vini solùm Christi sanguinem; illæ ratione solius corporis, istæ ratione solius sanguinis significant, & causant gratiam, ergo sicuti significatio, & virtus causandi, ita gratia significata, & causata non est respectu utriusque speciei eadem. Vel aliter subsumo sic, atqui Christus ipse ap-

pel-

pellat suum corpus dumtaxat cibum, suum sanguinem dumtaxat potum, ait scilicet Jo. 6. *Caro mea verè est cibus; Sanguis meus verè est potus*; Item *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem*; ergo gratia, quam significant, & causant Christi corpus, & species panis, habet solam rationem cibi, alia solam rationem potus, ac per consequens una est ab alia diversa; & una ab unâ, alia ab aliâ specie causatur; non eadem à quâlibet, aut ab utrâque. Sed contrà: Circà hujus instantiæ materiem, & difficultatem.

105 Adverto, & *ex lib. praced. cap. 7. §. 11. & 12.* suppono, omnes intèr se Scholasticos convenire, quod Christus sit sub quâlibet specie totus, at secundum aliqua formaliter, secundum aliqua concomitanter; hoc supposito discrepant, utrùm Christus sic in sacramento existens concurrat ad causandam gratiam sacramentalem, solum secundum ea, quæ habet sub quâlibet specie formaliter, an totus, & secundum ea etiam, quæ concomitanter. Primum docere solent, qui tribuunt eucharistiæ diversum sub diversis speciebus effectum, & sub ambabus majorem, quam sub singulis, ac præterea in id consentiunt aliqui etiam ex nostri asserti Auctoribus, inter quos Amicus *pracit. sec. 3. num. 67.* Secundum tradunt ferè quicumque alii pro nostro asserto stantes, & inter alios magis distinctè Cajetanus *pracit. art. 12.* Gonetus *pracit. art. 4. num. 65.* Herinex *pracit. quast. 3. num. 27.* Suarez *pracit. sec. 6. §. Ad secundum* Juxtà hunc posteriorem dicendi modum, neganda est absolutè, antecèdentis in instantiâ positi, secunda pars: Vel ad subsumptum, omissa minore subsumptâ, & primâ consequentiâ, quatenus procedit de Christi corpore, & sanguine, neganda est eadem consequentia, & ulterior illatio, quatenus procedit de speciebus, dicendumque adhuc, à quâlibet specie eamdem gratiam causari, quia quælibet species causat in virtute corporis simul, & sanguinis, quamvis quælibet species contineat unum dumtaxat formaliter, alterum concomitanter, non formaliter utrumque. Porrò quod sacramentaliter gratiam Christus causet secundum se totum, & secundum ea etiam, quæ sub speciebus existunt solum concomitanter, suadetur non leviter ex Tridentino, cujus verbis suprà *num. 96.* relatis hæc præponuntur *Declarat Sancta Synodus, fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac proptereà, quod ad fructum attinet nullâ gratia* &c. Ecce Tridentina Synodus, ex eo quod Christus sub alterâ tantum specie totus existat, infert eos, qui unicam, seù alteram tantum speciem accipiunt, nulla gratia defraudari, sed tantam gratiam consequi, quantam si acciperent utramque, quæ illatio esset prorsus inefficax, quoties Christus existens totus sub qualibet specie non concurreret totus ad gratiam causandam, sed solum secundum ea, secundum quæ existit formaliter, & quæ non sunt sub quâlibet specie eadem; ergo verè totus concurrit; & confirmatur, ex eo quia modus existendi sub speciebus formaliter, vel concomitanter, videtur per accidens se habere ad causandam gratiam, nam ea etiam, quæ ponuntur sub speciebus concomitanter, secundum præsentem institutionem semper ponuntur, verè sub illis existunt, & retinent, æquè ac, quæ ponuntur formaliter, veram unionem ad divinum suppositum, à quo derivatur omnis gratiæ causandæ virtus. Totus hic dicendi modus probabilis est, & benè solvit instantiam, in quâ versamur, verùm quia suprà *lib. 1. cap. 8. §. 1. num. 21.* nonnihil obiter ab eo recessimus, non potest nunc omninò placere; ideò alium priorem dicendi modum amplector, & tribuendo causalitatem gratiæ jis solum, quæ Christus sub speciebus habet formaliter; ac vi verborum aliter solvo difficultatem; &

106 *Christus in Eucharistia secundum aliquos causat gratiâ se toto:*

Sed melius dicitur, quod causet tantum secundum ea, quæ habet sub speciebus vi verborum.

107 Ad instantiam directè, concedo totum antecedens, nego consequentiam: Vel ad subsumptum concedo minorem subsumptam, nego pariter consequentiam, aut distinguo; ergo gratia quam significant, & causant Christi corpus, & species panis habet solam rationem cibi, ex parte rei significantis, & modi significandi concedo, ex parte rei significatæ, & sui, nego consequentiam simul cum reliquis illationibus. Neque dicas, Sacramenta causant, sicut significant, ergo eucharistia sub specie panis causat gratiam solum per modum cibi, si eam solum per modum cibi significat: Contrà enim; in primis dici solet, & debet sacramenta causant, quod significant, non sicut significant; Vel, si vis, ità loqui, ly *Sicut* importabit conformitatem inter rem significatam, & rem causatam, non inter modum significandi, & modum causandi, aut modum significandi, & rem significatam, atque causatam.

In quo sensu sacramenta causent sicut significant.

108 Ad fundamentum positum *praced. num. 106.* pro tribuendâ causalitate gratiæ jis etiam, quæ sunt sub qualibet specie concomitanter, dici potest, Tridentinum inferre ly *Quod ad fructum attinet* &c. ex eo quod immediatius præcedit, nimicum ex eo quod sub alterâ tantum specie sumatur verum sacramentum; non simul ex illo alio, non ità immediato, quod sub alterâ tantum specie sumatur totus atque integer Christus. Ad confirmationem, dico, quod modus existendi sub speciebus formaliter, vel concomitanter, sicut non se habet per accidens ad constituendum eucharistiæ sacramentum, quod quidem ex jis, quæ formaliter non ex jis; quæ concomitanter sub speciebus existunt constituitur, ità nec se habet per accidens ad causandam gratiam sacramentalem, quæ ut talis, idest ut effectus sacramenti causari potest ab jis solum, quæ sunt de sacramenti essentiâ, & Sacramentum constituunt, adeòque ponuntur sub speciebus formaliter; ea

verò, quæ ponuntur concomitanter, etsi secundum præsentem institutionem, verè, ac semper ponantur, divinoque supposito sint unita, ex hoc sicuti non habent eucharistiæ Sacramentum constituere, ità nec eucharistiæ gratiam causare, modò eucharistiæ proprio, de quo statim: Ideò

109

Urgebis, dicendo, nostram hanc doctrinam nimium probare, & parum cohærere antecedenter dictis: Nimium probat, probat enim Christum Dominum ad eucharistiæ gratiam causandam non concurrere secundum divinitatem, & personam Verbi, cum secundum utramque ponatur sub speciebus concomitanter, non formaliter; Parum cohæret antecedenter dictis, quia suprà passim, & signanter *num.* 84. diximus, virtutem causandi gratiam in Eucharistiæ sacramento attendi penes præsentiam Christi Domini, & ex eo quod Christus sit totus, etiam sub qualibet hostiâ modicissimâ, deduximus, tantam ex istâ, quantam ex aliâ grandiore gratiam reportari; quânam igitur doctrinæ cohærentiâ, nunc similiter astruimus, tantam gratiam reportari ex alterâ dumtaxat, quantam ex utrâque diversæ rationis specie, & tamen nolumus hoc benè deduci, ex eo quod etiam sub alterâ dumtaxat specie sit totus, atque integer Christus. Sed contrà. Ad primum dico, quodlibet sacramentum esse causam instrumentalem particularem suæ gratiæ, & Christum Dominum secundum divinitatem esse causam principalem universalem gratiæ omnium sacramentorum, nostra doctrina hanc secundam gratiæ eucharisticæ causalitatem à Christi divinitate non excludendo probat, Christum secundum eamdem non exercere causalitatem instrumentalem particularem, quam exercet secundum corpus, & sanguinem, quod verissimum, non nimium est. Ad secundum, cum aliquando diximus, virtutem causandi gratiam in eucharistiæ sacramento attendi penes præsentiam Christi Domini, locuti sumus potissimum de virtute fontali, & principali, vi cujus, tùm ipsum eucharistiæ sacramentum, tùm alia ad gratiam causandam elevantur; Cum, ex eo quod Christus sit totus, etiam sub qualibet hostiâ modicissimâ deduximus, tantam &c. intelleximus in rigore totum Christi corpus potius, quàm totum Christum simpliciter, & argumentum in terminis strictioribus, sic debuisset proferri: Totum, quod Christus formaliter, & vi verborum habet quoque sub modicissimâ, ergo tanta gratia ex modicissima hostia reportatur, quanta ex magnâ; quæ illatio optima est, at non potest proportionaliter fieri in speciebus diversæ rationis, quia non totum, quod Christus habet formaliter, & vi verborum, habet, ut consideranti patet, in alterâ tantum, ideò in eo sensu, in quo *num.* 84. probavimus, tantam gratiam reportari ex hostiâ parvâ, quantam ex magnâ, quia Christus est totus etiam in parvâ, non benè hinc probaretur, tantam gratiam reportari ex alterâ specie tantum, quantam ex utraque, quia Christus est totus etiam in alterâ tantum.

110 Christus in Euchari stia causat gratiam, tùm ut causa universalis principalis, tùm ut causa particularis instrumentalis.

111

Dices quartò: Si ex speciebus diversæ rationis non causat majorem gratiam, utraque simul, quam altera tantum, sequitur, speciem vini, pro se loquendo, numquam gratiam causare; hoc est absurdum; ergo. Sequela majoris patet, ex eo, quia, cum species vini per se loquendo sumatur semper post speciem panis, semper inveniret causatam gratiam, quam ipsa causare posset; Minor probatur, quia eucharistia sub specie vini non esset verum sacramentum; semper frustraretur gratiæ promissio speciei vini à Christo facta æquè ac speciei panis; una species impediret effectum, & efficaciam alterius; ei, quæ post alteram sumeretur, melius esset sumi se sola, quàm simul cum alterâ; Apostoli ipsi in ultimâ cænâ, dum sumpto Corpore, sanguinem Christo invitante, ac porrigente, sumpserunt, nullum ex sanguinis sumptione fructum reportassent, quæ omnia absurda, aut certe parum credibilia sunt: Sed contrà: In varias circà hanc instantiam responsiones nostri asserti Auctores distrahuntur: Aliqui putant, nullum esse absurdum, quod species vini numquam, aut vix umquam gratiam causet, ac dicunt, id esse per accidens ad ipsam, ut Sacramentum, & quod de facto sumatur semper post speciem panis, est, quia de facto sumitur semper in sacrificio, & ut pars sacrificii: Addunt, non propterea inutiliter sumi, quia inprimis est utilis ad effectum sacrificii, & ad observantiam præcepti; deindè etiam in ordine ad gratiam sacramentalem potest esse utilis, si aut species panis effectu caruerit, aut in sumptione ipsius speciei vini nova dispositio accesserit: Hâc responsione contentus est Herinex *disp.* 7 *quæst.* 3. *num.* 28. Verùm nimis detrahit sanguini Christi, & sacramento etiam sub specie vini instituto, ideò cōmunis responsio sequelā, tamquam absurdū cōtinentem negat, at sub ipsâ adhuc sunt varii modi explicandi, quod species, quæ post alteram sumitur, verè causet gratiam, etiamsi utraque non conferat gratiam majorem, quam conferret altera tantum sumpta seorsim: Explicant hoc aliqui dicendo, gratiam, quæ ab unicâ specie seorsim causaretur, in utriusque speciei sumptione, vel ità attemperari, ut prius secundum unam medietatem causetur ab unâ, & posteà secundum aliam medietatem ab aliâ specie, pro ut species ipsæ una post aliam sumuntur, vel produci quidem totam simul, sed in sumptione speciei, quæ posterius non in sumptione illius, quæ prius sumitur: In hunc secundum modum propendet Bellarminus *lib.* 4. *de Euchar. cap.* 23. *ad* 4. & pro eo Suarez *præcit. sec.* 6. §. *Quartum argumentum* refert Claudium Sainctes; Primum modum tradit Salmeron *tom.* 9. *in Evang. tract.* 36. circà finem; Sed uterque est ferè singularis, & prior singularum specierum successivè sumptarum effica-

112 Species vini, & sanguis Christi sumpta post speciē panis, & Corpus, an & quomodò gratiā causent? Varii dicendi modi.

113

efficaciam dimidiat, posterior speciei, quæ primò sumitur effectum suspendit, quod est contrà modum causandi sacramentorum imitantium causas naturales in eo, quod positâ applicatione operantur statim, & quantum possunt, nec patiuntur, aut effectus suspensionem, aut efficaciæ attemperationem. His igitur responsionibus omissis

Ad instantiam; nego quidem sequelam, sed ex alio fundamento, dico scilicet cum Suario mox *cit.* §. *Quartum argumentum*. Esparzâ *pracit. quæst.* 69. *ad* 2. Amico *sec.* 7. *nu.* 22. Maderno *art.* 4. *num.* 13. (qui tamen duo posteriores Auctores, sicut & aliqui alii censent quoque, posse probabiliter concedi sequelam, juxta primam responsionem ex Herinex adductam) dico, inquam, speciem vini licet posterius sumptam, semper per se causare illam ipsam gratiam, quam causat species panis, idque quia etiam posterius sumpta facit unum quid cum specie panis, & cum ipsâ, sicuti est unum sacramentum, ità est una causa, benè verò tribuitur alicui toti præsertim successivè applicato effectus, qui indivisibiliter producitur, dum tale totum secundum primam, aut ultimam sui partem applicatur; & secundum alias præcisè sumptas, aut non adhuc, aut non amplius applicatum est; pro cujus pleniore intelligentiâ, recole suprà dicta *num.* 86. 87. & 89. Juxtà hanc responsionem optimè vitantur omnia, quæ tamquam absurdi speciem præseferentia instantia recensuit: Optimè salvatur quomodò quælibet species etiam post aliam sumpta sit utilis, nam præter utilitates ex Herinex relatas subsistit talis speciei utilitas, respectu ipsius gratiæ collatæ in prioris speciei sumptione, est quippè ad aliquem effectum utile quidquid denominatur in illum influere, etiamsi ad illum non requiratur; quidquid illum causat, etiamsi sine ipso causari effectus potuisset, imò causatus de facto fuisset, ut sine secundâ specie causata de facto fuisset eadem tota gratia sacramentalis à prima: Optimè consequenter Sancti Patres, quorum nonnullos memorat Esparza *pracit. quæst.* 69. *nu* 2. sæpè tribuentes calici, & sanguini effectus sacramentales, ejusque virtutem, & efficaciam magnificantes.

114 Modus aliis præferendus.

Pro complemento dubitatur, Utrùm hucusque dicta extendenda sint ad species, quæ supponerentur fuisse consecratæ, & sumptæ in triduo mortis Christi? Utrùm scilicet, etiam tunc, non majorem produxisset gratiam utraque species, quam altera tantum? Ratio dubitandi est, quia ut ex professo tradidimus *lib. preced. cap.* 7. §. 13. non fuisset tunc Christus, sicut nunc totus sub alterâ tantum, imò neque sub utraque specie, & habuisset quidem, sivè sub alterâ, sivè sub utrâque idem, quod habet nunc formaliter, at non idem, quod habet nunc concomitanter: Propter hanc rationem dubitandi, qui putant, Christum etiam secundum ea, quæ habet sub speciebus concomitanter causare gratiam, & hanc non conferri majorem ab utrâque, quam ab alterâ tantum specie, quia Christus nihil habet amplius sub utrâque, quam sub alterâ, sed est in singulis æquè ac in ambabus totus, qui inquam hoc putant, videntur debere, aut saltem sine doctrinæ incohærentiâ posse sentire, quod major in triduo gratia ab utrâque, quam ab alterâ tantum specie produceretur, etiamsi non major producatur nunc, & ad ità sentiendum nonnihil propendent Suarez *pracit. sec.* 6. §. *Ad secundum*. Arriaga *sec.* 4. *num.* 25. Herinex *quæst.* 3. *num.* 27. Verum opinando, ut nos opinamur gratiam sacramentalem modo particulari, & eucharistiæ proprio causari à Christo solum secundum ea, quæ habet sub speciebus formaliter; cessat ratio dubitandi, quia Christus habuisset sub speciebus formaliter tunc eadem, quæ nunc: eodem igitur prorsus modo causasset simul cum speciebus sacramentalem gratiam, quam proptereà absolutè sentio, fuisse in triduo eucharisticas species, conferendam tantam, quanta confertur nunc; tantam item sumentibus alteram tantùm, quantam sumentibus utramque speciem, sicut nunc.

115

116 Eucharistia in triduo mortis Christi sivè sub unica, sivè sub utraque specie tantam contulisset gratiam, quantam confert nunc.



LIBER TERTIUS.

De Eucharistiâ ut Sacrificio.

PROH, quo Scholasticæ scenæ mutatio, & propemodum tragediæ species! Sacramento Sacrificium succedit; post peractam scilicet sacræ cænæ, ex æterni Verbi amore paratæ, jucundissimam repræsentationem, repetimus Iudæorum, in idem Verbum impiè sævientium; infandam memoriam, & deflendum monumentum; mensa epulis exquisitis instructa, victimæ occisioni substernitur; vitalia fercula, & pocula desinunt in ferale mortis spectaculum; convivalis solemnitatis lætitia vertitur in effusi cruoris horrorem; in tristem funeris apparatum; & parùm aberit, quin huc opportunè ex Ambrosio transferatur illa emphasis admirationis *Quid crudelitati cum deliciis! Quid cum funeribus voluptati!* Verum palmariter fallitur, quisquis hujuscemodi cogitatione, vel suspicione pulsatur: Ingens viget in Eucharistiæ Misterio, sacramentum inter, & sacrificium affinitas; mira est utriusque consensio, non distans institutio, præstantia non dispar: In utriusque consortio convivii delicias non turbat victimæ immolatio; non enim hæc ex Iudæorum perfidia, & immanitate tortorum, ut olim, sed ex Fidelium pietate, & religione Sacerdotum, nec aspero verberum, vulnerumvè fragore, sed leni sacrorum verborum sono perficitur: In hac oblatæ hostiæ cæde, nihil funestum, nihil horridum, nihil impium pertimesce; Omnia amore, omnia gratia, omnia Deo sunt plena: Vbi humanorum carnium esus caret inhumanitatis specie; & ebrietas ipsa est sine intemperantiæ detrimento, satietas sine violatione jejunii; benè potest Dei Agnus sine horrore mactari, & repræsentari disjunctus à corpore sanguis, sine offensione. Christus sub specierum velamine latet gloriosus, non est convitiis, aut plagis, non torturæ, aut passioni, aut corruptioni obnoxius; non Cruce, non clavis læditur; non funibus apprehenditur, sed fide, nec alio, quam charitatis igne, in holocaustum comburitur. Est igitur innoxium, est incruentum, est gratum, est sacrosanctum sacrificii, quod in Altari litatur, argumentum, est sacramento conjunctissimum; propterea rationi Sacramenti, duobus præcedentibus libris expositæ, jure optimo subjicimus hocce libro exponendam rationem sacrificii, de qua agit D. Thomas brevissimè, & unica idest octuagesima tertia quæstione, quam *de ritu hujus Sacramenti* inscribit: Mirum ideireò non sit, si & nos aliquantulum brevitati studebimus, præsertim circa ea, quæ aut omnino moralia sunt, aut ad sacrificium in communi pertinent, quamvis neque ista, de quibus alibi idest 2. 2. *quæst.* 85. Sanctus Doctor tractat, nos possimus in præsenti prorsùs omittere. Sit igitur

Lib. 3. de Virginibus post initium.

CAPUT I.

De Sacrificio in communi.

1 Sacrificiũ ex vi nominis quid?

SAcrificium, ex ætimologiâ nominis, ex quâ sacrum factum sonat, valdè amplam habet significationem, & quodlibet opus bonum factum in Dei honorem, sicque Deo quodammodo sacrum, seù sacratum complectitur: Juxta hanc significationem, justitia, interna contritio, externa laus, & alia hujusmodi appellantur interdum Sacrificium in Scripturâ sic *Psal.* 4. dicitur *Sacrificate sacrificium justitiæ* Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Psal. 46. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Juxtà eamdem aliquando loquuntur Sancti Patres, ex quibus affertur potissimum Augustinus, qui *lib.* 10. *de Civit. cap.* 5 in fine ait *Misericordia verum sacrificium est*, & postea *cap.* 6. quod *De vero perfectoque sacrificio* inscribit, statim in principio habet *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad*

illum

illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.

2 Præter significationem cuilibet bono operi communem habet significationem aliam peculiarem, & magis propriam.

Hac sacrificii significatione libenter utuntur, aut potius abutuntur plures Sectarii, contendentes, eam esse unicam, vel saltem, magis propriam, ut sic facilius à Missâ auferant rationem sacrificii propriam, ac peculiarem, nec aliam agnoscant, quam quæ cuilibet bono opere communis est: Hinc Melanchthon, ut refert Bellarminus *lib. 1. de Missâ cap. 2.* ità sacrificium definit *Est ceremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus*, & Calvinus parum distat dicendo *quod sacrificium generaliter acceptum complectitur quidquid omninò Deo offertur:* Verùm indubitanter sentiendum est, prædictam significationem, cui definitiones istæ accommodantur, nec unicam, nec magis strictam, propriamvè esse; sed debere aliam admitti, secundum quam nec quodlibet bonum opus, nec quælibet oblatio sacrificium sit, & quæ sola veniat nomine sacrificii absolutè prolati: Deducitur primò ex cōmuni sensu, & consensu omnium hominum, qui quoties apud Auctores, sivè sacros, sivè profanos, legunt, aliquem Deo sacrificasse, non intelligunt ipsum, aut fecisse eleemosinam, aut recitasse preces, aut aliud quodcumque bonum opus exercuisse in Dei honorem: sed omnes apprehendunt aliquid determinatus, & peculiare dicens relationem ad Sacerdotium, aram requirens, & victimam, quæ non quadrant in quodcumque opus bonum. Deducitur secundò ex Scriptura, quæ cum diversis virtutum operibus tribuit sacrificii nomen, solet id præstare cum aliquo addito limitante, & denotante improprietatem, puta dicit *Sacrificium justitiæ Sacrificium laudis*; eaque sacrificio simpliciter dicto contraponit, sic Psal. 50. ad ly *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* præmittit *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique*. 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victima*, & Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*; ergo ex ipso contextu Scripturæ habetur duplex sacrificii significatio, altera latior, & minus propria, quâ quodlibet opus bonum dici potest sacrificium secundùm quid, & cum addito, altera propria, & stricta, secundùm quam aliqua peculiaria opera virtutis Religionis sunt sacrificium absolutè, & simpliciter.

Neque est, quod Sectarii sibi blandiantur, aut de ætimologiâ nominis, aut de eo, quod in scripturâ licèt insinuetur duplex Sacrificii significatio, videtur tamen haberi tamquam potior, & principalior ea, quæ ipsis magis probatur, nam virtutum opera, quæ sunt juxtà eam significationem sacrificia locis mox citatis, præferuntur sacrificiis in alia significatione acceptis, undè Augustinus *precit. cap. 5.* non solùm misericordiam absolutè appellat *verum Sacrificium*, sed insuper antecedenter ait *Ubi scriptum est misericordiam magis volo, quam sacrificium, nihil aliud quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi, quoniam illud, quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii*; quin & D. Thomas 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 4. *in cap.* sacrificium interius dicit *esse primum, & principale* & tamen non est sacrificium, nisi secundùm significationem à Sectariis approbatam. Non est, inquam, cur de his sibi Sectarii blandiantur, nam quantum ad ætimologiam attinet, commune est omnibus vocabulis, plùs quo ad rem significare, quàm ex suo ætimo nomen sonet, alioqui non esset in definitionibus distinguendum quid rei à quid nominis, nec magis ad quid rei, quàm ad quid nominis attendendum: Quantum attinet ad Scripturam, ea quæ per nos sunt sacrificia minus propriè, & secundum quid, præferentem iis, quæ sunt sacrificia simpliciter, & magis propriè dicta; adverto, opus, quod sacrificium denominatur, considerari posse secundùm rationem, vel dignitatis, & perfectionis propriæ, vel conceptus formalis, & essentiæ sacrificii; secundùm priorem, non secundùm posteriorem rationem Scriptura præfert obedientiam victimæ; misericordiam, spiritum contribulatum, & alia hujusmodi sacrificio simpliciter dicto; ex quo sequitur, alia virtutum opera, & actus præsertim internos esse quid simpliciter præstantius, at non præstantius sacrificium, esse in se majoris bonitatis, vel etiam in ordine ad sacrificii effectum, qui est Deum placare, & Deo placare, magis valere, quàm oblationem sensibilem in Dei cultum factam; at cum hoc stat in istâ perfectiùs, & magis propriè reperiri conceptum formalem, ac essentiam Sacrificii. Hinc solùm relatè ad propriam, & quasi materialem operis bonitatem, ac perfectionem, tùm D. Thomas primùm, & principale nominat sacrificium interius, tùm D. Augustinus in misericordiæ ad sacrificium prælatione ait, oportere intelligi sacrificio sacrificium prælatum: Nec refert, quod Augustinus *ibid.* misericordiam appellet verum sacrificium; & quod à nobis verum sacrificium dicitur, dicat esse veri sacrificii signum; Non refert inquam, quia sicut ipse Augustinus *tract.* 80. *in Joan.* super illud Christi *Ego sum vitis vera* scripsit *Numquid, ut adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, undè ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem*, ità dum nunc vocat misericordiam, aut aliud quodlibet bonum opus sacrificium verum, non est censendus loqui relatè ad propriam rationem formalem, & essentiam sacrificii, sed relatè ad effectum placendi Deo, seù placandi Deum, quem effectum Augustinus denotat, meliùs, veriùsque præstari posse per misericordiam, aliavè bona opera, quàm per illam actionem, seù oblationem, in quâ consistit propria essentia sacrificii; sicuti Christus, dicendo se vitem veram, voluit denotare, se præstare effectus excellentiores, quàm vera vitis in vineis plantata, voluitque se (ut eo loco Augustinus subdit) *discernere ab illâ, cui dicitur, Quomodò conversa es in amaritudinem vitis aliena?* Augustinus igitur suâ quodammodo luce se signat, & ex iis, quæ alibi

5 In quo sensu sacrificium secundùm priorem significationem sit verum sacrificium

scribit,

scribit, se ipsum. quò ad textum nunc controversum, explicat.

6 Sic universim constito de duplici significatione, seù acceptione hujus nominis sacrificium, explicanda est singillatim posterior, quæ est stricta, & vera secundùm proprietatem significatio, seù acceptio; explicanda est inquam in eo potissimum sensu, quo ab hæreticis negatur, idest quatenus importat aliqua prædicata missæ, aliisque sacrificiis propriè dictis, non verò simul cuilibet bono operi convenientia; in quibus quidem prædicatis stabiliendis, aut exponendis, Catholici ipsi inter se discrepant, hincque varii varias sacrificii propriè dicti, & in missâ reperti definitiones excogitant, nos antequam ullam in particulari amplectamur, discurremus per aliqua ex prædicatis hujusmodi, ut tali discursu, ac quasi apparatu viam sternamus, tùm ad stabiliendam definitionem strictæ, ac propriæ sacrificii acceptioni magis conformem, tùm ad meliùs sustinendam catholicam de missæ sacrificio veritatem à Sectariis simul cum ea, de quâ agitur, sacrificii acceptione, seù significatione negatam. His positis sit

---

§. I.

An, & quænam ratio Signi spectet ad Sacrificii essentiam?

7 ASSERT. I. Ratio signi verè spectat ad essentiam Sacrificii simpliciter, & propriè dicti, eaque in primis debet esse ratio signi sensibilis. Ità communis omnium sensus, & consensus contrà paucos Hæreticos abutentes, ut præmissum est sacrificii nomine, nec distinguentes inter sacrificium simpliciter, & sacrificium secundùm quid, sacrificium proprium, & sacrificium metaphoricum.

Sacrificiū est ex genere suo signum

Probatur, ex eo quia sacrificium in genere signi expressè constituit Augustinus in verbis suprà allegatis dicens *Illud quod ab hominibus appellatur sacrificium signum est*; idem tradit D. Thomas 2.2. *quæst*.85. *art*.1. *in c*. docens, ad rationem sacrificii pertinere, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, *offerens eas Deo in signum*; eodem modo loquuntur alii Sancti Patres, & Scholastici passim, dum de sacrificio simpliciter, & propriè dicto, agunt; verè igitur ad hujus essentiam spectat ratio signi, & hæc in primis debet esse ratio signi sensibilis, quia sermo est de sacrificiis humanis, quæ nimirum inter homines exercentur, seù ab hominibus offeruntur, ergo si sunt signa, debent esse signa humana, seù hominibus accommodata, hujusmodi autem sunt sola signa sensibilia, ut ex professo ostendimus in tract. de Sacram. in gen. *lib*.1. *cap*.1. §.2. Quod

8 totum confirmatur, ex eo quia D. Thomas mox *cit. art*. 1. cæterique communiter docent, esse de lege naturæ, & homini naturale, offerre sacrificium Deo, quia homini ex unâ parte est de lege naturæ alicui Superiori, ac maxime Deo subdi, eique subjectionem, & honorem exhibere; ex aliâ parte est naturale uti sensibilibus signis ad aliqua exprimenda, & inter alia suam ad Deum subjectionem, honorisque exhibitionem ad sacrificium pertinentem; esset autem ex hâc parte discursus impertinens, quoties in sacrificio non contineretur, seù sacrificium non ingrederetur ratio signi sensibilis.

Humanū, & sensibile,

9 Supposito, quod sacrificium sit signum, videtur illicò quærendum, utrùm sit naturale, an ad placitum? utrùm ex propriâ naturâ, an ex extrinsecâ institutione significet? Verùm ex eo quod dictum est, esse signum humanum, ferè constat esse ad placitum; vix enim aliis signis, quam ad placitum institutis, homines utuntur, idque multo magis constabit, cum assignatum fuerit, cujus rei sacrificia sint signa, facile enim consideranti innotescet, ipsa non habere cum re, quam significant ullam necessariam connexionem, & habitudinem, vi cujus possint naturaliter ejus cognitionem inducere, & licet fortè habeant aliquam affinitatem, & similitudinem, habeant hanc valdè remotam, & minorem, quàm respectu suorum effectuum sacramenta, quæ tamen sunt eorumdem signa solùm ad placitum, & ex institutione, ut dictum est in proprio tractatu *præcit*. §.2. ex quo loco obiter repetendum est, sacrificium convenire quidem cum sacramento, in ratione signi instituti ad placitum; at non in ratione signi instituti permanenter, & lege stabili; sed hoc ad sacramentum, non ad sacrificium requiri. Ad sacramentum pariter, non ad sacrificium requiritur, quod institutio sit divina, idest à Christo Domino, vel à Deo, sufficit, quod eam sibi Deus non reservet, ut possit auctoritate purè humanâ fieri; ratio est facilis, quia sacrificium secundùm suam essentiam est homini naturale, & secundùm naturæ legem, nec item ex parte ejus, quod significat, superat humanæ naturæ facultatem, non est igitur, cur potestate, & institutione humanâ aliquid determinari in signum illud, quod ad sacrificii essentiam pertinet, ut & tradidit in terminis D. Thomas *præcit. art* 1. *ad* 1. dicens determinationem sacrificiorum esse ex institutione humanâ, vel divinâ; Diversa prorsùs est ratio de sacramento, quod nec est homini naturale, nec aliquid naturale significat, sed est signum practicum, & causa gratiæ in substantiâ supernaturalis, cujus virtus causativa, & practica significatio, sicuti omnem creatam virtutem excedit, ità signum, cui ea convenit, superat omnem humanam institutionem.

Ad placitum, & ex institutione;

Hæc institutio non est necesse, quod sit facta permanenter, & lege stabili.

Neque item, quod sit divina.

Dubitatur jam in præsenti; Utrùm pro signo ad sacrificium pertinente requiratur saltem institutio humana publica, an etiam sufficiat privata, idest, quæ à privatâ personâ, & privatâ auctoritate fiat? Hîc secundâ contenti sunt Vasquez *disp*.220. *cap*. 3. *nu*. 19. Amicus *disp*.32. *num*.8. aliique nonnulli: primam

nam requirunt Suarez *disp.* 73. *sect.* 4. Lugus *disp.* 19. *sec.* 1. *num.* 11. Arriaga *disp.* 49. *sec.* 3. *subsec.* 1. Coninchus *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 1. Madernus *quæst.* 8. *art.* 1. *num.* 11., & magis communiter reliqui Scholastici, cum quibus sit.

11

Benè verò, quod sit publica, idest procedens à publica persona, & ex publica auctoritate

Assert. 2. Signum spectans ad essentiam sacrificii simpliciter, & propriè dicti, debet esse publicum, seu à publicâ personâ, & publicâ auctoritate institutum.

Probatur tùm à posteriori, ex eo quod non legimus, unquàm privatam personam sacrificium aliquod instituisse, imò nec obtulisse (quamvis sacrificium offerre minus sit, quam instituere) sed invenimus hoc semper præstitum fuisse à sacerdotibus, qui sunt personæ publicæ, & ad proprium ministerium à Republicâ destinatæ; tùm à priori, quia ex genere suo sacrificia pertinent ad unum, eumdemque in toto populo ritum Religionis, & ad secernendum in eo, quod potissimum, & propriissimum est humanæ creaturæ, idest in sensibili Dei cultu unam Rempublicam ab alia, vel unum ab alio legis statum, ut sic Deus ab omnibus unius corporis politici membris, uno externo cultu colatur; melius servetur ejusdem corporis unitas, & concordia, decentiùs actiones, maximè sacræ, cujusmodi sunt sacrificia exerceantur, cautiùs præcludatur superstitionibus, & idololatriis aditus, ad quæ, & similia necesse est, non residere in privatis personis potestatem instituendi varia pro libito, & exercendi vario, privatoque ritu sacrificia; cum præcipuè ob similes, aut etiam minores rationes nequeant privatâ auctoritate institui, seù constitui multa alia non tanti, quanti sacrificia momenti, puta rerum pretia, vocum significationes, Principum tituli, honores Magistratibus exibendi &c.

12

Dices, hæc omnia continere rationes congruentiæ; ob quas expedit sacrificia auctoritate publicâ institui potiùs, quàm privatâ, at non evincere, quod id necessarium sit ex naturâ rei; & cum aliundè institutio, ut potè pertinens ad causam efficientem sit sacrificio extrinseca, non apparet, quomodo præcisè ex diversitate institutionis privatæ, & publicæ, diversificari possit sacrificium essentialiter, imò destrui sacrificii essentia. Accedit, quod nec desunt forte de facto exempla sacrificiorum olim institutorum à privatis personis, talia quippè ab aliquibus censentur sacrificia Abelis, Abrahami, & Jacob: Nec admodùm urget, quod à pari, imò à fortiori afferebatur de rerum pretiis, vocum significationibus &c. hæc enim, quia mutuò inter homines exercentur, debent omnibus innotescere, & non solent innotescere aliter, quàm per publicam institutionem; Sacrificium exercetur inter hominem, & Deum, cui institutio privata æquè, ac publica innotescit, ideò &c. Sed contrà: Quod sacrificii nomen hoc, vel illud significet, ac per consequens, quod hoc, vel illud sit de essentia

13

rei, sacrificii nomine importatæ, non habetur ex ipsâ rerum naturâ, sed ex hominum impositione, & usu, cujus possunt dumtaxat reddi congruentes rationes, non demonstrationes necessariæ, & convincentes; undè nos ex usu, & sensu communi potius, quàm aliundè censemus constare, nomen sacrificii esse de facto impositum, ad significandum aliquid publicâ auctoritate institutum; hoc deindè ulterius probamus rationibus, quæ licèt non excedant congruentiæ limites; sunt tamen optimæ, & efficaces pro conditione materiæ non admittentis rationes ab intrinseco, & ex naturâ rei concludentes. Ad illud, quod in oppositum afferebatur, de institutione, dico, hanc ingredi essentiam sacrificii, ut est compositum morale ex re significante, & significatione, & quod institutio sit publicâ, vel privata non variat quidem essentiam signi sumpti physicè, pro substrato significationis præcisè, benè verò sumpti moraliter, & omninò adæquatè pro toto constituto ex significationis substrato, & significatione ipsâ, ut in simili dicebamus de nomine, essentiâ, & institutione sacramenti in proprio tractatu *lib.* 1. *cap.* 1. §. 2. & *lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. in fine.

14

Aliquando habiti sunt pro sacerdotibus omnes Primogeniti, & Principes familiarum.

Ad illud, quod addebatur de sacrificiis Abelis, Abraham, & Jacob, dico, istos ea instituisse auctoritate publicâ, quia instituerunt ex peculiari Dei commissione, & deputatione, ex quâ fuerunt pariter eo ipso instituti Sacerdotes; præter quod aliquando pro sacerdotibus habiti sunt omnes primogeniti, & principes familiarum, ut refert Herinex *disp.* 8. *quæst.* 1. *num.* 5. Nec refert, quod prædicta sacrificia fuerint unicâ vice oblata, non verò instituta, ut sæpius repeterentur. Non refert inquam, quia etiam sacrificium Crucis fuit unicâ vice oblatum à Christo, qui tamen certè illud obtulit, ut summus sacerdos, & persona publica, ac publica auctoritate; quod igitur sacrificium instituatur, semel tantum offerendum, non impedit, quin sit censendum publicè, & à publicâ personâ institutum; ad summum tollit, quod sit institutum permanenter, & lege stabili, at hoc nos non contendimus esse de essentiâ sacrificii, imò oppositum insinuavimus *præcit.* §. 2. *num.* 25. & aliud est, institui lege publicâ, aliud lege stabili, ac diù duraturâ, quamvis fortè aliqui utrumque confundant, nec habeant pro sacrificiis, publicè institutis ea, quæ non sunt sæpius, & à multis exercenda.

15

Ad aliud, quod adversùs paritatem in nostrâ probatione positam objiciebatur, dico, sacrificium exerceri quidem inter hominem, & Deum, quatenùs Deum respicit, & est oblatio, ac protestatio ab homine facta Deo; at quia fit ad excitandam, & significandam erga Deum reverentiam, & devotionem, non solùm ejus, qui sacrificat, nec solùm Deo, sed etiam aliorum, & aliis; debet etiam aliis innotescere, aut saltem etiam ab aliis quando innotescet ad id significandum acceptari, ideò necessaria est ad instituenda sacrificia publica auctoritas, eàdem, imò majori ratione, quàm ad ta-

xanda

xanda pretia rebus, ad imponendas significationes vocibus &c.

Urgebis, & dices ulterius, benè ista procedere secundùm præsentem politiam, & statum hominum agentium vitam socialem, & habentium determinationem sacrificiorum, quibus uti debent, ac consequenter prohibitionem inducendi, aut exercendi alia; cæterùm si agerent vitam solitariam, absque societate, & commercio, nec haberent, sacrificiorum auctoritate publicâ institutorum, determinationem; utique nec deberent sacrificiis carere, cum Deo sacrificare sit de jure naturæ, nec possent ea habere aliter, quam ex privatâ, & variâ singulorum institutione, quâ unus hanc, alius illam oblationem, unus hunc, alius illum ritum eligeret, ad suam ergà Deum subjectionem, Dei ergà se dominium profitendum; ergo in tali statu possent homines, privatâ auctoritate instituere sacrificia, ergo quod de facto nequeant est per accidens, ratione præsentis status, & positivæ prohibitionis. Sed contrà: Quò ad prohibitionem; dico, hanc posse reddere illicitam, at non invalidam, seù falsam institutionem, oblationemve sacrificii factam à personâ privatâ, quoties aliæ conditiones non desint, nec ad sacrificii essentiam pertineat ratio signi publici, seù publicâ auctoritate instituti; est enim decantata regula, quod facta teneant, quæ fieri prohibentur; non obstante igitur prohibitione teneret etiam pro præsenti statu institutio sacrificii, quæ à personâ privata fieret, licèt hæc eam faciendo peccaret; sicuti de facto sacerdos prohibitus missam celebrare, celebrando peccat, at verè, validèque celebrat, atque sacrificat. Quò ad statum vitæ solitariæ, in quo nulla persona publica supponatur, nullaque à Deo, vel ex Dei commissione sacrificii institutio, dico, homines ità viventes necessariò carituros omni sacrificio simpliciter, & propriè dicto: Nec refert, quod Deo sacrificare sit de jure naturæ, nam eodem modo est de jure naturæ, quod non omnes homines vivant sine vitâ sociali, & sine publicâ aliquo auctoritate; admissa igitur hac ad jus naturæ difformitate, nil mirum si admittenda simul sit difformitas carendi omni sacrificio; unum quippè inconveniens facilè aliud infert: Deindè Deo sacrificare est de jure naturæ, quatenus est rationi naturali conforme, quod ab aliquibus idest à sacerdotibus tamquàm personis publicis sacrificia offerantur, non sic quod offerantur, multoque minus; quod instituantur, aut ab omnibus in communitate, aut etiam ubi nulla est communitas, nullaque publica persona, ut in statu, & casu instantiæ, in quo proptereà possent homines uti ergà Deum externis reverentiæ signis, aut quasi naturaliter significantibus, ut sunt flexio genuum, junctio manuum, inclinatio capitis; aut soli Deo, & utenti notis; at non sacrificiis, aut aliis signis significantibus ad placitum, & innotescentibus communitati; & licèt posset quis v. gr. ovem mactare, aut liquorem aliquem effundere, intendendo per hoc Deum colere, ejusque dominium recognoscere, adhuc sacrificium non offerret, secundùm propriam, primævam, & hucusque usitatam acceptionem hujus nominis *Sacrificium*, solum faceret aliquid sacrificio valdè affine, & ad quod cum modicâ ampliatione, & primævæ impositionis mutatione posset sacrificii nomen accommodari.

16

17 In quo sensu sit de jure naturæ offerre sacrificia Deo.

Ex his facilè explicatur, cur Martyrium non sit proprium sacrificium, etiamsi martyr possit propriam vitam Deo offerre, non solùm in testimonium veritatis, & exercendo actum fortitudinis, aut alicujus alterius virtutis à Religione, sed etiam in protestationem divini dominii, & exercendo actum religionis, qua ratione videntur concurrere omnia ad sacrificium proprium requisita: Facilè inquam explicatur; dicendo, deesse publicâ auctoritatê, quâ mors Martyrũ fuerit instituta in publicũ signũ proprii actus religionis, & dominii Dei protestativũ, quæ auctoritas, quia non defuit respectu mortis Christi, fuit hæc verum martyrium simul, & proprium sacrificium, tamquam à Christo ipso, vel à Deo instituta in publicũ signum &c. Scio, Amicum *præcis. disp. 42. num. 15.* independenter à publicâ institutione, quam ipse in sacrificio non requirit, negare in martyrio veram sacrificii rationem, quia inquit sacrificans activè concurrit ad immolationem victimæ, Martyr verò debet merè passivè se habere, mortem tolerando, non activè cooperari ad se ipsum occidendo, & immolando. Scio id, inquam, & ideò ad probandam in sacrificio publicæ institutionis necessitatem, omisi, tamquam fortè insufficiens argumentũ desumptum, ex eo quod aliter deesset fundamentum negandi cuilibet martyrio prærogativam, veri sacrificii; Moneo tamen, Amicum ibi laborare, in explicando, quomodo Christus ad suæ humanitatis, quam in verum sacrificiũ Deo obtulit, destructionem, ac mortem activè concurrerit, & quo plus conatur hujusmodi activum concursum pro sacrificii veritate sustinere, eo amplius videtur de propriâ martyrii perfectione, & conditione ex Christi morte detrahere: Quidquid deindè de hoc sit; quando hâc viâ, aliâve simili possit sufficienter salvari in Christi potius, quam in aliorum martyrum morte, vera sacrificii ratio; certè est per se optima, expeditior, & facilior via id salvandi titulo publicæ institutionis ideò &c.

18 Cur martyrium non sit verum, & propriũ sacrificium

19

§. II.

§. II.

Ad quid referatur, seù quid significet Sacrificium, ut habet rationem signi?

20 ASSERT. I. Sacrificium, ut habet rationem signi refertur ad aliquid ex parte hominis, à quo offertur, & ad aliquid ex parte Dei, cui offertur; ex parte illius ad internum cultum, ex parte istius ad supremum dominium: Breviter, sacrificium, ut est signum, significat actum internum, quo homo colit, & recognoscit in Deo excellentiam supremi dominii (adde si vis) in vitam præsertim, & mortem. Adde, inquam, si vis, quia licet dominium eo ipso, quod est supremum, sit etiam in vitam, & mortem, adeoque ly *in vitam, & mortem* jure censeatur includi, & importari ab ipsâ excellentiâ supremi dominii, nihilominus, si expressis terminis apponatur, melius explicat in sacrificio id, quod formalissimè significat ex parte Dei, & per quod ab aliis oblationibus Deo factis potissimum contradistinguitur, ideò liberum relinquo, vel ex primo capite non addere, vel ex secundo addere illa verba, & ad Vasquium *præcit. cap. 3. num.* 22. existimantem, esse necessario addenda, habeo me problematicè, vel ad ipsum accedo, si loquatur de necessitate secundum quid, & ad melius esse, secus si de necessitate simpliciter. Totum assertum, si leve prædictæ additionis dissidium excipias, receptissimum est, &

21 Probatur. Et quidem, quod sacrificium, tùm ad aliquid ex parte hominis, tùm ad aliquid ex parte Dei referatur, patet, ex eo quod exercetur ab homine ergà Deum, & ut ait Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 6. *etsi ab homine fit, vel offertur, tamen res divina est*. Quod deindè ex parte hominis referatur ad actum interni cultus, & hunc significet facilè deducitur ex verbis ejusdem Augustini *eod. lib. cap.* 5. dicentis *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum est*, item D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 2. *in c.* ubi habet *Significat autèm sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo*, & licet ambo isti Sancti Doctores invisibile, & interius sacrificium illicò *ex Psal.* 50. exemplificent in sacrificio spiritus contribulati, & cordis contriti, id præstant solum, ut ponant ex scripturâ aliquod sacrificii interni exemplum, & insinuent actum internum pænitentiæ, & contritionis, esse suo modo sacrificium optimum, & Deo valdè acceptum; cæterum non proferunt talis actus exemplum, ex eo quod putent, ipsum, non verò cultum, & reverentiam interiorem significari à sacrificio visibili, & externo; imò D. Thomas statim ostendit, se aliter sentire *ibid.* dicendo externa sacrificia esse actus religionis externos, & ideo ad actus religionis internos ordinari, seù referri, pertinent autem ad religionem actus cultus, & reverentiæ, non actus pænitentiæ, & contritionis; posteà etiam idem D. Thomas *seq. art.* 3. expressè statuit, sacrificium esse quemdam actum habentem laudem, ex eo quod in divinam reverentiam fit, & post nonnulla concludit, esse propriè sacrificia illos solos actus, qui non habent laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam; Non est igitur ambigendum, quin, & secundum D. Thomæ mentem, & secundum veritatem sacrificium externum ordinari debeat, & referri ad internum actum cultus, reverentiæ, submissionis, huncque significare: Quod tandem idem sacrificium ex parte Dei referatur ad supremum dominium probatur, tùm ex mox dictis, reverentia enim, & submissio hominis ad Deum habet pro correlativo ex parte Dei superioritatem, & dominium; tùm ex eo quia Sacrificium est in genere oblationis; oblationes autem Dominis fiunt, & dominium significant ex parte eorum, quibus fiunt: Porrò sicuti maximus esse debet affectus, quo sacrificans se submittit, & aliquid offert Deo, adeò censeatur paratus, se ipsum in Dei honorem destruere, si id sibi liceret, & quatenus id sibi non licet, loco sui aliqualiter destruit, & immutat rem aliam, quam offert; ità colitur à sacrificante, & significatur à sacrificio ex parte Dei dominium, non qualecumque, sed supremum, maximè relucens in absolutâ potestate, disponendi de rerum omnium vitâ, & morte, esse, & non esse; quæ supremi dominii, & absolutæ potestatis ratio coincidit cum ratione primi principii, & ultimi finis, principii creationis, & finis beatificationis; quibus terminis libentius, quam illis supremi dominii videntur in proposito, uti nonnulli, & signanter D. Thomas *præcit. art.* 2.

Sacrificiū ut habet rationē signi significat ex parte hominis actū internum, reverentiæ & submissionis ad Deum.

22 Ex parte Dei dominium supremum.

23 Dices: Infideles, & Gentiles obtulerunt, & offerunt vera sacrificia, quibus tamen non significabatur, nec significatur internus cultus ex virtute religionis, in offerentibus, aut supremum dominium in eo, cui offerebantur; ergo non est de essentia sacrificii ista significare, nec benè assignavimus id, ad quod sacrificium secundum rationem signi sibi essentialem refertur; consequentia patet; antecedens probatur, quo ad primam partem, quia ex communi hominum sensu verus sacrificiorum usus, in qualibet, sivè fidelium, sivè infidelium republicâ, viguit semper, ac viget; probatur item quo ad secundam, quia infideles non operantur ex religionis virtute, & sua sacrificia offerunt idolis, aut dæmoniis, nullam habentibus supremi dominii potestatem. Confirmatur: Si quis habens præceptum sacrificandi, exerceat opus externum sacrificii, sine interno religionis actu, offert verum sacrificium, quia præcepto sacrificandi satisfacit, & tamen non significat suum internum actum, quia hunc in re-

24 *Signum potest esse, verum veritate, aut transcendentali, & essentiali, aut etiam formali.*

non habet. Sed contrà: Veri sacrificii, sicut & veri signi nomine intelligi potest, vel illud, quod verè habet omnia requisita ad significandum, idest ad excitandam notitiam ejus, cujus est signum, imò etiam hanc sivè veram, sivè falsam verè, & realiter excitat; vel illud, quod prætereà verè verum significat, adeò ut, id cujus est signum, verè existat à parte rei, & notitia, quam excitat vera sit, ac suo objecto à parte rei existenti conformis: Primo modo signum, seù sacrificium est verum solum in actu signato, & veritate transcendentali, seù essentiali; Secundo modo etiam in actu exercito, & veritate formali, ac quasi accidentali primo etsi non secundo veritatis modo fuerunt, & sunt vera sacrificia Gentilium, habuerunt scilicet, & habent omnia requisita ad significandum internum cultum, & supremum dominium, imò utrumque in actu signato verè significant, quatenus utriusque notitiam ingerunt licèt deindè neutrum à parte rei verè existat in iis, in quibus existere significatur, adeoque neutrum verè significetur in actu exercito, & veritate formali; sicuti ista propositio *Antichristus actu existit* essentiali, & transcendentali signi veritate verè significat actualem existentiam Antichristi, licet hæc verè à parte rei non detur, nec verè significetur veritate formali, & exercitâ.

25 Ad confirmationem; si præcepto sacrificandi satisfit, ponendo solum opus externum sine interno religionis actu, id erit, quia ad satisfaciendum tali præcepto, sufficit ponere sacrificium verum veritate transcendentali, & essentiali nuper explicatâ: In re tamen crediderim, non satisfacturum præcepto sacrificandi eum, qui poneret opus externum sacrificii, nullatenus intendendo Deum colere, nam iste non faceret modo humano actionem religiosam, & sacram, quod est de ratione sacrificii, etiam purè externi; & aliud est, quod possit esse verum sacrificium externum, sine vero cultu interno, aliud, quod possit esse sine intentione ponendi, aut cum intentione non ponendi ullum cultum internum;

Utrùm deindè ad hoc ut sacrificium dicatur verum simpliciter, & absolutè, sufficiat ipsi prædicta veritas essentialis, & transcendentalis, an sit insuper necessaria veritas formalis, adeò ut simpliciter, & absolutè sacrificia Gentilium dicenda sint falsa, vel putata potius, quam vera? multum habet quæstionis de nomine, in quâ Suario *disp. 73. sec. 2.* circà medium, & Amico *disp. 32. num. 18.* magis placet simpliciter falsum appellare, aut putata, sacrificia illa; at ex adverso simpliciter potius appellant vera Vasquez *disp. 220. cap. 3.* in fine Lugus *disp. 19. sec. 1. num. 13.* Arriaga *disp. 49. sec. 3. subsec. 4. num. 28.* Madernus *quæst. 8. art. 1. num. 9.* & alii magis communiter, quibus favet Augustinus *lib. 10. de Civit. cap. 4.* in quo, licet titulus sit *Quod uni vero Deo sacrificium debeatur* in fine tamen habentur hæc verba *Quis verò sacrificandum*

26 *Prima veritas sufficit ad rationem signi pro vero sacrificio requisiti.*

censuit nisi ei, quem Deum, aut scivit, aut putavit, aut finxit; sensit igitur Augustinus, deberi quidem sacrificia, & licitè offerri soli Deo vero, at simpliciter, & absolutè posse sacrificari, etiam Diis putatis, aut fictis; propter hanc auctoritatem, & propter generalem regulam, quâ ubi de significatione nominum agitur, expedit sentire cum pluribus, accedo ad Auctores secundo loco relatos, & puto, sacrificia Gentilium dicenda esse vera potius, quam falsa, absolutè loquendo; etsi alioqui sint prava, & impia, nec ad veram virtutem religionis, sed ad idololatriam pertincant, sicut ad eamdem pertinet falsorum numinum adoratio, quæ tamen, & ipsa, vera adoratio esse potest.

Ideò sacrificia Gentilium absolutè sunt vera, etsi prava, & impia.

27 Significatio sacrificii usque modo exposita solet nuncupari significatio moralis, quia per se loquendo habet pro termino immediatiore, & præcipuo actum internum moralem, ad moralem scilicet virtutem, & ad bonos hominis mores pertinentem: Præter hanc significationem astruunt aliqui, in quolibet sacrificio significationem aliam, quam vocant mysticam, eo quod habeat pro termino mysterium aliquod supernaturale, & reconditum, ad cujus representationem, vel rememorationem sacrificium sit institutum; Verùm hæc significatio mystica non est sacrificio ex genere suo essentialis, ut statim concludo, & explico.

Assert. 2. Sacrificium, ut habet rationem signi, potest etiam referri ad significandum aliquid mysticè, & fortè hoc convenit omnibus sacrificiis institutis de facto à Deo: Absolutè tamen loquendo, sola significatio moralis antecedenter asserta, non verò simul significatio mystica est de essentiali sacrificii ratione. Est veritas solum aliquali indigens explicatione, ideò facilè.

28 *Probabile est omnia sacrificia instituta de facto a Deo significare mysticè sacrificium Crucis.*

Probatur in primis, imò supponitur prima pars, quia significatio mystica, & ad aliquod supernaturale mysterium terminata, est maxime sacra, & alicujus maximè sacra significatio; potest igitur rationi signi sacri in sacrificio repertæ maximè convenire, adeòque sacrificium, ut habet rationem signi potest etiam referri &c, & fortè sic referuntur omnia sacrificia de facto à Deo instituta, omnia scilicèt significant mysterium passionis, & mortis Christi, ex cujus meritis, sicuti Deus voluit hominibus omnem peccatorum remissionem, & gratiam, ità verisimile est, ad ejus significationem, & protestationem ordinasse sacrificia, quibus homines ad Deum placandum, aut ad Deo gratias agendum uterentur: Et quidem ab eucharistiæ sacrificio, quod est in lege novâ unicum, Christi passionem, & mortem significari, satis superque innotescit: Quò ad sacrificia legis antiquæ scriptæ (eademque videtur esse ratio de sacrificii legis non scriptæ, seù naturæ) cum essent omnia figu-

figuralia, ut insinuat Apostolus 1. *Cor.* 2. dicens *Omnia in figura contingebant illis*, videbantur omnia, tamquam figuræ, & imagines ad idem, aut immediate, aut mediante eucharistiæ sacrificio referri, ut magis in particulari expendunt D. Thomas 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 3. & D. Augustinus pluribus in locis relatis à Suario *hic disp.* 73. *sec.* 2. versùs finem. Aliqua difficultas esse potest de ipso Sacrificio Crucis, seù passionis, & mortis Christi; verum nec ipsum caret omni significatione mysticâ, dici enim potest, significare mysticè mortem peccati, & præterea, cum sit exemplar significationis mysticæ in aliis sacrificiis, non est necesse, quod ipsum met ad aliud significandum mysticè referatur.

29

Non est tamen sacrificio ex genere suo essentialis significatio mystica, sed sola moralis.

Probatur deindè secunda pars, quia sacrificium ex genere suo est de jure naturæ, ratio scilicet naturalis homini dictat, aliquod sacrificium in quocumque statu offerre, aut etiam instituere, si non habeat aliundè institutum, atqui ratio naturalis nihil dictat de significatione mysticâ, utpotè quæ naturæ lumen excedit, & mysterii supernaturalis notitiam inducit, ergo talis significatio non est sacrificio absolutè, & ex genere suo essentialis, sed solum significatio moralis, quam solam etiam de facto habuerunt sacrificia Gentilium, quæ etsi prava, & impia, fuerunt *ex praced. num* 26. simpliciter vera sacrificia: eamdem sola pariter habuissent sacrificia instituenda pro hominibus, in purâ naturâ conditis, si puræ naturæ status, ad nullam supernaturalem notitiam elevandus, aliquando extitisset. Quod si mystica significatio determinatius sumatur pro eâ dumtaxat, quæ refertur ad mysterium passionis, & mortis Christi, & ex nuper dictis probabiliter reperitur in omnibus (si sacrificium ipsum mortis Christi excipias) sacrificiis de facto à Deo institutis, si inquam mystica significatio sic sumatur, multo magis evincitur, non esse de cujuslibet sacrificii essentiâ, cum de facto non conveniat omnium sacrificiorum maximo, nimirum ipsi sacrificio cruento passionis, & mortis: Deinde hujusmodi significatio dari non posset, si Christus, aut nullatenus, aut non in carne passibili venturus fuisset; & tamen procul dubio in hac hypothesi non debuisset humanum genus perpetuo carere omni sacrificio; Ergo à primo ad ultimum significatio mystica, sivè sumatur, pro ut reperitur in sacrificiis de facto institutis, sivè universalius pro ut potest aliter haberi, non est de essentiâ sacrificii, sed sola moralis.

§. III.

De spectantibus ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seu rei significantis.

30

Assert. I. Ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis spectat, tùm aliquid oblatum, tùm aliqua oblatio, seù tùm res, quæ in sacrificium offertur; tùm actio, quâ offertur.

Sacrificiũ sumptum adæquatè componitur ex re significante, & significatione.

Probatur, & explicatur: Quodlibet signum adæquatè sumptum est quoddam totum morale, seù artificiale ex re significante, tamquam ex materiâ; ex significatione, tamquam ex formâ constitutum, & illam de materiali, istam de formali essentialiter importans; Cum igitur sacrificium ex dictis sit in genere signi, non est dubium, quin & ipsum sic constituatur, adeoque quin ad ipsius essentiam pertineat, tamquam forma, & de formali significatio, de quâ *in praced.* §. tamquam materia, & de materiali res significans, de quâ in præsenti. Porrò aliqua signa, non solum sumpta adæquatè, sed etiam sumpta pro materiali, seù ex parte materiæ, & rei significantis habent iterùm rationem totius moralis ex aliquo ad modum materiæ, & ex aliquo ad modum formæ constituti: ut luculenter apparet in signis sacramentalibus, seù in sacramentis (subintellige novæ legis) quæ, ut in proprio tractatu explicuimus, sumpta adæquatè constituuntur ex re significante, & significatione: sumpta pro materiali ex rebus, & verbis: Hoc proportionaliter adinvenire est in sacrificio, quod sicuti cum novis sacramentis optimè convenit in ratione signi sumpti adæquatè, & in compositione ex re significante, & significatione, ità quoque in ratione signi sumpti pro materiali, & in compositione rei significantis ex aliquo ad modum materiæ, & ex aliquo ad modum formæ; nimirum ex re oblatâ, tamquam ex fundamento, & aliquo determinabili, ex oblatione tamquam ex complemento, & determinativo; adeòque illâ ut materiâ, istâ ut formâ, ad eum modum, quo res, & verba sunt materia, & forma rei significantis in sacramento: Cum igitur materia, & forma maximè spectent ad essentiam totius, quod constituunt, indubitanter consequens est ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis spectare, tùm aliquid oblatum, tùm aliquam oblationem, cum aliundè dubitari non possit, quin utrumque à sacrificio importetur, & quin ex communi omnium sensu sacrificare sit, aliquid offerre, seù alicujus rei oblationem facere, undè in ipsâ Scripturâ pro eodem ista sumuntur; habetur enim Genes. 8. *obtulit holocausta super altare.* Isa. 5. *Ne offeratis ultrà Sacrificium frustrà:* Et de Christo se sacrificante in Cruce Heb. 5. *Se met ipsum obtulit immaculatum Deo:* Item *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

31

Sumptum pro materiali, ex re oblata, & oblatione.

32 Supposito, quod sacrificium ex parte materiæ, seu rei significantis, seu substrati significationis importet rem oblatam, & actionem oblativam, assignari jam debeat, qualem esse oporteat, tùm illam rem, tùm istam actionem, & quatum conditionum defectu aliqua res Deo oblata, aut ratione sui, aut ratione actionis oblativæ, possit non esse sufficiens substratum significationis, ad sacrificium adæquatè, & ultimò constituendum requisitæ. Quo ad primum scilicet, quo ad rem oblatam sit

Assert. 5. Ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seu rei significantis spectat, quod res oblata sit sensibilis, permanens, & non consistens in puro motu, seu actu externo hominis. In hoc asserto conveniunt, quicumque non abutuntur sacrificii simpliciter dicti nomine, cum Sectariis, de quibus suprà *num.* 2.

33 Res in sacrificium oblata debet esse per se ipsam sensibilis. Probatur, & explicatur. Res in sacrificium oblata est pars materialis, & tamquam materia rei significantis; atqui in sacrificio, ut potè signo sensibili, res significans debet esse sensibilis, & apta significare sensibiliter, idest per sui sensibilem cognitionem inducere cognitionem alterius, ergo pariter talis esse debet res in sacrificium oblata: Advertendum tamen, quod sicut sacramentum est ex genere suo signum sensibile, æquè ac sacrificium, ità ex parte materiæ, seu rei significantis, non est requirenda major in sacrificio, quam in sacramento sensibilitas; in sacramento autem non requiritur, quod tota materia sit sensibilis per se, nam de facto in sacramento Pænitentiæ aliqua materiæ, seu rei significantis pars, idest dolor est insensibilis per se, & sensibilis solum per aliam compartem, confessionem scilicet: In sacramento item eucharistiæ corpus, & sanguis Christi sunt pars materialis non per se, sed per species sensibilis: Quid ni igitur possit idem proportionaliter evenire in sacrificio? imò evenit id de facto in illo missæ, in quo propterea *cap. seq.* §. 5. *n.* 106. & 110. docebimus, accidentia panis, & vini esse partem materiæ, seu rei oblatæ, quia per ipsa redditur sensibilis alia principalior rei oblatæ pars, nimirum Christus Dominus, qui alioqui, ut in missâ offertur est per se insensibilis, cum offeratur, ut sacramentaliter, non ut in propriâ specie existens.

34 Debet item esse permanens. Debet insuper eadem res oblata esse permanens, quia si in transitu, & successione consistat, statim per se ipsam mutatur, & interit, non verò potest hoc habere ex vi actionis, quâ Deo offertur, non est igitur apta terminare actionem ad sacrificandum requisitam, & per sui immutationem, ac destructionem peculiariter factam in Dei honorem, denotare excellentiam dominii Dei in vitam, & mortem. Accedit, quod offerri ex genere suo, propriè dicitur de rebus, quæ possunt donari, & constitui sub alterius, ejus scilicet, cui offeruntur, dominio; quod nequit convenire rebus nullatenus permanentibus, & in ipso offerri, ac fieri desinentibus, quæ propterea sub dominium cadunt, solum quo ad fieri, vel non fieri, & rectè dici possunt in alium referri, tamquam in finem, cujus gratiâ fiant, at non alii offerri; tamquam domino, in cujus potestate, & dispositione remaneant.

35 Et non consistens in puro motu, seu actu externo hominis. Debet tandem non consistere in puro motu, seu actu externo hominis, quia hujusmodi motus, & actus est transiens, & in suo fieri consummatur, & desinit; & licèt ratione continuationis possit æquivalere rei permanenti, ideòque continuans v. gr. orationem vocalem dicatur in eâ perseverare, ac permanere; non propterea motus, vel actus externus, sic continuatus potest propriè collocari, sub alterius dominio, quia ipsius continuata existentia non est, nisi continuatum fieri; Undè Suarez *hic disp.* 73. *sec.* 5. §. *Dico primò*; observat, omnibus humanis actibus commune esse, quod possint in Deum referri, non Deo offerri, loquendò propriè secundum jam traditam explicationem. Nec refert, quod voces in Dei laudem pronunciatæ sacrificii nomine nuncupentur, dicantur scilicet sacrificium laudis, adeòque videantur esse res in sacrificium oblatæ: Non refert inquam, quia, ut in hujus capitis limine ostendimus, sic nuncupantur, & dicuntur secundùm acceptionem sacrificii latiorem, & minus propriam; non strictam, & propriam, de quâ in præsenti: Neque dicas, non ne saltem voces, quibus sic Deum laudarem, ac colerem, ***Ego profiteor, me Deum laudare, & colere, ut supremum meæ vitæ, ac mortis Dominum, eique, ut tali, me submitto***, nonne inquam saltem istæ voces haberent perfectam significationem ad sacrificium requisitam, adeoque essent res in sacrificium strictè, ac propriè dictum oblata. Contrà enim. Arriaga *disp.* 49. *sec.* 3. *subsec.* 2. in fine respondet, significationem proprii cultus, & supremi dominii Dei ad sacrificium non sufficere, quoties non est adjuncta rei oblatio: Benè est absolutè loquendo, at in proposito videtur, censeri posse pura petitio principii vitabitur hæc, addendo, prædictam significationem non sufficere, quia non est ex impositione peculiari facta ad sacrificium instituendum, sed ex impositione communi, quâ voces illæ sunt ad significandum institutæ, unde, à quocumque proferantur, eam significationem habent, cum tamen significatio sacrificii propria in ipsâ sacrificii materiâ non consurgat, nisi dependenter ab actione determinatæ personæ, idest Sacerdotis.

36

37 Ex his habetur, externum Dei cultum, oblationem Deo factam, sacrificium Deo oblatum, inter se convenire in eo, quod per se loquendo spectent ad unam, eamdemque virtutem religionis, tanquam actus ipsius externi, participantes suam bonitatem moralem ab actibus internis, à quibus ad recognoscendam excellentiam, & reverentiam Dei propriam ordinantur; ab invicem verò differre in eo, quod externus cultus, etiam Dei proprius, ut est latria, latius patet, quam oblatio; oblatio latiùs, quam

Oblatio Deo facta minus latè patet quam cultus externus:

quam sacrificium; sic tunsio pectoris, inclinatio capitis, genuflexio verbales preces possunt esse actus veri cultus externi ergà Deum, at, ex mox præmissis, nequeunt esse materia oblationis, ac multò minus sacrificii. Nec adversatur D. Thomas 2.2. *quæst.* 85. *art.* 3. *in c.* ubi postquam docuit, etiam actus aliarum virtutum à religione, si fiant propter finem religionis, idest propter divinam reverentiam, quodammodo, & impropriè sacrificia dici posse, addit *sunt tamen quidam actus, qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam, & isti actus propriè sacrificia dicuntur*. Non adversatur, inquam, quia sensus ipsius non est, omnes istos, adeòque omnes actus religionis dici propriè sacrificia, sed ex istis actibus esse debere omnes illos, qui propriè sacrificia dicuntur; sub genere actuum non habentium ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam, sacrificium propriè dictum contineri, quamvis cum hujusmodi genere non convertatur, sed minus latè pateat, & hoc est illud ipsum, quod in præsenti mox diximus. Non solùm autem

38

Sacrificium minùs, quã cultus, & etiã, quàm oblatio.

sacrificium minus latè patet, quàm cultus exterior, sed etiam quàm oblatio, & sub oblatione pariter continetur, tamquam sub genere quidem sibi magis proximo, quàm exterior cultus; at non adhùc tali, ut cum ipso convertatur, sed aliquid ipsi addit, & sicuti ex dictis constat cultui exteriori addere, quod circà rem aliquã versetur, nec sit purus actus hominis, ità modo assignandum est, quid sit illud, quod peculiariter addit oblationi, & hoc benè attenditur penes ipsum hominis actum, seù actionem, quam ex parte rei significantis sacrificium importat, adeò ut istud, formaliter loquendo penes rem, circà quam versatur, differat à puro cultu externo, & cum oblatione conveniat; penes actionem, quâ circà talem rem versatur, differat etiam à purâ, ac simplici oblatione, oportet igitur statuere; qualis in sacrificio esse debeat talis actio, quod erat etiam secundum membrum, jam suprà propositum explicandum, circà sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis: Ideò sit

Differt à puro cultu præcipuè penes rem; à simplici oblatione præcipuè penes modum actionis.

39

Sacrificio essentialis est actio rei aliqualiter destructiva, & immutativa physicè.

Assert. 3. Ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis spectat, quod actio oblativa sit immutativa physicè, & aliqualiter destructiva rei, circà quam versatur. Ità D. Thomas 2.2. *quæst.* 85. *art.* 3. *ad* 3. & *quæst.* 86. *art.* 7. *in c.* Alanus *lib.* 2. *de Euchar. cap.* 3. Victoria *relect. de Temperant. num.* 7. Amicus *hic disp.* 32. *num.* 20. Lugus *disp.* 19. *num* 7. Tannerus *disp.* 51. *quæst.* 4. Herinex *disp.* 8. *quæst.* 1. *num.* 4. Madernus *quæst.* 8. *art.* 1. *nu.* 6. & alii communiter contrà Viguerium *de instit. cap.* 5. §. 5. Arriagam *disp.* 49. *sec.* 3. *subsec.* 3. & 4 & ex parte (idest quò ad sacrificia commemorativa, seù relativa) Vasquium *disp.* 220. *cap.* 3. *num.* 27. quem Arriaga *num.* 21. malè contendit in suam opinionem trahere etiam quò ad sacrificia absoluta, sicut & eamdem minùs benè conatur ostendere de mente S. Doctoris idque perperam deducit, ex eo quod *præcit. resp. ad* 3. de actione, quâ aliquid sacrificatur, disiunctivè dicat, esse vel mactationem, vel consumptionem, vel benedictionem victimæ, benedictio autem non sit immutativa physicè, & destructiva: Perperàm inquam deducit, nam in primis debet ibi S. Doctor intelligi conformiter ad id, quod magis ex professo tradit quæstione sequenti in corpore primi articuli: Deindè neque ibi lege in textu disjunctionem ab Arriagâ suppositam, sed sic in terminis *Sacrificia propriè dicuntur, quando circà res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur*, quæ locutio est copulativa, non disjunctiva, & quando quò ad reliqua disjunctivæ æquivaleret, non sic quò ad ly, *& benedicitur*, adducens enim exemplum sacrificii, panis benedictionem memorat præcisè, ut referat quidquid fiebat, non ut astruat, ipsam solam sine fractione, & comestione esse posse actionem sacrificativam: Verè igitur S. Doctor stat pro asserto præfixo, quod

40

Falsò affertur in oppositum D. Thomas.

41

Probatur primò, quia quod ad sacrificii essentiam spectet, vel non spectet actio aliqualiter destructiva materiæ, seù rei sacrificatæ, desinit tandem in quæstionem de nomine; nimirum in id, quod hoc nomen sacrificium impositum sit ad significandam solam actionem destructivam, aut etiam aliter utcumque immutativam victimæ; in quo quæstionum genere solemne est, & à nobis sæpius repetitum sentiri debere cum pluribus, & melioris semper conditionis esse sententiam communiorem; certum est autem, & ne quidem Adversarii refragantur, secundum sententiam communiorem, & plures, ac ferè omnes Auctores sacrificii nomen impositum censeri, ac adhiberi ad significandam actionem aliqualiter destructivam materiæ, quæ sacrificatur, & in omnibus sacrificiis, sivè sacris, sivè profanis, animalia consuevisse sacrificari per occisionem, liquores per effusionem, reliqua per combustionem, ergo.

Dices, hujusmodi actionem fuisse quidem semper in sacrificiis frequentiorem, non tamen deesse exempla sacrificiorum eâ carentium, & inter sacrificia oblata vero Deo talia extitisse illud Melchisedech *Genes.* 14. illud panum propositionis *Exod.* 25. illud Zelotypiæ *num.* 5. & quædam alia, in quibus nulla legitur facta destructio, combustio, aut alia physica mutatio, ut accuratè expendit Arriaga *præcit. sec.* 3. Inter sacrificia oblata idolis fortè difficilius id contigit, eo quod Idololatræ ex errore, quo sæpè putarunt sua Idola carnibus animalium sibi sacrificatorùm vesci, censuerunt consequenter, ea debere in sacrificiis occidi, nihilominus etiam aliter quandoque factum fuisse Arriaga *nu.* 27. conjectat ex iis, quæ *Daniel. ult.* Sacerdotes Bel quotidie Idolo offerebant per modum sacrificii, ut ipse putat: ergo ex scripturâ ipsâ habentur aliqua, tùm sacra, tùm profana sacrificia sine actione

destru-

destructiva, & aliquis usus hujus nominis sacrificium ad actionem aliam significandam. Sed contrà: Præter quod tota deductio est infirma, ut pote ex auctoritate Scripturæ solùm negativâ, dico quoties in istâ fit mentio sacrificii, & non fit simul mentio actionis destructivæ sentiendum esse, vel actionem destructivam verè intercessisse, etsi non exprimatur, vel sacrificii nomen latiùs, ac minùs propriè sumi pro simplici oblatione; quodnam autem ex his duobus potius dicendum est, colligi debet ex contextu antecedentium, & subsequentium; solum moneo obiter, neutrum ex genere suo esse alienum à phrasi, & modo loquendi Sacræ Scripturæ; Non primum, quia non quoties scriptura recenset aliquod factum, debet exprimere omnia tale factum comitantia, etiamsi ei sint essentialia, imò ex eo quod sint essentialia, minùs necesse est exprimi, quia magis supponuntur subintelligi; Non secundum; quia cum Scriptura aliquando usurpet sacrificii nomen ad significandum actum internum, aliudvè quodcumque opus bonum, multò magis potest eodem uti ad significandam quamcumque oblationem externam Deo factam, quæ magis quàm alia opera accedit ad sacrificium propriè dictum, quamvis in re debeat ab ipso distingui, ut insinuat eadem Scriptura, aliquandò ambo simul referens, tamquàm distincta, ac diversa sic *Psal.*38. dicitur *Sacrificium, & oblationem noluisti* Item Heb. 5. *Ut offeras dona, ac sacrificia*, ubi ly *dona* videtur supponere pro rebus per oblationem, ac donationem simplicem Deo consecratis; non desunt etiam pro eodem intento auctoritates Sanctorum Patrum, quas videre est apud Suarium *præcit.* §. *Quæ duo*, interim nobis non est immorandum in distinctione, quam Adversarii ipsi libenter admittunt, licèt posteà difficulter sustineant, non admittendo esse de essentia sacrificii actionem destructivam, ut in sequenti probatione ostenditur, ideò

42 Malè deducuntur ex scriptura aliqua sacrificia facta sine ulla victimæ destructione.

Sacrificiũ debet distingui à simplici oblatione;

43 Probatur assertum secundò: Sacrificium debet distingui à simplici oblatione, & actio sacrificativa ab actione purè oblativa; at nequit benè distingui, nisi ex eo quod illa non, ista sit physicè immutativa, & aliqualiter destructiva rei, seù materiæ, circà quam versatur, ergo actio sacrificativa debet esse sic immutativa, & hoc spectat ad sacrificii essentiam, sicuti ad sacrificii essentiam spectat, quod à simplici oblatione distinguatur: Major supponitur ex immediatè anteà dictis. Minor probatur, quia actio immutativa solùm moraliter, ut est benedictio, & ad sacrum, divinumque usum deputatio potest simplici oblationi convenire, & de facto benedicuntur ferè omnia, quæ Deo, utcumque offeruntur, ut sacra vasa, sacræ vestes, altaria, templa &c. Deinde (& est ratio ab intrinseco, ac metaphysicè à priori) ultimum formale constitutivum sacrificii adæquarè sumpti, & distinctivum ipsius à quolibet alio est significatio, seù protestatio supremi dominii Dei in vitam præsertim, & mortem. hac significatione distinguitur sacrificiũ à simplici oblatione, eo quod ista sit protestatio dominii utcumq; non singillatim in vitam, & mortem: atqui ad significandum singillatim istud dominium requiritur actio, qua sacrificii materia aliqualiter destruatur, sic quippè in actu exercito, & practico Dei dominium ad destruendum recognoscitur: cum aliter solum speculativè repræsentetur; ergo

Nec benè distingueretur, si non importaret actionem aliqualiter destructivam.

44 Dices: Significatio, & protestatio dominii Dei in vitam, & mortem ultimò constitutiva sacrificii non requirit in re significante, & sacrificii materia ullam physicam proportionem, aut similitudinem cum dominio significato, ejusq; exercitio: & quando talis proportio requireretur, per actionem productivam haberetur meliùs, quàm per destructivam: ergo ex significatione sacrificii propriâ non benè infertur in sacrificio actio destructiva, & cum præterea penes talem significationem sufficienter distinguatur sacrificium à simplici oblatione, consequens est, probationem à nobis positam ex nullo capite esse efficacem: Probatur antecedens quo ad primam partem, quia significatio in sacrificio est ex institutione, & ad placitum, potest igitur ex voluntate, & placito institutionis cuicumque rei imponi independenter ab ulla physica, & quasi innata proportione, & per impositionem factam ex voluntate, & placito institutionis publica ad id auctoritate pollentis habebitur sufficiens distinctivum sacrificii ab oblatione: Probatur idem antecedens, quo ad secundam partem, quia ex duplici potestate, altera in vitam, & productiva: altera in mortem, & destructiva, prior potestas, sicut, & actio ei correspondens, major est, ac nobilior penes ipsam igitur, & actionem ei correspondentem meliùs, quàm penès posteriorem habetur physica proportio ad repræsentandum supremum dominium, potestatemque Dei in vitam, & mortem: Sed contra: nego antecedens, quo ad utramque partem;

45 Ad probationem primæ dico, significationem in sacrificio aliam esse completam, proximam, & explicitam, aliam incompletam, remotam, & implicitam: illa istam supponit, ideò quamvis verè sit ex institutione, & ad placitum, nequit cuicumque rei imponi, sed solum ei, in qua præcedit proportio, & similitudo physica cum significatione incompleta, & remota coincidens: neque putes, gratis, & sine fundamento hoc à nobis ad significationem completam, & proximam sacrificii ultimò constitutivam præterquiri: Impugnaberis enim, ex eo, quia in primis nitimur auctoritati Augustini *epist.* 49. *qu.*3. dicentis de sacrificiis simpliciter dictis, *significativa sunt autem omnia talia sacrificia, & quarumdam rerum similitudines* (ecce significationem remotam, & proportionem physicam, quam intendimus) *quibus admoneri nos oportet ad ea ipsa, quorum similitudines sunt, sive scrutanda, sive noscenda, sive recolenda*: Deindè etiam innitimur rationi, cum

Significatio ultimò constitutiva sacrificii debet fundari in aliqua proportione physica, & significatione remota naturali.

-da.

enim sacrificia offerre, imò & instituere sit per se loquendo homini connaturale, congruum est, ea esse signa aliquo modo naturalia, ipsoque naturali lumine ad eorum significationem dignoscendam, imò, & imponendam homines duci, ad quod necesse est, ipsorum significationem esse inchoativè, atque incompletè naturalem, & in physica ad rem significatam proportione, ac similitudine fundari; ex qua ratione patet obiter, cur non sit idem dicendum de sacramentis, & possit in istis significatio esse purè ad placitum absque fundamento ullius physicæ proportionis, quamvis neque hæc in aliquibus de facto desit, & in baptismo v. gr. ablutio corporis, quæ per aquam fit, habeat aliquam similitudinem cum emundatione à peccatis facienda per gratiam, quam baptismus significat.

46 Ad probationem secundæ partis ejusdem antecedentis Herinex *præcit. num.* 4. & Tannerus *præcit. disp.* 5. *qu.* 9. *dub.* 2. quamvis velint, actionem sacrificativam debere esse destructivam, putant tamen, sacrificium non tam in istâ propriè consistere, quàm in eo, quod ex istâ resultat, præsertim quando id, quod resultat, nobilius est, & magis Deo placens, sic in sacrificatione thuris, v. gr. propriam rationem sacrificii collocant in suffitu, in quem thus per concremationem convertitur, & juxta hanc doctrinam posset saltem in aliquibus sacrificiis concedi, quod instantia in secundâ antecedentis parte intendit; sed melius absolutè negatur, dicendo per actionem destructivam melius quàm per productivam significari potestatem vitæ, & mortis, quia destructio inter vitam, & mortem versatur, habet illam pro termino à quo, istam pro termino ad quem; nec potest aliquid destrui, quin antecedenter vivat, aut existat; destructio igitur utramque potestatem expressè significat, & est quodammodò utriusque potestatis actus; productio autem solùm vitam respicit, & hanc habet pro termino ad quem, non mortem pro termino à quo, neque enim vivens dum producitur transit de morte ad vitam, sicut transit de vitâ ad mortem, dum occiditur; productio igitur significat expressè unicam potestatem, idest in vitam; & quamvis fortè sit actio aliundè major, & nobilior, non est tamen aptior ad significandum dominium in vitam simul, & mortem. Accedit, quod qui Deo sacrificat, solet habere affectum effundendi, sive impendendi in Dei honorem propriam vitam, non conservandi, quem affectum benè insinuat in sacrificio destructiva actio, non productiva. Tandem ex communi modo loquendi animalia dicuntur sacrificari per hoc, quod in Dei honorem mactentur; liquida per hoc, quod effundantur, reliqua per hoc, quod comburantur, quibus verbis importantur actiones destructivæ.

Potestas in vitam, & mortem aptiùs significatur per destructivam, quàm per productivam actionem.

§. IV.

Tota Sacrificij essentia ejus definitione, & multiplici divisione concluditur.

47 Sacrificii definitio per genus oblationis.

ASSERT. I. Sacrificium rectè definitur Oblatio sacra, aliquali rei sensibilis destructione significans ex publicâ institutione internam recognitionem supremi dominii Dei, adde si vis, in vitam præsertim, & mortem. Hanc definitionem profero, ut bonam, & sufficientem; non ut unicam, quæ etiam æquè bona afferri possit: Quò ad substantiam, & sensum adversantur Viguerius, & Arriaga in ly *aliquali rei destructione*; Vasquez, & Amicus in ly *ex publicâ institutione*, ut jam suprà *num.* 10. & 39. retulimus: Quò ad verba, & dispositionem terminorum non curavi eam ex ullo certo Auctore transcribere, quia vix unum cum altero convenientem invenio, & ferè quilibet verbis, aut diversis, aut diversimodè dispositis sacrificium definit, ut facillimum est, Auctores ipsos perlegenti observare: Aliqui breviores sunt, ut brevissimus fuit Augustinus relatus *num.* 21. visibile sacrificium definiens *invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum*: Aliqui alii malunt esse prolixiores, & ad majorem definitionis claritatem, actionisque sacrificativæ explicationem addunt, quod à legitimo ministro, certo ritu, & in determinato loco, idest in altari fiat, sic prolixior est Marchinus tract. de Sacrif. Missæ *par.* 1. *cap.* 2. *num.* 9., & Coninchus de Sacram. *quæst.* 83, *art.* 1. *dub.* 1. *num.* 30. Nos breviores inter, & prolixiores media quasi viâ procedimus, ut & procedunt alii plures; unde asserta definitio, sicuti est quò ad sensum, & substantiam communior, ità talis quoque censeri potest, quò ad modum, & verba; quò ad omnia autem.

48 Tamquam per genus proximum.

Probatur, & explicatur. Dicitur *Oblatio sacra*, quia *ex praeced. num.* 37. & 38. Sacrificium verè est in genere sacræ, idest Deo factæ oblationis, & quamvis sit etiam in genere, tùm sacri signi, tùm externi cultus, nihilominus quia ex una parte hoc utrumque, ut potè latius patens est genus remotius, & omnis sacra oblatio est tùm sacrum signum, tùm externus cultus, non è converso; & ex aliâ generalis definitionum regula est, quod melius tradantur per proximius genus, quàm per remotius magis placuit sacram oblationem pro sacrificii genere ponere, quam externum cultum, aut sacrum signum, quamvis externum cultum ponat Gabriel *lect.* 22. in Canonem, sacrum signum verò Augustinus jam præmemoratus, item Amicus, Marchinus, & aliqui alii; at multo plures, ac signanter Vasquez, Coninchus, Filliucius, Arriaga, Herinex, Madernus nobiscum ponunt oblationem, & benè propter rationem jam dictam; aliundè tamen præser-

tim

verò, quæ ponuntur concomitanter, etsi secundum præsentem institutionem, verè, ac semper ponantur, divinoque supposito sint unita, ex hoc sicuti non habent eucharistiæ Sacramentum constituere, ità nec eucharistiæ gratiam causare, modo eucharistiæ proprio, de quo statim: Ideò

109

Urgebis, dicendo, nostram hanc doctrinam nimium probare, & parum cohærere antecedenter dictis: Nimium probat, probat enim Christum Dominum ad eucharistiæ gratiam causandam non concurrere secundum divinitatem, & personam Verbi, cum secundum utramque ponatur sub speciebus concomitanter, non formaliter; Parum cohæret antecedenter dictis, quia suprà passim, & signanter *num.* 84. diximus, virtutem causandi gratiam in Eucharistiæ sacramento attendi penes præsentiam Christi Domini, & ex eo quod Christus sit totus, etiam sub qualibet hostiâ modicissimâ, deduximus, tantam ex istâ, quantam ex aliâ grandiore gratiam reportari; quânam igitur doctrinæ coherentiâ, nunc similiter astriumus, tantam gratiam reportari ex alterâ dumtaxat, quantam ex utrâque diversæ rationis specie, & tamen nolumus hoc benè deduci, ex eo quod etiam sub alterâ dumtaxat specie sit totus, atque integer Christus. Sed contrà. Ad primum dico, quodlibet sacramentum esse causam instrumentalem particularem suæ gratiæ, & Christum Dominum secundum divinitatem esse causam principalem universalem gratiæ omnium sacramentorum, nostra doctrina hanc secundam gratiæ eucharisticæ causalitatem à Christi divinitate non excludendo probat, Christum secundum eamdem non exercere causalitatem instrumentalem particularem, quam exercet secundum corpus, & sanguinem, quod verissimum, non nimium est. Ad secundum, cum aliquando diximus, virtutem causandi gratiam in eucharistiæ sacramento attendi penes præsentiam Christi Domini, locuti sumus potissimum de virtute fontali, & principali, vi cujus, tùm ipsum eucharistiæ sacramentum, tùm alia ad gratiam causandam elevantur. Cum, ex eo quod Christus sit totus, etiam sub qualibet hostiâ modicissimâ deduximus, tantam &c. intelleximus in rigore totum Christi corpus potius, quàm totum Christum simpliciter, & argumentum in terminis strictioribus, sic debuisset proferri: Totum, quod Christus formaliter, & vi verborum habet quoque sub modicissimâ, ergo tanta gratia ex modicissima hostia reportatur, quanta ex magnâ; quæ illatio optima est, at non potest proportionaliter fieri in speciebus diversæ rationis, quia non totum, quod Christus habet formaliter, & vi verborum, habet, ut consideranti patet, in alterâ tantum, ideò in eo sensu, in quo *num.* 84. probavimus, tantam gratiam reportari ex hostiâ parvâ, quantam ex magnâ, quia Christus est totus etiam in parvâ, non benè nunc probaretur, tantam gratiam reportari ex alterâ specie tantum, quantam ex utraque, quia Christus est totus etiam in alterâ tantum.

110 Christus in Eucharistia causat gratiam, tùm ut causa universalis principalis, tùm ut causa particularis instrumentalis.

111

Dices quartò: Si ex speciebus diversæ rationis non causat majorem gratiam, utraque simul, quam altera tantum, sequitur, speciem vini, pro se loquendo, numquam gratiam causare; hoc est absurdum; ergo. Sequela majoris patet, ex eo, quia, cum species vini per se loquendo sumatur semper post speciem panis, semper inveniret causatam gratiam, quam ipsa causare posset: Minor probatur, quia eucharistia sub specie vini non esset verum sacramentum; semper frustraretur gratiæ promissio speciei vini à Christo facta æquè ac speciei panis; una species impediret effectum, & efficaciam alterius; ei, quæ post alteram sumeretur, melius esset sumi se sola, quàm simul cum alterâ; Apostoli ipsi in ultimâ cænâ, dum sumpto Corpore, sanguinem Christo invitante, ac porrigente, sumpserunt, nullum ex sanguinis sumptione fructum reportassent, quæ omnia absurda, aut certe parum credibilia sunt: Sed contrà: In varias circà hanc instantiam responsiones nostri asserti Auctores distrahuntur; Aliqui putant, nullum esse absurdum, quod species vini numquam, aut vix umquam gratiam causet, at dicunt, id esse per accidens ad ipsam, ut Sacramentum, & quod de facto sumatur semper post speciem panis, est, quia de facto sumitur semper in sacrificio, & ut pars sacrificii: Addunt, non propterea inutiliter sumi, quia inprimis est utilis ad effectum sacrificii, & ad observantiam præcepti; deindè etiam in ordine ad gratiam sacramentalem potest esse utilis, si aut species panis effectu caruerit, aut in sumptione ipsius speciei vini nova dispositio accesserit: Hac responsione contentus est Herinex *disp.* 7 *quæst.* 3. *num.* 28. Verùm nimis detrahit sanguini Christi, & sacramento etiam sub specie vini instituto, ideò cōmunis responsio sequelā, tamquam absurdū cōtinentem negat, at sub ipsâ adhuc sunt varii modi explicandi, quod species, quæ post alteram sumitur, verè causet gratiam, etiamsi utraque non conferat gratiam majorem, quam conferret altera tantum sumpta seorsim: Explicant hoc aliqui dicendo, gratiam, quæ ab unicâ specie seorsim causaretur, in utriusq; speciei sumptione, vel ità attemperari, ut prius secundum unam medietatem causetur ab unâ, & posteà secundum aliam medietatem ab aliâ specie, pro ut species ipsæ una post aliam sumuntur, vel produci quidem totam simul, sed in sumptione speciei, quæ posterius non in sumptione illius, quæ prius sumitur: In hunc secundum modum propendet Bellarminus *lib.* 4. *de Euchar. cap.* 23. *ad* 4. & pro eo Suarez *præcit. sec.* 6. § *Quartum argumentum* refert Claudium Sainctes; Primum modum tradit Salmeron *tom.* 9. *in Evang. tract.* 36. circà finem; Sed uterque est ferè singularis, & prior singularum specierum successivè sumptarum effica-

112 Species vini, & sanguis Christi sumpta post speciē panis, & Corpus, an & quomodò gratiā causent? Varii dicendi modi.

113

efficaciam dimidiat, posterior speciei, quæ primò sumitur effectum suspendit, quod est contrà modum causandi sacramentorum imitantium causas naturales in eo, quod positâ applicatione operantur statim, & quantum possunt, nec patiuntur, aut effectus suspensionem, aut efficaciæ attemperationem. His igitur responsionibus omissis

Ad instantiam; nego quidem sequelam, sed ex alio fundamento, dico scilicet cum Suario mox *cit.* §. *Quartum argumentum*. Esparzâ *precit. quæst. 69. ad* 2. Amico *sec. 2. nu.* 22. Maderno *art. 4. num.* 13. (qui tamen duo posteriores Auctores, sicut & aliqui alii censent quoque, posse probabiliter concedi sequelam, juxta primam responsionem ex Herinex adductam) dico, inquam, speciem vini licet posterius sumptam, semper per se causare illam ipsam gratiam, quam causat species panis, idque quia etiam posterius sumpta facit unum quid cum specie panis, & cum ipsâ, sicuti est unum sacramentum, ità est una causa, benè verò tribuitur alicui toti præsertim successivè applicato effectus, qui indivisibiliter producitur, dum tale totum secundum primam, aut ultimam sui partem applicatur; & secundum alias præcisè sumptas, aut non adhuc, aut non amplius applicatum est; pro cujus pleniore intelligentiâ, recole suprà dicta *num.* 86. 87. & 89. Juxtà hanc responsionem optimè vitantur omnia, quæ tamquam absurdi speciem præseferentia instantia recensuit: Optimè salvatur quomodò quælibet species etiam post aliam sumpta sit utilis, nam præter utilitates ex Herinex relatas subsistit talis speciei utilitas, respectu ipsius gratiæ collatæ in prioris speciei sumptione, est quippè ad aliquem effectum utile quidquid denominatur in illum influere, etiamsi ad illum non requiratur; quidquid illum causat, etiamsi sine ipso causari effectus potuisset, imò causatus de facto fuisset, ut sine secundâ specie causata de facto fuisset eadem tota gratia sacramentalis à prima: Optimè consequenter Sancti Patres, quorum nonnullos memorat Esparza *precit. quæst.* 69. *nu* 2. sæpè tribuentes calici, & sanguini effectus sacramentales, ejusque virtutem, & efficaciam magnificantes.

114 Modus aliis præferendus.

Pro complemento dubitatur, Utrùm hucusque dicta extendenda sint ad species, quæ supponerentur fuisse consecratæ, & sumptæ in triduo mortis Christi? Utrùm scilicet, etiam tunc, non majorem produxisset gratiam utraque species, quam altera tantum? Ratio dubitandi est, quia ut ex professo tradidimus *lib. præced. cap.* 7. § 13. non fuisset tunc Christus, sicut nunc totus sub alterâ tantum, imò neque sub utraque specie, & habuisset quidem, sivè sub alterâ, sivè sub utrâque idem, quod habet nunc formaliter, at non idem, quod habet nunc concomitanter:- Propter hanc rationem dubitandi, qui putant, Christum etiam secundum ea, quæ habet sub speciebus concomitanter causare gratiam, & hanc non conferri majorem ab utrâque, quam ab alterâ tantum specie, quia Christus nihil habet amplius sub utrâque, quam sub alterâ, sed est in singulis æquè ac in ambabus totus, qui inquam hoc putant, videntur debere, aut saltem sine doctrinæ incohærentiâ posse sentire, quod major in triduo gratia ab utrâque, quam ab alterâ tantum specie produceretur, etiamsi non major producatur nunc, & ad ità sentiendum nonnihil propendent Suarez *precit. sec.* 6. §. *Ad secundum*. Arriaga *sec. 4. num.* 25. Herinex *quæst. 3. num.* 27. Verum opinando, ut nos opinamur gratiam sacramentalem modo particulari, & eucharistiæ proprio causari à Christo solum secundum ea, quæ habet sub speciebus formaliter; cessat ratio dubitandi, quia Christus habuisset sub speciebus formaliter tunc eadem, quæ nunc: eodem igitur prorsus modo causasset simul cum speciebus sacramentalem gratiam, quam propterea absolutè sentio, fuisse in triduo eucharisticas species, conferendam tantam, quanta confertur nunc; tantam item sumentibus alteram tantùm, quantam sumentibus utramque speciem, sicut nunc.

115

116 Eucharistia in triduo mortis Christi sivè sub unica, sivè sub utraque specie tantam contulisset gratiam, quantam confert nunc.

LIBER TERTIVS.

De Eucharistiâ ut Sacrificio.

PROH, quo Scholasticæ scenæ mutatio, & propemodum tragediæ species! Sacramento Sacrificium succedit; post peractam scilicet sacræ cœnæ, ex æterni Verbi amore paratæ, jucundissimam repræsentationem, repetimus Iudæorum, in idem Verbum impiè sævientium; infandam memoriam, & deflendum monumentum; mensa epulis exquisitis instructa, victimæ occisioni substernitur; vitalia fercula, & pocula desinunt in ferale mortis spectaculum; convivalis solemnitatis lætitia vertitur in effusi cruoris horrorem; in tristem funeris apparatum; & parùm aberit, quin huc opportunè ex Ambrosio transferatur illa emphasis admirationis *Quid crudelitati cum deliciis! Quid cum funeribus voluptati!* Verum palmariter fallitur, quisquis hujuscemodi cogitatione, vel suspicione pulsatur: Ingens viget in Eucharistiæ Misterio, sacramentum inter, & sacrificium affinitas; mira est utriusque consensio, non distans institutio, præstantia non dispar: In utriusque consortio convivii delicias non turbat victimæ immolatio; non enim hæc ex Iudæorum perfidia, & immanitate tortorum, ut olim, sed ex Fidelium pietate, & religione Sacerdotum, nec aspero verberum, vulnerumvè fragore, sed leni sacrorum verborum sono perficitur: In hac oblatæ hostiæ cæde, nihil funestum, nihil horridum, nihil impium pertimesce; Omnia amore, omnia gratia, omnia Deo sunt plena: Vbi humanorum carnium esus caret inhumanitatis specie; & ebrietas ipsa est sine temperantiæ detrimento, satietas sine violatione jejunii; benè potest Dei Agnus sine horrore mactari, & repræsentari disjunctus à corpore sanguis, sine offensione. Christus sub specierum velamine latet gloriosus, non est conviciis, aut plagis, non torturæ, aut passioni, aut corruptioni obnoxius; non Cruce, non clavis læditur; non funibus apprehenditur, sed fide, nec alio, quam charitatis igne, in holocaustum comburitur. Est igitur innoxium, est incruentum, est gratum, est sacrosanctum sacrificii, quod in Altari litatur, argumentum, est sacramento conjunctissimum; propterea rationi Sacramenti, duobus præcedentibus libris expositæ, jure optimo subjicimus hocce libro exponendam rationem sacrificii, de qua agit D. Thomas brevissimè, & unica idest octuagesima tertia quæstione, quam *de ritu hujus Sacramenti* inscribit: Mirum idcircò non sit, si & nos aliquantulum brevitati studebimus, præsertim circa ea, quæ aut omnino moralia sunt, aut ad sacrificium in communi pertinent, quamvis neque ista, de quibus alibi idest 2. 2. *quæst.* 85. Sanctus Doctor tractat, nos possimus in præsenti prorsùs omittere. Sit igitur

Lib. 3. de Virginibus post initium.

CAPUT I.

De Sacrificio in communi.

1 Sacrificiũ ex vi nominis quid?

SAcrificium, ex ætimologiâ nominis, ex quâ sacrum factum sonat, valdè amplam habet significationem, & quodlibet opus bonum factum in Dei honorem, sicque Deo quodammodo sacrum, seù sacratum complectitur: Juxta hanc significationem, justitia, interna contritio, externa laus, & alia hujusmodi appellantur Interdum Sacrificium in Scripturâ sic *Psal.* 4. dicitur *Sacrificate sacrificium justitiæ* Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Psal. 46. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Juxtà eamdem aliquando loquuntur Sancti Patres, ex quibus affertur potissimum Augustinus, qui *lib.* 10. *de Civit. cap* 5 In fine ait *Misericordia verum sacrificium est*, & posteà *cap.* 6. quod *De vero perfectoque sacrificio* inscribit, statim in principio habet *Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad*

aliun

illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.

2

Præter significationem cuilibet bono operi communem habet significationem aliam peculiarem, & magis propriam,

Hac sacrificii significatione libenter utuntur, aut potius abutuntur plures Sectarii, contendentes, eam esse unicam, vel saltem, magis propriam, ut sic facilius à Missâ auferant rationem sacrificii propriam, ac peculiarem, nec aliam agnoscant, quam quæ cuilibet bono opere communis est: Hinc Melancthon, ut refert Bellarminus *lib. 1. de Missâ cap. 2.* ità sacrificium definit *Est ceremonia, vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus*, & Calvinus parum distat dicendo *quod sacrificium generaliter acceptum complectitur quidquid omninò Deo offertur:* Verùm indubitanter sentiendum est, prædictam significationem, cui definitiones istæ accommodantur, nec unicam, nec magis strictam, propriamvè esse; sed debere aliam admitti, secundùm quam nec quodlibet bonum opus, nec qualibet oblatio sacrificium sit, & quæ sola veniat nomine sacrificii absolutè prolati: Deducitur primò ex cômuni sensu, & consensu omnium hominum, qui quoties apud Auctores, sivè sacros, sivè profanos, legunt, aliquem Deo sacrificasse, non intelligunt ipsum, aut fecisse eleemosinam, aut recitasse preces, aut aliud quodcumque bonum opus exercuisse in Dei honorem: sed omnes appræhendunt aliquid determinatus, & peculiare dicens relationem ad Sacerdotium, aram requirens, & victimam, quæ non quadrant in quodcumque opus bonum.

3

Deducitur secundò ex Scriptura, quæ cum diversis virtutum operibus tribuit sacrificii nomen, solet id præstare cum aliquo addito limitante, & denotante improprietatem, puta dicit *Sacrificium justitiæ Sacrificium laudis*; eaque sacrificio simpliciter dicto contraponit, sic Psal. 50. ad ly *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* præmittit *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique*. 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quàm victima*, & Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*; ergo ex ipso contextu Scripturæ habetur duplex sacrificii significatio, altera latior, & minus propria, quâ quòdlibet opus bonum dici potest sacrificium secundùm quid, & cum addito, altera propria, & stricta, secundùm quam aliqua peculiaria opera virtutis Religionis sunt sacrificium absolutè, & simpliciter.

Neque est, quod Sectarii sibi blandiantur, aut de ætimologiâ nominis, aut de eo, quod in scripturâ licèt insinuetur duplex Sacrificii significatio, videtur tamen haberi tamquam potior, & principalior ea, quæ ipsis magis probatur, nam virtutum opera, quæ sunt juxtà eam significationem sacrificia locis mox citatis, præferuntur sacrificiis in alia significatione acceptis, undè Augustinus *praci1.cap.5.* non solùm misericordiam absolutè appellat *verum Sacrificium*, sed insuper antecedenter ait *Ubi scriptum est misericordiam magis volo, quam sacrificium, nihil aliud quàm sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi, quoniam illud, quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii*; quin & D. Thomas 2.2. *quæst. 85. art. 4. in cap.* sacrificium interius dicit *esse primum, & principale* & tamen non est sacrificium, nisi secundùm significationem à Sectariis approbatam.

4

Non est, inquam, cur de his sibi Sectarii blandiantur, nam quantum ad ætimologiam attinet, commune est omnibus vocabulis, plùs quo ad rem significare, quàm ex suo ætimo nomen sonet, alioqui non esset in definitionibus distinguendum quid rei à quid nominis, nec magis ad quid rei, quàm ad quid nominis attendendum: Quantum attinet ad Scripturam, ea quæ per nos sunt sacrificia minus propriè, & secundum quid, præferentem iis, quæ sunt sacrificia simpliciter, & magis propriè dicta; adverto, opus, quod sacrificium denominatur, considerari posse secundùm rationem, vel dignitatis, & perfectionis propriæ, vel conceptus formalis, & essentiæ sacrificii; secundùm priorem, non secundùm posteriorem rationem Scriptura præfert obedientiam victimæ; misericordiam, spiritum contribulatum, & alia hujusmodi sacrificio simpliciter dicto; ex quo sequitur, alia virtutum opera, & actus præsertim internos esse quid simpliciter præstantius, at non præstantius sacrificium, esse in se majoris bonitatis, vel etiam in ordine ad sacrificii effectum, qui est Deum placare, & Deo placare, magis valere, quàm oblationem sensibilem in Dei cultum factam; at cum hoc stat in istâ perfectiùs, & magis propriè reperiri conceptum formalem, ac essentiam Sacrificii. Hinc solùm relatè ad propriam, & quasi materialem operis bonitatem, ac perfectionem, tùm D. Thomas primùm, & principale nominat sacrificium interius, tùm D. Augustinus in misericordiæ ad sacrificium prælatione ait, oportere intelligi sacrificio sacrificium prælatum: Nec refert, quod Augustinus *ibid.* misericordiam appellet verum sacrificium; & quod à nobis verum sacrificium dicitur, dicat esse veri sacrificii signum; Non refert inquam, quia sicut ipse Augustinus *tract. 80. in Joan.* super illud Christi *Ego sum vitis vera* scripsit *Numquid, ut adderet vera, hoc ad eam vitem retulit, undè ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem*, ità dum nunc vocat misericordiam, aut aliud quodlibet bonum opus sacrificium verum, non est censendus loqui relatè ad propriam rationem formalem, & essentiam sacrificii, sed relatè ad effectum placendi Deo, seù placandi Deum, quem effectum Augustinus denotat, meliùs, veriùsque præstari posse per misericordiam, aliavè bona opera, quàm per illam actionem, seù oblationem, in quâ consistit propria essentia sacrificii; sicuti Christus, dicendo se vitem veram, voluit denotare, se præstare effectus excellentiores, quàm vera vitis in vineis plantata, voluitque se (ut eo loco Augustinus subdit) *discernere ab illâ, cui dicitur, Quomodò conversa es in amaritudinem vitis aliena?* Augustinus igitur suâ quodammodo luce se signat, & ex iis, quæ alibi

5

In quo sensu sacrificium secundùm priorem significationem sit verum sacrificium

scribit,

scribit, se ipsum, quò ad textum nunc controversum, explicat.

6 Sic universim constito de duplici significatione, seu acceptione hujus nominis sacrificium, explicanda est singillatim posterior, quæ est stricta, & vera secundùm proprietatem significatio, seu acceptio; explicanda est inquam in eo potissimum sensu, quo ab hæreticis negatur, idest quatenus importat aliqua prædicata missæ, aliisque sacrificiis propriè dictis, non verò simul cuilibet bono operi convenientia; in quibus quidem prædicatis stabiliendis, aut exponendis, Catholici ipsi inter se discrepant, hincque varii variis sacrificii propriè dicti, & in missâ reperti definitiones excogitant, nos antequam ullam in particulari amplectamur, discurremus per aliqua ex prædicatis hujusmodi, ut tali discursu, ac quasi apparatu viam sternamus, tùm ad stabiliendam definitionem strictæ, ac propriæ sacrificii acceptioni magis conformem, tùm ad meliùs sustinendam catholicam de missæ sacrificio veritatem à Sectariis simul cum ea, de quâ agitur, sacrificii acceptione, seu significatione negatam. His positis sit

§. I.

An, & quænam ratio Signi spectet ad Sacrificii essentiam?

7 Assert. I. Ratio signi verè spectat ad essentiam Sacrificii simpliciter, & propriè dicti, eaque in primis debet esse ratio signi sensibilis. Ità communis omnium sensus, & consensus contrà paucos Hæreticos abutentes, ut præmissum est sacrificii nomine, nec distinguentes inter sacrificium simpliciter, & sacrificium secundùm quid, sacrificium proprium, & sacrificium metaphoricum.

Sacrificium est ex suo genere signum. Probatur, ex eo quia sacrificium in genere signi expressè constituit Augustinus in verbis suprà allegatis dicens *Illud quod ab hominibus appellatur sacrificium signum est*; idem tradit D. Thomas 2.2.*quæst.*85.*art.*1.*in c.* docens, ad rationem sacrificii pertinere, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, *offerens eas Deo in signum*; eodem modo loquuntur alii Sancti Patres, & Scholastici passim, dum de sacrificio simpliciter, & propriè dicto, aiunt; verè igitur ad hujus essentiam spectat ratio signi, & hæc in primis debet esse ratio signi sensibilis, quia sermo est de sacrificiis humanis, quæ nimirum inter homines exercentur, seu ab hominibus offeruntur, ergo si sunt signa, debent esse signa humana, seu hominibus accommodata, hujusmodi autem sunt sola signa sensibilia, ut ex professo ostendimus in tract. de Sacram. in gen. *lib.*1.*cap.*1.§.2. Quod totum confirmatur, ex eo quia D. Thomas

8 Humanû, & sensibile, mox *cit. art.* 1. cæterique communiter docent, esse de lege naturæ, & homini naturale, offerre sacrificium Deo, quia homini ex unâ parte est de lege naturæ alicui Superiori, ac maximè Deo subdi, eique subjectionem, & honorem exhibere; ex aliâ parte est naturale uti sensibilibus signis ad aliqua exprimenda, & inter alia suam ad Deum subjectionem, honorisque exhibitionem ad sacrificium pertinentem; esset antem ex hâc parte discursus impertinens, quoties in sacrificio non contineretur, seu sacrificium non ingrederetur ratio signi sensibilis.

9 Ad placitum, & ex institutione; Supposito, quod sacrificium sit signum, videtur illicò quærendum, utrùm sit naturale, an ad placitum? utrùm ex propriâ naturâ, an ex extrinsecâ institutione significet? Verùm ex eo quod dictum est, esse signum humanum, ferè constat esse ad placitum; vix enim aliis signis, quam ad placitum institutis, homines utuntur, idque multo magis constabit, eum assignatum fuerit, cujus rei sacrificia sint signa, facilè enim considerandi innotescet, ipsa non habere cum re, quam significant ullam necessariam connexionem, & habitudinem, vi cujus possint naturaliter ejus cognitionem inducere, & licet fortè habeant aliquam affinitatem, & similitudinem, habeant hanc valdè remotam, & minorem, quam respectu suorum effectuum sacramenta, quæ tamen sunt eorumdem signa solùm ad placitum, & ex institutione, ut dictum est in proprio tractatu *præcit.*§.2. ex quo loco obiter repetendum est, sacrificium convenire quidem cum sacramento, in ratione signi instituti ad placitum; at non in ratione signi instituti permanenter, & lege stabili; sed hoc ad sacramentum, non ad sacrificium requiri.

Hæc institutio non est necesse, quod sit facta permanenter, & lege stabili. Neque item, quod sit divina. Ad sacramentum pariter, non ad sacrificium requiritur, quod institutio sit divina, idest à Christo Domino, vel à Deo, sufficit, quod eam sibi Deus non reservet, ut possit auctoritate purè humanâ fieri; ratio est facilis, quia sacrificium secundùm suam essentiam est homini naturale, & secundùm naturæ legem, nec item ex parte ejus, quod significat, superat humanæ naturæ facultatem, non est igitur, cur potestate, & institutione humanâ aliquid determinari in signum illud, quod ad sacrificii essentiam pertinet, ut & tradidit in terminis D. Thomas *præcit. art.*1. *ad* 1. dicens determinationem sacrificiorum esse ex institutione humanâ, vel divinâ; Diversa protsùs est ratio de sacramento, quod nec est homini naturale, nec aliquid naturale significat, sed est signum practicum, & causa gratiæ in substantiâ supernaturalis, cujus virtus causativa, & practica significatio, sicuti omnem creatam virtutem excedit, ità signum, cui ea convenit, superat omnem humanam institutionem.

Dubitatur jam in præsenti; Utrùm pro signo ad sacrificium pertinente requiratur saltem institutio humana publica, an etiam sufficiat privata, idest, quæ à privatâ personâ, & privatâ auctoritate fiat? Hîc secundâ contenti sunt Vasquez *disp.*220. *cap.*3.*nu.*19. Amicus *disp.*32.*num.*8. aliique nonnulli: primam

nam requirunt Suarez *disp. 73. sec. 4.* Lugus *disp. 19. sec. 1. num. 11.* Arriaga *disp. 49. sec. 3. subsec. 1.* Coninchus *quaest. 83. art. 1. dub. 1.* Mademus *quaest. 8. art. 1. num. 11.*, & magis communiter reliqui Scholastici, cum quibus sit.

11 Benè verò, quod sit publica, idest procedens à publica persona, & ex publica auctoritate

Assert. 2. Signum spectans ad essentiam sacrificii simpliciter, & propriè dicti, debet esse publicum, seù à publicâ personâ, & publicâ auctoritate institutum.

Probatur tùm à posteriori, ex eo quod non legimus, unquàm privatam personam sacrificium aliquod instituisse, imò nec obtulisse (quamvis sacrificium offerre minus sit, quam instituere) sed invenimus hoc semper præstitum fuisse à sacerdotibus, qui sunt personæ publicæ, & ad proprium ministerium à Republicâ destinatæ; tùm à priori, quia ex genere suo sacrificia pertinent ad unum, eumdemque in toto populo ritum Religionis, & ad recernendum in eo, quod potissimum, & propriissimum est humanæ creaturæ, idest in sensibili Dei cultu unam Rempublicam ab alia, vel unum ab alio legis statum, ut sic Deus ab omnibus unius corporis politici membris, uno externo cultu colatur; melius serveiur ejusdem corporis unitas; & concordia, decentiùs actiones, maximè sacræ, cujusmodi sunt sacrificia exerceantur, cautiùs præcludatur superstitionibus, & idololatriis aditus, ad quæ, & similia necesse est, non residere in privatis personis potestatem instituendi varia pro libito, & exercendi vario, privatoque ritu sacrificia; cum præcipuè ob similes, aut etiam minores rationes nequeant privatâ auctoritate institui, seù constitui multa alia non tanti, quanti sacrificia momenti, puta rerum pretia, vocum significationes, Principum tituli, honores Magistratibus exibendi &c.

12 Dices, hæc omnia continere rationes congruentiæ; ob quas expedit sacrificia auctoritate publicâ institui potiùs, quàm privatâ, at non evincere, quod id necessarium sit ex naturâ rei; & cum aliundè institutio, ut potè pertinens ad causam efficientem sit sacrificio extrinseca, non apparet, quomodo præcisè ex diversitate institutionis privatæ, & publicæ, diversificari possit sacrificium essentialiter, imò destrui sacrificii essentia. Accedit, quod nec desunt forte de facto exempla sacrificiorum olim institutorum à privatis personis, talia quippè ab aliquibus censentur sacrificia Abelis, Abrahami, & Jacob: Nec admodùm urget, quod à pari, imò à fortiori afferebatur de rerum pretiis, vocum significationibus &c. hæc enim, quia mutuò inter homines exercentur, debent omnibus innotescere, & non solent innotescere aliter, quàm per publicam institutionem; Sacrificium exercetur inter hominem, & Deum, cui institutio privata æquè, ac publica innotescit, ideò &c. Sed contrà: Quod sacrificii nomen hoc, vel illud significet, ac per consequens, quod hoc, vel illud sit de essentia rei, sacrificii nomine importatæ, non habe-

13

tur ex ipsâ rerum naturâ, sed ex hominum impositione, & usu, cujus possunt dumtaxat reddi congruentes rationes, non demonstrationes necessariæ, & convincentes, undè nos ex usu, & sensu communi potius, quàm aliundè censemus constare, nomen sacrificii esse de facto impositum, ad significandum aliquid publicâ auctoritate institutum; hoc deindè ulterius probamus rationibus, quæ licèt non excedant congruentiæ limites, sunt tamen optimæ, & efficaces pro conditione materiæ non admittentis rationes ab intrinseco, & ex naturâ rei concludentes. Ad illud, quod in oppositum afferebatur, de institutione, dico, hanc ingredi essentiam sacrificii, ut est compositum morale ex re significante, & significatione, & quod institutio sit publica, vel privata non variat quidem essentiam signi sumpti physicè, pro substrato significationis præcisè, benè verò sumpti moraliter, & omninò adæquatè pro toto constituto ex significationis substrato, & significatione ipsâ, ut in simili dicebamus de nomine, essentiâ, & institutione sacramenti in proprio tractatu *lib. 1. cap. 1. §. 2. & lib. 2. cap. 1. §. 3.* in fine.

14 Aliquando habiti sunt pro sacerdotibus omnes Primogeniti, & Principes familiarum.

Ad illud, quod addebatur de sacrificiis Abelis, Abraham, & Jacob, dico, istos ea instituisse auctoritate publicâ, quia instituerunt ex peculiari Dei commissione, & deputatione, ex quâ fuerunt pariter eo ipso instituti Sacerdotes: præter quod aliquando pro sacerdotibus habiti sunt omnes primogeniti, & principes familiarum, ut refert Herinex *disp. 8. quaest. 1. num. 5.* Nec refert, quod prædicta sacrificia fuerint unicâ vice oblata, non verò instituta, ut sæpius repeterentur. Non refert inquam, quia etiam sacrificium Crucis fuit unicâ vice oblatum à Christo, qui tamen certè illud obtulit, ut summus sacerdos, & persona publica, ac publicâ auctoritate; quod igitur sacrificium instituatur, semel tantùm offerendum, non impedit, quin sit censendum publicè, & à publicâ personâ institutum; ad summum tollit, quod sit institutum permanenter, & lege stabili, at hoc nos non contendimus esse de essentiâ sacrificii, imò oppositum insinuavimus *praecit. §. 2. num. 25.* & aliud est, institui lege publicâ, aliud lege stabili, ac diù duraturâ, quamvis fortè aliqui utrumque confundant, nec habeant pro sacrificiis, publicè institutis ea, quæ non sunt sæpius, & à multis exercenda.

15

Ad aliud, quod adversus paritatem in nostrâ probatione positam obiiciebatur, dico, sacrificium exerceri quidem inter hominem, & Deum, quatenus Deum respicit, & est oblatio, ac protestatio ab homine facta Deo; at quia fit ad excitandam, & significandam erga Deum reverentiam, & devotionem, non solùm ejus, qui sacrificat, nec solùm Deo, sed etiam aliorum, & aliis; debet etiam aliis innotescere, aut saltem etiam ab aliis quando innotescet ad id significandum acceptari, ideò necessaria est ad instituenda sacrificia publica auctoritas, eâdem, imò majori ratione, quàm ad ta-

xanda

taxanda pretia rebus, ad imponendas significationes vocibus &c.

Urgebis, & dices ulterius, benè ista procedere secundùm præsentem politiam, & statum hominum agentium vitam socialem, & habentium determinationem sacrificiorum, quibus uti debent, ac consequenter prohibitionem inducendi, aut exercendi alia; cæterùm si agerent vitam solitariam, absque societate, & commercio, nec haberent, sacrificiorum auctoritate publicâ institutorum, determinationem; utique nec deberent sacrificiis carere, cum Deo sacrificare sit de jure naturæ, nec possent ea habere aliter, quam ex privatâ, & variâ singulorum institutione, quâ unus hanc, alius illam oblationem, unus hunc, alius illum ritum eligeret, ad suam ergà Deum subjectionem, Dei ergà se dominium profitendum; ergo in tali statu possent homines, privatâ auctoritate instituere sacrificia, ergo quod de facto nequeant est per accidens, ratione præsentis status, & positivæ prohibitionis. Sed contrà: Quò ad prohibitionem; dico, hanc posse reddere illicitam, at non invalidam, seù falsam institutionem, oblationemve sacrificii factam à personâ privatâ, quoties aliæ conditiones non desint, nec ad sacrificii essentiam pertineat ratio signi publici, seù publicâ auctoritate instituti; est enim decantata regula, quod facta teneant, quæ fieri prohibentur; non obstante igitur prohibitione teneret etiam pro præsenti statu institutio sacrificii, quæ à personâ privata fieret, licèt hæc eam faciendo peccaret; sicuti de facto sacerdos prohibitus missam celebrare, celebrando peccat, at verè, validèque celebrat, atque sacrificat. Quò ad statum vitæ solitariæ, in quo nulla persona publica supponatur, nullaque à Deo, vel ex Dei commissione sacrificii institutio, dico, homines ità viventes necessariò carituros omni sacrificio simpliciter, & propriè dicto: Nec refert, quod Deo sacrificare sit de jure naturæ, nam eodem modo est de jure naturæ, quod non omnes homines vivant sine vitâ sociali, & sine publicâ in aliquo auctoritate; admissa igitur hac ad jus naturæ difformitate, nil mirum si admittenda simul sit difformitas carendi omni sacrificio; unum quippè inconveniens facilè aliud infert: Deindè Deo sacrificare est de jure naturæ, quatenus est rationi naturali conforme, quod ab aliquibus idest à sacerdotibus tamquàm personis publicis sacrificia offerantur, non sic quod offerantur, multoque minus; quod instituantur, saut ab omnibus in communitate, aut etiam ubi nulla est communitas, nullaque publica persona, ut in statu, & casu instantiæ, in quo propterea possent homines uti ergà Deum externis, reverentiæ signis, aut quasi naturaliter significantibus, ut sunt flexio genuum, junctio manuum, inclinatio capitis; aut soli Deo, & utenti notis; at non sacrificiis, aut aliis signis significantibus ad placitum, & innotescentibus communitati; & licèt posset quis v. gr. ovem mactare, aut liquorem aliquem effundere, intendendo per hoc Deum colere, ejusque dominium recognoscere, adhuc sacrificium non offerret, secundùm propriam, primævam, & hucusque usitatam acceptionem hujus nominis *Sacrificium*, solum faceret aliquid sacrificio valdè affine, & ad quod cum modicâ ampliatione, & primævæ impositionis mutatione posset sacrificii nomen accommodari.

16

17 In quo sensu sit de jure naturæ offerre sacrificia Deo.

Ex his facilè explicatur, cur Martyrium non sit proprium sacrificium, etiamsi martyr possit propriam vitam Deo offerre, non solùm in testimonium veritatis, & exercendo actum fortitudinis, aut alicujus alterius virtutis à Religione, sed etiam in protestationem divini dominii, & exercendo actum religionis, qua ratione videntur concurrere omnia ad sacrificium proprium requisita: Facilè inquam explicatur; dicendo, deesse publicâ auctoritate, quâ mors Martyrũ fuerit instituta in publicũ signũ proprii actus religionis, & dominii Dei protestativũ, quæ auctoritas, quia non defuit respectu mortis Christi, fuit hæc verum martyrium simul, & proprium sacrificium, tamquam à Christo ipso, vel à Deo instituta in publicũ signum &c. Scio, Amicum *præcit. disp. 32. num.* 15. independenter à publicâ institutione, quam ipse in sacrificio non requirit, negare in martyrio veram sacrificii rationem, quia, inquit sacrificans activè concurrit ad immolationem victimæ, Martyr verò debet merè passivè se habere, mortem tolerando, non activè cooperari ad se ipsum occidendo, & immolando. Scio id, inquam, & ideò ad probandam in sacrificio publicæ institutionis necessitatem, omisi, tamquam fortè insufficiens argumentũ desumptum, ex eo quod aliter deesset fundamentum negandi cuilibet martyrio prærogativam, veri sacrificii; Moneo tamen, Amicum ibi laborare, in explicando, quomodo Christus ad suæ humanitatis, quam in verum sacrificiũ Deo obtulit, destructionem, ac mortem activè concurrerit, & quo plus conatur hujusmodi activum concursum pro sacrificii veritate sustinere, eo amplius videtur de propriâ martyrii perfectione, & conditione ex Christi morte detrahere: Quidquid deindè de hoc sit, quando hâc viâ, aliâve simili possit sufficienter salvari in Christi potius, quam in aliorum martyrum morte, vera sacrificii ratio; certè est per se optima, expeditior, & facilior via id salvandi titulo publicæ institutionis ideò &c.

18 Cur martyrium non sit verum, & propriũ sacrificium

19

§. II.

§. II.

Ad quid referatur, seù quid significet Sacrificium, ut habet rationem signi?

26 ASSERT. I. Sacrificium, ut habet rationem signi refertur ad aliquid ex parte hominis, à quo offertur, & ad aliquid ex parte Dei, cui offertur; ex parte illius ad internum cultum, ex parte istius ad supremum dominium. Breviter, sacrificium, ut est signum, significat actum internum, quo homo colit, & recognoscit in Deo excellentiam supremi domini (adde si vis) in vitam præsertim, & mortem. Adde, inquam, si vis, quia licet dominium eo ipso, quod est supremum, sit etiam in vitam, & mortem, adeoque ly *in vitam, & mortem* jure censeatur includi, & importari ab ipsâ excellentiâ supremi dominii, nihilominus, si expressis terminis apponatur, melius explicat in sacrificio id, quod formalissimè significat ex parte Dei, & per quod ab aliis oblationibus Deo factis potissimum contradistinguitur, ideò liberum relinquo, vel ex primo capite non addere, vel ex secundo addere illa verba, & ad Vasquium *præcit. cap. 3. num. 22.* existimantem, esse necessariò addenda, habeo me problematicè, vel ad ipsum accedo, si loquatur de necessitate secundum quid, & ad melius esse, secus si de necessitate simpliciter. Totum assertum, si leve prædictæ additionis dissidium excipias, receptissimum est, &

21 Probatur. Et quidem, quod sacrificium, tùm ad aliquid ex parte hominis, tùm ad aliquid ex parte Dei referatur, patet, ex eo quod exercetur ab homine ergà Deum, & ut ait Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 6. *etsi ab homine fit, vel offertur, tamen res divina est.* Quod deindè ex parte hominis referatur ad actum interni cultus, & hunc significet facilè deducitur ex verbis ejusdem Augustini *eod. lib cap. 5.* dicentis *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum est,* item D. Thomæ 2. 2. *quæst. 85. art. 2. in c.* ubi habet *Significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo,* & licet ambo isti Sancti Doctores invisibile, & interius sacrificium illicò *ex Psal. 50.* exemplificent in sacrificio spiritus contribulati, & cordis contriti, id præstant solum, ut ponant ex scripturâ aliquod sacrificii interni exemplum, & insinuent actum internum pænitentiæ, & contritionis, esse suo modo sacrificium optimum, & Deo valdè acceptum; cæterum non proferunt talis actus exemplum, ex eo quod putent, ipsum, non verò cultum, & reverentiam interiorem significari à sacrificio visibili, & externo; imò D. Thomas statim ostendit, se aliter sentire *ibid.* dicendo externa sacrificia esse actus religionis externos, & ideo ad actus religionis internos ordinari, seù referri pertinent autem ad religionem actus cultus, & reverentiæ, non actus pœnitentiæ, & contritionis; posteà etiam idem D. Thomas *seq. art. 3.* expressè statuit, sacrificium esse quemdam actum habentem laudem, ex eo quod in divinam reverentiam fit, & post nonnulla concludit, esse propriè sacrificia illos solos actus, qui non habent laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam; Non est igitur ambigendum, quin, & secundum D. Thomæ mentem, & secundum veritatem sacrificium externum ordinari debeat, & referri ad internum actum cultus, reverentiæ, submissionis, huncque significare: Quod tandem idem sacrificium ex parte Dei referatur ad supremum dominium probatur, tùm ex mox dictis, reverentia enim, & submissio hominis ad Deum habet pro correlativo ex parte Dei superioritatem, & dominium; tùm ex eo quia Sacrificium est in genere oblationis; oblationes autem Dominis fiunt, & dominium significant ex parte eorum, quibus fiunt: Porrò sicuti maximus esse debet affectus, quo sacrificans se submittit, & aliquid offert Deo, adeò censetur paratus, se ipsum in Dei honorem destruere, si id sibi liceret, & quatenus id sibi non licet, loco sui aliqualiter destruit, & immutat rem aliam, quam offert; ità colitur à sacrificante, & significatur à sacrificio ex parte Dei dominium, non qualecumque, sed supremum, maximè relucens in absolutâ potestate, disponendi de rerum omnium vitâ, & morte, esse, & non esse; quæ supremi dominii, & absolutæ potestatis ratio coincidit cum ratione primi principii, & ultimi finis, principii creationis, & finis beatificationis; quibus terminis libentius, quam illis supremi dominii viderur in proposito, uti nonnulli, & signanter D. Thomas *præcit. art. 2.*

Sacrificium ut habet rationem signi significat ex parte hominis actum internum reverentiæ & submissionis ad Deum.

22 *Ex parte Dei dominium supremum.*

23 Dices: Infideles, & Gentiles obtulerunt, & offerunt vera sacrificia, quibus tamen non significabatur, nec significatur internus cultus ex virtute religionis, in offerentibus, aut supremum dominium in eo, cui offerebantur; ergo non est de essentia sacrificii ista significare, nec benè assignavimus id, ad quod sacrificium secundum rationem signi sibi essentialem refertur; consequentia patet; antecedens probatur, quo ad primam partem, quia ex communi hominum sensu verus sacrificiorum usus, in qualibet, sivè fidelium, sivè infidelium republicâ, viguit semper, ac viget; probatur item quo ad secundam, quia infideles non operantur ex religionis virtute, & sua sacrificia offerunt idolis, aut dæmoniis, nullam habentibus supremi dominii potestatem. Confirmatur: Si quis habens præceptum sacrificandi, exerceat opus externum sacrificii, sine interno religionis actu, offert verum sacrificium, quia præcepto sacrificandi satisfacit, & tamen non significat suum internum actum, quia hunc in re-

24 *Signum potest esse verum veritate, aut transcendentali, & essentiali, aut etiam formali.*

non habet. Sed contrà: Veri sacrificii, sicut & veri signi nomine intelligi potest, vel illud, quod verè habet omnia requisita ad significandum, idest ad excitandam notitiam ejus, cujus est signum, imò etiam hanc sivè veram, sivè falsam verè, & realiter excitat; vel illud, quod præterea verè verum significat, adeò ut, id cujus est signum, verè existat à parte rei, & notitia, quam excitat vera sit, ac suo objecto à parte rei existenti conformis: Primo modo signum, seù sacrificium est verum solum in actu signato, & veritate transcendentali, seù essentiali; Secundo modo etiam in actu exercito, & veritate formali, ac quasi accidentali primo etsi non secundo veritatis modo fuerunt, & sunt vera sacrificia Gentilium, habuerunt scilicet, & habent omnia requisita ad significandum internum cultum, & supremum dominium, imò utrumque in actu signato verè significant, quatenus utriusque notitiam ingerunt licèt deindè neutrum à parte rei verè existat in iis, in quibus existere significatur, adeoque neutrum verè significetur in actu exercito, & veritate formali; sicuti ista propositio *Antichristus actu existit* essentiali, & transcendentali signi veritate verè significat actualem existentiam Antichristi, licet hæc verè à parte rei non detur, nec verè significetur veritate formali, & exercitâ. Ad confirmationem; si præcepto sacrificandi satisfit, ponendo solum opus externum sine interno religionis actu, id erit, quia ad satisfaciendum tali præcepto, sufficit ponere sacrificium verum veritate transcendentali, & essentiali nuper explicatâ: In re tamen crediderim, non satisfacturum præcepto sacrificandi eum, qui poneret opus externum sacrificii, nullatenus intendendo Deum colere, nam iste non faceret modo humano actionem religiosam, & sacram, quod est de ratione sacrificii, etiam purè externi; & aliud est, quod possit esse verum sacrificium externum, sine vero cultu interno, aliud, quod possit esse sine intentione ponendi, aut cum intentione non ponendi ullum cultum internum;

25

Utrùm deindè ad hoc ut sacrificium dicatur verum simpliciter, & absolutè, sufficiat ipsi prædicta veritas essentialis, & transcendentalis, an sit insuper necessaria veritas formalis, adeò ut simpliciter, & absolutè sacrificia Gentilium dicenda sint falsa, vel putata potius, quam vera? multum habet quæstionis de nomine, in quâ Suario *disp.* 73. *sec.* 2. circà medium, & Amico *disp.* 32. *num.* 18. magis placet simpliciter falsum appellare, aut putata, sacrificia illa; at ex adverso simpliciter potius appellant vera Vasquez *disp.* 220. *cap.* 3. in fine Lugus *disp.* 19. *sec.* 1. *num.* 13. Arriaga *disp.* 49. *sec.* 3. *subsec.* 4. *num.* 28. Madernus *quæst.* 8. *art.* 1. *num.* 9. & alii magis communiter, quibus favet Augustinus *lib.* 10. *de Civit. cap.* 4. in quo, licet titulus sit *Quod uni vero Deo sacrificium debeatur* in fine tamen habentur hæc verba *Quis verò sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum, aut scivit, aut putavit, aut finxit*; sensit igitur Augustinus deberi quidem sacrificia, & licitè offerri soli Deo vero, at simpliciter, & absolutè posse sacrificari, etiam Diis putatis, aut fictis; propter hanc auctoritatem, & propter generalem regulam, quâ ubi de significatione nominum agitur, expedit sentire cum pluribus, accedo ad Auctores secundo loco relatos, & puto, sacrificia Gentilium dicenda esse vera potius, quam falsa, absolutè loquendo; etsi alioqui sint prava, & impia, nec ad veram virtutem religionis, sed ad idololatriam pertineant, sicut ad eamdem pertinet falsorum numinum adoratio, quæ tamen, & ipsa, vera adoratio esse potest.

26 *Prima veritas sufficit ad rationem signi pro vero sacrificio requisiti.*

Ideò sacrificia Gentilium absolutè sunt vera, etsi prava, & impia.

27

Significatio sacrificii usque modo exposita solet nuncupari significatio moralis, quia per se loquendo habet pro termino immediatiore, & præcipuo actum internum moralem, ad moralem scilicet virtutem, & ad bonos hominis mores pertinentem: Præter hanc significationem astruunt aliqui, in quolibet sacrificio significationem aliam, quam vocant mysticam, eo quod habeat pro termino mysterium aliquod supernaturale, & reconditum, ad cujus repræsentationem, vel rememorationem sacrificium sit institutum; Verùm hæc significatio mystica non est sacrificio ex genere suo essentialis, ut statim concludo, & explico.

Assert. 2. Sacrificium, ut habet rationem signi, potest etiam referri ad significandum aliquid mysticè, & fortè hoc convenit omnibus sacrificiis institutis de facto à Deo: Absolutè tamen loquendo, sola significatio moralis antecedenter asserta, non verò simul significatio mystica est de essentiali sacrificii ratione. Est veritas solum aliquali indigens explicatione, ideò facilè.

28 *Probabile est omnia sacrificia instituta de facto à Deo significare mysticè sacrificium Crucis.*

Probatur in primis, imò supponitur prima pars, quia significatio mystica, & ad aliquod supernaturale mysterium terminata, est maxime sacra, & alicujus maximè sacra significatio; potest igitur rationi signi sacri in sacrificio repertæ maximè convenire, adeòque sacrificium, ut habet rationem signi potest etiam referri &c. & fortè sic referuntur omnia sacrificia de facto à Deo instituta, omnia scilicèt significant mysterium passionis, & mortis Christi, ex cujus meritis, sicut Deus voluit hominibus omnem peccatorum remissionem, & gratiam, ità verisimile est, ad ejus significationem, & protestationem ordinasse sacrificia, quibus homines ad Deum placandum, aut ad Deo gratias agendum uterentur: Et quidem ab eucharistiæ sacrificio, quod est in lege novâ unicum, Christi passionem, & mortem significari, satis superque innotescit: Quò ad sacrificia legis antiquæ scriptæ (eademque videtur esse ratio de sacrificiis legis non scriptæ, seù naturæ) cum essent omnia figu-

figuralis, ut insinuat Apostolus 1. *Cor.* 2. dicens *Omnia in figura contingebant illis*, videbantur omnia, tamquam figuræ, & imagines ad idem, aut immediate, aut mediante eucharistiæ sacrificio referri, ut magis in particulari expendunt D. Thomas 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 3. & D. Augustinus pluribus in locis relatis à Suario *hic disp.* 73. *sec.* 2. versùs finem. Aliqua difficultas esse potest de ipso Sacrificio Crucis, seù passionis, & mortis Christi; verum nec ipsum caret omni significatione mysticâ, dici enim potest, significare mysticè mortem peccati, & præterea, cum sit exemplar significationis mysticæ in aliis sacrificiis, non est necesse, quod ipsum met ad aliud significandum mysticè referatur.

29 — Non est tamen sacrificio ex genere suo essentialis significatio mystica, sed sola moralis.

Probatur deindè secunda pars, quia sacrificium ex genere suo est de jure naturæ, ratio scilicet naturalis homini dictat, aliquod sacrificium in quocumque statu offerre, aut etiam instituere, si non habeat aliundè institutum, atqui ratio naturalis nihil dictat de significatione mysticâ, utpotè quæ naturæ lumen excedit, & mysterii supernaturalis notitiam inducit, ergo talis significatio non est sacrificio absolutè, & ex genere suo essentialis, sed solum significatio moralis, quam solam etiam de facto habuerunt sacrificia Gentilium, quæ etsi prava, & impia, fuerunt *ex præced. num.* 26. simpliciter vera sacrificia: eamdem sola pariter habuissent sacrificia instituenda pro hominibus, in pura naturâ conditis, si puræ naturæ status, ad nullam supernaturalem notitiam elevandus, aliquando extitisset. Quod si mystica significatio determinatius sumatur pro eâ dumtaxat, quæ refertur ad mysterium passionis, & mortis Christi, & ex nuper dictis probabiliter reperitur in omnibus (si sacrificium ipsum mortis Christi excipias) sacrificiis de facto à Deo institutis, si inquam mystica significatio sic sumatur, multo magis evincitur, non esse de cujuslibet sacrificii essentiâ, cum de facto non conveniat omnium sacrificiorum maximo, nimirum ipsi sacrificio cruento passionis, & mortis: Deinde hujusmodi significatio dari non posset, si Christus, aut nullatenus, aut non in carne passibili venturus fuisset; & tamen procul dubio in hac hypothesi non debuisset humanum genus perpetuo carere omni sacrificio; Ergo à primo ad ultimum significatio mystica, sivè sumatur, pro ut reperitur in sacrificiis de facto institutis, sivè universalius pro ut potest aliter haberi, non est de essentiâ sacrificii, sed sola moralis.

§. III.

De spectantibus ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seu rei significantis.

30

ASSERT. I. Ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis spectat, tùm aliquid oblatum, tùm aliqua oblatio, seù tùm res, quæ in sacrificium offertur; tùm actio, quâ offertur.

Sacrificiū sumptum adæquatè componitur ex re significante, & significatione.

Probatur, & explicatur: Quodlibet signum adæquatè sumptum est quoddam totum morale, seù artificiale ex re significante, tamquam ex materiâ; ex significatione, tamquam ex formâ constitutum, & illam de materiali, istam de formali essentialiter importans; Cum igitur sacrificium ex dictis sit in genere signi, non est dubium, quin & ipsum sic constituatur, adeoque quin ad ipsius essentiam pertineat, tamquam forma, & de formali significatio, de quâ *in præced.* §. tamquam materia, & de materiali res significans, de quâ in præsenti. Porrò aliqua signa, non solum sumpta adæquatè, sed etiam sumpta pro materiali, seù ex parte materiæ, & rei significantis habent iterùm rationem totius moralis ex aliquo ad modum materiæ, & ex aliquo ad modum formæ constituti; ut luculenter apparet in signis sacramentalibus, seù in sacramentis (subintellige novæ legis) quæ, ut in proprio tractatu explicuimus, sumpta adæquatè constituuntur ex re significante, & significatione; sumpta pro materiali ex rebus, & verbis: Hoc proportionaliter adinvenire est in sacrificio, quod sicuti cum novis sacramentis optimè convenit in ratione signi sumpti adæquatè, & in compositione ex re significante, & significatione, ità quoque in ratione signi sumpti pro materiali, & in compositione rei significantis ex aliquo ad modum materiæ, & ex aliquo ad modum formæ; nimirum ex re oblatâ, tamquam ex fundamento, & aliquo determinabili, ex oblatione tamquam ex complemento, & determinativo; adeòque illâ ut materiâ, istâ ut formâ, ad eum modum, quo res, & verba sunt materia, & forma rei significantis in sacramento; Cum igitur materia, & forma maximè spectent ad essentiam totius, quod constituunt, indubitanter consequens est ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis spectare, tùm aliquid oblatum, tùm aliquam oblationem, cum aliundè dubitari non possit, quin utrumque à sacrificio importetur, & quin ex communi omnium sensu sacrificare sit, aliquid offerre, seù alicuius rei oblationem facere, undè in ipsâ Scripturâ pro eodem ista sumuntur; habetur enim Genes. 8. *obtulit holocausta super altare*. Isa. 5. *Ne offeratis ultrà Sacrificium frustrà:* Et de Christo se sacrificante in Cruce Heb. 5. *Se met ipsum obtulit immaculatum Deo*: Item *Semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*.

31 — Sumptum pro materiali, ex re oblata, & oblatione.

32 Suppoſito, quod ſacrificium ex parte materiæ, ſeù rei ſignificantis, ſeù ſubſtrati ſignificationis importet rem oblatam, & actionem oblativam, aſſignari jam debeat, qualem eſſe oporteat, tùm illam rem, tùm iſtam actionem, & quarum conditionum defectu aliqua res Deo oblata, aut ratione ſui, aut ratione actionis oblativæ, poſſit non eſſe ſufficiens ſubſtratum ſignificationis, ad ſacrificium adæquatè, & ultimò conſtituendum requiſitæ. Quo ad primum ſcilicet, quo ad rem oblatam ſit

Aſſert. 2. Ad ſacrificii eſſentiam ex parte materiæ, ſeù rei ſignificantis ſpectat, quod res oblata ſit ſenſibilis, permanens, & non conſiſtens in puro motu, ſeù actu externo hominis. In hoc aſſerto conveniunt, quicumque non abutuntur ſacrificii ſimpliciter dicti nomine, cum Sectariis, de quibus ſuprà *num.* 2.

33 *Res in ſacrificium oblata debet eſſe per ſe ipſam ſenſibilis;* Probatur, & explicatur. Res in ſacrificium oblata eſt pars materialis, & tamquam materia rei ſignificantis; atqui in ſacrificio, ut potè ſigno ſenſibili, res ſignificans debet eſſe ſenſibilis, & apta ſignificare ſenſibiliter, ideſt per ſui ſenſibilem cognitionem inducere cognitionem alterius, ergo pariter talis eſſe debet res in ſacrificium oblata: Advertendum tamen, quod ſicut ſacramentum eſt ex genere ſuo ſignum ſenſibile, æquè ac ſacrificium, ità ex parte materiæ, ſeù rei ſignificantis, non eſt requirenda major in ſacrificio, quam in ſacramento ſenſibilitas; in ſacramento autem non requiritur, quod tota materia ſit ſenſibilis per ſe, nam de facto in ſacramento Pænitentiæ aliqua materiæ, ſeù rei ſignificantis pars, ideſt dolor eſt inſenſibilis per ſe, & ſenſibilis ſolum per aliam compartem, confeſſionem ſcilicet: In ſacramento item euchariſtiæ corpus, & ſanguis Chriſti ſunt pars materialis non per ſe, ſed per ſpecies ſenſibilis: Quid ni igitur poſſit idem proportionaliter evenire in ſacrificio? imò evenit id de facto in illo miſſæ, in quo propterea *cap. ſeq.* §. 5. *n.* 106. & ten. docebimus, accidentia panis, & vini eſſe partem materiæ, ſeù rei oblatæ, quia per ipſa redditur ſenſibilis alia principalior rei oblatæ pars, nimirum Chriſtus Dominus, qui alioqui, ut in miſsâ offertur eſt per ſe inſenſibilis, cum offeratur, ut ſacramentaliter, non ut in propriâ ſpecie exiſtens.

34 *Debet item eſſe permanens,* Debet inſuper eadem res oblata eſſe permanens, quia ſi in tranſitu, & ſucceſſione conſiſtat, ſtatim per ſe ipſam motatur, & interit, non verò poteſt hoc habere ex vi actionis, quâ Deo offertur, non eſt igitur apta terminare actionem ad ſacrificandum requiſitam, & per ſui immutationem, ac deſtructionem peculiariter factam in Dei honorem, denotare excellentiam dominii Dei in vitam, & mortem. Accedit, quod offerri ex genere ſuo, propriè dicitur de rebus, quæ poſſunt donari, & conſtitui ſub alterius, ejus ſcilicet, cui offeruntur, dominio: quod nequit convenire rebus nullatenus permanentibus, & in ipſo offerri, ac fieri deſinentibus, quæ propterea ſub dominium cadunt, ſolum quo ad fieri, vel non fieri, & rectè dici poſſunt in alium referri, tamquam in finem, cujus gratiâ fiant, at non alii offerri; tamquam domino, in cujus poteſtate, & diſpoſitione remaneant.

35 *Et non conſiſtens in puro motu, ſeù actu externo hominis.* Debet tandem non conſiſtere in puro motu, ſeù actu externo hominis, quia hujuſmodi motus, & actus eſt tranſiens, & in ſuo fieri conſummatur, & deſinit; & licèt ratione continuationis poſſit æquivalere rei permanenti, ideòque continuans v. gr. orationem vocalem dicatur in eâ perſeverare, ac permanere; non propterea motus, vel actus externus, ſic continuatus poteſt propriè collocari, ſub alterius dominio, quia ipſius continuata exiſtentia non eſt, niſi continuatum fieri; Undè Suarez *hic diſp.* 73. *ſec.* 5. §. *Dico primò*; obſervat, omnibus humanis actibus commune eſſe, quod poſſint in Deum referri, non Deo offerri, loquendò propriè ſecundum jam traditam explicationem. Nec refert, quod voces in Dei laudem pronunciatæ ſacrificii nomine nuncupentur, dicantur ſcilicet ſacrificium laudis, adeòque videantur eſſe res in ſacrificium oblata: Non refert inquam, quia, ut in hujus capitis limine oſtendimus, ſic nuncupantur, & dicuntur ſecundùm acceptionem ſacrificii latiorem, & minus propriam; non ſtrictam, & propriam, de quâ in præſenti: Neque dicas, non ne ſaltem voces, quibus ſic Deum laudarem, ac colerem, *Ego profiteror, me Deum laudare, & colere, ut ſupremum meæ vitæ, ac mortis Dominum, eique, ut tali, me ſubmitto*, nonne inquam ſaltem iſtæ voces haberent perfectam ſignificationem ad ſacrificium requiſitam, adeoque eſſent res in ſacrificium ſtrictè, ac propriè dictum oblata. Contrà enim.

36 Arriaga *diſp.* 49. *ſec.* 3. *ſubſec.* 2. in fine reſpondet, ſignificationem proprii cultus, & ſupremi dominii Dei ad ſacrificium non ſufficere, quoties non eſt adjuncta rei oblatio: Benè eſt abſolutè loquendo, at in propoſito videtur, cenſeri poſſe pura petitio principii vitabitur hæc, addendo, prædictam ſignificationem non ſufficere, quia non eſt ex impoſitione peculiari facta ad ſacrificium inſtituendum, ſed ex impoſitione communi, quâ voces illæ ſunt ad ſignificandum inſtitutæ, unde, à quocumque proferantur, eam ſignificationem habent, cum tamen ſignificatio ſacrificii propria in ipsâ ſacrificii materiâ non conſurgat, niſi dependenter ab actione determinatæ perſonæ, ideſt Sacerdotis.

37 Ex his habetur, externum Dei cultum, oblationem Deo factam, ſacrificium Deo oblatum, inter ſe convenire in eo, quod per ſe loquendo ſpectent ad unam, eamdemque virtutem religionis, tanquàm actus ipſius externi, participantes ſuam bonitatem moralem ab actibus internis, à quibus ad recognoſcendam excellentiam, & reverentiam Dei propriam ordinantur; ab invicem verò differre in eo, quod externus cultus, etiam Dei proprius, ut eſt latria, latius patet, quam oblatio; oblatio latiùs,

quam

Oblatio Deo facta minus latè patet quam cultus externus:

quam sacrificium; sic tunsio pectoris, inclinatio capitis, genuflexio verbales preces possunt esse actus veri cultus externi ergà Deum, at, ex mox præmissis, nequeunt esse materia oblationis, ac multò minus sacrificii. Nec adversatur D. Thomas 2.2. *quæst.* 85. *art.* 3. *in c.* ubi postquam docuit, etiam actus aliarum virtutum à religione, si fiant propter finem religionis, idest propter divinam reverentiam, quodammodo, & impropriè sacrificia dici posse, addit *sunt tamen quidam actus, qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam, & isti actus propriè sacrificia dicuntur*. Non adversatur, inquam, quia sensus ipsius non est, omnes istos, adeòque omnes actus religionis dici propriè sacrificia, sed ex istis actibus esse debere omnes illos, qui propriè sacrificia dicuntur: sub genere actuum non habentium ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam, sacrificium propriè dictum contineri, quamvis cum hujusmodi genere non convertatur, sed minus latè pateat, & hoc est illud ipsum, quod in præsenti mox diximus. Non solùm autem sacrificium minus latè patet, quàm cultus exterior, sed etiam quàm oblatio, & sub oblatione pariter continetur, tamquam sub genere quidem sibi magis proximo, quàm exterior cultus; at non adhuc tali, ut cum ipso convertatur, sed aliquid ipsi addit, & sicuti ex dictis constat cultui exteriori addere, quod circà rem aliquà versetur, nec sit purus actus hominis, ità modo assignandum est, quid sit illud, quod peculiariter addit oblationi, & hoc benè attenditur penes ipsum hominis actum, seù actionem, quam ex parte rei significantis sacrificium importat, adeò ut istud, formaliter loquendo penes rem, circà quam versatur, differat à puro cultu externo, & cum oblatione conveniat; penes actionem, quâ circà talem rem versatur, differat etiam à purâ, ac simplici oblatione, oportet igitur statuere, qualis in sacrificio esse debeat talis actio, quod erat etiam secundum membrum, jam suprà propositum explicandum, circà sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis: Ideò sit

38 Sacrificium minùs, quà cultus, & etiã, quàm oblatio.

Differt à puro cultu præcipuè penes rem; à simplici oblatione præcipuè penes modum actionis.

39 Sacrificio essentialis est actio rei aliqualiter destructiva, & immutativa physicè.

Assert. 3. Ad sacrificii essentiam ex parte materiæ, seù rei significantis spectat, quod actio oblativa sit immutativa physicè, & aliqualiter destructiva rei, circà quam versatur. Ità D. Thomas 2.2. *quæst.* 85. *art.* 3. *ad* 3. & *quæst.* 86. *art.* 7. *in c.* Alanus *lib.* 2. *de Euchar. cap.* 3. Victoria *relect. de Temperant. num.* 7. Amicus *hic disp.* 32. *num.* 20. Lugus *disp.* 19. *num.* 7. Tannerus *disp.* 51. *quæst.* 4. Herinex *disp.* 8. *quæst.* 1. *num.* 4. Madernus *quæst.* 8. *art.* 1. *nu.* 6. & alii communiter contrà Viguerium *de instit. cap.* 5. §. 5. Arriagam *disp.* 49. *sec.* 3. *subsec.* 3. & 4 & ex parte (idest quò ad sacrificia commemorativa, seù relativa) Vasquium *disp.* 220. *cap.* 3. *num.* 27. quem Arriaga *num.* 21. malè contendit in suam opinionem trahere etiam quò ad sacrificia absoluta, sicut & eamdem minùs benè conatur ostendere de mente S. Doctoris idque perperam deducit, ex eo quod *præcit. resp. ad* 3. de actione, quâ aliquid sacrificatur, disiunctivè dicat, esse vel mactationem, vel consumptionem, vel benedictionem victimæ, benedictio autem non sit immutativa physicè, & destructiva: Perperàm inquam deducit, nam in primis debet ibi S. Doctor intelligi conformiter ad id, quod magis ex professo tradit quæstione sequenti in corpore primi articuli: Deindè neque ibi lege in textu disjunctionem ab Arriagâ suppositam, sed sic in terminis *Sacrificia propriè dicuntur, quando circà res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur*, quæ locutio est copulativa, non disjunctiva, & quando quò ad reliqua disjunctivæ æquivaleret; non sic quò ad ly, *& benedicitur*, adducens enim exemplum sacrificii, panis benedictionem memorat præcisè, ut referat quidquid fiebat, non ut astruat, ipsam solam sine fractione, & comestione esse posse actionem sacrificativam: Verè igitur S. Doctor stat pro asserto præfixo, quod

40 Falsò affertur in oppositum D. Thomas.

41

Probatur primò, quia quod ad sacrificii essentiam spectet, vel non spectet actio aliqualiter destructiva materiæ, seù rei sacrificatæ, desinit tandem in quæstionem de nomine; nimirum in id, quod hoc nomen sacrificium impositum sit ad significandam solam actionem destructivam, aut etiam aliter utcumque immutativam victimæ; in quo quæstionum genere solemne est, & à nobis sæpius repetitum sentiri debere cum pluribus, & melioris semper conditionis esse sententiam communiorem; certum est autem, & ne quidem Adversarii refragantur, secundum sententiam communiorem, & plures, ac ferè omnes Auctores sacrificii nomen impositum censeri, ac adhiberi ad significandam actionem aliqualiter destructivam materiæ, quæ sacrificatur, & in omnibus sacrificiis, sivè sacris, sivè profanis, animalia consuevisse sacrificari per occisionem, liquores per effusionem, reliqua per combustionem, ergo.

Dices, hujusmodi actionem fuisse quidem semper in sacrificiis frequentiorem, non tamen deesse exempla sacrificiorum eâ carentium, & inter sacrificia oblata vero Deo talia extitisse illud Melchisedech *Genes.* 14. illud panum propositionis *Exod.* 25. illud Zelotypiæ *num.* 5. & quædam alia, in quibus nulla legitur facta destructio, combustio, aut alia physica mutatio, ut accuratè expendit Arriaga *præcit. sec.* 3. Inter sacrificia oblata idolis fortè difficilius id contigit, eo quod Idololatræ ex errore, quo sæpè putarunt sua Idola carnibus animalium sibi sacrificatorùm vesci, censuerunt consequenter, ea debere in sacrificiis occidi, nihilominus etiam aliter quandoque factum fuisse Arriaga *nu.* 27. conjectat ex jis, quæ *Daniel. ult.* Sacerdotes Bel quotidie Idolo offerebant per modum sacrificii, ut ipse putat; ergo ex scripturâ ipsâ habentur aliqua, tùm sacra, tùm profana sacrificia sine actione

destru-

destructiva, & aliquis usus hujus nominis sacrificium ad actionem aliam significandam. Sed contrà: Præter quod tota deductio est infirma, ut pote ex auctoritate Scripturæ solùm negativâ, dico quoties in istâ fit mentio sacrificii, & non fit simul mentio actionis destructivæ sentiendum esse, vel actionem destructivam verè intercessisse, etsi non exprimatur, vel sacrificii nomen latiùs, ac minùs propriè sumi pro simplici oblatione; quodnam autem ex his duobus potius dicendum est, colligi debet ex contextu antecedentium, & subsequentium; solum moneo obiter, neutrum ex genere suo esse alienum à phrasi, & modo loquendi Sacræ Scripturæ; Non primum, quia non quoties scriptura recenset aliquod factum, debet exprimere omnia tale factum comitantia, etiamsi ei sint essentialia, imò ex eo quod sint essentialia, minùs necesse est exprimi, quia magis supponuntur subintelligi; Non secundum; quia cum Scriptura aliquando usurpet sacrificii nomen ad significandum actum internum, aliudvè quodcumque opus bonum, multò magis potest eodem uti ad significandam quamcumque oblationem externam Deo factam, quæ magis quàm alia opera accedit ad sacrificium propriè dictum, quamvis in re debeat ab ipso distingui, ut insinuat eadem Scriptura, aliquandò ambo simul referens, tamquàm distincta, ac diversa sic *Psal.* 38. dicitur *Sacrificium, & oblationem noluisti* Item Heb. 5. *Ut offeras dona, ac sacrificia*, ubi ly *dona* videtur supponere pro rebus per oblationem, ac donationem simplicem Deo consecratis; non desunt etiam pro eodem intento auctoritates Sanctorum Patrum, quas videre est apud Suarium *præcit.* §. *Quæ duo*, interim nobis non est immorandum in distinctione, quam Adversarii ipsi libenter admittunt, licèt posteà difficulter sustineant, non admittendo esse de essentia sacrificii actionem destructivam, ut in sequenti probatione ostenditur, ideò

42 Malè deducuntur ex scriptura aliqua sacrificia facta sine ulla victimæ destructione.

Sacrificiū debet distingui à simplici oblatione;

43 Probatur assertum secundò: Sacrificium debet distingui à simplici oblatione, & actio sacrificativa ab actione purè oblativa: at nequit benè distingui, nisi ex eo quod illa non, ista sit physicè immutativa, & aliqualiter destructiva rei, seù materiæ, circà quam versatur, ergo actio sacrificativa debet esse sic immutativa, & hoc spectat ad sacrificii essentiam, sicuti ad sacrificii essentiam spectat, quod à simplici oblatione distinguatur: Major supponitur ex immediatè anteà dictis. Minor probatur, quia actio immutativa solùm moraliter, ut est benedictio, & ad sacrum, divinumque usum deputatio potest simplici oblationi convenire, & de facto benedicuntur ferè omnia, quæ Deo, utcumque offeruntur, ut sacra vasa, sacræ vestes, altaria, templa &c. Deindè (& est ratio ab intrinseco, ac metaphysicè à priori) ultimum formale constitutivum sacrificii adæquatè sumpti, & distinctivum ipsius à quolibet alio est significatio, seù protestatio supremi dominii Dei in vitam præsertim, & mortem. hac significatione distinguitur sacrificiū à simplici oblatione, eo quod ista sit protestatio dominii utcumq; non singillatim in vitam, & mortem: atqui ad significandum singillatim istud dominium requiritur actio, qua sacrificii materia aliqualiter destruatur, sic quippè in actu exercito, & practico Dei dominium ad destruendum recognoscitur: cùm aliter solum speculativè repræsentetur; ergo

Nec benè distingueretur, si non importaret actionem aliqualiter destructivam.

44 Dices: Significatio, & protestatio dominii Dei in vitam, & mortem ultimò constitutiva sacrificii non requirit in re significante, & sacrificii materia ullam physicam proportionem, aut similitudinem cum dominio significato, ejusq; exercitio: & quando talis proportio requireretur, per actionem productivam haberetur meliùs, quàm per destructivam: ergo ex significatione sacrificii propriâ non benè infertur in sacrificio actio destructiva, & cum præterea penes talem significationem sufficienter distinguatur sacrificium à simplici oblatione, consequens est, probationem à nobis positam ex nullo capite esse efficacem: Probatur antecedens quo ad primam partem, quia significatio in sacrificio est ex institutione, & ad placitum, potest igitur ex voluntate, & placito Institutionis cuicumque rei imponi independenter ab ulla physica, & quasi innata proportione, & per impositionem factam ex voluntate, & placito institutionis publica ad id auctoritate pollentis habebitur sufficiens distinctivum sacrificii ab oblatione. Probatur idem antecedens, quo ad secundam partem, quia ex duplici potestate, altera in vitam, & productiva: altera in mortem, & destructiva, prior potestas, sicut, & actio ei correspondens, major est, ac nobilior penes ipsam igitur, & actionem ei correspondentem melius, quàm penès posteriorem habetur physica proportio ad repræsentandum supremum dominium, potestatemque Dei in vitam, & mortem: Sed contra: nego antecedens, quo ad utramque partem;

45 Ad probationem primæ dico, significationem in sacrificio aliam esse completam, proximam, & explicitam, aliam incompletam, remotam, & implicitam: illa istam supponit, ideò quamvis verè sit ex institutione, & ad placitum, nequit cuicumque rei imponi, sed solum ei, in qua præcedit proportio, & similitudo physica cum significatione incompleta, & remota coincidens: neque putes, gratis, & sine fundamento hoc à nobis ad significationem completam, & proximam sacrificii ultimò constitutivam prærequiri: Impugnaberis enim, ex eo, quia inprimis nitimur auctoritati Augustini *epist.* 49. *qu.* 3. dicentis de sacrificiis simpliciter dictis, *significativa sunt autem omnia talia sacrificia, & quarumdam rerum similitudines* (ecce significationem remotam, & proportionem physicam, quam intendimus) *quibus admoneri nos oportet ad ea ipsa, quorum similitudines sunt, sive scrutanda, sive noscenda, sive recolenda*: Deindè etiam initimur rationi, cum

Significatio ultimò constitutiva sacrificii debet fundari in aliqua proportione physica, & significatione remota naturali.

enim sacrificia offerre, imò & instituere sit per se loquendo homini connaturale, congruum est, ea esse signa aliquo modo naturalia, ipsoque naturali lumine ad eorum significationem dignoscendam, imò, & imponendam homines duci, ad quod necesse est, ipsorum significationem esse inchoativè, atque incompletè naturalem, & in physica ad rem significatam proportione, ac similitudine fundari; ex qua ratione patet obiter, cur non sit idem dicendum de sacramentis, & possit in istis significatio esse purè ad placitum absque fundamento ullius physicæ proportionis, quamvis neque hæc in aliquibus de facto desit, & in baptismo v. gr. ablutio corporis, quæ per aquam fit, habeat aliquam similitudinem cum emundatione à peccatis facienda per gratiam, quam baptismus significat.

46 Ad probationem secundæ partis ejusdem antecedentis Herinex *pracit. num.* 4. & Tannerus *pracit. disp.* 5. *qu.* 9. *dub.* 2. quamvis velint, actionem sacrificativam debere esse destructivam, putant tamen, sacrificium non tam in istâ propriè consistere, quàm in eo, quod ex istâ resultat, præsertim quando id, quod resultat, nobilius est, & magis Deo placens, sic in sacrificatione thuris, v. gr. propriam rationem sacrificii collocant in suffitu, in quem thus per concremationem convertitur, & juxta hanc doctrinam posset saltem in aliquibus sacrificiis concedi, quod instantia in secundâ antecedentis parte intendit; sed melius absolutè negatur, dicendo per actionem destructivam melius quàm per productivam significari potestatem vitæ, & mortis, quia destructio inter vitam, & mortem versatur, habet illam pro termino à quo, istam pro termino ad quem; nec potest aliquid destrui, quin antecedenter vivat, aut existat; destructio igitur utramque potestatem expressè significat, & est quodammodò utriusque potestatis actus: productio autem solùm vitam respicit, & hanc habet pro termino ad quem, non mortem pro termino à quo, neque enim vivens dum producitur transit de morte ad vitam, sicut transit de vitâ ad mortem, dum occiditur; productio igitur significat expressè unicam potestatem, idest in vitam; & quamvis fortè sit actio aliundè major, & nobilior, non est tamen aptior ad significandum dominium in vitam simul, & mortem. Accedit, quod qui Deo sacrificat, solet habere affectum effundendi, sive impendendi in Dei honorem propriam vitam, non conservandi, quem affectum benè insinuat in sacrificio destructiva actio, non productiva. Tandem ex communi modo loquendi animalia dicuntur sacrificari per hoc, quod in Dei honorem mactentur; liquida per hoc, quod effundantur, reliqua per hoc, quod comburantur, quibus verbis importantur actiones destructivæ.

Potestas in vitam, & mortem aptiùs significatur per destructivam, quàm per productivam actionem.

§. IV.

Tota Sacrificii essentia ejus definitione, & multiplici divisione concluditur.

47 ASSERT. I. Sacrificium rectè definitur Oblatio sacra, aliquali rei sensibilis destructione significans ex publicâ institutione internam recognitionem supremi dominii Dei, adde si vis, in vitam præsertim, & mortem. Hanc definitionem profero, ut bonam, & sufficientem; non ut unicam, quæ etiam æquè bona afferri possit: Quò ad substantiam, & sensum adversantur Viguerius, & Arriaga in ly *aliquali rei destructione*; Vasquez, & Amicus in ly *ex publicâ institutione*, ut jam suprà *num.* 10. & 29. retulimus: Quò ad verba, & dispositionem terminorum non curavi eam ex ullo certo Auctore transcribere, quia vix unum cum altero convenientem invenio, & ferè quilibet verbis, aut diversis, aut diversimodè dispositis sacrificium definit, ut facillimum est, Auctores ipsos perlegenti observare: Aliqui breviores sunt, ut brevissimus fuit Augustinus relatus *num.* 21. visibile sacrificium definiens *invisibilis sacrificii sacramentum, idest sacrum signum*: Aliqui alii malunt esse prolixiores, & ad majorem definitionis claritatem, actionisque sacrificativæ explicationem addunt, quod à legitimo ministro, certo ritu, & in determinato loco, idest in altari fiat, sic prolixior est Marchinus tract. de Sacrif. Missæ *par.* 1. *cap.* 2. *num.* 9., & Coninchus de Sacram. *quæst.* 83, *art.* 1. *dub.* 1. *num.* 30. Nos breviores inter, & prolixiores media quasi viâ procedimus, ut & procedunt alii plures; unde asserta definitio, sicuti est quò ad sensum, & substantiam communior, ità talis quoque censeri potest, quò ad modum, & verba; quò ad omnia autem.

Sacrificii definitio per genus oblationis.

48 Probatur, & explicatur. Dicitur *Oblatio sacra*, quia *ex praced. num.* 37. & 38. Sacrificium verè est in genere sacræ, idest Deo factæ oblationis, & quamvis sit etiam in genere, tùm sacri signi, tùm externi cultus, nihilominus quia ex una parte hoc utrumque, ut potè latius patens est genus remotius, & omnis sacra oblatio est tùm sacrum signum, tùm externus cultus, non è converso; & ex aliâ generalis definitionum regula est, quod melius tradantur per proximius genus, quàm per remotius magis placuit sacram oblationem pro sacrificii genere ponere, quam externum cultum, aut sacrum signum, quamvis externum cultum ponat Gabriel *lect.* 22. in Canonem, sacrum signum verò Augustinus jam præmemoratus, item Amicus, Marchinus, & aliqui alii; at multo plures, ac signanter Vasquez, Coninchus, Filliucius, Arriaga, Herinex, Madernus nobiscum ponunt oblationem, & benè propter rationem jam dictam; aliundè tamen præser-

Tamquam per genus proximius.

tim

Sacrificii definitio alia per genus signi.

tim prop[ter] auctoritatem Augustini, non facilè r[e]gaverim, posse æquè benè sacrificium d[e]finiri per genus signi, dicendo v.gr. est sig[num] [sacru]m sacrum ex publicâ auctoritate institu[tu]m ad significandam per alicujus rei destru[c]tionem internam recognitionem sum[m]i [supr]emi dominii Dei, & hac in parte faveret [n]obis Suarez *disp. 73. sec. 6. §. ut autem* quâ enìs duplicem tradit sacrificii definitionem, alteram, in qua oblationem; alteram, in quâ signum; imò & tertiam, in quâ actum externum religionis, seù externum cultum pro genere apponit, & licèt primam definitionem vocet physicam constantem materiâ, & formâ; nihilominus, si per hoc intendat insinuare, quod non constet genere, & differentiâ, æquè ac aliæ duæ, aut quod oblatio non se habeat, ut verum genus ad sacrificium, audiendus non est; imò etiam in eo, quod illam definitionem potius, quàm alias duas vocat physicam absolutè, impugnatur à Vasquio *disp. 220. cap. 2. num. 14.* & Marchino *precit. cap. 2. num. 8.*

49 Dicitur *aliquali rei sensibilis destructione*, quæ particulæ incipiunt esse loco differentiæ, & sacrificium contradistinguunt à simplici oblatione, ut ostensum est *num. 43.* quatenùs deindè destructio non est propriè, nisi rei permanentis, contradistinguunt ipsum etiam ab actibus, & motibus puræ adorationis externæ ergà Deum, quamvis ab istis *ex nu. 35.* contradistinguatur sacrificium, etiam per rationem genericam oblationis.

Dicitur *significans ex publicâ, institutione*, quia sacrificium veram habet rationem signi, & quatenus significat completè, ac proximè modo explicato *num 45* est signum ad placitum, seù ex institutione, quam debere esse publicam, & ex vi publicæ auctoritatis ostensum est *num. 11.* & hinc contradistinguitur sacrificium à mactatione ovis, vel pecudis, quam nunc faceret privatus fidelis, etiamsi intenderet, ac protestaretur, se id facere in Dei honorem.

50 Dicitur *internam recognitionem supremi dominii Dei*; quibus particulis, ut latè traditum est *præced.* §. 2. continetur, tùm ex parte hominis, tùm ex parte Dei terminus formalis significationis, ac finis primarius institutionis sacrificiorum, iisdemque sacrificium, ut habens rationem signi contradistinguitur à sacramento, & à quolibet alio signo sacro; item ab externâ adoratione latriæ, quæ significat ipsa quoque internam recognitionem supremæ excellentiæ Dei, at non formaliter, & determinatè illius, quæ relucet in supremo dominio, undè adorare etiam sumptum pro adoratione latriæ latiùs patet, quam sacrificare; licèt interdum in scripturâ sumatur pro eodem, ut cum *Genes.* 22. Abraham dixit famulis *Postquàm adoraverimus revertemur ad vos*, ubi ly *adoraverimus* idem est ac *sacrificaverimus*.

51 Dicitur tandem *Adde si vis in vitam præsertim, & mortem* quo loquendi modo liberum relinquitur ly *in vitam, & mortem* vel tamquàm in supremo dominio contentum subintelligere, vel majoris claritatis gratiâ in terminis exprimere cohæreret ad explicationem, jam traditam *num. 20.* & in re facile censerem debere id exprimi potius, quàm certum ritum, & determinatum locum, quæ licet ab aliquibus definitioni sacrificii addantur, sacrificio essentialia non sunt, & ad descriptionem, non ad rigorosam definitionem pertinere possunt; facilius etiam, quam ritum, & locum approbarem exprimi legitimum Ministrum, qui verè ad sacrificium essentialiter requiritur, & quamvis subintelligatur in ly *ex publicâ institutione*, si alicui videatur congruentius exprimi, poterit dici *Sacrificium est oblatio sacra à legitimo Ministro facta aliquali* &c.

52 Vtraque præcedens definitio potest sub diversa consideratione dici tùm metaphysica, tùm physica.

Si quæras hic obiter Utrùm sacrificii definitio à nobis tradita, & hucusque exposita dicenda sit physica, an metaphysica? Responderem sub diversâ consideratione, tùm physicam, tùm metaphysicam dici posse; Potest dici metaphysica, quatenùs oblatio sacra consideratur, ut genus, reliquæ particulæ, ut constituentes, ac quodammodo integrantes rationem differentialem; sub hâc quippè consideratione asserta definitio constat genere, & differentiâ, quod est proprium definitionis metaphysicæ: Potest simul dici physica, quatenùs consideretur oblatio cum aliquali destructione, ut causa formalis; Res sensibilis oblata, & aliqualiter destructa, ut causa materialis, modo jam supra explicato *num. 31.* Publica institutio, ut causa efficiens remota, legitimus Minister, per ipsam publicam institutionem, implicitè importatus, ut causa efficiens: Recognitio supremi dominii Dei, ut causa finalis; sub hac quippè consideratione asserta definitio censeri potest tradita per quatuor causarum genera, quod est proprium definitionis physicæ: Eadem consideratiò fieri potest in alia sacrificii definitione, quam *num. 48.* obiter diximus posse rectè formari, ponendo loco generis non oblationem, sed signû; possunt scilicet etiam in ipsa assignari, tùm genus, & differentia; tum causæ materialis, formalis, efficiens, finalis; seù materia, forma, institutio, finis; quæ quidem causarum assignatio, ac enumeratio non solum aptè suadet, esse bonam, & adequatam definitionem præassertam, sed insuper opportuna est ad asserendam, & exponendam multiplicem pro secundâ tituli parte divisionem: Ideò sit

Iuxta quatuor causarum genera affertur quadruplex præcipua divisio sacrificiorum.

Assert. 2. Sacrificium simpliciter dictum, & nuper definitum multiplicem sortitur divisionem, potissimum verò quadruplicem, juxtà quadruplex causæ genus:

53 Dividitur scilicet primò ratione materiæ, & rei oblatæ, in victimas, seù hostias; immolationes; & libationes, seù libamina: Triplex hoc sacrificii genus fuit in usu tempore antiquæ legis, in quâ victimæ, seù hostiæ dicebantur, quando offe-

Prima ex parte materię in Victimas seu hostias, Immolationes, & libationes.

offerebantur animalia, relicto autem omni genere piscium triplicem volatilium, & triplicem quadrupedum sibi in sacrificiis offerendorum speciem Deus elegerat, nimirùm ex volatilibus columbam, turturem, & passerem; ex quadrupedibus bouem, ouem, & capram, ut observat Marchinus *precis par.1. cap.3.num.3.* Immolationes, quando offerebantur res inanimatæ solidæ, ut panis, triticum, manipuli spicarũ, aliivè terræ fructus. Libationes, seu libamina, quando res liquidæ, ut sanguis, vinum, oleum, & hujusmodi alia, quorum videtur proprium libari, ac quasi labiis degustari; sicuti tritici, & quorumdam aliorum terræ fructuum molà teri; unde illorũ sacrificia, à libando, libationes, istorum, à molà, immolationes dicta censentur: Non ita obvium est, cur sacrificia

54

animaliũ dicta sint victimæ, & hostiæ forte, ex eo quod animalia juncta ad sacrificium defferentur, victimæ, ex eo quod in templi ostio mactarentur, hostiæ nomen derivatò est vel utcumque originem traxit à victis hostibus; à victis quidem victima, ab hostibus hostis; unde sunt illa Ovidii carminà t. fast.

Victima, quæ cecidit dextrà victrice vocatur:
Hostibus à domitis, Hostia nomen habet.

Idque quia apud Gentiles in more fuit, sacrificia animalium offerre pro victoriâ contrà hostes, aut obtinenda com ad bella incedebant, aut in gratiarum actionem pro obtentâ, cum victores redibant; & hæc quidem quò ad primævam, vocabulorum ætimologiam, nam processu temporis inductũ est, passim confundi, & sacrificia animalium v.gr. immolationes appellari, ut monet Suarez *disp.73. sec.7. §. secunda principalis divisio* ubi etiam egregiè observat, omnia tria vocabula sacrificio eucharistico, non tàm ex ipsorum confusione, quàm ex illius excellentiâ convenire: Continetur scilicet in Eucharistia victima, & hostia propter agnum immaculatum Christum: continetur immolatio propter species panis; libatio propter species vini.

55

Secunda ex parte formæ in Mactationes, Combustiones, & effusiones.

Dividitur secũdò ratione formæ, & actionis, quâ res offertur. Erat hæc in antiquis sacrificiis triplex potissimum, Mactatio scilicèt, cõbustio, & effusio; offerebantur partim mactatione, partim combustione animalia, quę post mactationem, seu occisionẽ partim igne consumebantur, partim reservabantur in usum Sacerdotum; offerebantur combustione, vel adustione, aut etiam aliquando solà fractione, & divisione fructus terræ solidi, & res illæ, quæ propriè dicebantur immolari, & istarum aliqua pars solebat asservari non in Sacerdotum tantum, sed & in sacrificantium usum. Offerebantur effusione res liquidæ, quæ propriè dicebantur libari. Iuxtà has tres actiones, & diversas rei oblatæ immutationes, possunt distingui ex parte formæ tres sacrificiorum species, quæ ferè coincidunt cum tribus speciebus assignatis ex parte materiæ; adeo Victimæ, seu hostiæ; Immolationes; libationes, seu libamina, aut libamenta sint sacrificia, tùm ratione rerũ, quæ offeruntur; tùm simul ratione actionum, quibus offeruntur, regulariter loquendo diversa.

56

Tertia ex parte institutionis in instituta à solo Deo, à solo homine, à Deo homine.

Dividitur tertio ratione institutionis, seu institutionis, quatenùs aliqua fuerunt instituta immediatè ab hominibus ex commissione Dei solùm generali, hujusmodi fuerũt saltem quò ad majorem partem sacrificia legis naturæ, seu antiquæ, non scriptæ, saltem in quam quò ad majorem partem, nam si quod sacrificium in lege naturæ videtur ex privati hominis auctoritate processisse, tale sacrificium iuxtà suprà dicta *num. 11. & 14.* censeri debet à tali privato homine solum promulgatum, institutum verò à Deo, aut saltem ex peculiari commissione, & revelatione, aut instinctu ipsius. Aliqua fuerunt absolutè, ac simpliciter à Deo instituta, hujusmodi extiterunt Sacrificia legis antiquæ scriptæ. Aliqua fuerunt instituta à Christo Deo simul, & homine, hujusmodi sunt sacrificia legis novæ, nimirum sacrificium cruentum Crucis semel à Christo oblatum, & sacrificium incruentũ Eucharistiæ, quod se solo longe superans omnia legis, tùm naturæ, tùm scriptæ unicum nobis relictũ est in toto legis gratiæ decursu offerendum. Habes igitur, sicut ex parte materiæ, & formæ, ità quoque ex parte Institutoris tres differentias sacrificiorum, & hæc considerari possunt, ut ab invicem diversa, etiam ex parte temporis, & legis, quatenùs sunt instituta triplici diverso tempore, & pro triplici diversâ lege.

57

Quarta ratione finis in Latreutica, Eucharistica, Impetratoria, Propitiatoria.

Dividitur quartò ratione finis non quidè primarij præcisè, & absolutè sumpti, hâc quippè ratione est essentialiter unus, & idè omnium sacrificiorum finis, nec possunt penes ipsum sacrificia diversificari, & dividi; sed primarij considerati simul cum secondariis, ac quasi ad secondarios comparati, sic inquam sacrificium dividitur in latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium; Propitiatorium. Sacrificium latreuticum est, quod purè purè fit in recognitionem divinì dominii, & ità totum Deo offertur, ut statim totum in Dei honorem comburatur nulla prorsùs parte reservatâ; huic sacrificio tribui solet nomen holocausti, nam, ut ait D.Thomas 1.2. *quæst.102. art.3. ad 8.* idem ferè significat græcè *holocaustum* quod latinè *totum combustum*; in idem recidit holocausti significatio secundùm proprietatẽ hebraicam, secundùm quam interpretatur *Ascendens* quasi quod totum ex omnimodâ combustione in vaporem, & fumum resolutum ascendat. Sacrificium Eucharisticum est, quod ità fit in recognitionem divini dominii, ut simul offeratur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Impetratorium, quod præter eamdem recognitionem fit ad obtinendum novum beneficium diversum à remissione peccatorum: propitiatorium, quod ad obtinendum singillatim beneficium remissionis peccatorũ:

58 Vel alijs verbis in Holocauſta; Hoſtias pacificas, Hoſtias pro peccato.

Hoc ſacrificium propitiatorium in veteri lege appellabatur *hoſtia pro peccato*, impetratorium verò ac multo magis eucharisticum *hoſtia pacifica* ſicque allata in quatuor ſacrificiorum differentias diviſio in lege veteri ſub tribus continebatur, & erant Holocauſtum, Hoſtia pro peccato, Hoſtia pacifica; nec diſtinguebantur ſolum penes diverſum modum finis, ut jam explicatum eſt, ſed etiam penes diverſum modũ actionis, quã conſumebantur; Holocauſtum ſcilicèt totum comburebatur, & conſumebatur igne; Hoſtia pro peccato comburebatur quidem tota, ſi offerebatur, pro peccato Sacerdotum, at quando pro peccato populi comburebatur ſolùm ex parte, & ex parte ſervabatur conſumenda à Sacerdotibus in proprium uſum: Hoſtia pacifica partim comburebatur, partim in Sacerdotum, partim in offerentium uſum cedebat; de his antiquiorem ſacrificiorum differentiis plura D. Thomas *præcit. art.* 3. fere per totum;

59

tales differentias nõ habet lex nova, pro ut important diverſitatem, aut rei oblatæ, aut actionis oblativæ, pro ut verò important habitudinem ad diverſos fines, & ad diverſarum virtutum, puta non religionis dumtaxat, ſed gratitudinis quoque, aut pænitentię motiva, eas omnes lex nova eminenter cõcludit, & colligit in ſuo unico ſacrificio Miſſæ, quod benè obſervat Suarez *præcit. ſec.* 7. nõ ſolum eſſe in re eucharisticum, ſed ſimul impetratorium, ac propitiatorium, imò & propter maximam divinæ excellentiæ recognitionẽ, latreuticum, undè ſicuti *nu.* 54. inſinuavimus, per comparationem ad diverſa ſacrificia antiqua ex parte materiæ, noſtrum novę legis ſacrificium poſſe unum, & idem ſuo modo dici Victimam, ſeu Hoſtiam, Immolationem, & libationem, ità nunc per comparationem ad illa ex parte finis addo, poſſe ſimiliter ſub diverſa conſideratione vocari Holocauſtum, Hoſtiam pro peccato, & Hoſtiam pacificam.

60 Aliæ ſacrificiorum diviſiones minùs præcipuæ;

Addi poſſent aliquæ alię, ſed modici momenti diviſiones ſacrificiorum, puta primò in ordinaria, quæ ſtatutis, certiſque temporibus offerebantur, quale erat ſacrificium Agni Paſchalis, & extraordinaria, quę liberũ erat quolibet tempore offerre: Secundò in cõmemorativa, quæ ſunt alterius ſacrificii commemoratio, ſeù imago; & abſoluta, quę ſunt ſacrificium in ſe, at non ſimul commemoratio alterius. Tertiò in ſignificativa moraliter ſimul, ac myſticè, & in ſignificativa ſolum moraliter. Prima diviſio nota eſt ex terminis: de ſecundâ accurret aliquid dicendum infrà *cap.* 2. §. 3. *num.* 55. Tertia innoteſcere poteſt ex dictis *num.* 27. Non eſt igitur cur in iſtis, aliiſve ſimilibus diviſionibus moram faciamus.

61 Juxtà prędicta quatuor cauſarũ genera affertur quadruplex præcipua diverſitas ſacrificiorum à Sacramentis.

Porrò ſicut penes quatuor Cauſas conſideravimus quatuor præcipua capita diviſionis, & diverſitatis Sacrificiorum inter ſe; ità penes eaſdem poſſumus obiter conſiderare, & leviter delibare quatuor præcipua capita diſtinctionis, ac diverſitatis Sacrificiorũ à Sacramentis, tametſi alioqui detur inſignis utrorumque convenientia in ratione ſigni ſacri publici, & ad placitum: Differunt ſcilicèt primò ex parte materiæ, quatenùs ſubſtratum ſacrificiorum conſiſtit in ſolis rebus; ſubſtratum ſacramentorum conſtat rebus, & verbis: Differunt ſecundò ex parte formæ, quatenùs in ſacrificiis actio habens rationem formæ eſt deſtructiva, in ſacramentis verò eſt productiva, habent quippe in iſtis rationem formæ verba, ſeù prolatio verborum, quæ efficiunt, quod ſignificant: Differunt tertiò ex parte inſtitutionis, quatenùs ſacrificia inſtitui poſſunt, etiam auctoritate humana, & ab homine; ſacramenta ſolum à Deo: Differunt quartò ex parte finis, quatenùs ſacrificia habẽt pro fine primario honorem, & cultum divinũ; Sacramenta ſalutem, & ſanctificationem humanam: Alia diſcrimina, quæ afferri poſſunt minoris momenti, & omnibus obviæ intelligẽtiæ, quatuor verò prælaudata ſicuti ſunt potiora, ita eſſent difficiliora, niſi ipſorum intelligentia deduceretur ex dictis de ſacrificiis, & ſacramentis in cõmuni, partim mox in præſenti, partim in præcedenti tractatu, ideò in ipſis magis explicandis non immoror.

62

Ex his habetur aliquale veſtigium perfectionis, & excellentiæ Sacrificii à Chriſto Domino in Euchariſtia pro novâ lege inſtituti, quod ſacrificiũ Miſſæ dicimus; habetur ſimul qualiſcumque apparatus ad propriam ipſius eſſentiam, quiditatemvè explicandã; & licèt ex ordine ſervari cõſueto inter quęſtiones *An ſit, Quid ſit nominis*, & *Quid ſit rei* deberet antè prædictæ propriæ eſſentiæ, & quiditatis conſiderationem ſtatui. Utrùm contineatur in Miſſâ verum ſacrificium, & undè deducatur Miſſæ nomen? item quod pariter ad *An ſit* pertinet; Quandonam fuerit miſſæ ſacrificium inſtitutum? Nihilominùs quò ad hoc tertium ſufficit reperere ſuperius tradita in totius Tractatus initio, circà inſtitutionem Euchariſtiæ, ut ſacramenti: Quò ad primum poteſt pro nunc Catholica veritas iure ſupponi, ex perpetuâ Eccleſiæ traditione, & conſtantiſſimo Conciliorum, ac Patrum conſenſu, contrà recentes anteacti ſæculi hæreticos, qui primi auſi ſunt negare veritatem, & proprietatem ſacrificii in Miſſâ; ſed meritò fuerunt damnati, & anathematizati à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* & *can.* 1. ac poſteà impugnati luculentiſſimè, & validiſſimè à pluribus, tùm Controverſiſtis, tùm Scholaſticis, & à nobis etiam ſparſim in progreſſu impugnabuntur: Secundum verò poteſt breviter expediri, advertendo tres valdè diverſas circumferri origines, & ætimologias hujus vocis Miſſa; Primò ſcilicèt aliqui, & hi pauciſſimi, imò fortè ſingularis, & unicus Albericus, putant eſſe græcam vocem, & ſignificare græcè idem, quod latinè Interpellatio; Secundò alii, & hi nec pauci, nec ignobiles putant, eſſe vocem ab hebraico idiomate deſumptam, eo quod miſſath, vel

63 Varia ætimologia, & ſignificatio hujus vocis, *Miſſa*.

vel Missa hebraicè oblationem significet: Tertiò alii, & hi valdè multi non quærunt in scirpo nodum, Missæ vocabulum non extraneum putant, sed Latinum, nec aliundè, quàm à verbo mitto, aut dimitto derivatum; cur deindè secundum hanc derivationem accommodatum sit celebrationi sacrificii in nova lege instituta; diversa sunt

64

Auctorum placita; aliquibus placet, id factum esse, ex eo quia in tali celebratione ex vi verborum consecratoriorum Christus quodammodo de Cælo in terram mittitur, seù demittitur, aliis, quia preces, & vota populi ad Deum mittuntur, seù transmittuntur; aliis quia populus verbis illis *Ite Missa est* dimittitur, & secundum istos ly *Missa* idem est, ac *missio*, seù *dimissio*, sicuti aliquando consuevit peccatorum remissa pro eodem sumi, ac peccatorum remissio; collecta pro eodem, ac collectio: & quia olim duæ fiebant missiones, seù dimissiones, altera Catechumenorum inter Evangelium, & offertorium, altera omnium in fine, ut adhuc fit dum dicitur Itè, missa est; ex hujusmodi duplici dimissione videtur originem duxisse, tùm quod veteres duplicem missam, alteram Cathecumenorum, alteram fidelium distinxerint; tùm quod etiam nunc dici soleat *Inter Missarum solemnia*; aliquibus tamen etiam magis placet, quod ly *Missa est* non idem sit, ac *missio*, seù *dimissio est*, sed idem ac *missa est hostia*, seù *victima*, adeò ut in *Ite*, *missa est* prolato statim post Evangelium subintelligeretur *hostia Patri offerenda*, in *Ite*, *missa est* prolato in fine subintelligatur *hostia Patri oblata*, vel sensus sit, missa est hostia ad Patrem.

65

Et hæc de Missâ, quo ad quid nominis, tamquam præambula ad quid rei, in præsentis capitis calce attigisse sufficiat: Videat de eo pluta, qui velit, pro ætimologia quidem latinâ apud Scortiam, & Bellarminum *lib. 1. cap. 1. de missâ*: pro hebraicâ apud nostrum Marchinum, in tractatu de sacrificio Missæ *par. 1. cap. 4. 5. & 6.* ubi ingenti eruditione pro hebraico missæ nomine multa profert, & plurima ex eodem colligit arcana, atque mysteria: Sicut, & pro suppositâ à nobis veritate, institutioneque sacrificii in missâ contenti, videri possunt; pro instituzione quidem Marchinus *ibid. cap. 7. & 8.* nec non Scortia *cap. 2.* pro veritate verò, proprietateque sactificii Herinex *disp. 8. quæst. 2.* Suarez *disp. 74. sec. 1.* Gonetus *disp. 11. art. 1. §. 2.* & fusissime Bellarminus *præcit. lib. 1. à cap 5. ad 27.* nec minus fusè Valentia *hic disp. 6, quæst. 11.* ferè per totam.

CAPUT II.

De Sacrificio Missæ in particulari; & primò de ejus essentiâ.

IN missâ conficitur Eucharisticum sacramentum, & simul offertur eucharisticũ sacrificium, quod aliqui (ii scilicet, quibus placet Missæ ab hebraico vocabulo *Missath* deductio) Missathicum vocant, istud propterea, & nullum aliud particulare Sactificium habet proprium in præsenti tractatu locum; & sicuti solum hujus gratiâ toto *præced. cap.* actum est de Sacrificio universim, ac de ipsius præsertim essentiâ, ità nunc absque ulteriore morâ meritò assumimus, singillatim explicandam essentiam sacrificii Missæ, cujus veritatem, institionem, ethimologiam jam prælibavimus, & ulteriorem posteà, quo ad reliqua, tractationem prosequimur.

1

Porrò cum ex dictis constet, communem Sacrificiorum essentiam maximè attendi penes id, quod sacrificatur, & actionem sacrificativam, seù penes rem, quæ Deo offertur, & actionem, quâ offertur; penes illam, tamquam penes materiam; penes istam, tamquam penes formam; consequens est, penes hæc duo debere proportionaliter attendi propriam essentiam cujuslibet particularis sacrificii, atque adeò in proposito Sacrificii in missâ contenti essentiam investigandam esse penes res, & actiones, quibus missæ celebratio perficitur, ut aliquibus illarum rejectis, & pro accidentali perfectione, ac ritu relictis deveniatur ad eas per quas habeatur essentiæ, quæ inquiritur propria, intrinseca, & rigorosa constitutio. Ideò

2 Enumerantur variæ res, & actiones, quæ in Missa spectare possunt ad sacrificii essentiam;

Adverto, multas pro re præsenti, tùm res, tùm actiones posse in Missâ considerari, nimirùm quo ad res, panis, & vini substantias; utriusque accidentia, seù species; Christi corpus, & sanguinem, seù Christum ipsum, ejusque existentiam, vel naturalem in Cælo, vel sacramentalem in Altari: Quo ad actiones verò considerari potest primò oblatio hostiæ, & calicis, quæ fit post Evangelium, aut symbolum proferendo verba illa *Suscipe Sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero &c.* item *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris &c.* Secundò consecratio sumpta non pro formâ verbali, prolationeque verborum præcisè, sed pro transubstantiatione, conversioneque panis, & vini in Christi corpus, & sanguinem: Tertiò oblatio alia, quæ fit post consecrationem per verba illa *Undè & memores &c. offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis &c.* Quartò fractio hostiæ in tres partes, & unius partis in calicem immissio, ac cum sanguine immixtio, Quinto communio Sacerdotalis per utriusque speciei sumptionem à Celebrante. Sextò distribu-

tio sacramenti facta populo pro cõmunione laicâ. Ex his actionibus, si postremam, ut potè nec Sacerdotis propriam, nec in qualibet missâ fieri solitam, excipias, nulla est, de quâ non fuerit dubitatum, & fortè ab aliquibus existimatum ad sacrificii in missâ contenti essentiam pertinere, ideò per singulas alias à postremâ expedit ex professo discurrere, quod quidem inserviet, non solum ad melius determinandam actionem, quæ missæ sacrificium constituit, ut forma, sed & ad facilius posteà assignandam rem, quæ idem sacrificium constituit, ut materia: ex quibus perfectè innotescet tota sacrificii essentia. Sit igitur

§. I.

Utrùm aliqua verbalis oblatio ingrediatur essentiam Sacrificii Missæ?

3 Essentiam sacrificii in missa contenti non ingreditur verbalis oblatio consecrationem antecedens.

ASSERT. I. Verbalis oblatio, quæ antè consecrationem in Missa fit, non ingreditur essentiam sacrificii. Hoc assertum, quamvis receptissimum, videtur esse contrà Scotum *in 4. dist. 13. quæst. 2. §. Ad quæstionem* circà finem, ubi explicans, quomodò Sacerdos hæreticus, aut schismaticus offerens in personâ propriâ, non Ecclesiæ possit conficere, & consecrare validè; respondet, oblationem non pertinere ad rationem consecrationis, & probat dicendo *Offertur enim hostia non consecrata, & tunc est sacrificium, non sacramentum, sicut Eucharistia consecrata conservata in pyxide est Sacramentum licet, non ut ibi sit sacrificium, nisi aptitudinaliter*, his tamen verbis ad summum insinuat, in missa duplex esse sacrificium; alterum panis, & vini; alterum corporis, & sanguinis; & illius dumtaxat essentiam in oblatione, consecrationem antecedente, constituit, sicque vix nobis, de sacrificio Corporis, & Sanguinis loquentibus, adversatur; imò ne vix quidem, si, ut plures ejus discipuli observant in ly *Est sacrificium, non Sacramentum* sumpsit sacrificii nomen latius pro oblatione ceremoniali, & dispositivâ ad oblationem aliam sacrificio essentialem, & à consecratione indistinctam: Ad summum, etiam indirectè, & ex eo quod obscurius fuerit locutus, censeri potest adversarius cum aliquibus aliis Sotus, ut refert Suarius *hic disp. 75. sec. 3.* in principio. Asserta igitur veritas videtur in re ab omnibus recipi, &

4 Probatur; quia Sacrificium Eucharisticum, neque ex ratione genericâ sacrificii, neque ex ratione specificâ sacrificii talis requirit essentialiter verbalem oblationem; non ex ratione genericâ, quia sacrificium est quidem ex genere suo oblatio, at quæ debet rebus non verbis fieri, & à sacramentis præsertim novis differt, quod ista rebus, & verbis constant, illud solis rebus: Non ex ratione specificâ sacrificii talis, idest in novâ lege à Christo instituti, quia ut in novâ lege debet potiori jure habere à novæ legis sacramentis discrimen, quod nuperrimè insinuatum est, tamquam cæteris sacrificiis commune; ut à Christo institutum debet, quo ad essentialia attendi penes institutionem, & factum ipsius Christi, qui non legitur, verba oblationis, seù offerendi in ultimâ cænâ protulisse, sed solum gratiarum actionis, benedictionis, consecrationis, & cum sacrificio essentialia non sint verba gratias agendi, & benedicendi, quamvis ea Christus protulerit, multò minus essentialia esse possunt verba offerendi, quæ Christus non protulit. Corroboratur antecedens, quo ad utramque partem; quo ad primam quidem, quia oblatio ingrediens essentiam sacrificii, ut ipsius genus, debet esse actio immutativa rei, quæ offertur, non est autem hujusmodi oblatio, quæ antè consecrationem fit verbis illis *Suscipe Sancte Pater* &c. non est, inquam, hujusmodi, non solum si respectu Corporis, & Sanguinis Christi, sed nec si respectu panis, & vini consideretur; ideò &c. Quo ad secundam verò, quia juxtà praxim, & rubricas, si in pane, aut vino jam verbaliter oblatis deprehendatur defectus substantialis immediatè ante, aut etiam post consecrationem, debet nova materia afferri, & consecrari, non repetitis super ipsam verbis illis offerendi *Suscipe Sancte Pater* &c. ergo.

5 Neque item oblatio alia consecrationem subsequens:

Assert. 2. Verbalis oblatio, quæ fit in missâ post consecrationem non ingreditur essentiam, multoque minus est tota essentia sacrificii. Quod non ingrediatur essentiam est contrà Sotum *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. §. Sed rogas*. Canum de locis theologicis *lib. 12. cap. 13. §. Quartum verò*. Alphonsum à Castro adversus hæreses *verb. Missa hæres. 2. §. Præter istam*. Josephum de Angles *quæst. de valore Missæ art. 1. difficult. 2.* & aliquos alios, inter quos tamen non sunt facilè recensendi quicumque absolutè docent, oblationem esse de sacrificii missæ essentiâ, ità enim absolutè loquentes solent, oblationis nomine intelligere oblationem realem, seù re exercitam; non verbalem, seù verbis expressam, ut videre est apud Scortiam de missæ sacrif. *lib. 1. cap. 5. §. Nobis verò*. Quod eadem verbalis oblatio non sit tota essentia Suarez *disp. 75. sec. 3. §. Secundo dicendum* ait videri contrà Echium *lib. 3. de Sacrif. Missæ cap. 9.* Clicthoveum *lib. 2. cont. Luther. cap. 16.* & Ruardum *art. 16.* quibus Vasquez *disp. 222. cap. 1. num. 2.* alios addit, ac præcipuè Scotum *præcit. §. Ad quæstionem*, & Gabrielem *eod. dist. 13. quæst. 2. art. 3. dub. 2.* At Gabriel, quamvis docuerit, sacramentum posse consecrari, & non offerri, adeoque non offerri in sacrificium, quando consecratur, consecrationemque non esse totam essentiam sacrificii, non ideo meo videri consequens est, quod sit tota essentia subsequens obla-

Multo minus hæc subsequens oblatio est tota ejusdem sacrificii essentia.

6

oblatio, & non simul cum oblatione prævia consecratio, aut sumptio: Scotus verò dicit quidem, ut retulimus, ex consecratione haberi sacrificium solùm aptitudinaliter; at per quid deindè sacrificium reddatur completum, & in actu, per verbalemne oblationem, an per sumptionem? non explicat, & ejus discipuli assignant magis communiter sumptionem, ex hàc que simul cum consecratione sacrificii essentiam constituunt; Undè non satis constat, Scotum præfixo asserto adversari; & Gabriel adversatur fortè prioribus ejus particulis potiùs, quàm posterioribus; quidquid deindè sit de utriusque mente, totum assertum est valdè commune, ut ex Auctoribus in progressu afferendis patebit: Interim

7. Probatur, & quidem quod verbalis oblatio, quæ post consecrationem fit, non sit tota sacrificii (subintellige, ut pro actione sacrificativâ supponentis) essentia, peculiari probatione non indiget; si semel probatum fuerit, ad ejus essentiam non pertinere, seù ejus essentiam non ingredi, quod facile præstatur repetendo probationem præcedentis asserti; tota enim paucis mutatis militat contrà verbalem oblationem, quæ post, æquè ac contrà illam, quæ antè consecrationem fit, ut fatebitur, ni fallor, quisquis eam etiam cursim relegerit.

Dices: essentiam sacrificii missæ ingreditur aliquid habens vim oblationis, cum quodlibet sacrificium contineatur sub oblatione tamquam species sub genere, & genus ingrediatur essentiam cujuslibet speciei sub se contentæ; atqui præter duplicem oblationem verbalem, alteram quæ antè, alteram quæ post consecrationem fit, non datur in missa alia actio, habens vim oblationis; ergo necesse est, alteram ex iis ingredi sacrificii missæ essentiam, ne ponatur aliquod sacrificium carens oblatione, aliqua species carens genere. Sed contrà: Dixi

8 *Oblatio sacrificio missæ essentialis continetur in ipsa consecratione.*

jam semel, & iterum oblationem, quæ est genus ad sacrificium, realem esse, non verbalem; in rebus aut potiùs in actione reali versante circà res, non in verb[is], actionevè verborum prolativâ consistere; præter duplicem autem oblationem verbalem, alteram quæ &c. benè datur in missâ alia actio, habens vim oblationis realis, & consistentis in rebus; estque hujusmodi per nos ipsa met consecratio.

Urgebis: Ut res aliqua, seù actio realis habeat vim oblationis ad sacrificium sufficientis, necesse est, quod eam comitetur aliquod verbum offerendi, quo ratio oblationis reddatur sensibilis, & innotescat illi potiùs, quam ulli aliæ actioni in missâ convenire, non dantur autem verba offerendi, nisi in duplici oblatione verbali præmemoratâ: Confirmatur; ex eo quod consecratio à nobis assignata nequit habere vim oblationis pro missæ sacrificio; primò, quia talis oblatio per nos debet esse realis, & in rebus consistere, consecratio autem consistit in verbis, & est verbalis forma, si igitur sit simul oblatio, erit verbalis oblatio, & in verbis consistens: Secundò quia oblatio debet supponere rem, quæ offertur; consecratio autem ponit, non supponit victimam, quæ offertur in missæ sacrificio, non igitur consecratio ipsa, sed actio alia posterior potest, & debet habere vim oblationis: Tertiò quia Tridentinum *sess. 23. cap. & can. 1.* definit, Apostolorum successoribus in sacerdotio esse *traditam potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus, & Sanguinem*; ex mente igitur Tridentini, consecrare, & offerre sunt distinctæ actiones, sicut consecrare, & ministrare; ergo malè à nobis dicitur, quod fiat oblatio per ipsam met consecrationem, & utraque eadem actio sit. Sed contrà: Nego antecedens; & dico, quod una actio potiùs, quàm alia sit oblatio sacrificativa, innotescere ex publicâ institutione, & ex modo, quo actio exercetur à determinato ministro, & determinato ritu: ex his capitibus, independenter ab ullo verbo offerendi, sicuti innotescebat, antiquitùs aliquas mactationes animalium potiùs, quàm alias esse oblationes sacrificativas, ità innotescit, nunc habere vim oblationis sacrificativæ in missâ consecrationem potiùs, quam ullam aliam actionem, ut etiam nonnihil constabit ex mox dicendis ad confirmationem, & multo magis ex aliis, paulò inferius afferendis *num. 45. & seqq.*

9 *Quomodo id innotescat absque eo, quod consecrationem comitentur verba offerendi.*

Ad confirmationem; nego absolutè, quod assumitur, ad cujus primam probationem; dico, consecrationem, ut est forma sacramenti, verè consistere in verbis, at ut est actio transubstantiativa, consistere in re, & equivalere rei, seù munus rei, non vocis agere; & contradistingui à se ipsâ, ut formâ verbali, undè etiam, ut forma verbalis, moraliter permanet, permanente sacramento, non permanet autem, ut actio transubstantiativa; ut forma verbalis significat, quasi naturaliter, & ex impositione humana; ut actio efficit omninò supernaturaliter, & ex institutione divinâ: Consecratio igitur est verbalis forma, at non est verbalis oblatio; quia non est oblatio, sub eâ ratione, sub quâ est forma, sed sub ea, sub qua est actio transubstantiativa, & res, aut æquivalens rei; & sicuti in sacramento Matrimonii res nimirùm mutus, quatenùs significant internum consensum, se habent, ut verba; ità nil mirum, si in sacrificio missæ, verba sub aliquâ peculiari ratione, possint, se habere, ut res. Cæterùm consecrationem, quàmvis sit verbalis forma, non esse verbalem oblationem evidens est, ex eo quod verba, quibus constat, non sunt verba offerendi, quibus solis constitui potest verbalis oblatio.

10 *Quomodò consecratio sit realis non verbalis oblatio etsi sit verbalis forma?*

Ad secundam probationem; necesse est, præscire quænam sit in Missæ sacrificio principalis victima, seù res principaliter oblata? quid item se habeat ut terminus à quo; quid, ut terminus ad quem oblationis, utrumque enim terminum habere debet

debet oblatio immutativa, & destructiva, qualis in sacrificio requiritur, ideò vide infrà §. 3. & 5.

11 Quomodò in missa consecrare & offerre sint synonima?

Ad tertiam probationem; nego id, quod infertur, & dico, Tridentinum pro eodem sumere *consecrare*, & *offerre*, & solum majoris claritatis gratiâ utrumque verbum posuisse potiùs, quàm alterutrum dumtaxat, & benè; neque enim consecrare, & offerre sunt vocabula penitus synonyma (ut ensis, & gladius v. g. quæ non solum idem, sed & eodem modo significant) sed significant penes explicitum, & implicitum, modo diverso; consecrare scilicèt, significat implicitè id, quod explicitè significat offerre; illud applicat suam significationem explicitam sacramento, implicitam sacrificio; istud explicitam sacrificio, implicitam sacramento. De verbo ministrandi non est eadem ratio, quia de ipso aliundè constat, esse diversum ab offerre, & consecrare, cum possit competere Diacono potestas saltem delegata ministrandi Corpus, & sanguinem; consecrandi, & offerendi, non item: ex adverso constat quoque, aliundè potestatem consecrandi, & offerendi esse unam, & eamdem; nam in formâ ordinationis sacerdotum per ly *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ Dei pro vivis, & mortuis* confertur potestas non offerendi tantum, sed & consecrandi ex quo, quia formæ sacramentales efficiunt, quod significant, consequens est, per offerre sacrificium, simul significari consecrare sacramentum, & unam, ac eamdem esse utriusque potestatem.

Eademque sit utriusq; potestas?

12 Adverto hic pro majore intelligentiâ præcedentium, & prænotione ad sequentia, Auctores inter se convenientes in eo, quod oblatio verbalis post consecrationem facta ingrediatur essentiam sacrificii, tamquam partiale constitutivum, non convenire deindè in assignandis aliis, quæ simul cum ipsâ verbali oblatione, eamdem essentiam constituunt; nam Canus simul assignat consecrationem, hostiæ fractionem, mixtionemque cum sanguine, & sumptionem ejus à Celebrante: Joseph de Angles oblationi addit solam sumptionem. Sotus, & Alphonsus à Castro solam consecrationem, nisi quod Sotus oblationis verbalis nomine fortè intelligit illam etiam, quæ antè consecrationem fit. Non item in iisdem constitutivis assignandis conveniunt Auctores, qui ab ipsis omnem verbalem oblationem excludunt; nam ex istis Nicolaus Cabasilas in liturgia *cap.* 8. Valentia *hic disp.* 6. *quæst.* 11. *punc.* 1. §. 2. pro talis essentiæ constitutivis assignant consecrationem, fractionem, mixtionem, sumptionem. Albertus *in* 4. *dist.* 13. *art.* 14. Ledesma 1. *par.* 4. *quæst.* 22. *art.* 4. & aliqui alii solam à Celebrante sumptionem, seu consumptionem. Bellarminus *lib.* 1. *de Missâ cap.* 27. *propos.* 7. & 8. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 9. Scortia *lib.* 1. *cap.* 5. §. *Nobis verò*. Mastrius de sacram. ord. *disp.* 5. *quæst.* 4. *num.* 77. Matchinus *tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 1. & 2. & alii multi consecrationem, & sumptionem; Multo plures verò solam Consecrationem; hosque recitabimus infrà *num.* 41. Interim, ne quis hæreat, erroremque in his nostris citationibus suspicetur, si Auctores à nobis pro unâ opinione mox relatos, inveniat ab aliquo alio, pro aliâ referri, duo moneo;

13 Duplex circa aliorum sententias, & citationes admonitio.

Primum est; aliquos absolutè recensentes, inter constitutiva, de quibus agitur, oblationem, non loqui de verbali, sed de reali, indistinctâ à consecratione: oblationemque proprio nomine exprimere solùm majoris claritatis gratia, ut dicebamus de Tridentino; in hoc sensu Scortia loco citato pro prædictis constitutivis ponit oblationem, consecrationem, & sumptionem, quamvis nos ipsum, nec immeritò, pro solis consecratione, & sumptione retulerimus; Nec dubito, quin in eodem sensu loquantur aliqui alii ex iis, quos ibi Scortia se sequi profitetur.

14 Secundum est; nonnullos, spectantia ad integritatem, perfectionemvè integralem, confundere cum ingredientibus essentiam, constitutionemvè essentialem; sic invenio Gonetum, Lugum, & aliquos alios, à quibusdam referri, tamquam constituentes essentiam sacrificii ex consecratione, & sumptione, cum tamen in re sumptionem requirant solum ad integritatem, & ideò non immeritò à nobis infrà afferentur pro essentiâ sacrificii, consistente in solâ consecratione; Fortè etiam oblationem verbalem, aut hostiæ fractionem ad solam integritatem requirunt aliqui ex iis, qui inveniuntur referri pro essentiæ, ex hujusmodi actionibus, constitutione. Hæc libenter monui, tùm ne in meis citationibus, ut jam dixi, facilè judicer de falsitate suspectus, tùm ut quilibet noverit, quantum expediat in iis, quæ alicujus momenti sunt, Auctores in fonte consulere, quamvis ultrò fatear, neque à me ipso omnes, quos refero, sic consului, eo quod ad id in omnibus præstandum, nec librorum, nec temporis copia suppetat; Undè etiam hic obiter eorum, à quibus legar, benignitatem imploro, si quandoque deprehenderint, me adducere Auctorem ullum minus legitimè, & non juxta proprium ejus sensum.

Auctoris protestatio.

§. II.

Utrùm hostiæ fractio, cum sanguine immixtio, & sumptio, seu consumptio ingrediantur essentiam sacrificii?

15 ASSERT. I. Non ingreditur sacrificii essentiam hostiæ consecratæ fractio, seu divisio in tres partes, nec unius partis ex tribus immissio in calicem, & mixtio cum sanguine. Ità contrà Canum, Cabasilam, & Valentiam *præced. num.* 12. relatos, cæteri communiter.

Pro-

Probatur: Hostiæ consecratæ fractio, & mixtio cum sanguine, neque ex Christi institutione, neque ex absolutâ necessitate requiritur ad Missæ sacrificium; ergo non ingreditur ipsius essentiam. Consequentia patet; probatur antecedens, quo ad primam partem; quia, quæ in missæ sacrificio sunt ex Christi institutione, semper ecclesia ubique servavit, & Christus ipse exercuit; prędictam autem fractionem, & mixtionem, non ubiq; semper ecclesia servavit cum teste Suario *præcit. sect. 3. §. Tertiò dicendum*, nulla ejus fiat mentio in Liturgiâ Basilii, quod signum est, non fuisse semper servatam ubiq; : Eamdem Christus non exercuit, ut de mixtione est indubitatum, de fractione verò probatur, quia licet Christus in cœnâ panem fregerit, fregit tamen solùm ad distribuendum sacramentum discipulis, non ad perficiendum sacrificium, undè secundùm aliquos fregit ante consecrationem, secundum aliquos etiam ipse non sumpsit; fregit item in tot partes, quot erant discipuli precisè ad istorum usum, non in tres partes ad significationem mysticam: fuit igitur fractio usualis, potiùs, quàm sacra, mystica, & ad sacrificiũ pertinens. Probatur idem primum antecedens quo ad secundam partem, tùm ex prememoratâ liturgiâ Basilii, quod enim est de absolutâ necessitate alicujus sacrificii, aut sacramenti fuit semper, & ubique ab ecclesiâ servatum, tum ex rubricis missalis, in quibus notatur, quod nõ debeat dividi hostia, quæ casu elabens de manu sacerdotis integra in calicem decidit, & tota infunditur, id autem non benè notaretur, si hostiæ divisio esset de absolutâ necessitate: tum denique ex claris verbis D. Thomę *hic qu. 83. art. 6. ad 6.* dicentis *Horum* (idest quod hostia consecrata frangatur, & una pars mittatur in calicem) *prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare*: atque autem faciunt imperfectionem sacrificii, & debent, si prætermittantur, reiterari, quę sunt de absoluta necessitate.

16

Dices: Actio essentialiter constituens missæ sacrificium duo potissimum requirit, nimirùm quod sit in Dei cultum immutativa rei oblatæ, quod est de communi ratione sacrificii cujuscumque, & quod sit repręsentativa passionis Christi, seu sacrificii crucis, quod est de propria ratione sacrificii missæ: atqui hoc utcumq; habet optimè hostiæ fractio, & mixtio cum sanguine: habet primum, quia ex una parte fractio ex genere suo est sufficiens pro sacrificio immutatio, cum D. Thomas 2. 2. *qu. 85. art. 3. ad 3.* explicans, quid oporteat fieri in sacrificiis circa res oblatas, ponat exemplum in eo, quod est panem frangi; ex alia parte eadem fractio, & mixtio, quatenus in missa exercetur est actio sacra, circa rem maximè sacram versatur, & in Dei cultum redundat: Habet item secundum; quia inter alia, quæ hostiæ fractio significat, unum est passio Christi, in qua ejus corpus fuit vulneribus fractum, & divisum, ut tradunt Magister *in 4. dist. 12.* D. Bonaventura *ead. dist. qu. 3.* & D. Thomas *hic qu. 83. art. 5. ad 7.* ex quo *ibid. ad 8.* pars in calicem missa significat corpus Christi, quod resurrexit, repræsentatur autem, etiam per sacrificium missæ, resurrectio, ex Concilio Ephesino apud Suarium *præcit. §. Tertiò dicendum*. Confirmatur, tum ex eo, quod in verbis Christi, Hoc est Corpus meum, *quod pro vobis tradetur*, ex hebræo aliqui legunt, *Quod pro vobis frangitur* qua lectione videtur fieri allusio ad hostię fractionem, quæ post consecrationem fit: tum quia ad passionem Christi pertinet, etiam alia significatio, secundum quam eadem fractio, & mixtio more Græcorum per panis portiunculam, quę in calicem mittitur, denotat lanceam, & punctionem Corporis Christi in latere dextro, ut ex Cabasila refert Scotia *præcit. sect. 3. §. Ex his* in fine.

17 Illius fractionis, & mixtionis significatio mystica quæ?

Sed contrà: instantia, ut potè quę probat nimium, probat nihil, & quatenus aliquid probaret, non probaret Adversariorum intentum: Probat nimium, quia probat, hostię fractionem, & mixtionem cum sanguine sine ulla alia actione sacrificium constituere, & habere se sola omnia ad id requisita, quod non docent Auctores, quos modo impugnamus: Si aliquid probaret, non probaret Adversariorũ intentum, quia non probaret fractionem, & mixtionem esse de facto sacrificativam, & ad sacrificium constituendum à Christo institutam, sed tantum habere ad hoc aptitudinem, & potuisse sic à Christo institui, quod non sufficit pro præsenti Adversariorum intento.

18

Ad argumentum directè: nego utramque partem minoris: ad probationem primę partis dico, in fractione hostię consecratę frangi, & dividi panis species, non Christum Dominum: unde fractio esset sufficiens immutatio ad summum respectu specierum, & si istæ essent præcipua res oblata: D. Thomas *præcit. resp. ad 3.* loquitur de sacrificiis in genere, & exemplificat in iis, in quibus panis sit præcipua res oblata, propterea non valet particularis illatio ad sacrificium missæ, ubi panis aliter se habet, & circa quod quid verè senserit S. Doctor de hostię fractione ex alio clariore ejusdem textu protulimus jam *num. 16.* Ad probationem secundæ partis admitto, in hostiæ fractione, & mixtione significationem mysticam passionis Christi: at dico, hanc illi competere ex accommodatione ecclesiæ, non ex institutione ipsius Christi, qua tamen ratione, ea significatio competit sacrificio missæ, ut potè quod de facto est à Christo, non ab ecclesia institutum: Ad confirmationem, dico, ly *Quod pro vobis frangitur* intellectum de fractione physica, & reali referri ad passionem, in qua Christi Corpus vulneribus divisum, confractumque est ex jam dictis: intellectum de fractione mystica referri ex Christi institutione ad ipsam consecrationem, per quam sicuti modo infrà explicando repræsentatur, imo quasi iteratur, incruentè tamen, Christi passio, ita, & corporis ejus confractio: Cæterùm

19 Illi convenit ex accommodatione ecclesię, non ex institutione Christi.

terum quod fiat, aut fieri poſſit alluſio ad fractionem hoſtiæ, erit ex ſola accommodatione eccleſiæ, & ex hac ſola pariter eſt alia ſignificatio myſtica, quam eidem fractioni, ac mixtioni juxtà Græcorum morem tribuit Cabaſilas.

20 Sumptio neq; eſt tota eſſentia, neq; de eſſentia ſacrificii miſſæ.

Aſſert. 2 Hoſtiæ conſecratæ ſumptio, quæ fit in miſſa à Celebrante non ingreditur (propriè loquendo, & contradiſtinguendo eſſentiam à ſubſtantia) eſſentiam, multoq; minus eſt tota eſſentia ſacrificii. Contra has poſteriores particulas ſentiunt ex Auctoribus *præced. num* 12. relatis Albertus, & Ledeſma; contra priores ferè omnes reliqui *ibid* memorati; utraſq; verò ſuſtinent Echius, Clicthoveus, Ruardus, de quibus ſupra *num.* 5. & (ex diverſo tamen fundamento) alii plurimi, de quibus infrà *num.* 41.

Dixi *propriè loquendo, & contradiſtinguendo* &c. quia ut præmonui *num.* 14. ingredi eſſentiam, & ingredi ſubſtantiam: eſſe de eſſentia, & eſſe de ſubſtantia, nonnulli confundunt, cum tamen re vera debeant contradiſtingui, & in quolibet totò ex partibus, tùm eſsentialibus, tùm integralibus compoſito, illæ ſint de eſsentia, non de ſubſtantia; iſtæ de ſubſtãtia, non de eſsentia; & poſſit quodlibet hujuſmodi totum conſiderari, ut perfectum tripliciter primò eſsentialiter, ſecundo ſubſtantialiter, tertiò merè accidentaliter: eſsentialiter quando habet omnes ſuas partes eſsentiales, quales ſunt reſpectu hominis anima, & corpus; ſubſtantialiter, quando habet ſuas partes integrales, quales ſunt reſpectu hominis manus, brachia, pedes; accidentaliter, quando habet accidentia ſibi convenientia, qualia eſſe poſſunt reſpectu hominis talis temperies qualitatum, extrinſeca indumenta &c. Ex hujuſmodi totis eſt eucharistia, ſivè ut ſacramentum, ſivè ut ſacrificium conſideretur, & puto, ſumptionem, ad eam, ut ſacrificium, comparatam non ingredi quidem eſſentiam, ingredi tamen ſubſtantiam, & de ſubſtantia eſse, at non eſse de eſsentia; quod eſt eſse partem, perfectionemve ipſius, nec verè eſſentialem, nec merè accidentalem, ſed integralem, ſeu ſubſtantialem; medioque modo ſe habere inter conſecrationem, quæ de eſsentia, imò tota eſsentia ejus eſt, & alias multas actiones, quas miſsæ officium complectitur, at ad ſacrificium ſe habent, ut accidentales ceremoniæ, quales ſunt variæ preces, ac benedictiones, quales pariter cenſeo utramque verbalem oblationem, & hoſtiæ fractionem, mixtionemq; cum ſanguine: Neque enim puto, ſumptionem non magis, quàm actiones iſtas requiri, etſi habeat cum actionibus iſtis commune, quod de eſſentia non ſit: Porrò magis requiri, & ut partem integralem ſe habere conſtabit ex eo quod id ſaltem evincunt argumenta, quæ paulò infrà afferemus, & ſolvemus, quatenus ab Adverſariis urgentur ad probandum eſſe de eſſentia: remanet interim, ut nunc probemus, quod neque de eſſentia, neq; tota eſſentia ſit, ſicque

21

Eſt tamen de ejus integritate, & ſubſtantia.

Probatur aſſertum: primò, quoad id quod facilius, certiuſque eſt: nimirùm quod ſumptio non ſit tota eſſentia; probatur inquam ex evangeliſtis, qui referentes inſtitutionem, & oblationem ſacrificii eucharistici à Chriſto factam in ultima cœna, nullam prorſus faciunt eucharistiæ ab ipſo Chriſto ſumptæ mentionem, eſſet autem valdè inveriſimile, ac durum, omnes evangeliſtas, enarrando tanti ſacrificii inſtitutionem, oblationem, & plures actiones in eo exercitas, omiſiſse illam, in qua tota ſacrificii eſsentia conſiſtit? Videretur hoc etiam, non parùm minuere inſtitutionis, & ſacrificationis à Chriſto tunc factæ certitudinem: cum enim non ſit certum, Chriſtum tunc ſumpſiſse, quomodo eſset certum ſacrificaſse? Si totum ſacrificare nihil aliud eſt eſsentialiter, quàm ſumere: Neque iſta probatio cenſeri debet ducta ab auctoritate purè negativa: nam cum actio à Chriſto in ſacrificium inſtituta debeat, nobis ex divina revelatione innoteſcere, hoc ipſum, quod eſt alicujus actionis nullam haberi ex divina revelatione notitiam, præbet poſitivum fundamentum dicendi, talem actionẽ non eſse à Chriſto in ſacrificium inſtitutam, unde etiam Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. exponens quomodò Chriſtus in ultima cœna, tùm ſe in æternum conſtitutum ſacerdotem declaraverit, tùm Apoſtolos ſacerdotes conſtituerit, pro primo ait, *Corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit*: pro ſecundo, *& eiſdem, eorumq; in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit*: pro neutro verò ſumptionem ponit, & licet interſerat verba illa *Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit*, ſumptio tamen per ly *ut ſumerent* importata eſt eucharistiæ, ut ſacramenti, quia eſt ſumptio de Chriſti manibus, & materiæ à Chriſto conſecratæ: ea autem, quæ ab Adverſariis ponitur pro ſacrificii eſsentia, nequit eſse de manibus alterius à ſumente, & materiæ ab alio conſecratæ. Confirmatur, ex eo quod ſi ſumptio ſit tota ſacrificii eſsentia, in caſu quo ſacerdos celebrans inter conſecrationem, & ſumptionem repentè decederet, ſacrificium nondum eſſet eſſentialiter inchoatum, malè igitur rubricæ præſcriberent, debere in eo caſu materiam conſecratam ſtatim ab alio ſacerdote ſumi, ne relinquatur ſacrificium imperfectum. Deindè, ſi ſumptio ſit tota eſsentia, difficilè explicatur, cur (etſi illicitè) non ſacrificet ſacerdos extra miſsam communicans ex intentione ſacrificandi, aut ſaltem qui in miſsa hoſtiam à ſe conſecratam reſervaret, & aliam in ſacrario præexiſtentem ſumeret, quod etſi aliqui fortè docuerint, aut in praxim deduxerint: eſse contra ſenſum eccleſiæ, & omnium Doctorum teſtatur Lugus *hic diſp.* 19. *ſect.* 5. *nu.* 76.

22

23

Probatur aſsertum ſecundò: quo ad id, quod aliquantulò majorem patitur controverſiam, nimirùm quod ſumptio non ingrediatur eſsentiam, ex quo ulteriùs à fortiori cõfirmatum remanebit, quod non ſit eſsentia tota: probatur inquam, in primis, ex eo,

24

quod

quod præcedens argumentum ab Evangelistis, & Tridentino deductum, si benè expendatur, habet vim non modicam contrà partialem, ne dum contrà totalem sacrificii essentiam, in sumptione collocandam: Deindè accedit auctoritas Concilii Toletani XII. quod graviter reprehendendo quosdam sacerdotes, non quoties missæ sacrificium celebrabant, communicantes ait *Quasi non sit toties illi sacrificio participandum, quoties corporis, & sanguinis ejus immolatio facta constiterit*, quibus verbis Concilium censet, sumptionem esse participationem sacrificii, & à sacrificio ipso, seù immolatione distinguit, ut & distinguit Ecclesia in oratione secretâ festi Epiphaniæ verbis illis *Declaratur, immolatur, & sumitur Jesus Christus* &c. Tandem, si sumptio in missâ ingreditur sacrificii essentiam, maximè quia per ipsam solam habetur consumptio, & destructio rei oblatæ; atqui talis consumptio, & destructio habetur sufficientissimè per consecrationem, & melius per istam, quam per sumptionem; ergo. Minor quo ad primam partem probabitur, & explicabitur §. *seq.* Quo ad secundam probatur primò: quia in missæ sacrificio, ut potè repræsentativo cruenti sacrificii Crucis per eam actionem melius habetur destructio, per quam Christus non solum incruentè mactatur, sed simul repræsentatur, ut cruentè mactatus in Cruce, sic autem melius repræsentatur per consecrationem, quæ per se significat Christi mortem, & sanguinis effusionem, quam per sumptionem, cui solum tribuitur significare sepulturam proximè, & immediatè; passionem verò, & mortem solum mediatè, & ratione consecrationis, quatenus Christus, eo ipso quod manducatur, supponitur mactatus, & mutatus in cibum, quod per consecrationem fit: nec quidquam amplius, quam hujusmodi significationem mediatam, & remotam denotant tùm verba Pauli 1. Cor. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis*, tùm illa alia, quæ ex Augustino referuntur in Can. *Cum frangitur* De consecrat. dist. 2. *Cum sanguis de Calice in ore fidelium funditur, quid aliud nisi Corporis in Cruce immolatio designatur*. Probatur minor, quo ad eamdem partem. Secundò; quia in sacrificiis, ut colligitur *ex præced. cap. num.* 45. destructio rei oblatæ debet fieri per actionem aliqualiter ex se proportionatam, ad significandum in Deo dominium vitæ, & mortis, & sacrificantis animum paratum ad propriam in Dei honorem vitam insumendam, idque ex *num.* 57. maximè procedit de sacrificio latreutico, seù holocausto, cujusmodi est illud missæ; atqui melius est actio, ità proportionata; consecratio, quam sumptio, cum in istâ, non tàm Dei honor, quam propria sumentis utilitas appareat, & cibi sumptio, ut potè per se conducens ad vitæ conservationem, censeri facilius possit proportionata ad denotandum animum retinendi vitam potius, quam amittendi: Prosequitur

25 In missa per consecrationem melius quam per sumptionẽ habetur, tùm repræsentatio sacrificii cruenti Crucis.

26 Tùm incruenta destructio victimæ in indici honorem.

hoc argumentum Arriaga *disp.* 50. *sec.* 3. *num.* 15. ubi etiam videtur nimis ei fidere, fortè enim in re plus habet acuminis, quam ponderis, & vix non nimis probat, dum multum urgetur, vix scilicet non probat, sumptionem in missâ obesse perfectioni holocausti, si ad sacrificium pertineat, ideoque esse censendam actionem purè sacramentalem, non sacrificalem.

Dices primò pro totâ sacrificii essentiâ collocandâ in sumptione. D. Augustinus *lib.* 17. *de Civit. cap.* 5. circà finem tractans illud 1. Reg. 2. *dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam bucellam panis*, vel ut ipse Augustinus ponit Jacta me in unam partem sacerdotii tui manducare panem, idque transferens ad Christi sacerdotium, & ad novæ legis sacrificium ait *Quod ergo addidit manducare panem: etiam ipsum sacrificii genus eleganter expressit*, ac postea in fine capitis. *Ideò hic dicit manducare panem, quod est in novo testamento Sacrificium Christianorum*, ergo ex mente Augustini nostrum missæ sacrificium in solâ panis manducatione, seù sumptione essentialiter consistit. Confirmatur, ex eo quod in Missâ feriæ sextæ Parasceves offertur verum sacrificium, quod tamen, cum in eâ die nulla fiat consecratio, & celebrans sumat dumtaxat hostiam præcedenti die consecratam, non potest in aliâ actione consistere, quàm in sola sumptione, ergo hæc ex ipso Ecclesiæ sensu est tota Sacrificii essentia; probatur prima antecedentis pars, quia in eâ Missâ Sacerdos dicit *Sic fiat sacrificium nostrum hodiè, ut placeat* &c. Item *Orate fratres, ut meum, ac vestrum sacrificium* &c. Deindè si in eam diem incidat festivitas Annunciationis, aut alia ex præcepto celebranda, fideles tenentur sub lethali illi missæ interesse, non tenerentur autem, si non offerretur verum sacrificium, quia jam non esset substantialiter missa, cui soli est præceptum interessendi, non ulli alii sacro ministerio. Sed contrà: Loquitur eo loco Augustinus de manducatione panis, & participatione sacrificii laicâ, non sacerdotali; undè ad ly *Jacta me in partem Sacerdotii* accómodat illud 1. Pet. 2. *Plebs sancta, regale Sacerdotium* ubi sub regalis sacerdotii nomine omnes fideles significãtur, & dum posteà caput cõcludit, dicendo *manducare panem, quod est Sacrificium Christianorum*, ly *quod est Sacrificium* ad panem refert, non ad manducare, & per sacrificium non actionem sacrificandi intelligit, sed rem sacrificatam, quæ benè dicitur panis juxtà id, quod ipse Augustinus præmiserat post ly *Manducare panem, etiam ipsum sacrificii genus expressit*, referens verba illa Christi Jo. 6. *Panis, quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vitâ*, & addens *Ipsam est Sacrificium non secundum ordinem Aaron* &c. Ex quibus certè nihil deducitur pro totâ essentiâ, imò nec pro parte essentiæ sacrificii, præsertim pro actione sacrificandi supponentis, collocandâ in sumptione, seù mãducatione, quæ à sacerdote in missâ fit, ut ultrò fatebitur quisquis Augustini textum, contextumq; perlegerit.

27 Ratio dubitandi pro tota essentia sacrificii collocanda in sumptione ex mente Augustini.

28 Affertur propria Augustini intelligentia ex textu ipsius, & contextu.

29 In die Parasceves non offertur verum sacrificiū: Et cur?

Ad confirmationem nego absolutè, in die Parasceves offerri verum sacrificium, pro actione sacrificandi acceptum, ut & negant Scholastici communiter, quorum plures refert Marchinus *praeit. par. 2. cap. 1. num.* 19 Ratio negandi esse potest; primò, quia eo die nihil fit in personâ Christi, qui tamen in missæ sacrificio debet esse principalis offerens: Secundò; quia tota ceremonia illius missæ est instituta ab Ecclesia, cui de facto interdicta est sacrificii institutio. Tertiò; quia nequit Ecclesia dispensare, ut in sacrificio sumatur unica species, ut tamen in Parasceve sumitur: Sunt insuper aliquæ congruentiæ, ob quas non est eo die sacrificium offerendum, prima est; quia recolitur passio Domini, non realiter gesta est, non debet igitur fieri sacrificium, ad eam mysticè repræsentandam institutum, cum veniente veritate cesset figura, est ratio D. Thomæ *hic quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. Secunda habetur ex Hugone à S. Victore apud Vasquium *disp.* 222. *cap.* 9. *num.* 71. dicente de die Parasceves *Hodie non sacrificemus, dum nobis hostia de manibus tollitur. Non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Ad probationem in oppositum, dico, in verbis relatis sacrificium, vel sumi latius pro quolibet sacro ministerio, vel melius, & secundum usum, nec itâ impropium, nec infrequentem pro hostiâ, & re sacrificata, idest Christo Domino, quem Sacerdos deprecatur, ut sit sacrificium Deo placens, & acceptabile, nimirum ut placeat, & acceptetur fructus passionis ejus pro nobis, quod & insinuat D. Thomas nuper *cit. resp. ad* 2. docens, ne in die Parasceves Ecclesia sit sine fructu passionis, reservari eâ die sumendum corpus Christi præcedenti die consecratum; quamvis ex hac auctoritate nonnulli male inferant, Christi corpus de mente D. Thomæ offerri eâ die propriè in sacrificium, cujus videtur proprium toti Ecclesiæ prodesse. Est prætereà talis illatio mala, etiam aliundè, nimirum ex eo quod ibi S. Doctor magis loquitur de sacramento, nec explicat; Utrùm corpus Christi reservetur, ne Ecclesia careat fructu sacramenti, aut etiam sacrificii. Ad illud,

30

quod addebatur de festo incidente, dixerunt aliqui, præceptum audiendi missam fuisse impositum, non tàm ratione sacrificii, quod in missâ offertur, quàm ratione sacri ministerii, quod in eâ exercetur, & isti (sine detrimento tamen præsentis doctrinæ) putant, fideles in datâ hypothesi teneri sub lethali ad audiendam missam Parasceves, sed in majorem ejusdem doctrinæ confirmationem, & favorem dirempta lis est à Sacrâ Rituum Congregatione, quæ, ut meminit Marchinus *praeit. cap.* 1. *num.* 21., die 19. Februarii 1622., declaravit in casu, de quo agitur, fideles non teneri missæ illi interesse.

Non est eo die obligatio audiendi missam etiamsi incidat festū ex præcepto.

31

Dices secundò: pro essentiâ sacrificii collocandâ in sumptione saltem partialiter: Summa, & strictissima est obligatio non omittendi in missæ sacrificio sumptionem, adeò ut & multis aliis obligationibus prævaleat, & numquam ipsa ex interpretatione, aut dispensatione aliqua cesset, imò Ecclesia sit sollicita de sumptione, quocumque possibili modo, quoties in aliquo casu evenit, eam non posse modo ordinario fieri sic si inter consecrationem, & sumptionem celebrans repente decedat, aut aliter ad sumendum impotens evadat ex Missalis rubricis, & Ecclesiæ regulis species consecratæ sumendæ sunt, & consumendæ ab alio Sacerdote, etiam non jejuno, etiam non præmissâ, ab habente conscientiam lethalis, confessione, etiam qui eodem die celebraverit; Sic item, ne Sacrificium sumptione careat, facienda aliquando est à Celebrante nova consecratio, hocque non solum in casu, quo vinum consecratum ex fortuito v. gr. calicis lapsu omnino effundatur, sed insuper, si post consecrationem deprehendatur immissum esse calici venenum, in hoc quippe casu non debet quidem celebrans sumere, aut alii dare, ne calix vitæ vertatur in mortem, *debet tamen aliud vinum apponere in calicem, & dennò resumere à consecratione sanguinis, & sacrificium perficere*, ut ait D. Thomas *hic quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 3. qui etiam antecedenti *quæst.* 82. *art.* 4. *ad* 3. idem consuluerat in casu miraculoso *quo Corpus Christi in altari sub specie carnis, aut sanguis sub specie sanguinis appareat:* Atqui hæc tàm magna, & tàm stricta obligatio sumendi, nec potest provenire ex solo jure ecclesiastico, quod non videtur posse tantam, & tàm prævalentem obligationem inducere, nec ex jure positivo divino, cum non constet impositum à Christo fuisse Sacerdotibus præceptum sumendi, & quando fuisset impositum, non facile præsumendum esset, tàm strictè obligare, sicuti nec tam stricte obligat præceptum distribuendi, de quo certius est fuisse à Christo Sacerdotibus impositum; ergo reliquum est, provenire ex præcepto divino, quasi naturali, & consequi naturam sacrificii, quod ex sumptione, tamquam ex parte essentiali constituatur, ergo verè itâ constituitur, & sumptio sacrificii essentiam ingreditur. Sed contrà: Admitto totam, aut ferè totam sumendi obligationem, quam in majori propositione urget instantia, & casus adductos approbo, nisi quod in ultimo de apparitione miraculosâ, moneo, novam consecrationem non debere censeri ex absolutâ obligatione, sed ad melius esse, & ut quid consultius, non ut quid simpliciter praeceptum, cum ibi S. Doctor in terminis id tantum consulat, & antecedenter dicat, Sacerdorem tunc non sumentem non fieri transgressorem, quia ea, quæ miraculosè fiunt, legibus non subduntur, & præsumi potest facta divinitus pro tunc dispensatio non sumendi: Sic igitur admissâ, & concessâ majore.

Quam magna, & stricta sit obligatio non omittendi in missæ sacrificio sumptionem?

32

Ad minorem propositionem; cum, ut sæpiùs, & signanter *lib. praeced. cap.* 4. *nu.* 116. attigimus, ex modo, quo imponitur, posse præceptum ecclesiasticū strictius aliquando obligare, quàm divinum, benè posset præ-

33

dicta

dicta obligatio, quantacumque sit provenire ex solo jure ecclesiastico, & de facto oppositum non sufficienter constare, insinuat Suarez *disp. 75. sec. 5.* in fine. In re tamen existimo, illam esse juris divini, tùm aliquo modo naturalis: Est juris divini positivi, quia quæ ex traditione apostolicâ constant, ut plurimum de jure divino, & ex Christi institutione sunt, præceptum autem sumptionis in missâ faciendæ, ut à Christo sacerdotibus impositum, quamvis non sit in Scripturâ expressum, habetur sufficienter ex apostolicâ traditione, cujus meminit Tridentinum *sess. 13. cap. 8.* illis verbis *In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesiâ Dei mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent, qui mos tamquam ex traditione apostolicâ descendens, jure, ac meritò retineri debet:* Et ne dicas, hoc loco Concilium docere, quod id sit licitum potius, quam quod sit præceptum, addi potest præcepti divini insinuatio *ex sess. 21. cap. 2* ubi Sancta Synodus declarat, & docet *Nullo divino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad eucharistiæ sacramentum sub utrâque specie sumendum:* ubi per ly *Non conficientes* indicat, de conficientibus esse aliter sentiendum, adeòque ipsos divino præcepto ad sumendum obligari, insinuat.

Illa obligatio est juris divini positivi.

34 Imò etiam aliquo modo naturalis.

Est insuper eadem obligatio juris divini aliquo modo naturalis, quia sacrificium ex naturâ rei postulat, fieri non solum essentialiter constitutum, sed substantialiter quoque, & integraliter perfectum; cum igitur per nos ea jam dictis *num. 21.* multoque magis ex dicendis *num. 38.* sumptio, quæ à celebrante fit, sit de substantia, etsi non de essentiâ; perficiat integraliter, etsi non constituat essentialiter missæ sacrificium, consequens est, obligationem sumendi in Celebrante consequi naturaliter, seu ex naturâ rei ipsam sacrificii institutionem, quod est esse juris divini aliquo modo naturalis, omnique aliâ juris positivi præsertim Ecclesiastici majorem, ut instantia prætendebat, quamvis indè malè inferret, esse de essentiâ, quod nos dicimus tantum de integritate, & substantiâ.

35 Urgebis: Major est obligatio non omittendi sumptionem in sacrificio missæ, quàm non omittendi satisfactionem in sacramento pœnitentiæ, ergo magis est pars sacrificii sumptio, quàm pœnitentiæ satisfactio, & & cum ista sit pars integralis, illa erit essentialis: Vel, quod in idem recidit, ratio partis integralis in satisfactione non facit, quin possit ex aliquâ rationabili causâ licitè omitti: ergo quod numquam possit licitè omitti sumptio, debet provenire aliundè, quàm ex ratione partis integralis, adeoque, ex eo quod sit pars essentialis. Confirmatur: Non est obligatio sumendi cum omni suâ parte integrali sacramentum, ergo nec est obligatio faciendi cum omni suâ parte integrali sacrificium, ergo obligatio non faciendi sine sumptione sacrificium, nequit oriri, ex eo quod sumptio sit pars ejus integralis, sed ex eo quod ingrediatur essentiam; prima consequentia patet, quia non apparet, cur necessitas, & obligatio faciendi integrum sacrificium debeat esse major, quam sumendi integrum sacramentum; Antecedens probatur, quia utraque species est pars integrans eucharistiæ sacramenti, imò omnes particulæ in eâdem pyxide existentes integrant unum sacramentum, & tamen nulla est laico communicanti obligatio sumendi, aut utramque speciem, aut omnes particulas existentes in pyxide, de quâ communicat, ergo. Sed contrà: Partes integrales non sunt omnes paris conditionis, & necessitatis, aliquæ dici possunt primariæ, & graves, aliquæ secundariæ, & leves; primi generis sunt in homine oculi, manus, pedes; secundi generis ungues, capilli: undè etiam gravis est obligatio non eruendi homini oculum, nec amputandi manum, aut pedem; levis non abscindendi capillum, aut unguem: In proposito, dico, satisfactionem esse partem integralem levem, & secundariam respectu sacramenti pœnitentiæ, esse verò gravem, & primariam sumptionem respectu sacrificii missæ: Illa est secundaria, & levis, quia ordinatur ad remissionem pœnæ temporalis, quæ est effectus sacramenti secundarius, & non semper necessarius, imò aliquando nec possibilis, cum aliquando nulla remaneat pœna remittenda post remissam culpam. Sumptio est sacrificii pars integrans primaria, & gravis, ut potè pertinens non solum ad effectum primarium, qui maximè habetur in participatione rei oblatæ, sed etiam ad id, quod in sacrificio principalius, & de formali importatur, nimirum ad victimæ destructionem: Ex majori igitur obligatione sumptionis in sacrificio, quàm satisfactionis in sacramento, non sequitur, illam esse partem essentialem, sed solum in genere partis integralis, illam esse principaliorem, & gravem; istam minus principalem, & levem. Ad confirmationem, dico, eucharistiæ sacramentum sub unâ ex duabus diversæ rationis speciebus esse integrum formaliter, etsi non materialiter; juxtà suprà dicta *lib. 1. cap. ult. nu. 28.* sicque benè sumit sacramentum integrum saltem formaliter, qui sumit unicam panis, aut vini speciem; Multo magis illud integrum sumit, qui sumit unam particulam ex pluribus in eadem pyxide existentibus, quia plures particulæ non integrant unum sacramentum, nisi quatenus simul existunt, eo ipso autem quod separantur, sunt singulæ sacramentum integrum ex se, sicuti plures partes ligni continui ità integrant unum lignum, ut sint singulæ lignum integrum, si separentur: Ecce igitur respectu sacramenti utraque species, & plures particulæ sunt partes integrantes solum materialiter, & in aliquâ hypothesi; sumptio respectu sacrificii est pars integrans formaliter, & absolutè, ideò &c.

36 Cur sit major, quàm non omittendi satisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ?

37

Pla-

38

Placet; hic obiter aliquid addere ad magis explicandum, & probandum, sumptionem ad missæ sacrificium se habere, ut complementum substantiale intrinsecum, & veram partem integralem, non verò solum per modum ornatus, & perfectionis accidentalis, ut volunt Arriaga *disp.50. sec.4. nu. 20.* & Tannerus *disp. 51. quæst.4. num. 44.* aut termini connotati, & finis extrinseci, ad quem ordinetur res consecrata, & sacrificata, quatenus habens rationem cibi potus, & convivii, ut tradunt Suarez *præcit. sec.5.* circà finem. Gonetus *disp. 11. art. 2. num. 49.* & Herinex *disp.8. quæst. 3. num. 39.* qui tamen duo posteriores Auctores simul propendent ad concedendum, esse partem integralem, hoc verò magis in terminis tradunt Lugus *disp.1. sec.5. num. 74.* Madernus *quæst. 3. art.3.* Hiqueus item, ac Pontius ex Scotistis, & aliqui alii, quibus adhæreo, & probo, in sumptione rationem partis integralis, ex eo quod sumptio spectet ad id, quod est sacrificio maximè intrinsecum, nimirum ad majorem, perfectioremque destructionem rei oblatæ, nam ex vi sumptionis, consumptionisque in stomacho Christus, qui est res principalius oblata omninò desinit esse sub sacramento; species item panis, & vini, quæ sunt res oblata minus principaliter, omninò corrumpuntur; in quo perfectiori modo destructionis eximiè relucet perfectio holocausti: Præter quod, cum Christus sit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, in cujus sacrificio panis, etiam quo ad species destruebatur, benè ponitur, pertinere ad integritatem, perfectionemvè substantialem sacrificii à Christo instituti, specierum panis destructio, & quidem modo decentissimo, & rationi quoque sacramenti accommodato, idest per comestionem, quamvis fortè aliter facta fuerit panis destructio in sacrificio Melchisedech. Confirmo eamdem rationem partis integralis, ex eo quia est valdè opportuna, tùm ad salvandam juxtà nuper dicta summam, ac strictissimam obligationem, eam numquam in sacrificio omittendi, tùm ad convenientius intelligendas aliquas auctoritates afferri solitas, ad probandum, sumptionem esse partem essentialem, ut puta illam Concilii Toletani XII. *Quale erit Sacrificium, cujus nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur*, item illam aliam ex cap. *Comperimus* de Consecratione *dist.* 2. ubi habetur *Grande esse sacrilegium non sumi utramque speciem ab eo, qui sacrificat*; Si autem sumptio ad sacrificium se haberet tantum, ut quidam, aut accidentalis ornatus, aut terminus extrinsecus, unde nam ejus omissio jure posset ad grande sacrilegium imputari, & magnâ illa emphasi *Quale erit Sacrificium*, reprehendi?

39 — *Ratio potissima, ob quã sumptio ad missæ sacrificium se habet ut pars integralis, non ut purus ornatus, aut terminus extrinsecus.*

40

Ex dictis habetur, pro discrimine forte potissimo inter communionem sacerdotalem, & laicam assignari posse, quod ista per se loquendo ordinetur præcisè ad sumendum sacramentum, illa etiam ad perficiendum substantialiter sacrificium: Hinc quærenti, utrùm communio, quæ fit à Celebrante in die Parasceves, dicenda sit sacerdotalis, an laica? potest quidem absolute responderi esse laicam, quia eo die celebrans non sacrificat; potest tamen etiam sustineri aliquo modo sacerdotalis, quia censetur celebrans perficere sacrificium diei præcedentis, ex quo reservata est, & ad quod videtur pertinere hostia, quam tunc sumit: A fortiori dicenda esset sacerdotalis non laica, communio, quam faceret sacerdos suffectus ad supplendum defectum alterius consecratis, & non sumptis speciebus repentè defuncti; de hoc quippe certius est, sacrificium perficere, & ad sacrificium perficiendum sumere.

Discrimen communionis sacerdotalis à laica, & quæ fit à Sacerdote celebrante in die Parasceves?

§. III.

Statuitur essentia Sacrificii Missæ in Consecratione, & traditur modus, quo per istam res sacrificata destruitur.

41 — *In missa consecratio est tota essentia sacrificii ut pro actione supponentis.*

ASSERT. I. Inter omnes actiones, quas missæ ministerium complectitur, sola consecratio ingreditur propriè loquendo essentiam sacrificii, ipsaque est tota essentia ejusdem, ut pro actione supponentis. Ita D. Thomas multis in locis præsertim verò *hic quæst* 83. *art.10. in c.* & *ad* 1. Alanus *lib.* 2. *cap.* 18. Joannes à S. Thomâ *disp.* 32. *art* 1. Gonetus *disp.11. art.2. §.4.* Suarez *disp.75. sec.5. §. Dico tertiò.* Vasquez *disp.222. cap.5.* Lugus *disp.19. sec.5.* Coninchus *quæst.83. art.1. dub.5.* Arriaga *disp.50. sec.5.* Madernus *quæst. 8. art.3.* Herinex *disp.8. quæst.3. nu.42.* & Thomistæ in primis, ac Recentiores, deindè etiam alii Scholastici magis communiter, contra Scotum, Gabrielem, Canum, Alphonsum à Castro, Josephum de Angles, Echium, Clicthoveum, Ruardum, Sotum, Albertum, Ledesmam, Bellarminum, Valentiam, Scortiam, Mastrium, & Marchinum locis duplici *præcedenti* §. sparsim relatis: Qui omnes Auctores, & cum ipsis alii, nec pauci, nec ignobiles conveniunt in eo, quod consecratio non sit tota sacrificii essentia, quamvis aliundè non ex æquo nobis adversentur, sed aliqui consecrationem penitus rejiciant, aliqui ut partem admittant, & ex istis quidam unam, quidam aliam, quidam etiam plures in ejus consortio actiones requirant, ut pariter ex duplici præcedenti §. constat. Istud tamen Adversariorum dissidium vix quidquam causæ nostræ suffragatur, parum enim abest, quin æquè diffideant nostri Asserti Auctores, tùm in statuendo; Utrùm consecratio sit non solum tota essentia, sed simul tota integritas sacrificii, adeò ut sumptionem, nequidem, ut partem substantialem integralem in sui consortium requirat? tùm in determinando modo,

quo

quo eadem consecratio sit immutativa, & destructiva rei oblatæ, seù sacrificatæ? de priore dissidio diximus aliquid superius *num.* 38. de posteriore agemus ex professo inferius, tractando secundam præfixi tituli partem. Interim

42 — *Ostenditur id esse ad mentem Sanctorum Patrum.*

Probatur assertum; primò, præclaris auctoritatibus Sanctorum Patrum, Gregorii Magni, Gregorii Nysseni, Irænei, Isidori, Ambrosii, Cyrilli, & aliorum dicentium sacrificium offerri, horam immolationis esse, quando proferuntur à sacerdote sacra verba, quando sermo Christi sanctificat; item sacrificium fuisse à Christo peractum, antequàm se Apostolis in cibum, & potum dederit, quæ locutiones egregiè insinuant, in consecratione sitam esse totam sacrificii essentiam, ut in medium prolatis Sanctorum Patrum sententiis accuratè expendunt Vasquez *præcit. c.* 5. & Lugus *præcit. disp.* 19. *sec.* 3. Neque memoratis auctoritatibus opponas, tùm Petrum Cluniacensem *lib.* 1. *Epistolar.* ubi explicans modum immolationis Christi in altari ait *Dicitur autem immolari, cum licet inviolabiliter in altari frangitur, dividitur, comeditur, cum his, & quibusdam aliis signis, in quantùm fieri potest, mors Domini maximè repræsentatur*; tùm D. Thomam *hic quæst.* 83. *art.* 4. *in c.* ubi ait in missâ præparato, & instructo per introitum, orationem, epistolam, evangelium, & symbolum populo, accedi ad celebrationem mysterii, *quod quidem, & offertur, ut sacrificium, & consecratur, & sumitur, ut sacramentum*, quibus verbis S. Doctor oblationem à consecratione distinguit, & in illâ non in istâ sacrificium collocat, ut & videtur præstare Tridentinum quatenus *sess.* 22. *cap. & can.* 1. sacrificium explicat per actionem offerendi, quam posteà *sess.* 23. *cap.* pariter *& can.* 1. tamquàm ab actione consecrandi distinctam recenset: Alibi quoque D. Thomas non collocat in consecratione saltem solâ sacrificium nam *quæst.* 80. *art.* 12. *ad* 3. denotat oblationem, sumptionemque in missâ esse actionem communem, non personalem, adeòque sacrificalem, non merè sacramentalem; ait enim, sacerdotem in personâ omnium offerre, & sumere, præterea sumptione sacrificium perfici tradit *quæst.* 82. & 83. ut *num.* 32. retulimus.

43 — *Et signanter S. Thomæ cujus variæ loca pro, & contrà expenduntur.*

Non inquam hæc opponas; nam Petro Cluniacensi valdè multum præponderant tot alii Patres, & præterea ille dici potest, per ly *immolari* intelexisse substantiale, & integrale immolationis complementum potius, quam immolationem essentialem, cum præcipuè conformiter ad suprà dicta *num.* 19. repræsentatio mortis Domini signis, & actionibus ibi à Cluniacensi enumeratis non conveniat, nisi ex accommodatione humanâ, soli verò consecrationi ex institutione divinâ, & modo sacrificii proprio. Quò ad D. Thomam, mirum mihi est, ipsum nobis obiici, cum *præcit. art.* 10. expressè dixerit *in consecratione Eucharistiæ sacrificium Deo offerri*, & paulò anteà art. 4. ad 1. *Consecratio chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ non est sacrificium, sicut consecratio eucharistiæ*. Nec difficile est, auctoritatibus, quæ tamquàm contrariæ obiiciebantur, occurrere; nam ad primam *ex quæst.* 83. desumptam, & ex Tridentino confirmatam, patet ex jam dictis n. 11. Ad aliam *ex quæst.* 80. dico, non omnem actionem, quæ in missâ fit communi omnium nomine, spectare ad sacrificii essentiam, ut constat in orationibus, quas sacerdos recitat: Ad duas postremas, dico, probare dumtaxat obligationem, seù necessitatem non omittendi in missâ sumptionem, at eam aliundè, quàm ex eo quod sumptio sit sacrificii pars essentialis, provenire suppono *ex præced. num.* 33. & *seqq.*

44

Urgebis pro prima auctoritate desumptâ *ex quæst.* 83. post verba illa, *Offertur, ut sacrificium, consecratur, & sumitur, ut sacramentum* hæc immediatè sequuntur *Undè primò peragitur oblatio, secundò consecratio materiæ oblatæ, tertiò ejusdem perceptio*; ergo ex mente D. Thomæ actio, qua sacrificium offertur est consecratione prior, & distincta realiter, non verò diversa solùm penes diversum modum significandi, ut nos dicebamus *præcit. num.* 11. Sed contrà: Per ly *Undè primò peragitur oblatio* fortè non venit oblatio realis constitutiva sacrificii, sed oblatio verbalis in missa ad sacrificium præambula, & præparatoria, circà quam ibi S. Doctor aliqua alia addit: Quod si veniat oblatio realis constitutiva ly *primò oblatio, secundò consecratio*, importat prioritatem, & posterioritatem rationis, non realem; respectu autem eucharistiæ, ut sacrificii, eadem actio benè dicitur prius ratione oblatio, quàm consecratio, quia secundùm conceptum explicitum oblationis potius, quàm consecrationis ad sacrificium pertinet. Deindè secundùm nostrum modum intelligendi in quolibet sacrificio videtur prius, quod res offeratur, quam quod immutetur, cum illa sit sacrificii ratio generica, ista differentialis: Porrò in missæ sacrificio consecratio ex proprio conceptu, ut paulo post dicetur immutativa, ideò in ipsâ, respectu missæ, ut sacrificii, conceptus oblationis intelligitur, ut prior conceptu proprio consecrationis.

45

Probatur assertum secundò ratione; quia consecratio verè est se solâ sufficiens pro totâ sacrificii, quod in missâ peragitur essentiâ, & quàmvis, etiam sumptio, vel aliqua alia sacerdotis in missâ actio potuerit ad eamdem essentiam, aut totaliter, aut partialiter constituendam institui, tamen nulla alia est de facto sic instituta, ergo verè de facto inter omnes actiones, quas missæ ministerium complectitur, sola consecratio ingreditur propriè loquendo essentiam sacrificii, ipsaque est &c. Consequentia patet, quia cum sacrificium sit ex genere suo signum ad placitum, & ex institutione nihil potest ejus essentiam ingredi, quod non sit ad eam ingrediendam institutum; antecedens quò ad secundam partem supponitur *ex duob. præcedentib.* §§. quò ad primam

tiam probatur, quia consecratio verè habet se solâ, quidquid requiritur, tùm ad rationem genericam sacrificii, ut sic, tùm ad rationem specificam sacrificii missæ: Habet primum, quia convenit ipsi tota definitio sacrificii suprà tradita *cap.* 1. §. 4. est scilicet consecratio oblatio sacra, ut mox explicatum est suprà *num.* 8. & 9. est cum aliquali rei sensibilis destructione, ut mox explicandum est infrà *num.* 61. & *seqq.* significat ex publicâ institutione internam recognitionem &c. quia verè fuit à Christo publicè instituta in ultimâ cænâ in Dei cultum, & honorem, & eo ipso quod in hunc finem cum aliquâ rei destructione ordinatur, supremi dominii divini recognitionem denotat; ergo verè consecratio habet se solâ, quidquid requiritur ad rationem genericam sacrificii, ut sic, illique convenit tota istius definitio: Habet etiam secundum: quidquid scilicet requiritur ad rationem specificam sacrificii missæ; huic quippe ex suâ ratione specificâ duo maximè competunt, nimirùm, quod Christum, tamquàm principalem offerentem respiciat, ejusdemque passionem, ac mortem repræsentet; Consecratio autem, cum maximè fiat in Christi personâ, & Christi nomine, sicuti ut est locutio, respicit Christum, ut principaliter loquentem; ita ut est oblatio, respicit ipsum, ut principaliter offerentem; ejusdem passionem, ac mortem repræsentat, quia ponendo ex vi verborum corpus, & sanguinem seorsim, repræsentat factam in passione separationem corporis à sanguine, & constituendo Christum sub speciebus, tamquam cibum, & potum ejus statum immutat, & quâdam incruentâ ipsius morte mortem ejusdem incruentam rememorat, ut in sequentibus magis explicabitur, interim ecce in terminis clarissimam auctoritatem D. Thomæ *quæst.* 80. *art.* 12. *ad* 3. dicentis, *Repræsentatio Dominicæ passionis agitur in ipsâ consecratione.*

46

47 Dices primò: Tota hæc probatio potest, & melius de sumptione procedere; ergo vel nimium, & nihil probat, probando, tùm consecrationem, tùm sumptionem esse totam sacrificii essentiam, vel si probat aliquid, probat, dumtaxat consecrationem esse partem essentiæ, & simul ex æquo compartem esse sumptionem; probatur antecedens, quia etiam sumptio est actio, & oblatio maximè sacra; est melius, quàm consecratio rei oblatę, ideſt Christi immutativa, ac destructiva; facit quippe ipsum omninò desinere esse sub speciebus; Est ex Christi institutione, Tridentinum enim *sess.* 22. *cap.* 1. agens de Christo sacrificium in ultimâ cænâ instituente ait, *quod tunc Apostolos novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent*; repræsentat Christi passionem, & mortem, quia idem Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. loquens de sacramento, quod Salvator noster de hoc mundo discessurus, instituit, ait *Et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem*, atque hinc etiam respicit Christum, ut principalem offerentem, quatenus sacrificium illud, in quo Christus verè fuit principalis offerens, repræsentat; ergo. Sed contrà. Nego antecedens, ad cujus probationem, quomodo ratio oblationis, destructionis, & repræsentationis mortis, ac passionis Christi non æquè benè sumptioni conveniat, ac convenit consecrationi repetendum est ex jam dictis; præsertim *num.* 22. & 25. hic solùm remanet aliquid dicendum ad duo loca Tridentini; ad primum dico, ly *ut sumerent* non referri ad verba antecedentia *sacerdotes constituebat*, sed ad verbum subsequens, *tradidit*, & procedere de sumptione sacramentali non sacrificali, ut exposui nuper *cit. num.* 22. Ad secundum præter quod pariter procedit de sumptione sacramentali, cum eo *cap.* 2. Concilium agat solum de institutione eucharistiæ, ut sacramenti, dico in sumptione, etiam sacerdotali, seu sacrificali recoli Christi passionem, & annunciari mortem, at remotè, & ut antecedenter repræsentatam in consecratione, ut pariter exposui nuper *cit. num.* 25.

48

49 Dices secundò; ex eo quod tota sacrificii essentia in consecratione collocetur, plura sequi absurda: Sequitur primò, nullatenùs inter se differre communionem sacerdotalem, & laicam; in missâ, & extrà missam; hincque ulteriùs deducetur, sacerdotem in missâ posse sumere hostiam consecratam ab alio æquè benè, ac consecratam à se, sicut id potest extrà missam, posset igitur Celebrans pro libito hostiam, quam ipse consecrat reservare, & communicare extrahendo aliam de pyxide, quod suprà *nu.* 23. notavimus esse contrà ecclesiæ, & omnium Doctorum sensum. Sequitur secundò, omnes particulas in missa consecratas, ut reservandas, aut statim distribuendas populo esse sacrificatas, æquè ac hostiam, quam celebrans, ut à se sumendam consecrat, & in missa sumit. Sequitur tertiò, fructum sacrificii conferri statim post consecrationem, cum nequeat sacrificio posito, ejus effectus suspendi; at si ità est, remanet inutilis applicatio, & oblatio, quam facit celebrans pro defunctis in secundo *Memento* inter consecrationem, & sumptionem; ergo. Sed contrà: Sequelæ istæ cum aliquâ majore efficaciâ deducuntur, si non solum tota essentia, sed & tota sacrificii substantia, seù substantialis integritas in consecratione collocetur, & sumptio reputetur se habere præcisè, tamquàm accidentalis ornatus, aut extrinsecus terminus, secùs si hæc asseratur, ut à nobis asseritur esse substantialis perfectio, & pars integralis; hinc

50 Ad primum; nego sequelam; & dico, benè subsistere inter communionem sacerdotalem, & laicam discrimen, situm in eo quod sacerdotalis fiat ad complendum substantialiter sacrificium, laica non item, ut benè suprà *num.* 40. deducebamus, ex eo quod sumptio sacerdotis in missâ sit de sacrificii substantiâ, etsi non de essentiâ; ex quo facilè apparet, cur nequeat celebrans sumere ex pyxide hostiam ab alio consecratam

Sacerdos sumens in missa aliâ hostiam ab ea quam ipse consecrat, non faceret perfectum sacrificium.

lam, æquè ac illam, quam ipse met consecravit tunc, sumendo enim illam non compleret substantialiter suum sacrificium, ut potè quæ esset longè ante, & ab alio sacerdote consecrata, nec ejus sumptio posset integrare unum quid cum consecratione factâ nunc; undè etiam nuper *cit. num.* 40. solùm aliquomodo sacerdotalem diximus (& absolutè loquendo appellarem potiùs laicam) sumptionem, quæ à sacerdote fit in die Parasceves, quamvis alioqui sit idem celebrans, & consecraverit ex intentione sumendi die sequenti, quod non advenit in casu instantiæ: Hâc de re præter Lugum dicto *num.* 23. relatum videri potest Marchinus *pract. par.* 2. *de sacrif. Missa cap.* 3.

51

A secundum dico; nullam esse absurdi speciem in eo, quod sequela concedatur, ex nostrâ tamen doctrinâ potiùs sequitur oppositum; nimirù particulas illas non esse æquè sacrificatas, quia hostia, quæ posteà à sacerdote sumitur, sacrificatur in missa perfectè, etiam integraliter, illæ aliæ particulæ erunt sacrificatæ perfectè solùm essentialiter; imò nec umquam in ratione sacrificii integraliter perficiuntur, quia non sumentur nisi sumptione laicâ, quæ sicuti ad sacrificium non pertinet, ità ipsum integraliter non perficit. Nec proptereà sacerdos particulas reservandas consecrans, & consecratas reservans relinquit, absolutè loquendo, sacrificium imperfectum, & integritate suâ carens; ut enim sacrificium absolutè loquendo denominetur integraliter perfectum, sufficit, quod secundùm aliquam sui partem habeat integralem perfectionem, & sicuti in sacrificiis antiquis liquor aliquis denominabatur totus sacrificatus per hoc, quod aliqua ipsius pars effunderetur, ita in novo sacrificio tota materia consecrata denominari potest sacrificata perfectè, etiam integraliter, per hoc quod aliqua ipsius pars per sumptionem sacerdotis talis sit, nec ad aliquid ampliùs sacerdos teneatur. Cæterùm in rigore loquendo, & considerando illas particulas non secundùm denominationem totius, sed secundùm se omni caret absurdo, quod dicantur non sacrificatæ perfectè, imò qui sumptionem ponunt sacrificio essentialem, neque putant absurdum, quod dicantur non sacrificatæ essentialiter, ità sentit inter alios Mastrius *disp.* 4. *quæst.* 4. *art.* 4. *num.* 88.

Particulæ post consecrationem reservatæ quomodò possint, vel non possint dici sacrificatæ?

52

Ad tertium Marchinus *pract. par.* 2. *cap.* 4. *num* 13. non solum in propriâ sententiâ, quâ sumptio ingreditur sacrificii essentiam, sed etiam in nostrâ, quâ solùm pertinet ad integralem perfectionem, putat, illius effectum non nisi post sumptionem conferri; ut ponatur, sacrificium integraliter perfectum requirere; nec suspendi, nisi quando sacrificio taliter perfecto differretur: Qui sumptionem, etiam à perfectione integrali excludunt, totum suum effectum sacrificio tribuunt statim post consecrationem, & volunt celebrantem in secundo Memento solùm defunctis prodesse ex opere operantis, fortè tamen magis, quàm prodesset orando post sumptionem, quando non foret ampliùs præsens victima; ita Suarez *disp.* 75. *sec* 5. §. *Dices*. Arriaga *disp.* 50. *sec.* 4. *num.* 18. Utraque responsio potest etiam à nobis sustineri, sicque vel juxtà priorem negari, vel juxtà posteriorem concedi sequela pro libito: Mihi tamen magis placeret cum distinctione, & mediâ viâ procedere, dicendo, effectum, seù fructum sacrificii, alium esse principaliorem, alium minus principalem; illum conferri, statim ac sacrificium est essentialiter constitutum, & statim post consecrationem; istum non nisi postquam est, etiam integraliter completum, & non nisi post factam à sacerdote sumptionem: Potest hoc explicari in sacramento Pœnitentiæ, quod habet pro effectu principaliore conferre ex opere operato gratiam, pro minùs principali minuere ex opere operato temporalem pœnam; priorem causat, statim ac est essentialiter constitutum, idest post absolutionem, posteriorem non nisi postquam est completum, etiam integraliter, idest non nisi quando perficitur satisfactio. Porrò quidquid respondeatur, applicatio sacrificii omninò facienda est, ut solet antè consecrationem, quia is qui datâ eleemosyna petit pro se, aut pro alio, sivè vivo, sivè defuncto sacrificium, intendit applicationem fructus ex opere operato, ac principalioris, & quidem factam, seù faciendam eo tempore, quo certius, ac tutius fit.

53

Applicatio sacrificii post consecrationem facta quid possit?

Simpliciter antè consecrationem facienda est.

54

Superest jam, ut explicemus id, quod sæpiùs suprà in hunc locum remisimus, & modò pro secundâ tituli parte proposuimus, tamquàm maximè necessarium ad sustinendam simul, & probandam in solâ consecratione sacrificii essentiam, quod sicuti Adversarii potissimùm negant, ex eo quod contendant, consecrationem nullo modo esse Christi Domini destructivam, ità nos ex opposito plurimùm confirmabimus, si in eâdem ostendamus sufficientem destructionis modum, & quidem respectu Christi, qui in missâ infertur, & immolatur, tamquàm victima principalis: Neque enim possum assentiri aliquibus, explicantibus in consecratione rationem actionis destructivæ per respectum ad substantias panis, & vini, nam licèt istæ ex vi consecrationis verè destruantur, non tamen principaliter offeruntur, & ex eo quod consecratio sit illarum destructiva, bene potest dici earumdem, at non Christi sacrificativa: Nec refert, quod ex destructione panis, & vini Christus quodammodo resultet, & de novo producatur, nam licèt hoc libenter admittam, tamquàm cohærens doctrinæ traditæ superiùs *lib.* 1. *cap.* 7. §. 3. aliundè tamen *ex cap. praced. num.* 46. suppono in sacrificiis illud, quod ex alterius destructione producitur, minus benè dici sacrificatum, & minus aptè significare dominium Dei in vitam, & mortem.

55

Alius quidem remaneret modus sustinendi in consecratione totam essentiam sacrificii absque ullâ Christi per ipsam destructio-

structione, & esset ille Vasquii *disp.* 220. *c.* 3. & Latius *disp.* 222. *cap.* 7. & 8. docentis posse significari, & recognosci Deum, ut Dominum vitæ, & mortis per alicujus rei destructionem, & mortem non solum actualem, sed etiam præteritam, aut futuram, quoties actu repræsentetur, ac quasi præsens reddatur; & cum ex aliâ parte formalis ratio sacrificii consistat in eo, quod per ipsum significetur, & recognoscatur Dei dominium in vitam, & mortem, deducit, in sacrificio repræsentativo, & commemorativo alterius salvari totam essentiam, rationemque formalem sacrificii veri, & proprii per hoc, quod repræsentet mortem victimæ in altero sacrificio mactatæ, vel mactandæ, dummodo res oblata non desit, & victima, cujus mors repræsentatur, verè præseus existat, & in suæ mortis repræsentationem Deo offeratur: Quia deindè incruentum missæ sacrificium verè est repræsentativum, & commemorativum sacrificii cruenti Crucis, & mortem Christi in Cruce futuram repræsentavit, quatenus fuit à Christo ipso primò peractum in cœnâ, eamdemque præteritam repræsentat, quatenùs nunc à sacerdotibus peragitur: Quia tandem ex vi soliu consecrationis habetur, tùm mortis Christi repræsentatio, tùm ipsius Christi realis præsentia, & oblatio, concludit ex his omnibus Vasquez, totam essentiam sacrificii missæ salvari in solâ consecratione, quamvis per hanc nulla fiat actualis destructio rei principaliter oblatæ, seù Christi Domini, quod & videtur incidenter docuisse, aut potius aliqualiter insinuasse Suarez *precit. sec.* 5. §. *Quartò potest*.

Explicatur sententia non requirens ullam rei oblatæ destructionem actualem in sacrificio commemorativo.

56 In toto hoc ratiocinio, & modo dicendi approbo libenter, quod missæ sacrificium sit commemorativum; quod in eo, prout nunc fit, repræsentetur præterita Christi mors, & quod tùm talis repræsentatio, tùm realis Christi taliter repræsentati præsentia, & oblatio salvetur in sola consecratione, at nequeo approbare quod ista ad verum, ac proprium sacrificium sufficiant, sine aliqua actuali rei oblatæ destructione, & quod aliqua actualis destructio requiratur in sacrificio absoluto dumtaxat, non in commemorativo; nam in primis Vasquez in hàc suâ doctrinâ est ferè singularis, nec habet sequelam Auctorum, qui post ipsum scripserunt, imò reportat communiter positivam impugnationem non solùm ab exteris, sed & à Lugo *hic disp.* 19. *sec.* 4. Arriagâ *disp.* 50. *sec.* 5. *subsec.* 1. aliisque suis domesticis. Deinde auctoritates Sanctorum Patrum, quibus nititur, rectè probant in missæ sacrificio mortis, ac passionis Christi repræsentationem, at non innuunt, nec inferunt in repræsentatione salvari formalem rationem sacrificii, & significationem divini in vitam, & mortem dominii illius formalis rationis constitutivam; aliundè verò ad talem significationem aptior est ex genere suo mors, & destructio actualis, quam futura, aut præterita.

Displicet talis sententia, ut ferè singularis, & variè impugnatur.

57 Tandem ratio fundamentalis, & à priori est, quia repræsentatio, & imago, quâ præcisè talis, non est ejusdem rationis, & essentiæ cum eo, cujus est imago, & repræsentatio, alioqui hoc cuilibet imagini conveniret, & pictura hominis esset verè, ac propriè homo; ergo similiter repræsentatio, & imago sacrificii, quâ præcisè talis non est verè, ac propriè sacrificium, nec hujusmodi est consecratio, ex eo præcisè quod sit repræsentatio, & imago sacrificii Crucis, sed debet aliquid aliud, idest aliquam actualem Christi destructionem continere, ut sit vera, ac propria Christi sacrificatio, verum, ac proprium sacrificium.

Neque contrarius est D. Thomas *hic quæst.* 83. *art.* 1. *in c.* dicens, *Solent imagines earum rerū nominibus appellari, quarum imagines sunt. Celebratio autem hujus sacramenti imago quædam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio; & ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio*. Contrarius inquam non est, nam in primis illud, quod ex Augustino S. Doctor recitat, solent imagines earum nominibus appellari, quarum sunt imagines Vasquez ipse *precit. cap.* 7. *num.* 64. notat, esse sano modo intelligendum, ne celebrationi sacramenti, seù consecrationi censeatur sacrificii nomen convenire solùm tamquàm imagini, & eo modo, quo (ut *ibid.* S. Doctor exemplificat) intuentes picturam Ciceronis, aut Sallusthii, dicimus *Ille est Cicero: Ille est Sallustius*: Verba deindè sequentia *Celebratio autem* &c. quibus Vasquez ait clarissimè exprimi id, quod ipse contendit, si sumantur, ut jacent, plus etiam quam Vasquez contendat, probant; probant scilicèt (& hoc ipse met D. Thomas subdit) etiam in sacrificiis antiquis, ut erant figuræ sacrificii Crucis dici posse Christum immolatum. Ne igitur hoc dicatur, sentiendum est, D. Thomam eo loco non intendere, quod celebratio sacramenti, seù consecratio sit sacrificium, & immolatio Christi per hoc præcisè, quod sit repræsentativa passionis, sed per hoc, quod sit repræsentativa tali modo, idest cum novâ semper ejusdem Christi destructione, & morte incruentâ in sigulis consecrationibus iteratâ, ut attingit Suarez in dicti articuli primi commentario.

58

Ostenditur non stare pro tali sententia D. Thomam.

59 Neque dicas ulteriùs, quidquid sit in hoc puncto de mente D. Thomæ, certè non repugnat imago, quæ sit ejusdem rationis, & essentiæ cum re, cujus est imago, nam filius est imago Patris, & tamen est ejusdem rationis, & essentiæ cum Patre; una cognitio, sicuti potest habere alteram pro objecto, ità potest esse imago alterius repræsentativa, & tamen erit cognitio verè, ac propriè, æque ac altera; ergo nutat tota nostra ratio fundamentalis, quæ nitebatur in eo, quod repræsentatio, & imago non sit ejusdem rationis, & essentiæ cum eo, cujus repræsentatio, & imago est. Contrà enim: Aliud est, quod imago, quâ præcisè talis, seù ex purâ formalitate imaginis sit ejusdem rationis, & essentiæ cum re, cujus est imago; aliud, quod sit ejusdem rationis,

&

& essentiæ cum hujusmodi re, quasi per accidens, & aliundè, quam ex propriâ formalitate imaginis: hoc secundum probat instantia; filius enim, quamvis verè sit imago Patris, & ejusdem rationis cum Patre (idem proportionaliter dicito de cognitione, quæ sit imago alterius) est tamen ejusdem rationis ex vi vitalitatis, seù productionis vitalis, quâ procedit in similitudinem naturæ, adeoque aliundè, quàm ex præcisa ratione, & propria formalitate imaginis. Neque hoc à nobis negatur, imò in proposito ultrò concedimus, consecrationem esse imaginem sacrificii Crucis, & simul in se verum sacrificium; at dicimus, rationem formalem veri sacrificii, & significationem immediatam dominii in vitam, & mortem habere aliunde, quàm præcisè ex eo, quod sit imago sacrificii Crucis, & repræsentatio mortis in illo sacrificio præteritæ; nec putamus, sufficere, quod huic repræsentationi addatur oblatio Christi realiter præsentis, nam ista oblatio, quoties fit sine aliqua actuali Christi destructione, impertinens est ad rationem formalem sacrificii, ideft ad significandum dominium Dei in vitam, & mortem. Pro quo totam præsentem doctrinam concludo, & urgeo ex Arriaga contrà Vasquium sic. Vel sacrificium ex genere suo dicit aliquam actualem destructionem victimæ, vel non; si dicit, ergo talem destructionem dicit quoque sacrificiū commemorativum, quælibet enim species dicit, seù includit suum genus; si non dicit ergo neque eam dicit sacrificium absolutum, inter quod, & commemorativum, benè potest assignari differentia aliundè, quam ex eo quod illud, non istud, actualem destructionem importet: Vasquez igitur non sibi cohæret, dum actionem victimæ destructivam, seù actualem destructionem ponit, esse de essentia sacrificii absoluti tantùm, non commemorativi.

60

Ex his videtur benè constare, quod ad salvandam in consecratione totam essentiam sacrificii, in quo Christus, tamquam principalis victima immoletur, necesse sit, in eâ reperire aliquam Christi destructionem, hancque actualem, & ex vi ipsius consecrationis exercitam, & quia aliundè perspicuum est, talem destructionem non esse physicam, cum sacrificiū missæ sit incruentum, & Christus in sacramento physicè vivat, sicuti physicè vivit in propriâ specie, consequens est, recurri debere ad modum aliquem destructionis moralis, & æquivalentis; pro quo sit

61

Assert. 2. Per consecrationem Christus, qui in missæ sacrificio est principalis victima, seù res principaliter sacrificata destruitur moraliter, & æquivalenter; quatenus, quantum est ex vi verborum consecratoriorum, ejus corpus separatur à sanguine, & illud habet rationem cibi, iste rationem potus. In hoc asserto, quo ad substantiam, si minus quoad omnem dicendi modum, conveniunt, & consentiunt Gonetus *disp. 31. art. 2. §. 5. num. 63.* Henriquez *disp. 8. quæst. 3. num. 43.* Madernus *quæst. 8. art. 3. num. 20.* Lugus *disp. 19. sec. 5. num. 67.* Lessius *lib. 12. de perfectionib. divin. num. 95.* & aliqui alii, contrà illos in primis, qui hostiæ fractionem, aut sumptionē ponunt ingredi sacrificii essentiam, eo quod putent, non salvari in sola consecratione victimæ destructionem; Item contrà eos, qui volunt, potius in missæ sacrificio secundum sua essentialia considerato, victimæ destructionem, nec fieri, nec requiri, eo quod hæc, vel singillatim non sit necessaria in sacrificio commemorativo, ut voluit Vasquez, vel neque etiam universaliter in quolibet sacrificio absoluto, ut sensit Arriaga. Tandem contrà eos, qui destructionem, & in sacrificio missæ requirunt, & in consecratione constituunt, et explicant per ordinem ad substantias panis, & vini ex vi consecrationis desinentes, & addunt, hujusmodi destructionem sufficere, ut etiam Christus dicatur sacrificatus, eo quod ad sacrificium ex genere suo sufficit, rem oblatam destrui secundum unam partem, ut dicatur sacrificata tota, cum igitur in missa offerantur, tùm panis, & vinum, tùm Christus; sufficit, inquiunt, destrui substantias panis, & vini, ut dicatur sacrificatus etiam Christus; pro hoc dicendi modo, & consequenter tamquam nobis ex hoc capite adversantes Arriaga *præcit. sec. 5. num. 30.* refert Suarium, Tannerum, & Coninchum, quibus se adhæsurum profitetur, si aliundè censeret, esse essentialem sacrificio aliquam rei sacrificatæ destructionem. Verum iste modus, quamvis fortè facilior, non est melior cæteris, & cohæreret ad suprà dicta *num. 51.* admittendo, sufficere aliquando destructionem unius partis, ut tota aliqua res denominetur sacrificata, procedit id tantum, quando res oblata tota est homogenea, ejusdemque rationis, secus quando etherogenea, & constans partibus diversis, quarum una multo principalius offertur, quam altera; mirum enim esset, per destructionem partis minus principalis, denominari sacrificatam partem principaliorem, ut tamen eveniret in casu nostro. His positis.

62

Per destructionem substantiarum panis, & vini nō benè dicitur Christus in missa sacrificari.

Probatur, & explicatur assertum; Cum enim ex dictis *lib. 1. cap. 7. §. 18* formaliter, & vi verborum, per unam consecrationis formam, ponatur sub speciebus corpus, non sanguis; per alteram sanguis, non corpus; & corpus ponatur sub speciebus panis ad supplendam panis substantiam; sanguis sub speciebus vini, ad supplendam substantiam vini; sintque ambæ species ab invicem separatæ, Christus præterea sub illis existens habeat modum existendi indivisibilem, secundum quem, ut suppono ex *eod. lib. 1. cap. 5.* nequit naturaliter exercere operationem ullam vitæ humanæ à parte sensitivâ dependentem, consequens est in sacrificio missæ, quantum est ex vi verborum consecratoriorum, separari Christi corpus à sanguine, corpus induere rationem humani cibi, sanguinem rationem humani potus, Christum totum reddi ineptum ad humanæ vitæ opera-

63

Christus ex vi consecrationis moraliter, & æquivalenter destruitur.

rationes, & constitui in statu, in quo se habeat, non ut humanum suppositum in se vivens, sed ut cibus, & potus ad vitā alienam nutriendam inserviens; Atqui hæc omnia important procul dubio Christum moraliter, & æquivalenter destrui; ergo verè per consecrationem Christus, qui in missæ sacrificio est principalis victima destruitur moraliter, & æquivalenter; quatenus &c. ac per consequens reperitur in conservatione aliqua actualis Christi destructio, quod vnicè asserendum, probandumque supererat, ad perfectè salvandam in sola consecratione totam essentiam sacrificij, & immolationis Christi.

64 Dices: Ad verum, re proprium sacrificium requiritur destructio victimę physica, & formalis, nec moralis; & æquivalens sufficit, ergo per assertam destructionem, aut non salvatur in consecratione tota essentia sacrificii missæ, aut non salvatur in missā vera, ac propria ratio sacrificij, adeòque totus noster labor explicandi in consecratione destructionem Christi moralem, & æquivalentem inanis est, & impertinens ad præsens intentum: Probatur antecedens primò, quia nos ipsi suprà *cap.* 1. *nu.* 39. & *seqq.* visi sumus de destructione physicā loqui, dum actionem destructivam, ad communem sacrificii propriè dicti rationem, requisivimus. Secundò; quia destructio moralis, & ęquivalens mox explicata non est verè, & propriè, sed nomine tenus potiùs, quàm re destructio, tum in re nec separet corpus à sanguine, nec animam à corpore, & per consecrationem habeat Christus cōcomitanter, & si non formaliter sub qualibet specie, quidquid habet in Celo; ergo sacrificium explicatum per illam destructionem erit, non verè, & propriè, sed nomine tenùs potiùs, quàm re sacrificium: Tertiò, quia ex dictis *lib.* 1. *cap.* 7. §. 3. Consecratio est actio physicè reproductiva Christi sub speciebus, quānam igitur doctrinæ cohærentiā possumus modò, eam simul astruere destructivā, aut saltem, si est productiva physicè, destructiva solùm moraliter, cur non censetur absolutè productiva potius, quàm destructiva, insufficiens potius, quàm sufficiens ad verā rationem sacrificii.

65 *Hujusmodi moralis, & æquivalens destructio sufficit ut Christus dicatur verè, & propriè sacrificari.*

Sed contrà: Nego absolutè antecedens, ratio negationis est, quia sacrificia sunt signa humana, destructio igitur in illis requisita ad significandum supremū Dei dominium satis est, quod humano modo, & in ordine ad humanos usus fiat, ut sit destructio moralis, & ęquivalens à nobis explicata, sicuti etiam moralis est, & in ordine ad humanos usus destructio, quā liquor effunditur, aut res aliqua in mare projicitur; cum neque talis res per projectionem in mare, neque per effusionem pręcisè destruatur physicè, seù substantialiter corrumpatur, & tamen per effusionem fiunt propria liquorum sacrificia libationes nuncupata, & ut ex Stuchio refert Lugus *præcit. sect.* 5. *num.* 66. aliqua olim sacrificabantur per hoc, quod in mare, vel in fluuium projicerentur, ergo cum asserta à nobis destructio moralis, & æquivalens in ordine ad humanos usus major sit, quam quæ fit, aut in liquoribus per effusionem, aut in re aliquā solidā per in mare projectionem, sufficiens prorsus est, ut per eam Christus propriè sacrificetur; in cuius doctrinę, assertique pręfisi confirmationem, occurrit præclara, & accomodatissima auctoritas Gregorij Nysseni *orat.* 4. *de Christi Resurrect.* ubi de consecratione factā in ultimā cœnā, itā loquitur. *Victima corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit, quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcanā, & non aspectabili ratione corpus erat immolatum.*

66 Ad primam negati antecedentis probationem, dico, me eo loco physicæ mutationis, non physicæ destructionis meminisse; imò adverteater appososse aliqualem destructionē, ut per ly *aliqualem* relinquerem locum destructioni morali, & à physicā, vel morali, sicut etiam à totali, vel partiali abstraherem: Physicæ autem mutationis memini, quia, cum omne morale fundetur in physico, nova moralis destructio fortè esse non potest, sine novā mutatione physicā, quā res aut secundum locum mutetur, aut novam physicam actionem terminet, quā ratione verè physicè mutatur Christus ex vi consecrationis.

67 Ad secundam; dico, destructionem moralem à nobis explicatam non esse quidem tantam, quanta est destructio excitativa, & physica; esse tamen veram, & propriam in suo genere, sicuti causalitas moralis est causalitas vera, ac propria; & si non sit tanta, quanta est causalitas physica; & quamvis Christus sub qualibet specie existat secundùm omnia, secundùm quæ existit in Cælo, nō existit tamen secundùm omnia sensibiliter, & quò ad humanos usus, ideò modo sēsibili, & humano itā se haber, ac si haberet sub specie panis solū corpus, sub specie vini solum sanguinem, & utrumque nō sub propriā, sed sub alienā, idest cibi, & potus ratione. Neque hinc infertur sacrificiū missæ per nos esse solùm morale, & æquivalens. Enim verò sicut sacrificiū non dicitur solùm partiale, quando in eo victima destruitur solùm partialiter, itā nec debet dici solùm morale, quādo victima destruitur solū moraliter: Sacrificiū enim simpliciter, & absolutè dictū destructionē importat; at pręscindit ab hoc, vel illo destructionis modo; & sicuti aliqui ex Adversariis volunt, sacrificiū præscindere à destructione, vel nō destructione; itā nil mirum, si nos dicamus, præscindere à destructionis modo hoc, vel illo.

68 *Eadem cōsecratio sub diverso respectu est actio productiva Christi physicè, & destructiva ipsius moraliter,*

Ad tertiam dico, nullā esse repugnantiā, aut incohęrentiam doctrinę in eo, quod eadem consecratio sub diverso respectu, & ut diversę actioni æquivalens sit tùm productiva, tùm destructiva; productiva respectu effectus considerati physicè, & quò ad substantiam; destructiva respectu ejusdē, considerati moraliter, & quò ad modū existendi humanum; ac sensibilem, item quod ut productiva, ad sacrificium non sufficiat, sed

sed præcedat; ut destructiva ad sacrificium sufficiat, & constituat; undè Gonetus *præcit. num. 63.* benè ait, distinguendas esse diligenter in consecratione tres formalitates, quarum prima sit formalitas actionis productivæ, secundùm quam consecratio convertendo panem, & vinum in Christi corpus, & sanguinem, producit Christum, tanquam victimam Deo offerendam, & sacrificandam: Secunda actionis oblativæ, per quam Christum, tanquam victimam in actu exercito Deo præsentat in cultum, & recognitionem ejus supremi dominii: Tertia actionis destructivæ, per quam victimæ tribuit modum existendi secundum humanos usus mortuum, & cum separatione corporis à sanguine, ità autem se habent istæ tres formalitates, ut prima, secundam; secunda, tertiam, ratione præcedat; prius quippè intelligitur res esse, quam esse tali modo; prius item esse in ordine ad se, quam in ordine ad alium, cui offeratur; hincque obiter patet, quomodo consecratio sufficienter supponat victimam, quam offert, & destruit, etiamsi ipsamet sit ejusdem victimæ productiva, & Christus pro missæ sacrificio sit victima, non quatenus in Cælo, sed quatenus in Sacramento existens.

69 Urgebis, si fuisset facta consecratio in triduo mortis Christi, fuisset positum ex vi verborum corpus separatum à sanguine, æquè ac nunc, & tamen non per hoc consecratio fuisset ullo modo Christi destructiva, quia pro illo triduo antecedenter ad consecrationem, Christi corpus extitisset in propriâ specie separatum à sanguine; ergo in consecratione non salvatur universaliter ratio actionis destructivæ per hoc, quod vi verborum ponat corpus separatum à sanguine, ex quo ulterius consequens est, non salvari in eadem universaliter totam essentiam sacrificii, sed in aliquo casu idest in triduo, aut quoties Christus supponatur in propriâ specie mortuus, essentialem omninò fore sumptionem, per quam solam Christus, sicut in propriâ specie, ità in Sacramento mortuus, adhuc novo modo destrueretur, quatenus esse sacramentale amitteret: Sed contrà: Aliqui, quibus in præsenti favet Lugus *disp. 19. sec. 6. num. 85.* putant in triduo, aut quoties Christus non supponatur in propriâ specie vivus, non posse validè confici sacramentum, aut offerri sacrificium Eucharistiæ, & isti præsentem instantiam suppositi negatione deludunt. Verum juxtà communiorem doctrinam à nobis etiam suprà *lib. 1. cap. 7. §. 13.* traditam, admisso supposito; dico, instantiam ad summum urgere eos, qui in consecratione rationem actionis destructivæ explicant præcisè per hoc, quod ponat vi verborum corpus à sanguine separatum; at non urget nos id simul explicantes per hoc, quod Christus vi consecrationis amittat omnes usus humanos sibi proprios, quos usus amitteret corpus, & sanguis etiam in triduo, quatenus etiam tunc haberet vi consecrationis usum cibi, & potus, & sub propriâ ratione indivisibiliter; insensibiliter, adeòque ad omnem humanum usum inutiliter in sacramento existeret.

70 Consecratio facta in triduo mortis Christi adhuc habuisset veram rationem sacrificii.

Dices aliter. In Missâ offertur sacrificium non solum verum, & proprium, sed etiam maximum, & perfectissimum, ut potè habens rationem holocausti; ergo ad ipsum requiritur maxima destructio, qualis certè non est destuctio moralis, & æquivalens; ergo consecratio non est actio destructiva, quantum requiritur ad sacrificium missæ, saltem ut est holocaustum, nec est ejusdem, ut holocausti tota essentia. Confirmatur; ex eo quod holocaustum dicitur quasi totum combustum, seù totum consumptum Christus autem, ut est hostia, & victima in missâ totus consumitur per sumptionem, seù manducationem, non per consecrationem. Sed contrà: Holocaustum *ex præced. cap. 1. num. 57.* idem est ac sacrificium latreuticum, cujus propria ratio consistit in eo, quod purè purè fiat ac cedat in Dei honorem, nec aliquid ipsius reservetur in aliquem humanum usum offerentium, aut Sacerdotum, quod deindè totum combureretur, ex quo originem duxit holocausti nomen, fuit in lege veteri ex præcepto divino positivo, non ex propriâ naturâ talis sacrificii, alioqui sacrificium Christi in Cruce non fuisset verum holocaustum, cum ejus corpus non fuerit, aut combustum, aut manducatum, aut aliter consumptum totum. Concesso igitur absolutè antecedente, nego consequentiam; quamvis posset hæc quoque concedi, & negari, quod subsumitur, dicendo, destructionem moralem, & æquivalentem, de quâ agitur, esse in suo genere maximam, idest totalem; quatenus per eam non aliqua Christi pars, sed totus Christus in ordine ad proprios hominis usus deperit, ut ità dicam, & moraliter destruitur. Ad confirmationem jam patet, quod holocaustum dicatur, quasi totum consumptum, non esse ex ipsius naturâ, sed ex modo, quo fuerat à Deo in lege veteri præceptum; & prætereà Christò ex vi solius consecrationis dici posse totum consumptum moraliter, & æquivalenter. Non negaverim tamen, eumdem cum à Celebrante manducatur, & sumitur magis adhuc destructum, & totum jam moraliter consecratione destructum, totum iterum physicè manducatione destrui, at hoc tandem non redundat, nisi in sacrificii, ut holocausti extensivam, ut ità dicam, & integralem perfectionem, & nihil amplius infert, quam Celebrantis sumptionem esse de substantiâ, & integritate sacrificii Missæ, præsertim ut est holocaustum, quod semel, & iterum non permissivè tantum, aut dubitanter, sed positivè, & asseveranter diximus.

71 Non est de essentia holocausti, quod totū destruatur.

72

§. IV.

Utrùm essentia sacrificii missæ, etiam in unius an solùm in utriusque speciei consecratione salvetur?

73

ASSERT. Quamvis sacrificium missæ, ita potuerit instituì, ut ipsius essentia in unius speciei consecratione salvaretur, quatenus tamen est de facto institutum, seu secundum præsentem institutionem salvatur solum in consecratione utriusque. Prima asserti pars supponitur à Scholasticis communiter contra Vasquium *disp.223.cap.4.num.35.* qui tamen *eod.cap.num.31.* tradit, & quidem à fortiori secundam, pro ipsâ referens in primis D. Thomam pluribus in locis, nec non Perezium, Alanum, Bellarminum, traditur prętereà eadem secunda pars à Suario *disp.75.sect.6.* Lugo *disp.19.sect.8.* Arriaga *disp.50.sect.6.* Scortia *lib.1.cap.6.* Aversa *qu.11.sect.5.* Herinex *disp.8.qu.3.* in fine Mastrio *disp.4.de sacram.ord. qu.5.art.1.* Maderno *qu.8.art.4.num.2.* & majori parte cæterorum scholasticorũ contra eos, quos *præced. lib.2.cap.1.num.27.* retulimus pro opinione docente, posse ecclesiam summumve Pontificem dispensare, ut consecratio in unicâ specie fiat: Item magis directè contra aliquos alios, qui ut refert Mastrius *præcit. sect. 5.num. 94.* putant de facto utriusque speciei consecrationem esse de integritate solùm, & substantia, non de essentiâ sacrificii.

74

Explicatur in missa ratio sacrificii tùm absoluti, tùm commemorativi.

Probatur, & explicatur prima pars: sacrificium missæ dupliciter potest considerari: Primò, quatenùs est oblatio sacra cum aliquali Christi, tamquam rei oblatæ destructione, & incruentâ mactatione, significans recognitionem supremi dominii Dei in vitam, & mortem: Secundò, quatenùs est repræsentatio, seu commemoratio, eaque explicita, & completa passionis, mortis, & oblationis, seu mactationis cruentæ Christi in Cruce. Sub primâ consideratione habetur in missâ tota ratio essentialis, totaque significatio moralis sacrificii absolutè juxtà hujus definitionem, & essentiam, de qua supra *cap.1.§.4.* Sub secunda habetur ulteriùs ratio sacrificii repræsentativi, seu commemorativi, & significatio mystica, quæ ut *eod. cap. 1. num. 28.* asseruimus non est sacrificio ex genere suo essentialis, licet sit iis, quæ à Deo instituuntur congruentissima. Porrò sacrificium missæ, quod habet de facto significationem tùm moralem, tùm mysticam, & est tùm in ratione sacrificii incruenti absolutum, tùm sacrificii cruenti explicitè commemorativum, potuisset aliter institui, & esse absolutum præcisè non commemorativum, aut commemorativum implicitè dumtaxat, non explicitè; destructio moralis, v.gr. & incruenta mactatio Christi Domini, quę (ut *num.63.* explicuimus) modò fit vi verborum potuisset institui ad significandum supremum Dei dominium, etiamsi Christus venisset in carne impassibili, nec subijsset mortem cruentam, mactatione incruenta repræsentabilem, adeoque sine ulla talis mortis repræsentatione, multoque magis mortem cruentam supponendo, cum repræsentatione ipsius solùm implicita. Ecce quomodò sacrificium missæ potuisset institui, aut præcisè absolutum, aut simul quidem commemorativum, sed dumtaxat implicitè, atqui utroque modo ipsius essentia salvaretur in unius speciei consecratione, quod enim de facto non sic salvetur, est (ut ex paulò post dicendis innotescet) propter commemorationem, seu repræsentationem, eamque explicitam, quam de facto importat; ergo verè sacrificium missæ ita potuisset institui, ut ipsius essentia in unius speciei consecratione salvaretur.

75

Secundùm utramque rationē ita poterat institui ut in unius speciei consecratione salvaretur.

76

Dices ex Vasquio: Sacrificium missæ est purè repræsentativum, seu commemorativum, & ad ipsum, qua tale repræsentatio, seu commemoratio implicita non sufficit; ergo ruit tota doctrina, qua explicamus ita potuisse institui, ut in unius speciei consecratione salvaretur. Probatur antecedens quo ad primam partem; quia consecratio eatenùs solùm est sacrificii incruenti essentia, quatenus sacrificium cruentum repræsentat, & dominium Dei in vitam, & mortem significat sola mactatione Christi prętetita de novo repræsentata, nec importat ullam mactationem, destructionemvè actualem, & absolutam, quæ possit sine alterius repræsentatione ad dominium illud significandum assumi, ut probat latè Vasquez *disput. 222. cap. 7. & 8.* Probatur idem antecedens, quò ad secundam partem, quia ut nos quoque docuimus *præced. cap. 1. num. 55.* in sacrificiis, res significans debet habere aliquam proportionem, & analogiam naturalem cum eo, ad quod significandum assumitur, idest cum supremo Dei dominio; atqui hæc proportio, & analogia non datur in consecratione unius speciei, quæ sicuti ex divina institutione præcisè, non ex natura rei, potest repræsentare Christi mortem, præsertim, ut de facto contigit per sanguinem ex vulneribus effusum, ita ex eadem præcisè institutione, non ex natura rei, seu non ex naturali aliqua analogia potest significare divinum in vitam, & mortem dominium, quod non significat aliter, quàm repræsentando mortem Christi, ut magis prosequitur idem Vasquez *præcit. cap.4. num. 35. & 36.* Sed contrà: In tota hujus instantiæ doctrina Vasquez benè cohęret suis principiis, at hæc aliundè malè subsistunt: falsum quippè est, sacrificium missæ esse purè commemorativum, imò si tale esset non esset sacrificium verum, & proprium *ex præced. num. 56.* est consequenter ad tem-

77

pre-

præſentem impertinens, quod ad ſacrificium commemorativum ſufficiat, nec ne repræſentatio, ſeù cõmemoratio implicita? Nego igitur abſolutè primum antecedens, quò ad utramque partem, ad probationem primæ dico, manere iam *ex nuper cit. nu. 56.* impugnatum, quidquid in *eâ* aſſumitur, ac ſupponitur: Ad probationem ſecundæ ex dicendis conſtabit, non deeſſe in conſecratione unius ſpeciei aliquam naturalem analogiam, cum præteritâ Chriſti morte, & ſi verè non tanta reluceat, quanta in conſecratione utriuſque: Quidquid verò de hoc ſit, parùm refert, quia ſacrificium miſſæ ſignificat ſupremum Dei in vitam, & mortem dominium, non ex repræſentatione mortis Chriſti præteritæ, ſed ex deſtructione ejuſdem Chriſti actuali, quæ modo explicato *præced. num. 63.* vi verborum conſecratoriorum inducitur, & in quâlibet ſpecie reperitur, quatenus habet Chriſtus in qualibet ſpecie modũ exiſtendi indiviſibilem, inſenſibilem, & ad proprios uſus humanos ineptum, analogia igitur, & proportio prędicta in hâc deſtructione actuali, non illa repræſentatione mortis præteritæ requiritur, & ſufficit.

78

At ut eſt inſtitutum de facto, & ut eſt explicitè cõmemorativum ſacrificij cruẽti ſalvatur ſolùm in cõſecratione utriuſque.

Probatur ſecunda aſſerti pars: Eſſentia ſacrificij miſſæ, ut de facto inſtituti includit explicitũ repręſentationem ſacrificii cruenti, quod Chriſtus paſſione, & morte ſuâ in arâ Crucis obtulit, atqui hujuſmodi explicita repræſentatio ſalvatur ſolùm in conſecratione utriuſque ſpeciei, non in conſecratione unius, ergo eſſentia ſacrificii miſſæ, ut de facto inſtituti, ſeù ſecundùm præſentem inſtitutionem &c. Major habetur ex communi Eccleſię ſenſu nobis innoteſcente, tùm per teſtimonia Sanctorum Patrum, ſæpè, & clarè, ut videre eſt apud Vaſquium *præcit. cap. 7.* tradentium, Miſſæ ſacrificium continere Dominicæ Paſſionis memoriam, & ad eam recolendam eſſe inſtitutum, tùm per verba Tridentini *ſeſſ. 22. cap. 1.* ubi ſacrificii, & Sacerdotis in novâ lege inſtitutio ſic refertur, *Deus, & Dominus noſter, & ſi ſemel ſe ipſum in arâ Crucis, morte intercedente Deo Patri oblaturus erat &c. ut ſuæ dilectæ ſponſæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur &c. corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit, & docuit. Nam celebrato veteri Paſcha &c. novũ inſtituit Paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit.*

79

In quo toto Concilij textu tria prę cæteris obſervanda ſunt in re præſenti; Primum eſt ly *Quo cruentũ illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur*; Secundum, ly *Ut offerent præcepit per hæc verba Hoc facite in meam commemorationem*; Tertium ly *Inſtituit ſe ipſum immolandum in memoriam tranſitus ſui, quando per ſui ſanguinis effuſionem &c.* Neque dicas, ſufficienter hæc ſalvari per repræſentationem paſſionis, & mortis Chriſti implicitam. Contrà enim, tàm clara, & tàm multa Concilij Tridentini, & Sanctorum Patrum teſtimonia nimis incongruè detorquerentur ad ſenſum minùs proprium, qualis eſſet is, quo intelligerentur de repræſentatione ſolùm implicitâ, & imperfectâ, cum præcipuè aliqua implicita, & mortis Chriſti repręſentatio conveniat etiam *ex præced. cap. 1. nu. 28.* ſacrificiis antiquis, per quæ tamen nulli, ut puto, venit in mentem, repræſentari paſſionem, & mortem Chriſti, æquè ac per ſacrificium novum; fuerunt igitur illa ad imperfectam, & implicitam, iſtud ad perfectam, & explicitam repræſentationem, inſtituta.

80

Minor propoſitio ejuſdem argumenti probatur, ex eo quia mors, & paſſio Chriſti ut de facto peracta eſt, & ut habuit rationẽ ſacrificii cruenti, importat præcipuè ſanguinis ex corpore vulneratò effuſionem, ex hac quippè præcipuè ſecuta eſt de facto Chriſti mors, & ex eâdem totam ſacrificij cruenti rationem, denominationemque eſt conſecuta, atqui ſolum in conſecratione utriuſque ſpeciei, non in conſecratione unius, ſalvatur explicita repræſentatio effuſionis ſanguinis, & mortis per talem infuſionem inductæ; Nam conſecrando v. gr. ſolas ſpecies panis, ponitur quidem ſub ipſis, vi verborum ſolum corpus, & non ſanguis; at non per hoc clarè repræſentatur ſeparatio ipſius à ſanguine, quod enim alicubi ſit corpus, & non ſanguis poteſt provenire ex eo quod, vel ipſum fuerit ſic productum, vel ſanguis fuerit in eo corruptus, æquè ac ex ſanguinis ab illa ſeparatione, ſeù effuſione, eodemque modo conſecratis aliàs ſolis ſpeciebus vini ponitur vi verborum ſolus, ſanguis, & non corpus, at non per hoc clarè repræſentatur ex corpore effuſio, & eſecuta ex effuſione mors, cum poſſit eſſe aliqua ſanguinis effuſio, quam mors non ſequitur; poſſit item ſolus ſanguis, & non corpus, ex eo quod fuerit extrà corpus productus, non à corpore extractus, ſeù effuſus: At verò, quando, ut in conſecratione utriuſque ſpeciei evenit, ſimul ponitur ſolum corpus ex unâ parte; & ſub unâ ſpecie; ſolus ſanguis ex aliâ parte, & ſub aliâ ſpecie, habetur explicita repræſentatio ſeparationis unius ab alio, & mortis ſeparationem conſequentis, nec relinquitur ullum veriſimile fundamentum judicandi; quod aliter, quàm per mutuam ſeparationem ità ſeorſim exiſtant.

81

Rationes dubitandi pro ſufficientia repręſentationis implicitæ ad miſſæ ſacrificiũ ut de facto inſtitutũ.

Dices primò; impugnando majorẽ propoſitionẽ hujus noſtræ probationis, & oſtẽdendo, de eſſentiâ ſacrificii miſſę, ut de facto inſtituti, non eſse repræſentationẽ explicitã ſacrificii cruenti, & effuſionis ſanguinis.

Sine

Sine hac repræſentatione explicita ſalvatur in miſsa ratio ſacrificii repræſentativi, & commemorativi; ergo hæc repræſentatio explicita non eſt de eſſentia ſacrificii miſſæ, ut de facto inſtituti; conſequentia patet, quia in tantum per noa eſt de eſſcntia, inquantum ſacrificium miſſæ eſt de facto inſtitutum, non ſolum ut abſolutum, ſed etiam ut repræſentativum, & commemorativum: Probatur antecedens primò; quia in miſsa ratio ſacrificii repræſantativi, & commemorativi refertur ad mortem Chriſti, quæ ſicuti formaliter conſiſtit in ſeparatione animæ à corpore, ita ſufficienter repręſentatur per hoc, quod ex vi verborum ponatur corpus, & non anima. Secundò; quia repręſentatio explicita, & repræſentatio implicita differunt ſolùm accidentaliter ſecundùm magis, & minùs; ergo ſive explicita, ſivè implicita ſit, benè ſalvatur eſſentia ſacrificii repræſentativi; ſacrificiorum enim ſicut, & ſacramentorum eſſentiis non officit variatio ſolùm accidentalis. Tertiò, quia nos in miſsa offerimus ſacrificium eſſentialiter idem cum eo, quod Chriſtus obtulit, & inſtituit in cæna, non eſſet autem eſſentialiter idem, ſi de noſtri ſacrificii eſſentia eſſet repræſentatio explicita ſanguinis effuſi hanc quippe repræſentationem non habuit ſacrificium Chriſti in cæna, alioqui habuiſſet repræſentationem falſam; repræſentatio igitur corporis, & ſanguinis ſacrificio eſſentialis, ſicuti debet eſſe miſſæ, & cænæ communis, ita debet ad effuſionem valdè implicitè ſe habere, abſtrahendo à præterita, vel futura, quod eſt idem ac dicere, facta, vel non facta. Quartò: quia ſignificatio, & repręſentatio explicita effuſionis ſanguinis habetur maximè in illis conſecrationis verbis. *Qui pro multis effundetur*, vel *Qui pro vobis fundetur*, ſi igitur repræſentatio explicita effuſionis ſit de eſſentia ſacrificii, talia verba erunt maximè de neceſſitate, & eſſentia conſecrationis, ſaltem ut actionis ſacrificativæ, quod non cohæret ſupradictis *lib. 1. cap. 7. §. 5.* Sed contrà: In miſſa ſecundum præſentem inſtitutionem debet ſalvari ratio ſacrificii repręſentativi, & commemorativi, non utcumque, ſed modo explicito, & in ordine ad mortem cruentam, ut de facto peracta eſt, hoc quippè noſtra probatio ſuadebat, & in hoc ſenſu nego inſtātię anteced.

82

Ad cujus primam probationem: dico, rationem ſacrificii repræſentativi in miſsa, ſecundùm pręſentem inſtitutionem referri ad mortem Chriſti, non qualemcumque, ſed cruentam, nec formaliter tantùm, ſed, & cauſaliter ſumptam, ideò dato, quod mors Chriſti qualitercumque inducta, & formaliter ſumpta ſufficienter repræſentetur per hoc, quod ex vi verborum ponatur corpus, & non anima, non adhuc ſufficienter repręſentatur, ut debet in miſſa ſecundū pręſentē ſacrificii inſtitutionem repręsētari,

Ad ſecundam diſtinguo: repręſentatio explicita, & repręſentatio implicita differunt ſolum accidentaliter, ſi ſumantur abſolutè, & utcumque concedo, ſi relatè ad ſignum, aut ſacrificium ex ſua inſtitutione determinatum ad alterutram, puta ad ſolā explicitam, ut eſt de facto determinatum ſacrificium miſſę, nego antecedens, & conſequentiam, repręſentatio enim implicita eſt quidem accidentalis ei, cui eſt accidentalis explicita, at eſt impoſſibilis, & eſſentialiter repugnans ei, cui explicita eſt eſsentialis: ideò univerſim ſigno inſtituto ad ſignificationem, ſeu repręſentationem explicitam, implicita non ſufficit: ſic baptiſmo inſtituto cum invocatione, ſeu ſignificatione Trinitatis explicita, invocatio, ſeu ſignificatio ejuſdem implicita non ſufficit: Nec refert, quod nutus ſint quodammodo verba implicita, & ſignificent implicitè, quod ſignificant explicitè verba, & tamen illi, æquè, ac iſta, ad matrimonii ſacramentum ſufficiant; confeſſio item ſacramentalis poſſit nutibus, non ſolis verbis fieri. Non refert inquam, quia hoc non provenit pręcisè ex eo, quod differat ſolùm accidentaliter ſignificatio implicita ab explicita, ſed ex eo, quod ſacramentum Pœnitentię non ſit determinatè inſtitutum cum confeſſione peccatorum explicita, & ſacramentum matrimonii, vel non ſit pariter inſtitutum cum ſignificatione explicita conſenſus, vel hæc cenſeatur haberi etiam per nutus, quamvis alioqui iſti ſint ſolum implicitè verba.

83

Repræſentatio implicita, & repræſentatio explicita quomodo poſſint inducere diverſitatem eſſentialē ſacrificii.

Ad tertiam: quidquid ſit, utrum ſacrificium noſtrum in miſsa, & ſacrificium Chriſti in cęna ſit quo ad omnia eſsentialiter idem? admitto certè, utrumque eſse eſsentialiter idem, quo ad repręſentationē, utriq; ſcilicet eſse eſsentialem repręſentationem explicitam mortis cruentę, & effuſionis ſanguinis, abſtrahendo tamen à differentia tēporis pręteriti, vel futuri, adeò ut nec ſacrificio cænę fuerit eſsentiale, repręſentare ſanguinem, ut effundendum, nec ſit eſsentiale noſtro, repræſentare eumdem, ut effuſum: ratio eſt, quia repræſentatio eſſentialis ſacrificio conſiſtit in rebus, non in verbis: res autem repræſentant, abſtrahendo à circumſtantia, ſeu differentia temporis, ſic imago Cęſaris v.g. in Cæſare repræſentando abſtrahit ab eo, quod Cæſar præteritus, vel futurus, vel actu exiſtens ſit: & quod aliquandò referatur ad ipſum, ut præteritum: aliquando ad eumdem, ut actu exiſtentem, aut futurum eſt ex diverſo ſtatu Cæſaris repræſentati, non ex diverſa ratione repræſentationis, ſeu immaginis repræſentantis ſic pariter eſt ex diverſo ſtatu mortis, & effuſionis ſanguinis, non ex diverſa ratione repræſentationis, ſeu rei repręſentātia, quod in ſacrificio cænæ ea fuerit repræſentata futura, eademq; nunc in ſacrificio miſsę repręſentetur pręterita, ut notarunt Maſtrius *præcit. qu. 5. art. 2. num.* 109. & Becanus *c. 25. qu. 7.*

84

Quod effuſio ſanguinis quæ in miſſa repræſentatur ſit præterita, vel futura accidentale eſt ſacrificio.

Ad quartam, quidquid contra ſentiat Amicus *hic diſp. 33. ſect. 3. n. 69.* dico, ſacrificiū miſſę verba, ut verba, ne quidē ex ratione ſpecificā ſacrificii talis requirere, & repræſentationem explicitam effuſionis ſanguinis ei eſsentialē petēdam eſse proximè, & formaliter ex rebus, nō ex verbis: ideò ex eo, quod verba illa *Qui effundetur* contineāt ſignificationē explicitā effuſionis ſanguinis nihil inferri

85

Talis effuſio in miſſa ut ſacrificio debet repræſentari rebus, non verbis

ferri pro ipsorum necessitate ad consecrationem, nequidem ut actionem sacrificativam, cum aliundè independenter ab ipsis vi aliorum verborum bene ponatur sub speciebus panis corpus, & non sanguis; sub speciebus vini sanguis, & non corpus; corpus autem, & sanguis sic seorsim eodem tempore existentia sint res explicitè repræsentans unius ab alio saparationem, & sanguinis à corpore effusionem. Breviter repræsentatio sacrificio missę essentialis debet esse realis, non verbalis, in rebus non in verbis sita; hincque penitus corruit instantiæ fundamentũ quarto loco positum, ut deduci magis potest *ex praecit.* §.5.n.104. *& seq.*

86

Rationes dubitandi pro sufficientia unius speciei ad eam repræsentationem explicitã, quam Missæ sacrificium requirit.

Dices secundò; impugnando minorem propositionem ejusdem nostræ probationis, & ostendendo, explicitam repræsentationem sacrificii cruenti, quantum requiritur ad nostrum missæ sacrificium, salvari etiam in unius, non dumtaxat in utriusque speciei consecratione; ostendendo inquam id primò, quia ad repræsentandam in picturã v. gr. separationem capitis à corpore, sufficit depingere reliquum corpus, & non caput, absque eo quod depingatur in alio loco caput, & non corpus; ergo ad repræsentandam in altari effusionem, seù separationem sanguinis à corpore sufficit ponere in hostia corpus, & non sanguinem, absque eo quod ponatur in calice sanguis, & non corpus; hoc autem est unius speciei consecrationem sufficere ad repræsentationem sacrificii cruenti: secundò repræsentatio, & commemoratio passionis, ac mortis Christi convenit etiam eucharistiæ, ut sacramento juxtà Apostolum 1. *Cor.* 11. dicentem *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis*, & ecclesiam canentem *ò sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus*; atqui in unã specie habetur hujusmodi repræsentatio, quantum requiritur ad eucharistiam, ut sacramentum, ergo etiam quantùm requiritur ad eamdem, ut sacrificium. Confirmatur, ex eo quia verba illa Christi Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem* non solum sacerdotes eucharistiam, sivè ut sacramentum, sivè ut sacrificium conficientes, sed & laicos sumentes afficiunt ex dictis *lib. praeced. cap.* 3. §.3.*num.* 41. atqui ly *In meam commemorationem* importat repræsentationem passionis, & hæc in laicã eucharistiæ sumptione sufficienter habetur per unicam speciem, cur ergo nõ etiam per unicam speciem sufficienter habetur in consecratione ejusdem, sivè ut sacramenti, sivè ut sacrificii. Sed contra.

87

Ad primum instantiæ argumentum, vel negari potest antecedens, nec ullum est dubium, quin pictura exprimens in uno loco corpus, & non caput; in alio caput, & non corpus, clarius repræsentet capitis abscissionem, separationemvè à corpore, undè & de facto solent sic depingi imagines, quibus representantur Martyres capitis obtruncationem passi: Vel dato antecedenter negari potest consequentia, quia quod aliquod corpus sit sine capite, vix potest esse aliter, quàm per separationem, seù abscissionem unius ab alio, cum tamen facilè, & frequenter, aliter quàm per effusionem contingat, esse corpus sine sanguine, ut patet in corporibus hominum morte non cruentã decedentium; ideò ex eo præcisè quod ponatur corpus, & non sanguis, non tàm clarè representatur nec tàm certo, facilique ratiocinio deducitur facta separatio unius ab alio; quàm repræsentatur, & deducitur ex eo præcisè quod ponatur corpus, & non caput.

88

Repræsentatio passionis, & effusionis sanguinis in eucharistia, ut sacramento sufficit implicita.

Ad secundum; dico, repræsentationem, seù commemorationem passionis, ac mortis, Christi convenire quidem etiam eucharistiæ, ut sacramento, at non eodem prorsus modo, quo ut sacrificio, sed ut sacramento sufficere implicitam, ut sacrificio necessariam esse explicitam; neque enim ea, quæ quò ad representationem explicitam protulimus respectu eucharistiæ, ut sacrificii, militant ex æquo respectu ejusdem, ut sacramenti. Ad confirmationem profiteor iterùm, verba Christi *Hoc facite in meam commemorationem* non solùm ad sacerdotes consecrantes, sed & ad laicos sumentes se extendere; at *ex eod. cap.* 3. *praecit.* §.6. *nu.* 116. recolo, debere sumi cum distributione accommodã; nec utrosque afficere eodem prorsùs modo, & ly *in meam commemorationem* in ordine ad consecrationem eucharistiæ, ut sacramenti, multoque magis in ordine ad laicam ejusdem sumptionem abstrahere ab explicitã, & implicitã, & solùm pro explicitã determinatè supponere in ordine ad consecrationem, oblationemvè ejusdem, ut sacrificii; ideò in unicã specie salvari passionis, ac mortis Christi repræsentationem, quam requirit sive in confectione, sivè in sumptione eucharistia, ut sacramentum, non sic salvari repręsentationem, quam requirit, ut sacrificium; quia prior repræsentatio esse potest implicita, posterior esse debet explicita; illa verò ex dictis in unicã specie salvatur ista solum in utrâque habetur.

89

Rationes dubitandi ex absurdis contrà necessitatem utriusque speciei ad missæ sacrificium necessitatem.

Dices tertiò; impugnando absolutè secundam præfixi asserti partem ex absurdis, eam consequentibus: Primum sit, quod sacerdos repentè decedens post consecratam unam tantùm speciem non diceretur sacrificasse, nec fuisset particeps fructus sacrificii. Secundum, quod fuisset illicita, irrita, & contrà sacrificii essentiam dispensatio, quâ Innocentius VIII. Norvegis vini defectum patientibus concessit facultatem consecrandi in missã solum panem. Tertium, quod nequidem ne moribundus viatico, aut tota aliqua natio sacrificio missæ careat, neque ob ullam aliam excogitabilem necessitatem, aut causam licita umquam esse potest unius tantùm speciei consecratio. Quartum, quod esset invalida saltem in ratione actionis sacrificativæ consecratio, quæ vel ex inopinato, & irreparabili defectu materiæ, vel ex sacerdotis sivè ignorantiã, sivè malitiã, in unâ tantùm specie fieret, nec umquàm censeri posset validè consecrata una species sine aliã. Sed contrà.

Ad

90 Ad primum dico, nullam continere suspicionem absurdi; & sicuti juxtà præsentem institutionem sacrificii essentia solum in utriusque speciei consecratione consistit, ità fructus solum ex utriusque consecratione consequitur, & Sacerdos ille decedens inchoasset sacrificium, non sacrificasset; sicuti inchoasset baptismum, non baptizasset; inchoasset ædificium domus, non ædificasset domum, qui decederet prolatâ medietate tantum formæ baptismi, erecto uno tantum pariete domus.

91 Ad secundum; dico, procedere ex falso supposito, nec verè factam fuisse ab Innocentio VIII. Norvegis illam dispensationem, seu concessionem ostendimus jam supra *lib. praced. cap.* 1. §. 2. *num.* 37. & ex ibi dictis, nimirum ex eo quod etiam in ordine ad Eucharistiam, ut sacramentum consecrare sub utrâque specie, sit de necessitate præcepti divini, nullatenus à Summo Pontifice, aut ab Ecclesiâ dispensabilis, obiter moneo, prædictam dispensationem futuram fuisse illicitam, & irritam; quamvis utraque species non esset de sacrificii essentia, item ex tali divino præcepto præcisè fore illicitam, ad communicandum moribundum, consecrationem unius tantum speciei, quamvis supponeretur extrà missam fieri.

92 Ad tertium; libenter concedo, consecrationem unius tantum speciei, nisi consecratio alterius ob supervenientem impotentiam, aut physicam, aut moralem omittatur, verè in nullo umquam casu, & ob nullam excogitabilem causam licere, hocque non solum ex præsenti institutione eucharistiæ, ut sacrificii, sed etiam ex conditione ejusdem, ut sacramenti, propter præceptum divinum assertum, & explicatum *præcit.* §. 2. hincque nil mirum, si quæ tunc absurda non censuimus, multo minus nunc talia censeamus.

93 Ad quartum; adverto, consecrationem in ratione actionis sacrificativæ dici posse invalidam dupliciter, vel quatenus in ordine ad sacrificium nihil præstet, vel quatenus ad ipsum non sufficiat se solâ, etsi alioqui ponat partialem ejus essentiam: In hoc secundo sensu, non in primo esset invalida in ratione actionis sacrificativæ consecratio, quæ vel ex inopinato, & irreparabili defectu materiæ, vel ex sacerdotis, sivè ignorantiâ, sivè malitiâ in unâ tantum specie fieret. Eodemque modo numquam censeri posset validè consecrata una species sine aliâ; si nomine speciei validè consecratæ intelligatur sacrificium secundum totam suam essentiam positum; secus si sacrificium partiale, & inchoatum; multoque magis una species sine alia, censenda erit validè consecrata, si consideretur in ratione sacramenti, non in ratione sacrificii, & consecratio sumatur, ut forma verbalis, non ut actio sacrificativa, & ad sacrificium, tùm incruentum offerendum, tùm cruentum repræsentandum unà simul instituta.

94 Dubitatur hic incidenter, Utrùm in ratione sacramenti validè consecraretur una species sine alterâ, etiam ab eo, qui id positivè præintenderet, imò qui sciens, & sentiens pro sacrificio essentialiter utramque speciem requiri, pro sacramento etiam unicam sufficere, ex intentione, & animo non offerendi sacrificium, sed conficiendi dumtaxat sacramentum, unicam consecraret? In hoc casu, & cum hoc intentionis modo, unicam speciem invalidè prorsus consecrari, & sacramentum non confici, docet Lugus *hic disp.* 19. *sec.* 8. *num* 103. & apud Herinex *disp.* 8. *quæst.* 2. in fine Aversa *quæst.* 11. *sec.* 1. supposito quod intentio non offerendi sacrificium sit æquè potens, aut etiam potentior, quam intentio conficiendi sacramentum: Fundamentum ità sentiendi desumitur, ex eo quod, quando simul concurrunt duæ intentiones inter se contrariæ, nullus effectus sequitur, aut quæ potentior est prævalet, & impedit effectum infirmioris, juxtà præsentem autem institutionem, intentio non offerendi sacrificium est contraria intentioni conficiendi Eucharistiæ sacramentum, quia in Sacerdote potestas ad sacrificium, & potestas ad sacramentum est una, & eadem data indivisibiliter ad illius oblationem, & istius confectionem; velle igitur unam, & non aliam est velle aliquid, ad quod non est data à Christo potestas; item est habere voluntates, intentiones sivè contrarias, quarum utraque simul intendit aliquid impossibile, seù una vult aliquid repugnans cum eo, quod vult altera, sistendo in præsentis institutionis, & potestatis sacerdotalis à Christo concessæ modo.

95 *Potestas Sacerdotalis in ordine ad sacrificium, & sacramentum est in se una, & eadem.*

In hoc ratiocinio approbo in primis, quod dicitur de unâ intentione contraria impediente effectum alterius. Approbo etiam, quod potestas ad offerendum sacrificium, & potestas ad conficiendum sacramentum sit una, & eadem, idque suprà §. 1. *num.* 11. obiter nos deduximus ex formâ ordinationis Sacerdotum, & videri potest magis probatum apud Suarez *disp.* 43. *sec.* 2. §. *Dico primò*, nec non *disp.* 75. *sec.* 4. §. *Videtur posse*. At non sic absolutè approbo, quod additur, talem potestatem esse datam indivisibiliter ad utrumque, quia cum aliquando, & saltem quoties post consecratam cum debitâ intentione primam speciem supervenit impotentia consecrandi secundam, ponatur de facto unum sine altero, idest sacramentum sine sacrificio, illius confectio sine istius oblatione, necesse est, dictam potestatem esse aliquomodò datam ad utrumque, etiam divisibiliter; quomodo enim Sacerdos aliquando unum sine alio ponit, unum ab alio dividit, absque eo quod habeat aliquo modo potestatem unum sine alio ponendi, unum ab alio dividendi? aut quomodò datur actus secundus, absque eo quod detur aliquo modo suus actus primus?

In aliquo sensu potest habere suos actus divisibiliter;

96 Hinc ulterius procedendo, sicuti non repugnat confectio sacramenti cum non oblatione sacrificii, ità intentio conficiendi sacramentum, & non offerendi sacrificium, non erit de aliquo impossibili, nec posterior,

quam-

quamvis supponatur potentior, prioris effectum impediet; & Sacerdos, qui habens intentionem consecrandi simul, & sacrificandi, validè consecrat, esto non sacrificet, cur pariter id validè non præstabit, esto habeat intentionem consecrandi tantum, non sacrificandi, aut quomodonam est perceptibile valori consecrationis, plus obesse intentionem non sacrificationis, quam non sacrificationem ipsam? Ità planè Arriaga *disp 50. sec. 7.* impugnat Lugi ratiocinium, & cum cæteris Scholasticis communiter sustinet, validè unicam speciem in ratione sacramenti consecrare illum, etiam qui id præintendit, idque præstat ex intentione, & animo conficiendi sacramentum, & non offerendi sacrificium, quamvis deindè talis intentio sit illicita, eo quod Christus conferendo unam ad utrumque simul potestatem, & præcipiendo utrumque simul, quemadmodum ipse præstitit, præstari, obligaverit ad velle quantum in nobis est utrumque simul perficere, & potius ab utroque dum possumus abstinere, quàm unum dumtaxat ponere.

Inter istos duos modos extremè oppositos potest tertius quasi medius excogitari, advertendo cujuslibet speciei consecrationem ingredi essentiam, quamvis non sit tota essentia sacrificii, esse sacrificium partiale, & inchoatum quamvis non totale, & completum, & sicuti non potest valide consecrari utraque species, quin ponatur totale, ità nec posse validè consecrari unam, quin ponatur partiale sacrificium; Unde licet comparando sacramentum totale ad sacrificium totale, illius confectio sit separabilis ab istius oblatione, non sic est separabilis, comparando sacramentum totale ad sacrificium, ut à totali, & partiali abstrahens, nec est excogitabilis casus, in quo Sacerdos validè conficiat sacramentum, quin saltem partialiter sacrificet, seù partiale sacrificium offerat; in hoc sensu, idest sumendo sacrificium, ut totali, & partiali abstrahit, verificatur, potestatem sacerdotalem esse datam ad sacramentum, & sacrificium indivisibiliter, nec posse validè exerceri in ordine ad unum, quin simul validè exerceatur in ordine ad alterum; in eodem sensu procedit, quod suprà *num.* 9. & 11. dicebatur, oblationem sacrificativam, & consecrationem esse unam, eamdemque actionem; consecrare, & offerre esse quo ad rem synonyma; in eodem tandem sensu subsistit intentionis conficiendi sacramentum cum intentione non offerendi sacrificium contrarietas, intentio scilicet validè consecrandi, & intentio nequidem partialiter sacrificandi verè sunt de aliquo impossibili.

In aliquo solùm indivisibiliter.

98

Consecrãs unam speciem cum prævisione aut præiectione nõ consecrãdi aliam, non consecrat invalidè nisi simul intendat nequidem partialiter sacrificare.

Redeundo jam ad rem nostram, & ad dubii antecedenter propositi solutionem, dico, eum, qui unicam speciem consecraret ex praviâ intentione, & animo conficiendi dumtaxat sacramentum, non offerendi sacrificium; si eâ intentione excludat sacrificium, etiam partiale, prorsùs invalidè consecrare, & sacramentum non conficere, secus si excludat sacrificium solum totale; ratio est, quia, ut ex nuper positis liquet, intentioni conficiendi sacramentum contrariatur, ejusque effectum impedit, prior solum, non posterior intentio non offerendi sacrificium: Porrò in praxi quisquis, sivè ex errore, sivè ex industriâ unicam speciem consecraret, intendens conficere sacramentum, & nihil cogitans de sacrificio, censendus est, velle consecrare meliori modo, quo potest, & habere intentionem implicitam partialiter sacrificandi, adeòque conficere sacramentum validè; ex quo capite salvatur, quod Madernus hic *quæst. 8. art. 4. num.* 10. ait supponi à Doctoribus communiter, censendam esse validam consecrationem sacerdotis, qui vel in foro suprà cistam panis, vel in cellario suprà dolium vini verba consecratoria ex nequitiâ proferret, nil in primo casu de vino, nil in secundo de pane consecrando cogitans. Imò si sacerdos sic consecrans protestetur, se velle, & in re velit nullatenùs sacrificare, adeoque intentionem etiam implicitam sacrificii partialis excludat, consecratio erit quidem ex dictis speculativè invalida; quia tamen id non est certum, & oppositum sua gaudet probabilitate, talis materia in praxi, ut potè quasi problematicè consecrata, esset saltem asservanda, & consumenda in usus sacros.

99

Ex his habetur, consecrationem, intentionemvè consecrandi sub utrâque specie, non solùm non esse juxtà supradicta *lib. præced. cap.* 1. §. 2. *num.* 20. de necessitate Eucharistiæ, ut est præcisè sacramentum, sed neque in rigore, ut est sacramentum connexum cum sacrificio; nam consecratio, & intentio consecrationis utriusque speciei est quidem de necessitate sacrificii totalis, at cum sacrificio totali eucharistia, ut sacramentum, non habet connexionem inseparabilem, ex adverso hanc habet cum sacrificio saltem partiali, at de necessitate sacrificii partialis non est utraque species, aut utriusque intentio. Et ecce responsionem ad id, quod mox *cit.* §. 2. *num.* 20. & 23. in hunc locum reservavimus.

§. V.

Quidnam ingrediatur essentiam Sacrificii Missæ ex parte rei oblatæ?

Ubi an aliquo modo rectè dicatur dari in Missâ duplex Sacrificium?

100

ASSERT. I. Id, quod maximè ingreditur essentiam sacrificii missæ ex parte rei oblatæ, est Christus Dominus: Ipse scilicet, tamquam victima in missâ principaliter offertur, immolatur, sacrificatur. Circà hoc assertum Scholastici habent quidem aliquale dissidium in modo explicandi, nimirùm in statuendo, utrùm offeratur, immoletur, sacrificetur Christus totus, an dumtaxat secundum corpus, & sanguinem? Item utrùm Christus solus, an etiam panis, & vinum? quo ad substantiam tamen omnes consentiunt, tamquam in fidei dogmate contrà plures hæreticos, & in primis illos omnes, quos supra *lib. 1. cap. 4. à num. 4. ad 10.* retulimus, tamquam negantes realem Christi Domini in Eucharistiâ præsentiam, seù existentiam, neque enim offerri, immolari, & sacrificari potest victima, ubi realiter non existit. Deindè etiam contrà Lutherum, & Asseclas, qui admittunt quidem, licet simul cum panis, & vini substantiis, realem Christi præsentiam in Eucharistiâ secundum legitimam institutionem peractâ, at volunt in totâ missæ actione nihil Deo offerri præter orationes, Christum verò à Deo donari nobis, non à nobis offerri Deo, ac prætereà in celebratione missæ, & eucharistiæ, quæ à nobis fit, negant servari Christi institutionem, & ex hoc capite neque agnoscunt fieri Christum realiter præsentem, ut referunt inter alios Vasquez *disp. 221. cap. 2.* & Valentia *disp. 6. quæst. 11. punc. 1. §. 3.*

101 *In missâ sacrificatur primariò, & principaliter Christus Dominus.*

Probatur, & explicatur asserta veritas, quia ex unâ parte est de communi ratione sacrificii, quod constet actione oblativâ, & re, quæ offertur, adeoque quod victima, seù res oblata ejus essentiam ingrediatur, ut supposuimus in hujus capitis limine *num. 1.* juxtà antecedenter dicta *cap. 1. §. 3.* Ex aliâ parte Christum in missâ, tamquam victimam principalem maximè offerri, est, & fuit semper communis Ecclesiæ sensus, cujus illustre testimonium præbuit Andreas Apostolus, cum (ut in ejus Festo legitur) dixit Ægeæ Proconsoli *Ego Omnipotenti Deo immolo quotidiè immaculatum agnum in Altari*, quod & tradiderunt, quamvis non clarè omninò, multa antiqua concilia, quorum meminit Vasquez *disp. præcit. cap. 3. nu. 20.* occasione deindè erroris oppositi inter præmemoratos hæreticos invalescentis, id clarissimè definiit Tridentinum *sess. 22. cap. 1. & 2.* ait enim cap. 1. *Novum instituit Pascha se ipsum ab Ecclesiâ per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, & cap. 2. *In divino hoc sacrificio, quod in missâ peragitur idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in arâ Crucis semel se ipsum cruentè obtulit*: Deindè *can. 2.* anathematizat eum, qui dixerit, *Christum non ordinasse, ut Apostoli, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum*. Præclara, & plurima in eamdem rem Sanctorum Patrum dicta congerit Scortia *lib. 1. de Sacrif. Missæ cap. 4.* tale est illud Gregorii Nysseni orat. 1. Paschatis *Arcano Sacrificii modo idem est Sacerdos, & Agnus*. Ambrosii lib. 1. in Lucam cap. 1. *Cum sacrificamus, Christus adest: Christus immolatur*. Augustini lib. 21. de Civit. cap. 10. *Ipsum sacrificium corpus est Christi &c.*

102

Concludo, & deduco hanc veritatem ex eo quod in ipsa eucharistici sacrificii institutione dictum fuit Apostolis *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi sive pronomen *Hoc* referatur ad id, quod Christus antecedenter fecerat, sivè ad id, quod antecedenter iisdem dederat, utroque modo nostrum infertur intentum, nam primo modo sensus est *Hoc, quod ego feci, facite*, Christus autem antecedenter se ipsum, ut victimam in sacrificium obtulerat; secundo modo sensus est *Hoc, quod ego nunc vobis dedi, sacrificate* (facere enim, supposita capacitate materiæ, aliquando sumi in scriptura pro sacrificare, notat Suarez *disp. 74. sect. 2. §. secundum argumentum*) Christus autem suum corpus, & sanguinem antecedenter Apostolis dederat.

103

Dices: Sacrificium, quod in missâ peragitur, panis, & vini sacrificium appellatur à multis Sanctis Patribus apud Scortiam *præcit. cap. 4.* in principio, & Christus *Psalm. 109.* dicitur sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui *ex Genes. 14.* panem, & vinum in sacrificium obtulit; ac prætereà quilibet celebrans in missâ offert Deo panem, nondum consecratum, tamquam hostiam, seu victimam dicens, *Suscipe Sancte Pater Omnipotens æterne Deus hanc Immaculatam Hostiam*, atqui non possent ista ritè salvari, nisi panis, & vinum in missa essent res oblata, & victima, aut unica, aut saltem principalior, quàm Christus Dominus; ergo. Sed contrà nimis derogaretur perfectioni novi sacrificii, & excellentiæ, quam ei super omnia antiqua passim tribuunt Sancti Patres, si esset purè putè, aut principalius sacrificium panis, & vini, nec quidquam longè nobilius, tamquam victimam principalem includeret:

104

auctoritates igitur tùm in antecedentem probationem adductæ, tùm quæ possent pro mox laudatâ perfectione, & excellentiâ adduci, nimium prævalent eis, quas instantia objicit, & quarum difficilis non est sana, atque assertæ veritati consona intelligentia, nam, ut omittam panis, & vini nomine intelligi posse

In quo sensu sacrificium missæ dici possit sacrificium panis, & vini.

posse ipsum met Christum, quatenus in Eucharistia panis, & vini vices supplet, & sub panis, ac vini speciebus continetur; dico, locutiones illas non debere sumi in toto rigore, & salvari sufficienter per hoc, quod panis, & vinum in missâ ingrediantur Sacrificii essentiam, tamquam hostia, & victima minus principalis, modo paulo inferius asserendo, & explicando; Interim.

105 Urgebis: In omni sacrificio maximè offertur, & est unicè, aut sanè magis principaliter victima id, quod actioni sacrificativæ supponitur, atque subjicitur, tamquam terminus à quo, & materia ex quâ, seù circa quam; non id, quod ex eâdem actione subsequitur, atque resultat, tamquam terminus ad quem, seù in quem sacrificium, & actio sacrificativa desinit; sic in mactationibus animalium animalia ipsa, non mortuæ eorumdem carnes; in holocaustis ea, quæ comburuntur, non cineres ex combustione relicti dicuntur, tamquam victima offerri, & sacrificari; Ratio à priori est, quia ratio sacrificativa, qua talis est immutativa, & destructiva; mutatur autem in sacrificiis, & destruitur id, quod est materia ex quâ, seù terminus à quo, non terminus ad quem; Atqui in missa panis, & vinum est id, quod actioni sacrificativæ supponitur, atque subjicitur, tamquam terminus à quo, seù materia ex quâ; Christus verò subsequitur resultat, producitur tamquam terminus ad quem, ergo.

106 Nec refert, quod etiam Christus præcedat, & supponatur ad actionem sacrificativam, ut existens in propriâ specie. Non refert inquam, quia Christus, ut in propriâ specie existens, valdè materialiter se habet ad actionem sacrificativam; hæc illum, quâ taliter existentem, non attingit, non immutat, & missæ sacrificium deberet fieri modo cruento, ut in eo Christus, quâ in propriâ specie existens sacrificaretur. Sed contrà: Quidquid videantur dubitasse aliqui apud Amicum *disp.33. sec.2. num.29.* nullatenus puto Christum in missâ offerri, & esse victimam secundum quod in propriâ specie existit: Quidquid item senserint Cabasilas in Liturgiâ *cap.32.* Suarez *hic disp.75. sec.1. §. Dico tertiò & sec.5. §. Ad secundam rationem*, & aliqui alii, inter quos Herinex, & Tannerus jam suprà relati *cap.1. num. 46.* quidquid inquam isti senserint, non contendo, nec puto in sacrificiis, in quibus terminus ad quem est nobilior termino à quo, ut in missâ, illum principalius, quam istum esse victimam, & rem oblatam; licet aliter eveniat in aliis sacrificiis, in quibus terminus ad quem, & de novo resultans, solet esse ignobilior, ac deterioris conditionis, quam terminus à quo, & desinens.

107 His suppositis, ad instantiæ instaurationem concedo absolutè majorem; ad minorem, recolendo suprà posita, *num. 68.* dico, non solum panem, & vinum, sed etiam Christum Dominum, ut in sacramento reproductum, supponi, ac subjici actioni sacrificativæ, quâ tali, & diversâ licet ratione, ac prioritate, tùm panem, & vinum, tùm Christum Dominum existentem in Sacramento esse materiam ex quâ, seù terminum à quo respectu sacrificii missæ.

108 Assert. 2. Totus, at non solus Christus aliquo modo ingreditur essentiam sacrificii missæ ex parte rei oblatæ; in missâ scilicet offeruntur, immolantur, sacrificantur, licet non sub æquè propriâ, & æquè principali victimæ ratione præter corpus, & sanguinem ea etiam, quæ existunt sub speciebus concomitanter; Item præter Christum etiam panis, & vinum, tùm secundum substantiam, tùm secundum accidentia. Prima est pars, quatenus tribuit rationem victimæ toti Christo, etiam secundum ea, quæ existunt sub speciebus concomitanter, à paucioribus tractatur, attingitur tamen, & traditur ab Amico *præcit. sec.2. num.24.* Aversâ *quæst.11. sec.3.* & Herinex *disp.8. quæst.3. num. 29.* nec quemquam legi contrà sentientem. Secunda pars, quatenus rationem victimæ tribuit Christo non soli, sed etiam pani, & vino est Suarii *præcit. sec. 1. §. Dico quartò* Amici *præcit. sec.2. num.38.* Lugi *disp.19. sec.7. num.97.* Mastrii *disp.4. de Sacram. Ord. quæst. 4. num.73.* Herinex *præcit. quæst. 3. num. 30.* & aliorum magis communiter contrà Vasquium *disp.223. cap.4. num. 43.* Coninchum *quæst. 83. art.1. dub. 4.* Gavatium *de Sacrif. Missæ disp. 1. quæst. 6.* & nonnullos alios; à fortiori deindè, & ex fundamento prorsus diverso contrà Sacramentarios, & Lutheranos *num. 100.* præmemoratos negantes pani, & vino in missâ rationem victimæ, & rei oblatæ. eo quod in ea putent, nihil aliud præter orationes Deo offerri, & nec panis, & vini substantias destrui nec sub panis, & vini accidentibus Christum ex vi consecrationis poni admittant.

109 Christus in missa sacrificatur totus, non præcisè secundum corpus, & sanguinem.

Probatur prima pars, ex Tridentino, quod in verbis *præced. num. 101.* relatis erit, Christum instituisse se ipsum per Sacerdotes immolandum, & in missa incruente immolari illum eumdem Christum, qui in arâ Crucis cruentè se obtulit; ly autem *se ipsum* supponit pro toto Christo, qui & se totum in arâ Crucis cruentè obtulit. Nec refert, quod Concilium *ibid.* dicat Christum corpus, & sanguinem suum obtulisse Patri, ac novi testamenti Sacerdotes constituisse, ut idem offerrent, quod posteà quoque repetit *can.2.* Non refert inquam; quia non semper inclusio unius est exclusio alterius, & in proposito ex contextu, ex jis scilicet, quæ mox pro nobis præmemoravimus liquet, concilium noluisse alia, quibus Christus constat excludere: Expressit autem aliquando peculiariter solum corpus, & sanguinem, quia per hæc duo sigillatim melius, quam per totum Christum repræsentatur in missâ sacrificium cruentum, vel etiam quia dici potest corpus, & sanguinem in missâ habere rationem victimæ, seù rei oblatæ explicitè, & formaliter, reliqua implicitè, & concomitanter: Cæterùm cum totus Christus sub speciebus in altari realiter

 existat,

existat, & supponatur actioni sacrificativæ, totusque per hanc immutetur, & æquivalenter destruatur modo superius tradito *num. 63.* non est cur non totus dicatur offerri, immolari, sacrificari, quamvis cum nuper apposita diversitate corporis, & sanguinis à partibus aliis. Aliqua peculiaris difficultas esse potest de divino supposito, quod nequit actione sacrificativâ immutari; Nihilominus sicuti hoc non obstante ipsum divinum suppositum rectè dicitur per cõmunicationem idiomatum cruentè immolatum in Cruce, ità simililer per eamdem communicationem, & non aliter dicendum est, immolari incruentè in missâ, ut observant locis citatis Amicus *num. 26.* & Mastrius *num. 72.*

110

Simul cum Christo in missa sacrificatur panis, & vinum.

Probatur secunda pars; quia in primis ei favent Sanctorum Patrum locutiones, & auctoritates *num. 103.* insinuatæ, & multæ aliæ, quibus passim dicitur panem, & vinum in missâ offerri, & licet oblatio verbalis, quâ offeruntur antè consecrationem non sit sacrificativa, est tamen ad sacrificium præparatoria, & indicat panem, & vinum esse aliquam sacrificii proximè futuri materiam, dum igitur postea in consecratione substantialiter immutantur, ac destruuntur, omninò dicenda sunt, suo modo offerri oblatione reali, ac verè sacrificativâ. Nec refert, quod non destruantur ipsorum accidentia; ut enim hæc sacrificentur, sufficit quod intrinsecè pertinent, ut verè pertinent ad substantias in sacrificatione destructas, & res, quæ sacrificativæ actioni subjicitur, tota offertur, tota sacrificatur per hoc, quod secundum potiorem sui partem, & secundum suum principalius esse destruatur. Deindè species, seù accidentia panis, & vini, alio quoque titulo ingrediuntur sacrificii essentiam ex parte rei oblatæ; titulo scilicèt sensibilitatis, quam Christus sacramentaliter existens à speciebus, seù accidentibus prædictis habet, nec sine ipsis est sensibilis victima, ut tamen requiritur ad sacrificium, quod ex genere suo est sensibile signum:

111

Existimabis fortè, Christum habere sufficientem sensibilitatem à verbis; Sed impugnaberis, quia verba se tenent ex parte actionis sacrificativæ, & quasi formæ, non ex parte materiæ, victimæ, & rei oblatæ, cum tamen etiam ipsa materia, & res oblata debeat esse saltem secundum aliquid sui sensibilis, ut colligitur tùm à pari in sacramentis, quatenus præter sensibilitatem formæ verbalis, est saltem secundum aliquid sui sensibilis cujuslibet sacramenti res, & materia; tùm ex eo quod Canone *Hoc est* de Consecratione *dist. 2.* habetur *Hoc est, quod dicimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus constare visibili elementorum specie, & invisibili Christi carne, & sanguine*, ubi certè sensibilitas sacrificii in species, non in verba refunditur; ut præstat quoque Tridentinum quatenus *sess. 22. cap. 1.* tradit Christum, *ut suæ dilectæ sponsæ Ecclesiæ visibile relinqueret sacrificium* constituisse Sacerdotes, *qui offerrent corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini* Item *instituisse se ipsum sub signis visibilibus immolandum*.

112

Dices: Imò ex his Tridentini verbis apertè deducitur solum Christum, ejusve corpus, & sanguinem esse victimam, & id quod offertur, species verò id quo, seù sub quo tamquam obliquè, & indirectè se renentes ex parte rei oblatæ, non tamquam ipsius rei oblatæ partem, & partialem, ac minus principalem victimam: Hocque à fortiori deducitur, ex eo quod idem Concilium paulo post *cap. 2.* docet, in missâ, & in Cruce unam, eamdemque esse hostiam solâ offerendi ratione diversam; certè autem in sacrificio Crucis panis, & vinum non fuit hostiæ pars, seù hostia partialis, ergo neque talis est in sacrificio missæ, sed spectat solum ad rationem, & modum offerendi. Confirmatur, ex eo quod multum detraheretur valori sacrificii missæ, & dignitati Christi, si panis, & vini accidentia, quæ sunt ex genere suo entis entia; & diminutæ entitates simul cum Christo hostiâm, & rem oblatam componerent; imò cum accidentia humanitatis ejusdem Christi non fuerint in Cruce partialis victima, & universim victimæ, ac rei oblatæ nomen videatur pro substantiâ, non pro accidentibus supponere, insurgunt undique congruentiæ, & rationes, ob quas panis, & vini accidentia non sint in portionem victimæ, & constitutionem Sacrificii Missæ computanda. Sed contrà.

113

Verum panis, & vinum in missa sacrificetur ut quod & in recto, an ut quo, & in obliquo? potest esse problema.

Nec instantia suadet, nec Adversarii inficiantur panis, & vini accidentia se tenere ex parte rei oblatæ, & ad sensibilitatem sacrificii essentialem, adeoque ad sacrificii essentiam pertinere; Utrùm deindè sic se teneant, ut modus, ut quo, indirectè, & in obliquo; an ut pars, ut quod, directè, & in recto? licet secundariò, & minus principaliter, vix potest non esse quæstio de nomine; & dum Adversarii illud primum nobis concedunt, & nos ipsis vicissim concedimus, dicta accidentia non esse victimam, & rem oblatam eâdem ratione, quâ Christus, idest non æque primò, nec æquè principaliter; jam convenimus in quid rei, seù in quæstionis substantiâ, & facilè posset liberum, ac problematicum relinqui reliquum dissidium de modo loquendi: Nihilominus, ut sustineamus modum loquendi nostro asserto conformiorem.

114

Melius tamen sustinetur sacrificari etiã ut quod, & in recto, at minùs principaliter, quàm Christus.

Ad instantiam ex Concilio; dico ex ly *sub speciebus, sub signis visibilibus*, benè deduci, quod accidentia panis, & vini sint id quo, seù sub quo; at cum hoc benè stare, quod sint simul sub diversâ ratione id quod; sunt scilicet id quo, quatenus tribuunt sensibilitatem Christo, & Christus, ut sub speciebus offertur; sunt simul id quod, quatenus sensibilitas est constitutiva sacrificii, & id quod offertur, est hoc conflatum Christus sensibilis, cujus conflati species sunt pars; exemplum habes in sacramento Pænitentiæ, in hoc quippè confessio est id sub quo dolor ingreditur constitutionem sacramenti, & simul est id quod,

&

& pars constitutiva? Ad aliam ex Concilio auctoritatem; dico, ipsius intento, & verbis sufficere, quod hostia sit eadem secundum id, quod substantiale, primarium, & principalius est, adeòque quod panis, & vinum nullatenùs in sacrificio Crucis oblata non sint hostiæ, sed rei oblatæ pars principalis, & primaria in sacrificio missæ. Ad confirmationem, præter quod posset eodem modo ad imperfectionem sacramenti, & injuriam Christi imputari, quod eædem species sint simul cum Christi corpore, & sanguine pars eucharistiæ, ut sacramenti; dico, sequelam ad summum procedere, si species simul cum Christo hostiam, seù rem oblatam componerent primariò, & æquè principaliter. Accidentia humanitatis in Cruce non fuisse partialem victimam, & pro substantiâ, non pro accidentibus universim supponere victimæ nomen, verificatur solum loquendo primariò, & magis principaliter; ideò &c.

115 Missæ sacrificium est simpliciter unum, & unicum, nó duplex.

Assert. 3. Datur, seù offertur in missâ unicum simpliciter sacrificium, non duplex, tùm scilicet sacrificium Corporis, & sacrificium sanguinis, tùm sacrificium panis; & vini, & sacrificium Corporis, & sanguinis unum, atque idem sacrificium sunt. Ità Scholastici communissimè, quamvis Gaspar Casalius *lib. 1. de Sacrif. euchar. cap.* 20. Sacrificium panis, & vini, & sacrificium corporis, & sanguinis, tamquam duo sacrificia distinxerit, quod & ab aliquibus tribuitur Scoto *in 4. dist. 13. quæst. 2. §. Ad quæstionem* Gabrieli *ead. dist. quæst. 1. art. 3. dub. 2.* & Ruardo *art. 16.* contrà Lutherum; sed de Scoti, quò ad hoc, mente dixi suprà *num.* 3. de Gabriele, & Ruardo nihil mihi compertum est.

116 Probatur assertum: primò universim, ex eo quod Concilia, & Sancti Patres de sacrificio, quod in missâ peragitur, tamquam de unico, & singulari loquuntur, ut inter Concilia videri maxime potest Tridentinum *sess.* 22. in principio; inter Sanctos Patres Augustinus pluribus in locis, & singillatim *lib. 10. de Civit. cap.* 20. ubi ait *Hujus veri sacrificii multiplicia, variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum cum hoc unum per multa figuraretur, tamquàm verbis multis eadem res diceretur*; celebris etiam est auctoritas Leonis *serm. 7. de Passione* circà initium dicentis *Oportebat enim &c. & ut uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum* verùm hæc verba, ut benè monet Vasquez *disp. 223. cap. 6. num. 53.* Leo profert de sacrificio cruento Crucis, non de incruento Missæ: Aptiùs de incruento intelliguntur verba alia his affinia, quæ recitantur *in Orat. Secret. Domin. VII. post Pentec.* sic *Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti.* Nec obstat, quod in quadam aliâ oratione de animâ defuncti dicatur *His sacrificiis purgata* nam sicut suprà *lib. 1. cap. 8. num. 7.* notavimus eum unitate eucharistiæ in ratione sacramenti benè stare, quod aliquando nominetur pluraliter *sacramenta*; ità & cum unitate ejusdem in ratione sacrificii stare potest, quod nominetur pluraliter *sacrificia*, & debent tunc intelligi sacrificiorum nomine, aut res sacræ præcisè, aut sacrificia partialia, & secundùm quid.

117 In ea scilicèt non sunt duo sacrificia, alterum Corporis, alterum sanguinis Christi.

Probatur secundò in particulari, quod non sint simpliciter duo sacrificia; sacrificium corporis, & sacrificium sanguinis; probatur inquam facilè, quia per nos consecratio unius sine alio non est tota essentia sacrificii; nec secundùm præsentem institutionem verè sacrificat, qui unicam speciem consecrat, & ponit, aut solum corpus, & non sanguinem, aut solum sanguinem, & non corpus. Præterea etiam independenter ab hâc doctrinâ, & dato, quod in unius speciei consecratione salvaretur tota essentia sacrificii, adhùc in consecratione utriusque sacrificium non esset simpliciter duplex, sed unum, & idem, quodammodo magis extensum, aut magis integraliter perfectum; Evincitur autem hujusmodi unitas, tùm ex unitate rei oblatæ, quatenùs totus Christus unus, & idem sub qualibet specie, æquè ac sub utrâque offertur, licèt formaliter sub unâ solum corpus, sub aliâ solus sanguis significetur; tùm ex paritate sacramenti, quod est pariter sub utrâque specie unum, & idem, non simpliciter duplex, non obstante, quod sub singulis speciebus tota ejusessentia salvetur.

118 Neque item alterum panis, & vini, alterum corporis, & sanguinis.

Probatur tertiò in particulari, quod non sint simpliciter duo sacrificia, alterum panis, & vini; alterum Corporis, & Sanguinis; probatur, inquam, quia, ut essent duo simpliciter sacrificia, deberent esse duæ simpliciter tùm actiones sacrificativæ, tùm victimæ sacrificatæ, & tamen in proposito actio sacrificativa est unica; hæc quippè ex sæpius dictis respectu panis, & vini non est oblatio verbalis consecrationem antecedens, sed oblatio realis in ipsa consecratione consistens, eadem scilicet consecratio, quæ immutat, & ponit imò per nos moraliter destruit substantiam Christi sub speciebus panis, immutat, & destruit physicè sub iisdem panis substantiam, idemque præstat proportionaliter alia consecratio respectu vini: Victima item sacrificata, seù res oblata principalis, & primaria unica est, unus scilicèt, atque idem Christus; panis vero, & vinum, sivè quò ad substantias, sivè quò ad species, considerentur in ratione victimæ sacrificatæ, seù rei oblatæ, non faciunt numerum, quia valdè secundariò offeruntur, nec intenduntur in sacrificio missæ per se seorsim à Christo, sed propter Christum, ubi autem est unum propter aliud tantum est simpliciter unum; aut sanè magis unum, quàm unum, & aliud.

119 Confirmari solet à multis hujus unitatis veritas, ex eo quod terminus à quo, & terminus ad quem sint unus, & idem motus; in missâ autem panis, & vinum sint sacrificii terminus à quo, & materia transiens, Christus Dominus, seù ejus corpus, & sanguis terminus ad quem, & materia resultans: Verùm in primis videtur, hoc ad summum pro-

procedere de pane, & vino, quò ad propria substantias, nam solum quod ad istas transeunt, ac desinunt; Deindè non cohæret nostræ doctrinæ insinuatæ *præced. num.* 106. secundùm quàm in sacrificio missæ non solum panis, & vinum, sed & ipse met Christus est suo modo terminus à quo: Ideò omissâ istâ confirmatione unitas, de quâ agitur, posset potius aliundè, idest ex unitate institutionis confirmari, quatenus Christus in cænâ non ordinavit in protestationem divini dominii, & repræsentationem suæ mortis cruentæ aliâ institutione panem, & vinum, aliâ suum corpus, & sanguinem, sed unâ prorsus, & eâdem; hàcque non æquè primò, utrumque ad id ordinante; sed primariò solùm suum corpus, & sanguinem; ratione istius deindè, nimirum ad præbendam isti sensibilitatem, & ad verificanda verba, quibus exercenda erat actio istius sacrificativa, etiam panem, & vinum destruenda quidem, quo ad substantias ad aliquam divini dominii protestationem, servanda verò, quo ad accidentia ad reddendam sensibilem sacrificationem, seù destructionem corporis, & sanguinis, in quâ consistit primaria, potissima, ac ferè tota ratio sacrificii Missæ.

120 *Quid de unitate, vel multiplicitate numerica sacrificiorum in diversis numero missis.*

Quæ mox dicta sunt procedunt de unitate sacrificii specificâ, & essentiali, secundùm quam quidquid in unius missæ celebratione ingreditur sacrificii essentiam, unicum sacrificium constituit, non plura; Si deindè quæras hic obiter. Utrùm sacrificia sint saltem numero multa in diversis numero missis, adeò ut quot missæ celebrantur, tot offerantur sacrificia? Videtur ex communi fidelium sensu, & existimatione affirmandum, & verè ità est, si stetur judicio sensuum, & considerentur ea dumtaxat sacrificii constitutiva, quæ immediatè sub sensum cadunt consecrationes, scilicèt & panis, ac vini species; cæterùm aliter res se habet, si consideretur id quod verè principalius est, & stetur judicio intellectus; ideò breviter respondeo, omnia sacrificia, quæ in diversis missis offeruntur, esse unum, & idem etiam numero quò ad rem principalius oblatam, & victimam primariam, quæ est Christus Dominus unus, & idem numero semper, & ubique; esse pro numericâ missarum diversitate numero diversa quo ad rem oblatam minus principaliter, nimirùm quo ad panem, & vinum; item quo ad actiones sacrificativas, seù consecrationes. Est responsio facilis, & ex terminis clara suppositis supponendis partim ex antecedenter dictis toto hoc capite, partim ex iis quæ suprà

121 *lib.*1. *cap.*8. §. 2. proportionaliter dicebamus de unitate, & multiplicitate numericâ Eucharistiæ, ut Sacramenti. Moneo nihilominùs indistinctè, absolutèque loquendo dici potius debere tot numero sacrificia, quot missas, quàm unicum numero sacrificium in omnibus missis; ratio est, quia sacrificii nomen indistinctè, absolutèque prolatum supponit potius pro actione sacrificativâ, & oblatione, quàm pro victimâ, & re oblatâ, penes quam solam, & nequidem totam, sed primatiam dumtaxat habetur in multiplicitate missarum numerica sacrificii unitas. Deindè quod dicantur plura numero sacrificia est magis juxtà communem sensum, & vulgarem intelligentiam; quin etiam dicendo absolutè, & indistinctè omnes missas, esse unum, & idem numero sacrificium, rudiores facilè offenderentur, quin fortè etiam incautè arreptâ erroris occasione deducerent, inutile esse plures missas celebrare, pluribus missis interesse, nec quidquam ampliùs per plures præstari, quàm per unicam.

CAPUT III.

De Valore, & effectu, seù effectibus Sacrificii Missæ.

1 *Valor moralis quid?*

IN missæ sacrificio magnam ad invicem connexionem habent valor, & effectus; ille quippè ad istum comparatur, ut ratio causandi, seù ut virtus causativa, ideò valore, qui ordine naturæ, ac causalitatis prior est, priùs explicato, planior remanebit, & apertior via ad explicandos effectus. Porrò hujusmodi valor, ex genere suo nihil est aliud, quàm dignitas quædam, seù æstimabilitas moralis, apta movere Deum, vel ut concedat bona, vel ne inferat mala; primo modo dicitur valor meritorius, aut impetratorius, pro ut habet alias meriti, aut impetrationis conditiones, de quibus in tract. de Gratiâ *lib.*4 *cap.*9. §. 2. *num.* 10. Secundo modo dicitur satisfactorius, propitiatorius, expiatorius: Potest uterque valor esse, vel ex opere operantis, vel ex opere operato; potest item uterque in missâ ex multiplici capite considerari, & ex uno capite unus, ex alio alius; ex uno major, ex alio minor reperiri, ac primâ quidem fronte videtur esse maximus, & præcipuus ex parte rei oblatæ, & victimæ principalis, quæ est ipse met Christus Dominus dignitatis utique, ac æstimabilitatis, adeoque valoris moralis omni exceptione majoris; nihilominus, quia res oblata in sacrificio passivè, ac materialiter se habet, non est ex ipsâ solâ pensandus sacrificii valor, sed magis ex oblatione, in cujus etiam genere sacrificium est, & pro quâ principalius, quàm pro re oblatâ supponit, oblationis verò dignitas maximè pensatur ex conditione personarum, à quibus fit, seù ex conditione offerentium: Isti in missâ tres assignantur, nimirùm Christus Dominus, tamquàm offerens principalis, sacerdos celebrans, tamquàm offerens immediatus; Ecclesia, tamquam offerens minùs principalis, & mediatus, modo explicando *cap. seq.* §. 3.

In Missæ sacrificio undè potissimùm desumendus.

2 *Et quotuplex sit?*

Valor, quem in oblationem, & sacrificium missæ refundit dignitas, ac bonitas sacerdotis celebrantis, est ex opere operantis; valor, quem refundit dignitas Christi, est

est ex opere operato; valor, quem refundit dignitas ecclesiæ, videtur medio modo se habere, melius tamen dicitur esse ex opere operantis, quam ex opere operato, ut observat Lugus *hic disp.19. sec.9. num.*125. Inter tres istos valoris modos habet primas, ac ferè totas in re præsenti partes is, qui est simpliciter ex opere operato, & à Christo Domino in sacrificium refunditur. In istum valorem præcipuè insurrexerunt Sectarii, de isto unicè moverunt quæstionem Catholici, an infinitus sit? non quod sint, qui putent causare actu effectum aliquem infinitum, sed quatenùs in actu primo possit, quantùm est de se causare effectum majorem, & majorem, nec ad ullam determinatam ipsius quantitatem, aut certos gradus, quantum ad propriam virtutem limitetur: Quod est, valorem missæ habere infinitatem in actu primo, non in actu secundo; quo ad sufficientiam, non quò ad efficaciam: Dicitur insuper hujusmodi infinitas intensiva, quatenus potest majorem, & majorem effectum in unoquoque pro quo offeratur causare, extensiva verò, si non solum pro uno oblatum possit ei majorem, & majorem effectum conferre, sed etiam oblatum pro multis possit simul cuilibet tantum tribuere effectum, quantum tribueret oblatum pro eo solo, adeòque non solùm numquam tantum effectum habere, quin possit habere majorem, sed nec umquam tot personis prodesse, quin possit æquè prodesse pluribus: Dicitur tandem eadem infinitas satisfactoria, vel impetratoria, pro ut de sacrificii valore satisfactorio, vel impetratorio agitur. Sic expositis circà quantitatem valoris sacrificil missæ variis terminis, profero circà eamdem varias sententias.

De ejus finitate, vel infinitate controversiæ status.

3 Sententia absolutè infinitatem affirmans.

Prima absolutè docet, valorem missæ esse in actu primò, & quò ad sufficientiam infinitum. Ità D. Thomas *hic quæst.79. art.5. in c.* & *art. 7. ad* 2. Cajetanus *eod. art.5.* & *tom. 2. Opuscul. tract.3. quæst.2.* Nugnus *quæst.83. art. 1. dub.7.* & 8. Sotus *in 4. dist.11. quæst.2. art.5.* & *dist.14. quæst.2. art.2.* Joannes à S. Thomâ *hic disp.32. art.3.* Gonetus *disp. 11. art. 5.* Vasquez *disp.230. cap.3.* Canus *lib.12. de loc. theolog. cap. 13.* Sylvester *verb. missa 1. quæst.9.* Angelus *verb. missa quæst.52.* & alii, tùm Thomistæ communiter, tùm Recentiores, & Summistæ non pauci, tùm ex nostris Gavantus Comment. in Rubr. Missal. *part.2. lib. 8. num.*8. Marchinus de Sacram. Ord. *tract. 3. par. 2. cap. 12.* & Madernus *hic quæst 8. art.7.*

4 Sententia eamdem absolutè negans.

Secunda absolutè docet, valorem missæ esse in actu primo, & quo ad sufficientiam finitum. Ità Scotus *quodlib.* 20. D. Bonaventura *in* [illegible] *art 3. quæst.3.* Major *ead. dist. quæst.* [illegible] idus *quæst. 3. ad 3.* Gabriel *lec.27. in Canon Missæ* Mastrius *hic disp.4. quæ. 6. art 1.* Herinex *disp.8. quæst.8.* Valentia *disp.6. quæst.11 punc.1. §.25.* Scortia *lib.1. cap.9.* Amicus *disp.33. sec.7.* Lugus *disp.19. sec.12.* Bellarminus *lib.2. de Missâ cap. 4.* & tùm Scotistæ communiter, tùm magna pars Recentiorum.

Tertia sententia medio aliquo modo procedit, & tribuit missæ infinitum valorem impetratorium, finitum satisfactorium; vel infinitum valorem intensivum, finitum extensivum: Priorem dicendi modum amplectuntur Caspensis *tract.23. disp.2. sec.4.* Aversa *quæst.11. sec.7.* & Arriaga *disp.52. sec.7. subsec* 2. Posteriorem Suarez *disp.79. sec.11.* & 12. quin & in alterutrum ex his dicendi modis propendent multi quoque ex Auctoribus, qui solent absolutè referri pro secundâ sententiâ, ut notum fiet ipsos attentiùs perlegenti, aliqui insuper, & si videantur simpliciter loqui de valore, in re negant missæ sacrificio infinitatem effectus in actu secundo potius, quàm ipsius valoris in actu primo; undè tandem non habet secunda sententia tot Sectatores, quot à nonnullis habere censetur. His præmissis sit.

Sententia media.

§. I.

Quantus sit intensivè; finitus ne, an infinitus Valor Sacrificii Missæ?

5

ASSERT. I. Præcipuus, & primarius valor sacrificii missæ, quem celebrans applicat ex opere operato iis, pro quibus intendit sacrificium offerre, est quò ad sufficientiam, & in actu primo intensivè infinitus, tùm ad impetrandum, tùm ad satisfaciendum. Ità Auctores *præced. num.*3. relati prò primâ sententiâ; item Suarez, & aliqui alii contrà *seq. num.* 4. relatos pro secundâ, pro quâ tamen forte nonnulli parùm legitimè afferuntur, nec jure censentur nostro præsenti asserto adversari, ut *ibid.* in fine notavimus.

Fructus, & valor sacrificii alius generalis: alius specialis, alius specialissimus.

Dixi *præcipuus, & primarius valor* quia ex doctrinâ Scoti *quodlib.* 20. §. *De secundo. Versio Potest ergo.* Et aliorum communiter rectè assignatur triplex fructus, ac proportionaliter triplex valor sacrificii; unus generalis obveniens toti ecclesiæ, & in primis Summo Pontifici, Imperatori, Episcopo, deindè cæteris fidelibus; alter personalis, & specialissimus celebrantis proprius, eique soli obveniens; alter medius, & neque omninò generalis, neque specialissimus, sed peculiaris, seu specialis, & neque omnibus fidelibus, neque soli celebranti obveniens, sed iis, pro quibus celebrans intendit offerre, & applicare sacrificium, sivè accepto stipendio applicet ex justitiâ, sivè sine stipendio ex charitate. Hunc fructum medium appello præcipuum, & primarium, quia maximè est ex instiututione, & meritis Christi; cum fructus generalis sit etiam ex dignitate, & meritis ecclesiæ; fructus specialissimus etiam ex dignitate, & meritis celebrantis; undè ille prior totus est ex opere operato, isti duo alii non sic: est insuper fructus, & valor specialis, præcipuè, ac primariò in potestate celebrantis; obvenit enim ei, cui à celebrante applicatur; obvenit nulli, si a celebrante nulli applicetur; fructus verò generalis ecclesiæ, personalis,

sonalis, seù specialissimus ipsi celebranti independenter ab omni sua applicatione obvenit. Potest præterea fructus, ac valor sacrificii dividi in obvenientem iis, qui offerunt, & obvenientem iis, pro quibus offertur sacrificium, & prior quidem potest quoque dici generalis, quia simul cum celebrante tota ecclesia, omnesque fideles sunt aliquo modo offerentes; posterior verò peculiaris, ac specialis, quia ii, pro quibus sacrificium offertur, solent esse singulares, aut certè pauciores, ac magis determinatæ personæ; Undè ista divisio in re coincidit cum præcedente, fructus scilicet obveniens offerentibus complectitur fructum tùm generalem, tùm specialissimum, & est fructus minus præcipuus, ac magis ex opere operantis; fructus obveniens iis, pro quibus fit oblatio est idem, ac in præcedente divisione fructus medius, & modo jam explicato præcipuus, ac primarius; de valore ei correspondente assertum procedit, & terminis ità explicatis.

6 Generalis, & specialissimus obvenit offerentibus, specialis iis pro quibus offertur, & iste solus est præcipuus, ac primarius.

Probatur. Valor operum, & meritorum Christi est quò ad sufficientiam, & in actu primo, intensivè infinitus, atqui valor sacrificii missæ præcipuus, & primarius, quem celebrans applicat &c. est valor operum, & meritorum Christi, quem ipse met Christus medio missæ sacrificio applicandum reliquit, eidemque sacrificio quodammodo alligavit; nec ulla est necessitas dicendi, quod applicandum reliquerit, & alligaverit tantum finito modo, idest in ordine ad finitum, & determinatum effectum, imò plurima est ratio astruendi alligationem, ut ità dicam, illimitatam in ordine ad effectum quemcumque majorem, & majorem in infinitum; ergo præcipuus, & primarius valor sacrificii missæ, quem celebrans &c. Major supponitur ex tract. de Incarnat. *lib. 3. cap. 1. §. 2.* Minor probatur præsertim, quò ad ly *Nec ulla est necessitas dicendi imò plurima est ratio* &c. probatur inquam primò, [illegible] valor meritorum Christi, ut contentus in sacrificio Crucis habet applicabilitatem illimitatam, in ordine ad quemcumque majorem, & majorem effectum; atqui sacrificium missæ est substantialiter idem cum sacrificio crucis, & solùm est diversus modus offerendi, incruentus in missâ, cruentus in cruce; ergo valor meritorum Christi habet eamdem substantialiter applicabilitatem illimitatam in sacrificio missæ, quam in sacrificio crucis cum solâ diversitate, quò ad modum, quatenus talis valor in sacrificio crucis continebatur ex naturâ rei, & erat valor operis operantis, in sacrificio missæ continetur ex institutione, & est valor operis operati. Minor eadem probatur secundò, quia novis sacramentis, & signanter sacramento eucharistiæ alligavit Christus Dominus valorem suorum operum cum illimitatione, in ordine ad effectum quemcumque majorem, & majorem, ergo idem præstitit in novo eucharistiæ sacrificio, cum præcipuè convenientissimum fuerit, non minus novum sacrificium, quam novum quodlibet sacramentum juxtà majorem, & majorem subjecti dispositionem: majorem, & majorem effectum causare, ut non minùs is, pro quo sacrificium offertur, quam is, cui sacramentum confertur curet majorem, & majorem dispositionem, devotionemque afferre; ergo

7 Iste pariter est quò ad sufficientiam, & in actu primo intensivè infinitus.

8

Hinc remanet singillatim probatum, quod asserta valoris infinitas sit tùm ad impetrandum, tùm ad satisfaciendum, cum enim Christi opera, & merita habuerint infinitam ad satisfaciendum, æquè ac ad impetrandum sufficientiam, si asserta infinitas valoris in sacrificio missæ provenit ex infinitate valoris operum, & meritorum Christi, & est quò ad substantiam eadem, licèt quò ad modum diversa utriusque valoris sufficientia, consequens est, assertam valoris in sacrificio missæ infinitatem esse, tùm ad impetrandum, tùm ad satisfaciendum; & quantum est de se sufficere ad obtinendam, tùm collationem cujuscumque majoris, & majoris beneficii, tùm remissionem cujuscumque majoris, & majoris pœnæ. Confirmatur, quò ad vim satisfactivam, de quâ videtur esse aliqua major difficultas, & D. Thomâ *hic quæst. 79. art. 5. in c.* ubi loquens de eucharistia, in quantum est sacrificium, ait. *Quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœnâ, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, aut etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro totâ pœnâ*; idemque repetit *in resp. ad 3.* dicens *Quod tollitur pars pœnæ, & non tota pœna per hoc sacramentum* (subintellige, in quantum habet rationem sacrificii) *non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanæ*; Ubi, ut vides S. Doctor tribuit sacrificio virtutem, seù sufficientiam illimitatam ad satisfaciendum pro quâcumque pœnâ, & quod pro determinatâ tantùm parte in actu secundo satisfaciat, non refundit in taxationem factam à Christo, sed in quantitatem devotionis humanæ; Undè quod *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3. ad 2.* dixerat *Quamquis virtus Christi, quæ continetur sub sacramento Eucharistiæ sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem ordinatur*, debet, vel supponi mox *cit. art. 5.* retractatum, vel intelligi de effectu determinato, relatè, & commensuratè ad nostram determinatam devotionem, non absolutè à Christo.

9 Est, inquam, intensivè infinitus, tùm ad impetrandum tùm ad satisfaciendum.

Dices, valorem operum, & meritorum Christi, licèt in se infinitum non esse talem, ut annexum, & alligatum sacrificio missæ: primò; quia pro hoc non subsistit deductio à nobis facta, tùm ex sacrificio crucis, tùm ex novis sacramentis. [illegible] deductio, quia respectu [illegible] Christus fuit, non solùm res oblata, sed etiam principalis, immediatusque offerens, & obtulit existens in statu merendi, ac satisfaciendi; respectu sacrificii missæ Christus non est principalis, immediatusque offerens, aut, si talis sit, certè nunc non offert existens in statu merendi, & satisfaciendi: Non subsistit secunda deductio; quia sacramenta,

10

quo

quo ad effectum in suscipientibus causandum non pendent à Ministro, ideò benè stat, quod in tali effectu non limitentur ex limitatione, & finitâ intentione Ministri, at Sacrificium, quo ad causandum effectum in iis, pro quibus offertur, pendet à Ministro offerente, & intendente pro his potius, quam pro illis sacrificium applicare, ergo bene stat, quod sacrificium ex intentione, & applicatione ministri limitetur, nec magis, & magis crescat sacrificii effectus juxtà majorem, & majorem eorum, pro quibus offertur, dispositionem. Secundò probatur positivè, & directè; eadem annexio, seù alligatio limitata, ex eo quia Christus instituit sacrificium missæ, ut iterandum, & sæpius offerendum; si autem haberet sibi annexa infinito modo Christi merita; non debuisset sic institui, quia unâ oblatione præstare potuisset illud totum, quod oblationibus iteratis; debuisset igitur institui offerendum semel tantum, & initerabiliter, sicuti propter suum infinitum valorem semel tantum, & initerabiliter oblatum est sacrificium Crucis. Sed contrà; Nego absolutè, valorem operum Christi esse infinitum solum in se, non ut annexum, & alligatum sacrificio missæ.

11

Ad primam probationem in oppositum, sustineo utramque à nobis factam deductionem, quantum necesse est pro re præsenti, quamvis alioqui utraque in paritate fundetur, & omnis paritas in multis claudicet: Ad impugnationem primæ deductionis adverto, sacrificium Crucis fuisse infiniti valoris, etiam ex opere operantis, & ex naturâ rei, & hunc valorem non convenire sacrificio missæ, rectè infertur, ex eo quod nunc Christus non sit in statu merendi, & satisfaciendi, nec offerens principalis, & immediatus eo omni modo, quo fuit respectu sacrificii Crucis; at adhuc benè stat, quod sacrificium missæ sit valoris infiniti ex opere operato, & institutione extrinsecâ, applicativâ valoris operum præteritorum, quæ Christus elicuit, dum erat in viâ, & in statu merendi, ac satisfaciendi. Ad impugnationem nostræ secundæ deductionis, fateor, valorem, aut potius effectum, seù fructum specialem, & medium, de quo assertum procedit, pendere ab intentione, & applicatione offerentis, at dico, ab hac pendere solum, quo ad substantiam, ut ità dicam, non quo ad quantitatem; quo ad simpliciter, non quo ad magis, & minus; pendet scilicet ex intentione, seù applicatione offerentis, quod specialis fructus sacrificii obveniat Petro v. gr. potius, quam Paulo; at supposito, quod ab offerente facta sit applicatio Petro, non amplius deinde pendet ex intentione offerentis, sed ex dispositione Petri, quod fructus ille major, vel minor in actu secundo obveniat; undè quo ad quantitatem, & magnitudinem subsistit paritas inter effectum sacramenti relatum ad dispositionem suscipientis, & effectum sacrificii relatum ad dispositionem ejus, pro quo offertur, subsistit igitur consequenter nostra deductio, quæ in hujusmodi paritate fundabatur. Hic valdè facit ad rem, quod observat Joannes à S. Thomâ *disp. 22. art. 2.* aliter per Indulgentias, aliter per missarum sacrificia remitti pœnas temporales peccatis, quo ad culpam remissis, debitas; In indulgentiis scilicet quantitas pœnæ remittendæ non determinatur ab eo, cui applicatur indulgentia, seù à lucrante, sed ab applicante, & concedente; sic Pontifices aliquando indulgentiam plenariam, & totius pœnæ remissionem concedunt, aliquando non plenariam, & solum tot dies, aut tot menses pœnæ debitæ indulgent: In Missarum sacrificiis quantitas pœnæ remittendæ determinatur ab eo, cui sacrificium applicatur, & à lucrante, non ab applicante sacrificii fructum; nec celebrans potest applicare alicui sacrificium ad remittendum totaliter pœnam, aut tot dies pœnæ, alioqui quælibet applicatio missæ posset æquivalere indulgentiæ, etiam plenariæ.

Quomodò valor sacrificii Crucis fuerit diversus ab illo sacrificii Crucis.

12

13

Quomodò differat remissio pœnæ, quæ fit per missarū sacrificia ad ea, quæ fit per indulgentias

14

Ad secundam probationem, dico, missæ sacrificium, etsi valoris modo prædicto infiniti, non posse præstare unicâ oblatione illud totum, quod oblationibus iteratis, quia habet in qualibet oblatione finitum, & diversum effectum, juxtà finitam, & diversam dispositionem eorum, pro quibus offertur; congruenter igitur, & utiliter iteratur, ut tales effectus multiplicentur. Diversa est ratio de sacrificio Crucis, quod habuit effectum quemdam universalem, non multiplicabilem: Deindè ità fuit infiniti valoris, ut simul fuerit consummatio, & quasi ultimum complementum meritorum Christi, non debuit igitur iterari, sicut meritis consummatis, ultimò completis non debet aliquid ulterius addi. Tandem sacrificium Crucis fuit sacrificium cruentum, cujus iteratio supponeret Christum iteratò constitutum in vitâ mortali, hominesque in ipsum iteratò sævientes, quæ, & similia omni congruitate carentia, sacrificii incruenti iterationem nullatenùs consequuntur; ideò &c.

Cur iteratio conveniat sacrificio missæ, non sacrificio Crucis.

15

Assert. 2. Valor quicumque sacrificii missæ, quo ad efficaciam, & in actu secundo est intensivè finitus, talis scilicet est quicumque actus secundus, & effectus ex missæ sacrificio obveniens iis, pro quibus offertur, aut aliis quibuslibet. Ità inprimis, & à fortiori Auctores suprà relati pro finitate actus primi, deindè quoque cæteri communissimè nemine, quod sciam, excepto.

Omnis valor sacrificii Missæ est quo ad efficaciam, & in actu secundo finitus.

Probatur; quia ex unâ parte non appareret, quinam infinitus effectus possit missæ sacrificio tribui; nam quatenus est satisfactorium non respicit saltem immediatè, & directè remissionem lethalis culpæ, adeoque nec æternæ pœnæ, quæ non remittitur, nisi culpæ remissione; non respicit igitur nisi remissionem pœnæ temporalis, quæ ex hoc ipso, quod est temporalis, est finita: Quatenus est impetratorium, respicit finita

bona, & finita gratiæ actualis auxilia jis, pro quibus offertur, aut offerentibus conferenda: Ex aliâ parte Sacrificium Crucis, & Sacramenta effectus in actu secundo finitos habent, dispositiones item eorum, quibus missæ fructus, & effectus obveniunt, licet possint esse majores, & majores, sunt semper in actu secundo finitæ, adeoque omnia principia, ex quibus suprà deduximus in valore sacrificii intensivam infinitatem, quo ad sufficientiam, & actum primum, inferunt modo ejusdem finitatem, quo ad efficaciam, & actum secundum, ergo à primo ad ultimum valor quicumque sacrificii missæ est, quo ad efficaciam &c.

Dices primò: Frustrà est potentia, quæ numquam reducitur ad actum, ergo frustrà est potentia, seù sufficientia infinita, quæ numquam reducitur ad actum infinitum; ergo missæ valor, vel habet aliquem actum secundum infinitum, vel neque habet infinitum actum primum. Confirmatur, ex eo quod actus secundus debet habere proportionem ad primum, non est autem proportio finiti ad infinitum. Sed contrà: Tota hæc instantia infinitè nimis, ut ità dicam probat, & retorqueri potest, non solum in valore sacrificii Crucis, sacramentorum, & omnium meritorum Christi; sed maximè in superinfinitâ omnipotentiâ Dei, quæ non habet de facto ullum effectum, seù actum secundum infinitum. imò nec habere potest, in sententiâ sustinente repugnantiam infiniti cathegorematici in creatis; Si igitur infinitas omnipotentiæ Dei censetur sufficienter relucere in eo, quod possit perfectiorem, & perfectiorem creaturam in infinitum, etsi numquam aliquam actu infinitam producere, cur non similiter infinitas valoris &c. Ratio à priori est, quia infinitas syncathegorematica actus secundi, quamvis numquam sit tota simul in se, continetur tota simul in suo actu primo, ideò infert in isto cathegorematicam infinitatem, & benè stat; valorem sacrificii missæ esse infinitum solum syncategorematicè, & finitum simpliciter, quo ad efficaciam, & actum secundum, esse verò infinitum simpliciter, & cathegorematicè, quo ad sufficientiam, & actum primum: Neque obstat repugnantia infiniti cathegorematici creati, quia hæc si datur, datur ad summum in physicis, non in moralibus, & præterea valor sacrificii missæ non est virtus purè creata, cum fundetur in dignitate, & sanctitate personæ increatæ Verbi. Ad confirmationem; dico, proportionem actus secundi cum primo consistere in eo, quod secundus contineatur in primo, at hæc continentia potest esse eminens, & excedens etiam infinitè, alioqui creatura, quæ infinitè exceditur à potentiâ Dei, non haberet cum ista proportionem, tamquam actus secundus cum primo, nec esset proportionatus effectus Dei.

16

Quomodo benè coherent infinitas actus primi cum finitate actus secundi.

17

Dices secundò: Missæ sacrificium potest utiliter, & cum fructu offerri etiam pro jis, in quibus nulla sit ad ipsius fructum, & effectum dispositio, puta pro parvulis, & animabus purgatorii; item pro amentibus, dormientibus, absentibus, qui numquam de tali missâ, quæ pro ipsis offertur cogitaverint: Tunc sic, in istis fructus effectus, & sacrificii, vel erit finitus, vel infinitus; si infinitus ergo sacrificii valor aliquando est infinitus, etiam quo ad efficaciam, & in actu secundo; si finitus, ergo est finitus sacrificii valor, etiam quo ad sufficientiam, & in actu primo; nam in non habentibus ullam finitam, & limitatam dispositionem, quâ infinita sufficientia ad tantum, & non majorem effectum determinetur, necesse est, quod talis sufficientia sit ad tantum, & non majorem effectum determinata ex se, adeoque quod sit ex se finita, & limitata; ergo duo præfixa asserta malè inter se cohærent, & necesse est, alterutrum non subsistere. Sed contrà: An & quomodo missæ sacrificium utiliter offeratur pro nullam habentibus dispositionem, tractabitur *cap. seq.* §. 4. *num.* 67. interim dato supposito, totam instantiam retorqueo in baptismi sacramento, quod licet sit infinitè sufficiens ad causandam pro majori, & majori dispositione subjecti majorem, & majorem in infinitum gratiam, non propterea in subjecto nullam habente dispositionem, puta in parvulo, vel perpetuo amente causat gratiam infinitam, sed finitam, eamque minimam, idque non ex finitate, & limitatione propriæ virtutis, sed ex determinatione Dei, qui sicuti est in ordine gratiæ, æquè ac in ordine naturæ causa prima, ità in supernaturalibus, æquè ac in naturalibus supplet causarum secundarum defectus, & ipsarum effectus per se determinat, ubi deest determinativum creatum. Hæc quæ de sacramentis respectu gratiæ suppono ex tract. de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 7. dico proportionaliter de missæ sacrificio respectu proprii effectus, dico scilicet ipsum oblatum pro nullam habente dispositionem causare effectum finitum, eumque minimum, at non ex limitatione propriæ virtutis, sed ex determinatione Dei supplentis defectum determinativi creati, quod ex parte subjecti desideratur. Cæterum, ut instantiæ illatio haberet aliquam apparentiam, debuisset ex nullâ dispositione deduci effectus nullus potius, quam finitus, aut infinitus, nam cæteris paribus, si effectus sequitur ex majore dispositione major, ex minore minor, sequetur ex nullâ nullus; & alienissimum ab omni vi illationis est, quod sequatur ex nullâ maximus, & infinitus; sicuti est ab omni communi sensu alienissimum, quod dispositionis nullitas, & carentia maximo, & infinito dispositionis incremento æquivaleat. Alias præsentis instantiæ solutiones insinuat Marchinus *pract. par.* 2. *cap.* 14. *nu.* 2. Nobis mox posita sufficientissima est, & optima.

18

19

Sacrificiũ oblatũ pro nullam habentibus dispositionem causat effectũ minimum à Deo tantum.

Si quæras hic; Quantus sit determinatè fructus minimo ex sacrificio obveniens nullam habenti dispositionem? Respondebo; censendum esse, in omnibus

nibus

20 Et in omni bus nullā dispositio nem haben tibus æqua liter.

nibus nullam dispositionem habentibus, æqualem, & omni eo, qui aliquam dispositionem habenti obvenit, minorem: at soli Deo Ipsius quantitatem taxanti innotescere, quot gradibus constet, & quantus præcisè sit, nec posse hoc à nobis determinatè assignari, nisi inaniter, & temerè divinando, ut in simili dicebamus de quantitate effectus sacramentorum §. 7. nuper citato, ex quo possunt multa repeti huic loco opportuna. Multa etiam, quæ contra infinitam sufficientiam valoris intensivi potuissent superiùs afferri, & solvi habebis soluta infrà *n.38.& seqq.*

§. II.

Quantus sit idem valor extensivè, & quantum prosit singulis unum sacrificium oblatum pro multis?

21 In sacrificio missæ valor infinitus intensivè, est etiam infinitus extensivè.

Assero. Valor sacrificii missæ suprà assertus infinitus intensivè est pariter, quo ad sufficientiam, & in actu primo infinitus extensivè, & unum, atque idem missæ sacrificium pro multis oblatum, tantùm prodest singulis, quantùm prodesset pro singulis seorsim oblatum, nec quo pro pluribus offertur eo minorem causat effectum, & fructum in quolibet. Huic asserto subscribunt multi, & magnæ notæ Auctores, quos retulimus *præced num* 3. quorum aliqui, etsi in missæ valore admittant infinitam sufficientiam intensivam, aut etiam extensivam ad impetrandum, non sic istam admittunt ad satisfaciendum, sed omninò volunt, fructum satisfactorium obvenientem ijs, pro quibus fit oblatio, esse finitum, & à Deo taxatum ad certam quantitatem, quæ tota uni obveniat cum fit pro uno oblatio, cum verò pro multis eadem quantitas in tot partes dividatur, quot sunt hi multi, quas certè partes necesse est esse minores, quo hi, & ipse sunt plures, constat quippe in divisione quantitatis finitæ partes eo magis minui, quo magis plurificantur, unde etiam, quia ista divisio nequit simul fieri in partes infinitas, concedunt hi Auctores, & inter alios Herinex *præsit.q.8. n.89.* nulli ad satisfactionem valere sacrificium, quod supponeretur pro hominibus infinitis offerri.

22 Et secunda infinitas ex iisdem capitibus, ex quibus prima inferiur.

Probatur assertum primò repetendo deductionem supra *num.* 7. factam ex valore operum, & meritorum Christi, qui quidem ex una parte fuit extensivè, æquè ac intensivè infinitus, & datis Adæ Posteris etiam multò pluribus, quam nunc sint, etiam infinitis, potuisset singulis tantùm, sive ad impetrationem, sive ad satisfactionem prodesse, quantum nunc potuit; ex alia parte idem valor, ut sacrificio missæ ex Christi institutione annexus, sicuti non habet ab eodem Christo, vel à Deo limitatum modum, & terminum intensionis, sed potest eidem subjecto magis, & magis prodesse pro majori, & majori ipsius dispositione; ita non est cus habeat limitatum modum, & terminum extensionis? poterit igitur pluribus, & pluribus prodesse pro majo ri subjectorum pluralitate; ergo valor sacrificii missæ infinitus intensivè est pariter &c. & quamvis non pauci conentur à posteriori ex absurdis, & inconuenientibus colligere majorem rationem limitationis in valore extensivo, quàm in intensivo, nihilominus hujusmodi conatibus occurremus paulò infrà, satisfaciendo adversariorum instantijs. Confirmatur interim assertum, repetendo, deductionem aliam *præced. num.* 8. desumptam à paritate sacramentorum, quibus Christus sicut alligavit valorem suorum operum cum infinitate intensiva in ordine ad conferendum eidem subjecto gratiam majorem, & majorem: ita quoque cum infinitate extensiva in ordine ad conferendam eamdem gratiam pluribus, & pluribus subjectis, ergo idem proportionaliter sentiendum de suorum opere valore, quem Christus allegavit missæ sacrificio; antecedens probatur, quia sacramentum baptismi, & pænitentiæ, v.gr. ea ratione, qua potest unum multis ministrari, causat in quolibet tantam gratiam, quantam si ei soli ministraretur; sic si multi, ut in aliquibus casibus potest licitè necdum validè fieri, eadem sacramentali forma, aut baptizentur, aut absolvantur, tantam quilibet gratiam consequitur, quantam si tali forma baptizaretur, aut absolveretur ipse solus; ergo. Dixi ea ratione, qua potest unum multis ministrari, quia sacramentum, quod multis ministratur numquam est simpliciter, & in toto rigore unum, ut observarunt Vasquez *præcitas. cap.* 3. *num.*16. & Arriaga *præcitat. sect.* 7. *subsect.* 3. *num.* 37. idque patet in ipso nuper adducto exemplo baptismi, & pænitentiæ; in utroque enim sacramento, licet forma sit unica, materia est multiplex, tot scilicet sunt ablutiones, quot sunt homines, qui baptizantur, tot ponuntur dolores, & confessiones, quot sunt homines, qui absoluuntur; immo forma ipsa est moraliter, & æquivalenter multiplex, in data quippe hypothesi forma esset his verbis exprimenda, *Ego vos baptizo. Ego vos absolvo*, hoc autem idem esset, ac dicere, *Ego baptizo te Petrum, Ego baptizo te Paulum*; item *ego absolvo te Petrum, ego absolvo te Paulum* &c.

24 Probatur assertum secundò, supponendo divisionem valoris, & fructus, de qua suprà *num.* 5. & 6. eaque supposita arguendo sic. Est extensivè infinitus sacrificii valor generalis correspondens fructui obvenienti iis, qui missæ intersunt, vel utcumque missam offerunt, nec isti cæteris paribus majorem ex hujusmodi valore fructum hauriunt præcisè, ex eo quod pauciores existant, alioqui expediret audire missas privatas potiùs,

Infertur insuper ex tensiva infinitas valoris speciałis ex infinitate extensiva valoris generalis.

quàm solemnes, atque universim eas ad, quas minor est populi concursus: ac præterea inprimitiva ecclesiâ, quæ paucis constabat multò major singulis fidelibus fructus ex qualibet missa obvenisset, quàm nunc obveniat; ergo similiter est extensivè infinitus sacrificii valor specialis correspondens fructui obvenienti iis, pro quibus missa à celebrante singillatim offertur. Antecedens admittitur ab Adversariis ipsis communiter, consequentia probatur, quia ex unâ parte sacrificii fructus generalis quasi secundarius est, & minus præcipuus, primarius verò, & principalior est fructus specialis; si igitur aliquis sacrificii fructus esset finitus, generalis potius, quàm specialis talis esse deberet: ex aliâ parte ad extollendam sacrificii à Christo instituti excellentiam, ac beneficientiam Christi instituentis, item ad excitandam, augendamque fidelium erga idem sacrificium devotionem, non minùs conducit extensiva infinitas specialis, quàm generalis valoris, nec quidquam afferri potest, quod contineat sufficientem pro unius potius, quam alterius finitate, vel infinitate disparitatem, ut statim ostendo reiiciendo duas celebriores responsiones, & disparitatis rationes ab Adversariis excogitatas:

25 Huic illationi occurrunt Adversarii duplici potissimùm ratione.

Prima est, quod valor generalis consequitur oblationem generalem, quæ non à solo celebrante, sed à totâ ecclesiâ fit, & continet tot oblationes partiales magis, vel minus propriè tales, quot sunt in ecclesiâ personæ magis, vel minùs propriè offerentes, multiplicatis autem oblationibus, non est mirum, quod multiplicetur fructus, & sicuti in quolibet oblatio est eadem, sivè fiat ab ipso solo, sivè in consortio aliorum, ità nil mirum, quod sit pariter in quolibet idem fructus, sivè offerens ut sit unus solus, sivè sint pauci, sive sint multi, magis explicat *Suarez disp. 79. sec. 12. §. Dico ergo primo*: At valor specialis consequitur oblationem specialem factam à solo celebrante, cujus actio est limitata, nec crescit, ex eo quod multiplicentur ii, pro quibus offert, necesse est igitur, quod habeat valorem, ac fructum limitatum, qui non juxtà multiplicitatem eorum, pro quibus celebrans offert, multiplicetur, sed cum majori, & majori sui diminutione dividatur. Secunda responsio, & disparitatis ratio est, quod valor generalis, & fructus, qui ex eo offerentibus obvenit, prodest tantùm ad impetrandum, valor specialis etiam ad satisfaciendum, facilius autem concedi potest missæ sacrificio extensiva infinitas valoris impetratorii, quàm satisfactorii; nec subsistit ab illo ad istum paritas, & illatio, est enim unius generis omninò diversi ab alio: Sed contrà:

26 Reiicitur prima adversariorū ratio, seù responsio:

Reiicitur prima responsio, seù primæ disparitatis ratio, quia in missæ sacrificio distingui debet duplex generalis oblatio, altera, quæ ab omnibus fidelibus magis, vel minus propriè, magis, vel minus remotè fit: altera, quæ fit pro omnibus fidelibus, sed à solo celebrante; quatenus quilibet celebrans collectivè sacrificium offert pro totâ ecclesiâ, deinde distributivè pro circumstantibus, pro Papâ, Episcopo, Rege, & aliis; quorum in memento meminit: Huic duplici generalis olationis modo duplex fructus, & valor generalis correspondet: at solum is, qui correspondet modo posteriori, est ex opere operato, alius est ex opere operantis; nam illa sola oblatio sacrificii valet ex opere operato, quæ est actio sacrificativa facta à Christi Ministro, & in Christi personâ; hujusmodi autem est sola oblatio, quæ fit à celebrante, ut tali, non quæ fit ab aliis simul cum celebrante offerentibus at non celebrantibus: Porrò nostra præcedens probatio, & illatio procedit de fructu, & valore generali, qui est ex opere operato, adeòque qui dicto posteriori oblationis modo correspondet, & obvenit omnibus fidelibus offerentibus, non ut sunt offerentes præcisè, sed ut pro ipsis sacerdos generaliter offert; oblatio autem tali posteriori modo generalis non est partialiter multiplex, sed unica omninò, & suo modo indivisibilis, cum sit ab unico offerente non minus, quàm oblatio specialis, cui specialis fructus correspondet; Responsio igitur, & disparitas Adversariorum non est ad rem, & militat de quadam fructu generali ex opere operantis, non de illo, de quo nunc agitur, & ex quo nostra illatio desumebatur.

27 Re[illegible]us secunda.

Reiicitur secunda responsio, seù secundæ disparitatis ratio, quia missæ valor generalis, prout juxtà mox positam explicationem, est ex opere operato, & Christi meritis malè censetur esse ad impetrandum tantùm, non ad satisfaciendum; malè quoque admittitur extensiva infinitas in valore impetratorio potius, quàm in satisfactorio: Primum enim valdè deprimit tanti sacrificii utilitatem, ac dignitatem, & facit ipsum suo generali fructu nihil prodesse defunctis, quod est contrà communiorem sensum Scholasticorum, imò & contrà praxim ecclesiæ approbantis fieri in missis oblationem, applicationemvè generalem, non pro viventibus tantùm, sed & pro defunctis: Secundum verò suadetur, ex eo quia Christi merita sunt ratione sui apta refundere in missæ valorem infinitatem extensivam ad satisfaciendum, æquè ac ad impetrandum, & diversitas, quæ ex parte effectus, vel modi causandi intercedit inter unum valorem, & alterum impertinens est ad finitatem, vel infinitatem unius potius, quàm alterius, nec valor satisfactorius ex genere suo excludit sufficientiam extensivè infinitam, alioqui hâc carerent ipsa Christi merita, ipsumque sacrificium Crucis.

28

Dices. Si quælibet missa esset valoris extensivè infiniti, adeò ut oblata pro multis prodesset cuilibet, equè ac si esset oblata pro ipso solo, varia sequerentur absurda, seù incommoda, quæ redderent inconvenientem taliter factam institutionem, ergo verè non est taliter facta institutio, nec

qua-

Absurda contrà prædictam extensivam infinitatè, & cujuslibet missæ sufficientiã ad prodesse multis, æquè ac uni.

quælibet missa est valoris extensivè infiniti adeò ut &c. Probatur antecedens afferendo talia absurda seù incommoda. Primum sit; quod sacerdos non deberet, ut solet applicare specialem fructum sacrificii pro eo solo, à quo stipendium accepit, nam sine ullo istius detrimento posset aliis prodesse, simul aliis applicando. Secundum, quod plura sacrificia pro pluribus singillatim oblata, pro singulis singula, non plus illis prodessent quàm unum oblatum pro omnibus simul, ex quo ulterius sequitur, plura sacrificia oblata pro uno non plus ei prodesse, quàm unum, sicque erit inutile plura sacrificia, vel pro unâ personâ, vel pro pluribus offerre. Tertium, quod quilibet sacerdos obligationi, quam contrahit accipiendo à pluribus plura stipendia pro pluribus missis, satisfaceret unâ missâ, æquè ac pluribus, quia pro acceptis stipendiis tantùm præstaret, seù redderet per unam missam, quantum per plures, nec ullum ulli damnum inferret, adeòque sic faciendo non peccaret contrà justitiam, sed solum contrà ecclesiasticam prohibitionem, quæ etiam videri posset nimis onerosa sacerdotibus, & injuriosa dignitati sacrificii. Sed contrà;

29 Occurritur primo absurdo.

Ad primum; dico, Sacerdotem ex justitiâ debere applicare specialem fructum pro eo solo, à quo stipendium accepit, ex charitate posse applicare etiam pro aliis, at non debere pro ut debere strictè sumitur, & obligationem importat; ratio est, quia fructus sacrificii non est de necessitate salutis, ideò nequit aliquis constitui in tanta talis fructus indigentia, ut consurgat in alio ex charitate obligatio ipsum ei applicandi, cum præsertim cuilibet indigentiæ ordinariæ, aut etiam extraordinariæ, censeri possit sufficienter consultum per applicationem fructus generalis, de quo suprà.

30 Occurritur secundo absurdo.

Ad secundum; concedo quidem cæteris paribus, & quò ad fructum specialèm, de quo nunc agitur, plura sacrificia pro pluribus, singula pro singulis oblata non plus ipsis prodesse, quàm unum oblatum pro omnibus simul; at nego ex hoc sequi idem in pluribus sacrificiis oblatis pro uno, nam in pluribus sacrificiis pro uno successivè, ut suppono oblatis multiplicantur effectus, pro ut multiplicantur in eo, pro quo offeruntur dispositiones, quæ non possent sic multiplicari dum offerretur unicum sacrificium; ad summum plura sacrificia pro uno oblata, non plus ei prodessent, quàm unicum, si illa plura supponantur celebrari, & offerri omnia simul, at hoc non solent requirere, qui pluribus datis stipendiis plures missas pro se ipsis, aut aliis adhuc vivis faciunt celebrari. Nego deindè multò magis plurium sacrificiorum inutilitatem, nam quò ad plura sacrificia successivè celebrata pro unâ Personâ, perspicua est ex dictis, tùm nuperrimè, tùm suprà *num.* 14. major propter multiplicatas dispositiones utilitas, etiam in ordine ad fructum principaliorem, ac primarium; quò ad plura sacrificia, quæ supponantur celebrari simul, erit adhùc major utilitas, tùm propter majorem cultum, qui Deo præstatur; tùm propter majorem fructum ex majori devotione plurium sacerdotum, tamquàm ex opere operantis obvenientem ei, pro quo missæ celebrantur.

31 Occurritur tertio.

Ad tertium; nego absolutè totam sequelam, & dico non ex solâ lege ecclesiæ alioqui maximè rationabili, sed ex naturâ rei, & commutativâ justitiâ quemlibet sacerdotem obligari ad celebrandas tot missas, quot accepit stipendia, sivè ab uno, sivè à pluribus acceperit; & quatenùs aut unicam, aut pauciores missas, pro pluribus stipendiis celebraverit, manere obstrictum, aut ad complendum missarum celebrandarum numerum, aut ad restituenda accepta stipendia; nec refert, quod largitoribus stipendiorum per unicam, paucioresvè missas eumdem fructum, quem per plures præstitisset, præstiterit, nullumque damnum intulerit, nam in primis hoc verum est dumtaxat quò ad fructum ex opere operato, secùs quo ad fructum ex opere operantis, quo ad Dei cultum, ecclesiarum frequentationem, & commodum confluentium ad missas audiendas, quæ omnia censentur petere, & exigere eleemosinarum pro missis largitores, & in istis, quamvis non in fructu ex opere operato, damnificantur, quoties non tot missæ celebrentur, quot illi fuerunt elargiti stipendia. Deindè peccatum contrà justitiam, & obligatio restitutionis non oritur præcisè ex illatione damni, sed ex quacumque violatione contractus, & promissionis onerosæ; cum igitur accipiens stipendia pro missis cum stipendiorum largitoribus implicitè contrahat, & suam partialem singulorum dierum sustentationem pro singulis stipendiis impendendam promittat, peccabit contrà justitiam, & erit obnoxius restitutioni, si aliter faciat; quidquid sit, utrùm aliter faciendo, damnum inferat, nec ne? alioqui nulla esset ex justitiâ obligatio restituendi rem alienam, aut tradendi rem, ab alio, pretio emptam, quoties hæc esset futura domino, aut emptori suo inutilis, & superflua: Pro quorum majore intelligentiâ debeo nonnulla advertere:

32 Missæ stipendium non datur pro missæ fructu:

Primum est; missarum stipendia non dari propriè pro fructu, seù ut pretium fructus ex sacrificio provenientis, est enim iste res sacra, & spiritualis, invendibilis, & incommutabilis cum re temporali, undè committeretur aperta simonia, si pro ipso, aut ut pretium ipsius aliquid temporale daretur: Nec videtur sufficienter simonia vitari dicendo, pretium dari pro obligatione celebrandi missam, & applicandi fructum, enim verò obligatio dandi aliquam rem, non habet estimabilitatem diversam ab estimabilitate rei dandæ ideo pretium pro illâ datum non potest super istam non cadere, & super istam, si res spiritualis sit, labem simoniæ non contrahere: Melius simonia vitatur dicendo, stipendium dari

Nec pro obligatione ipsum applicandi:

Nec præcisè pro labore celebrandi.

pro labore celebrandi, ut potè qui est omninò separabilis ab applicatione fructus, & ex se æstimabilis: Verùm æstimabilitas talis laboris seorsim ab applicatione fructus non est digna stipendio, quod solet pro missâ dari, undè multò minus dat, qui missæ celebrationem petit, sine applicatione sacrificii. Remanet autem securior, & receptior dicendi modus, quod scilicèt stipendium detur pro partiali sustentatione sacerdotis, qui sicuti nequit sacrificare, nisi sustentatur, ità potest pro sui sustentatione, sicut pro sacris vestibus, vino, cerâ, aliisque ad sacrificandum necessariis, aliquid à sacrificia petentibus accipere, & est hoc conforme Apostolo 1. *Cor.* 9. dicenti *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: Qui altari deserviunt cum altari participant, ità & Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant de evangelio vivere*; quia tamen sacerdos potest suam sustentationem, saltem ex parte lucrari, etiam aliis honestis exercitiis, puta concionando, docendo, canendo, non debet illam totam exigere à sacrificia poscentibus, sed partialem, juxtà taxam ex Episcoporum decretis, vel ex locorum consuetudine inductam: Sicque accipiens pro missâ stipendium obligat se ad impendendum partem suæ diurnæ sustentationis in commodum ejus, à quo stipendium accipit, & accipiens pro eadem missa plura stipendia, aut pluribus stipendiis acceptis eâdem missâ satisfaciens vendit pluribus, aut pluris, quam taxatum sit eamdem partem, aut potius eumdem usum suæ diurnæ sustentationis, quod est contrà justitiam, & relinquit restituendi obligationem.

33 Sed præcipuè pro partiali sustentatione Sacerdotis

34 Finitas, vel infinitas valoris sacrificii impertinens est ad obligationem celebrandi singulas missas pro singulis stipendiis.

Secundum, & ex hoc primo consequens est ad obligationem celebrandi pro pluribus stipendiis plures missas, pro singulis singulas, & ad impotentiam satisfaciendi per unicam impertinenter se habere finitatem, vel infinitatem valoris sacrificii, cum enim pro valore, aut fructu sacrificii stipendia non dentur, obligationi ex stipendio contractæ per talem valorem, aut fructum non satisfit, quod igitur fructus sit minor, aut major, ex finito, aut infinito valore proveniat, est ad prædictam obligationem, & ejus satisfactionem, vel non satisfactionem impertinens: Malè igitur Adversarii nobis apponunt, quod sustinendo in valore sacrificii infinitatem, faveamus damnatæ ab ecclesiâ sententiæ, quâ olim aliqui docuerunt, posse licitè accipi pro unicâ missâ plura stipendia, & unius missæ celebratione omnibus ritè satisfieri: Undè tandem Lugus *precis. sec.* 12. *nu.* 259. Arriaga *precis. sec.* 7. *n.* 37. & aliqui alii ex negantibus extensivam valoris sacrificii infinitatem concedunt suam nostræ sententiæ oppositæ probabilitatem, hancque putant benè cohærere cum omnimodâ improbabilitate, & falsitate alterius præmemoratæ sententiæ ab ecclesia damnatæ, & ex hâc parte nobis favent; at (quod obiter moneo) valdè adversantur ex aliâ, nimirùm ex eo quod Lugus *num.* 250. & Arriaga *num.* 32. nostram præcedentem doctrinam, de stipendio dato titulo partialis sustentationis, expressè reiiciant, dicentes, ex eâ sequi primò, quod sacerdos dives habens commodam aliundè sustentationem, nullum possit pro missâ stipendium accipere: Secundò, quod possit unicum qualibet die stipendium accipi, etiam à celebrante eadem die plures missas, ut in Natali Domini licet, & aliis quoque diebus, vel ex dispensatione Pontificis, vel ex peculiari necessitate licere potest. Verùm nego utramque sequelam, & ad primam; dico, Sacerdotem divitem benè posse ab eo, pro quo sacrificium offert, stipendium accipere titulo sustentationis, quia nemo tenetur propria, etiamsi abunde suppetant, impendere ad se sustentandum in alienum commodum, & qui altari servit, sive pauper, sivè dives sit, jure potest de altari vivere. Ad secundam; dico, esse valde rarum, & per accidens, quod liceat eâdem die duas, vel tres missas celebrare, & duplex, aut triplex stipendium eâdem die acceptum, quamvis excedat id, quod requiritur pro partiali sustentatione illius diei, tamen ut potè acceptum semel tantùm, aut certè valde rarò in totius anni decursu, non excedit simul cum aliis stipendiis id, quod congruè requiritur pro partiali totius anni sustentatione.

35

36 Ex quibus capitibus fuerit rationabilis lex ecclesiastica præcipiens tot absolutè missas celebrari, quot fuerint attributæ eleemosynæ.

Tertium est, jure optimo fuisse Urbani VIII. auctoritate edita, sub die 21. Junii 1625. Decreta Sacræ Congregationis Concilii sub obtestatione divini judicii mandantis, ac præcipientis *ut absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscripta fuerint, ità ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur*: Jure inquam optimo fuerunt edita, non solum quia præcipiunt aliquid juxtà mox dicta debitum ex ipsis naturæ, & justitiæ commutativæ legibus; sed etiam quia impediunt, ne depereant piæ testantium voluntates, ne obstricta benefactoribus fides violetur, ne ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ne fideles ex sacerdotum avaritiâ scandali affecti à charitatis operibus retrahantur, & id genus alia mala, quæ in ipso prædictorum decretorum initio recensentur: Porrò iisdem decretis: unà cum ejusdem Congregationis declarationibus posteà additis, definiuntur quoque plura alia, ad celebrationem, & stipendium missarum pertinentia, in dubium olim revocata, & à diversis Auctoribus in diversas distracta sententias, ut videre est apud Marchinum de Sacram. Ord. *tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 15. *num* 26. ubi, & decreta, & declarationes ad verbum recitat; nobis fortassè nonnulla obiter attingenda occurrent in progressu; interim circà intensivam valoris missæ infinitatem, cujus occasione ista protulimus, remanet solvendum aliquid aliud, Ideò

37

Dices aliter impugnando directè, & quasi à priori assertam infinitatem, ex eo quia sacrificium est in genere oblationis, cujus valor non ex re oblatâ, sed ex personâ offerente

rente

rente desumitur, juxtà illud vulgatum D. Gregorii homil. 5. in Evangelia. *Non appendit Deus, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeratur*, cui fere synonymum est, quod D. Thomas *hic quæst. 79. art. 5. in c.* ait *In satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis*, ut benè evincitur exemplo, quod ibi S. Doctor subdit *ex Luc ar* de Viduâ, quæ mittens duo minuta in gazophylacium, dicitur misisse plùs aliis, eo quod miserit illud modicum majore affectu; atqui in missâ ex personâ offerente non potest desumi valor infinitus, ergo verè missæ valor infinitus non est, sed finitus, & minuitur in singulis, dum in plures dividitur. Minor probatur, quia in missâ offerens principalis, & immediatus, idest sacerdos celebrans est persona finitæ dignitatis, & quidquid ex parte ipsius se tenet, finitum est, finitâ quippè actione, finitâ intentione, finito affectu offert. Nec juvat respondere, etiam Christum, & ecclesiam simul cum sacerdote celebrante offerre: Non valet inquam, quia in primis ipsa dignitas ecclesiæ, acceptæ seorsim à Christo, finita est; dignitas verò Christi nil potest sacrificio conferre ad valorem satisfactorium, cum Christus nunc non sit in statu satisfaciendi: Deindè qualiscumque sit Christi, & ecclesiæ dignitas, utraque est dignitas offerentis remoti, & utraque limitatur, seù limitato modo in missâ applicatur propter actionem, intentionemque finitam offerentis proximi, qui est solus Minister celebrans. Sed contrà:

38 In hâc instantiâ, quæ infinitatem valoris intensivi, nedum extensivi impugnat, omitto responsionem interpositam, quæ quatenus ad ecclesiam recurrit, benè reiicitur, ex eo quod ipsa ecclesiæ dignitas finita sit, quatenùs recurrit ad Christum, tractabitur *cap. seq.* §. 1., & pro nunc abstrahendo ab eo, quod Christus sit, nec ne in missâ offerens proximus, & ut talis infinitè dignificans oblationem, aliundè argumentum expedio, adverto scilicet, in aliquibus oblationibus præter valorem, quem habent ab intrinseco, & ex naturâ rei, dari valorem alium ab extrinseco, & ex institutione; loquendo de primo valore concedo, principalius desumi ex personâ offerente, non ex re oblatâ, idque rectè probat instantia, & nos ipsi jam in præsentis capitis limine supposuimus; loquendo de secundo; dico, nec ex re oblata, nec ex personâ offerente desumi potissimùm debere, sed ex institutione, & institutore, qui si habeat ex propriis meritis valorem infinitum, liberamque facultatem de ipso disponendi, potest ex eo quantum voluerit applicare, ac quasi alligare oblationi, quam ad impetrandum, & satisfaciendum instituit. Porrò sacrificium missæ est ex illis oblationibus, quarum potissimus valor habetur ab extrinseco, & ex institutione, ideò cum Christus institutor ex *praced.* §. 1. *num.* 7. & 11. potuerit, & voluerit ei à quocumque sacerdote fiat, infinitum valorem alligare, verè infinitum valorem habet aliundè, quàm à proximo offerente, & etiamsi sacerdos proximè offerens finitæ dignitatis sit.

Valor oblationi conveniens ex natura rei desumitur principaliter ab offerente;

Valor ei conveniens ex institutione desumitur principaliùs à voluntate, & meritis Institutoris.

Urgebis: Saltem hæc nostra doctrina malè cohæret cum eo, quod D. Thomas *præcit. art.* 5. non solum universim ait in satisfactione attendi affectum offerentis, verùm etiam singillatim de oblatione missæ subdit *sit satisfactoria illis, pro quibus offertur, aut etiam offerentibus secundùm quantitatem suæ devotionis*. Sed contrà: ly *secundùm quantitatem suæ devotionis* non est præcisè idem, ac secundùm quantitatem devotionis offerentium, sed debet cum distributione accommodâ comparari, tùm ad offerentes, tùm ad eos, pro quibus offertur; adeò ut ly *suæ devotionis* debeat quodammodò repeti, & sensus sit, sit satisfactoria iis, pro quibus offertur secundùm quantitatem devotionis ipsorum, pro quibus offertur; sit item satisfactoria offerentibus, secundùm quantitatem devotionis offerentium, intelligendo pro nunc offerentium nomine solos sacerdotes, cæterum vide infrà *cap. seq. num.* 58.

39

Urgebis insuper: Hinc tandem nihil aliud in missæ sacrificio sustinetur, quàm sufficientia valoris ad causandum effectum majorem, & majorem juxtà majorem, & majorem dispositionem, devotionemvè eorum, pro quibus offertur, atqui hoc non salvat sufficientiam infinitam, ergo tandem tota nostra doctrina non salvat intentum. Minor probatur, quia licèt posse absolutè, & ab intrinseco producere effectum majorem, & majorem arguat infinitam virtutem in causâ, & ex hoc capite Dei potentia, etsi non posset effectum infinitum totum simul producere, adhuc esset infinita per hoc, quod posset producere majorem, & majorem in infinitum, non ità tamen res se habet, cum posse producere effectum majorem, & majorem provenit ex majori dispositione subjecti, quo modo, quod effectus sit major provenit ab aliquo causæ extrinseco, & se tenente ex parte subjecti, & quando hoc sufficeret ad arguendam in causâ virtutem infinitam, omnis causa naturalis esset infinitæ virtutis, omnis quippè in subjecto melius disposito magis operatur, ignis v. g. in melius disposito combustibili, magis comburit, intellectus magis proportionatum, aut per perfectiorem speciem repræsentatum objectum, meliùs intelligit &c. Hincque obiter sequitur, malè nos suprà *num.* 16. missæ valorem cathegorematicè in actu primo infinitum confirmasse ex infinitate syncathegorematicâ actus secundi, addito exemplo infinitæ potentiæ Dei. Sed contrà: Fateor, magis elucere infinitatem virtutis in causâ, quæ possit ex se, & abstrahendo à dispositione subjecti majorem, ac majorem effectum producere, quàm in eâ, quæ id possit tantum suppositâ dispositione majore, & majore; Nihilominùs si hæc dispositio possit esse major, & major in infinitum, adhùc puto in causâ argui virtutem infinitam, si possit effectum majorem, & majorem in infinitum,

40

41

juxtà

justà majorem, & majorem dispositionem producere, ut verè potest missæ sacrificium: Diversa est ratio de causis naturalibus, quia respectu ipsarum dispositio subjecti potest esse major, & major solùm usque ad certum terminum, ideo possunt solum usque ad certum terminum suos effectus, juxtà subjectorum dispositiones augere; sic v.gr. ignis magis approximatus magis agit, at non propterea potest magis in infinitum agere quia non potest magis in infinitum approximari. Verùm ne hæreamus in verborum cortice nostræ doctrinæ medulla est, quod virtus, seù valor sacrificii crescente in infinitum dispositione subjecti possit majorem in infinitum fructum conferre, item quod multiplicatis in infinitum dispositionibus, & subjectis, possit effectus in infinitum multiplicare; utrùm deindè virtus, & valor tantæ tum intensivè, tùm extensivè sufficientiæ dici debeat, quò ad sufficientiam infinitus cathegorematicè, an solùm syncathegorematicè, erit inutilis, & de verborum cortice contentio, de quâ parùm curandum.

42 Asserta, & propugnata hucusque in missæ sacrificio infinitas valoris præsertim extensivi videretur concludenda auctoritate, & verbis sumptis ex D. Hieronymo in Can. *Non mediocriter* de Consecrat. *dist.* 5. sic. *Dum pro centum animabus psalmus, vel missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur accipitur*. Verum consultò hæc omisi, & tamquàm nullius ad intentum nostrum roboris omninò censeo omittenda; primò, quia licet à Gratiano Canonum compilatore, Hieronymi nomine referantur, in Hieronymo non reperiuntur, & quamvis alia quædam ejusdem Canonis verba, quibus antecedenter dicitur *Melior est quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius psalterii modulatio cum anxietate cordis, & tristitiâ* extent in tomo nono operum Hieronymi *cap. de Contemplat. & Orat.* nihilominus neque ista Hieronymi sunt, sed auctoris regulæ Monachorum, ut observarunt Vasquez *hic disp.* 231. *cap.* 5. *num.* 29. Lugus *disp.* 19. *sec.* 12. *num.* 256., & Herinex *disp.* 8. *quæst* 8. *num.* 89. Secundò; quia verba illa priore loco adducta, si D. Hieronymi, aut alterius probati Auctoris essent, non possent intelligi in sensu accommodato ad probandum infinitum valorem extensivum, de quo agitur, procedunt enim de psalmo, & de missâ pariformiter, certum est autem psalmorum recitationem, & alias orationes non habere valorem infinitum, nec prodesse multis, æquè ac uni; undè etiam in Concilio Constantiensi *sess.* 8. inter alios articulos Vviclefi damnatus est decimus nonus, quo dicebatur *speciales Orationes pro aliquibus applicatas non magis prodesse, quàm Orationes generales*.

Expeditur circà missæ fructum auctoritas quædam sub D. Hieronymi nomine à Gratiano relata in Can. *Non mediocriter*

43 Tertiò; quia verba adducta, ut in Canone jacent referenda sunt, vel ad recitantem psalmos, & celebrantem missas, vel ad casum in ipso Canone expressum verbis aliis jam præmemoratis *Melior est quinque psalmorum* &c. Si primo modo referantur, sensus est psalmos, & missas, sivè pro uno, sivè pro multis recitentur, & celebrentur, nil minus recitanti, & celebranti prodesse: Si secundo modo, sensus erit, cum psalmus unus, vel una missa pro pluribus, puta pro centum, dicitur cum spirituali hilaritate, non minus prodesse sivè iis, pro quibus dicitur, sivè dicenti, quam si plures puta centum psalmi, aut missæ dicerentur cum tristitiâ; Utramque intelligentiam tanquam Canonis intento, & contextui conformem affert, & approbat Scotus *quodlib.* 10 §. *De primo. Versic. Ad auctoritatem*; moneo tamen secundum intelligentiæ modum, quatenus suprà missam cadit, limitari debere ad ipsius fructum ex opere operantis.

44 Ex dictis infertur, fructum missæ pro multis oblatæ non se habere, ut pecuniam paratam pro multis reditoribus, aut cœnam v. gr. pro multis Convivis, pecuniæ enim quantitas, & cœnæ portio non æqualis, & tanta singulis contingit, quando creditores, & convivæ valdè multi, ac quando non ità multi confluunt; potius se habet missæ fructus, ut res spiritualis, quæ tota est in singulis loci partibus, quando plures, æquè ac quando pauciores istæ sunt; item ut vox, quæ à singulis æquè auditur, sivè multi sint, sivè pauci, ut solis lux, quæ multos, æquè ac paucos, æquè illuminat.

45 Nolim tamen his exemplis fidas, habent enim nimiam ex aliis capitibus diversitatem, nec quatuor, ut dici solet pedibus currunt; sed potius tribus claudicant, & ad rei nostræ aliundè probatæ aliqualem explicationem possunt esse opportuna, at nullatenùs forent ad ejus probationem efficacia, cum nec in re spirituali locativa, nec in voce sonora, nec in sole illuminativa virtus infinita sit, undè dumtaxat intrà certam, ac determinatam spheram, & suppositâ æquali omnium distantiâ, aut propinquitate sol multos, æquè ac paucos illuminat, vox à multis, æquè ac à paucis auditur; at valor sacrificii à nullâ certâ spherâ, à nullâ distantiâ, à nullo personarum numero pendet, ut multis, æquè ac paucis prosit; Quo ad rem spiritualem est adhùc major diversitas, quia non solum habet certam suæ locabilitatis spheram, sed insuper ideò est tota in singulis partibus, quia est indivisibilis, non est autem indivisibilis missæ fructus: Deindè illa est eadem numero in omnibus, & singulis loci partibus, seù locis, fructus missæ juxtà multiplicationem eorum, pro quibus offertur multiplicatur, & est in omnibus, ac singulis numero multiplex.

Exposuimus usque modò quantùm missæ sacrificium valeat? exponamus jam ad quid, & quomodò valeat? agamus scilicèt, ut titulus huic Capiti præfixus secundo loco proponebat, de sacrificii effectibus, & de modis ipsos causandi: Ideo sit

§.III.

§. III.

An, & quomodò Missa Sacrificium valeat ad remissionem culpæ, & infusionem gratiæ.

46

ASSERT. I. Certum est, missæ sacrificium aliquo modo valere ad remissionem culpæ, tùm lethalis, tùm venialis, & ad infusionem gratiæ, tùm primæ, tùm secundæ, & posse aliquo modo, tùm illius remissionem, tùm istius infusionem causare. In hoc asserto, tamquam in fidei dogmate, concordes sunt Catholici, contrà Sectarios, qui illud sacrificium impropriè, & communiter dictum, quod *ex praced. cap. 1. num. 2.* in missâ agnoscunt, laudis dumtaxat, & gratiarum actionis esse volunt, non propitiationis, nec admittunt valere, aut prodesse quidquam ad peccatorum remissionem, ut amplius referunt Bellarminus *lib. 2. de Missâ cap. 1.* & Valentia *hic disp. 6. quæst. 11. punc. 1. §. 19.*

De fide est Sacrificiū Missæ valere aliquo modo ad remissionē peccatorū quoad culpam.

Probatur asserta veritas definitione expressâ Concilii Tridentini sess. 22. cap. 2. *Docet Sancta Synodus, sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri* &c. *Hujus quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit* (& nonnullis interpositis) *Pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offertur.* Item can. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium* &c. *anathema sit.* Idem multò anteà, licet non ità ex professo traditum fuerat, tùm à Concilio Braccharensi III. *can. 1.* his verbis *Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo Sacrificiis deleatur, quid de cætero pro peccatorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsâ sacrificii oblatione erratur*: tùm ab antiquissimis Patribus, sivè Græcis, sivè Latinis, quorum insignia testimonia Bellarminus, & Valentia nuper citati proferunt; nobis sufficiat, ex ipsis recolere modos illos loquendi, quibus missæ sacrificium appellant *Propitiationem, Hostiam salutarem, Sacrificium pro peccato, pro piaculo populi* &c.

47

Nec possunt hæc rationabiliter intelligi de remissione peccatorum, solum quo ad pœnam, quia propitiatio, & esse propitiatorium, solent principalius ad culpam referri sicut ad pœnam satisfactio, & esse satisfactorium: Delicti etiam, peccati, & criminis vocabula pro culpæ magis, quàm pro pœnæ reatu supponunt: Tridentinum prætereà enumerando ea, pro quibus sacrificium offertur, enumerat peccata, etiam ut contradistincta à pœnis, & satisfactionibus: Tandem sacrificium missæ participat, & applicat valorem sacrificii Crucis, cui Sectarii ipsi concedunt esse perfectè propitiatorium, & peccatorum, etiam quo ad culpam remissivum, debent igitur hoc idem, diversó tamen modo, concedere sacrificio missæ; illi tamquam fonti, & causæ principali, isti tamquam canali; & instrumento, quâ ratione non fit, ut hæretici calumniantur sacrificio Crucis injuria, sed ejus virtus, & efficacia magis exercetur, & commendatur; quemadmodum occurrendo Sectariorum cavillationibus latè ostendit Valentia *præcit. punc. 1. §. 22.* & breviter, sed dilucidè tradidit Tridentinum *præcit. cap. 2.* dicens *Cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam uberrimè percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur.*

48

Ex his remanet sufficienter probatum sub eâ, sub quâ jacet generalitate totum assertum, cum enim culpæ lethales, sine primæ; veniales, sine secundæ gratiæ infusione, regulariter loquendo, non remittantur, consequens est, missæ sacrificium, quâ ratione valet ad remissionem culparum, sivè lethalium, sivè venialium, valere simul ad infusionem gratiæ, sivè primæ, sivè secundæ; ut plenius innotescet, investigando proprium modum, quo à sacrificio missæ ista præstentur. Circumferuntur autem in primis circà talem modum duæ valdè universales, & extremæ sententiæ: Prima est, Missæ sacrificium nullum prorsus habere effectum ex opere operato, adeoque sive ad remissionem peccatorum, sivè ad infusionem gratiæ prodesse solum posse ex opere operantis, vel ratione bonorum actuum, quibus subjectum se disponit, vel ratione sui, quatenus sacrificatio est actio valdè honesta, & meritoria; hæc sententia ab aliquibus imponitur Cajetano, & Scoto; sed Suarez *hic disp. 79. sec. 1. §. Dico primò* ambos istos insignes Auctores ab eâ impositione vindicat, imò putat, nullum catholicum id sensisse, &, unde male sumpta sit occasio id prædictis Auctoribus tribuendi, detegit.

Duæ sententiæ extremæ circa modum quo missæ sacrificium causet suos effectus, præsertim remissionem peccatorum, & gratiam.

49

Secunda est, missæ sacrificium ex opere operato concurrere causalitate quadam universali ad omnes effectus gratiæ, quos Christus nobis sua passione promeruit, adeò ut omnis gratiæ collatio, omnis peccatorum remissio, quæ nobis per sacramenta, vel aliter ex Christi meritis detur, ex universali causalitate sacrificii missæ dependeat; tribuitur hæc sententia Ruardo *art. 16 §. Manifesta est*. Et Catherino *opusc. de Sacrif. Missæ* quin favere quoque ei videtur D. Thomas *in cap. 6. Ioan. lect. 6.* Verùm S. Doctor non tàm loquitur de actuali causalitate, quàm de applicabilitate sacrificii missæ ad impetrandum, abstrahendo ab impetratione fallibili, vel infallibili, omnem gratiæ effectum, eademque fortasse est mens Ruardi, & Catherini: cujuscumque verò sententia sit, nec ulli sufficienti nititur fundamento, nec facit ad rem præsentem, ubi loquimur de causalitate particulari, quam sacrificium independenter à sacramentis, aliisve mediis divinitùs institutis exerceat: Omittendo igitur has duas sententias extremas, & pro majori ipsarum

notione, ac impugnatione Lectorem dimittendo ad Suarium *pracit. sec.* 1. *per totam* procedo ad alias sententias quasi medias, & probabilitate aliquâ non destitutas; quarum.

50 Aliæ circà eumdem modum sententiæ quasi mediæ.

Prima docet, missæ sacrificium causare ex opere operato directè immediatè, & per se primam gratiam, remissionemque lethalium, faciendo hominem de attrito contritum, ut faciunt sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, adeò ut peccator, pro quo sacrificium offertur, si in instanti, quo actio sacrificativa perficitur attritus sit, ex vi sacrificii pro se oblati justificetur. Pro hâc sententiâ multi multos referunt, ut Gabrielem *lect.* 85. *in Canon. Missæ*. Albertum Pighium *controv.* 5. §. *Sed hoc dicimus*. Alanum *lib.* 2. *de Euchar. cap.* 33. Turrianum *lib.* 1. *in Canones Apostolorum cap.* 24. Casalium *lib.* 2. *de Sacrif. Missæ* quin, & multos Sanctos Patres ipsumque D. Thomam *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. Verum S. Doctor hoc loco, postquam de Eucharistiâ, ut sacrificio dixit *Habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non praexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentiâ tantum, & ideò, si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit: & per consequens peccata mortalia in eis debet*; illicò subjungit, *non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat*, quâ subjunctione mentem suam à sententiâ, de quâ agitur ostendit apertè alienam, nec pro ipsâ sufficienter constar, stare alios Sanctos Patres, docent enim, ad summum ex vi sacrificii culpas remitti, at non astruunt remissionis immediatæ, ac directæ modum; idemque præstant præmemorati Scholastici ferè omnes, undè Amicus *disp.* 33. *sec.* 5. *num.* 124. ait, nullum, quem ipse legerit, pro dictâ sententiâ expressè stare. & Vasquez *disp.* 228. *cap.* 2. *num.* 13. excipit solum Albertum Pighium, & fortè Casalium, quem ipse fatetur, se non egisse: Remanet igitur hujusmodi sententia ferè omni auctoritate, quin & ferè omni probabilitate carens, & vix non obnoxia gravi censuræ, imò à fortiori temeritatis, & erroris notaretur à Nugno, qui tract. de Sacrif. missæ *quæst.* 1. *dub.* 6. *conc.* 3. *&* 4. non dubitavit, similem notam inverere opinione docenti, sacrificium missæ posse immediatè causare primam gratiam per accidens.

51 Secunda docet, causare per se immediatè secundam gratiam, & remissionem venialium; primam verò, remissionemve lethalium, aut solum mediate, aut si immediatè, solum per accidens. Ità sensisse referuntur Dominicus Sotus *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 2. *art.* 5. *& dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. Petrus Sotus *lib. de institutione Sacerdotum lect.* 7. *de Euchar.* Gonetus *disp.* 11. *art.* 4. *num.* 91. Canus *lib.* 12. *de locis theolog. cap.* 12. Palatius *in* 4. *dist.* 8. *disp.* 1. Toletus in Summâ *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. *&* 5. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 13. Valentia *pracit.* §. 21. propè finem. Marchinus *par.* 2. *de Sacrif. Missæ cap.* 10. *pros.* 4. aliique non pauci, etsi nonnulli fuerint parum clarè locuti, hincque ex ipsis Auctoribus mox citatis utrumque Sotum non satis sensum suum declarasse putet Suarez *disp. pracit. sec.* 4. in principio; ego quidem neutrum Sotum vidi, solum præsertim circà prioris, idest Dominici Soti sensum, Suario adversari cæteros communiter, & signanter Marchinum dicere, quod expressè, & evidenter stet pro adductâ sententiâ, pro quâ non dubito, quin majori jure supponat Sotum, quam D. Thomam, quem Marchinus ait, eamdem sententiam aperte docuisse *hic quæst.* 79. *art.* 7. *ad* 2. ubi tamen S. Doctor loquens de adeptione gratiæ, & remissione culpæ, saltem venialis respondet Eucharistiam, ut sacrificium talem effectum præstare dumtaxat respectu eorum, qui per fidem, & charitatem ipsi sacramento, & sacrificio conjunguntur, at non explicat immediatè ne, an mediatè? & debet juxtà infrà dicenda, & cohærenter ad ea, quæ ipse met alibi tradit, mediatè intelligi. Antequam secundam hanc sententiam dimittam, adverto, posse aliquos tribuere missæ sacrificio virtutem immediatam ad remissionem venialium, non sic ad infusionem secundæ gratiæ; ità opinari possunt, qui putant aliquando in hâc vitâ remitti venialia sine ullo gratiæ augmento: at in hoc, ut pote quod suppono aliundè falsum, non oportebit, me nunc detineri.

52 Tertia docet, causare tùm gratiam, sive primam, sive secundam: tùm remissionem peccatorum, sive mortalium, sive venialium solum mediate, impetrando nobis auxilia, & dona, quibus ad hujusmodi effectus disponamur: Ità D. Thomas *pracit. dist.* 12. *ad* 4. Durandus *ead. dist. quæst.* 4. *num.* 5. Sylvius *quæst.* 83. *art.* 1. *quæst.* 14. Joannes à S. Thomâ *disp.* 12. *art.* 3. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 3. Lindanus *lib.* 4. *Panoplia Evangelica cap.* 51. *&* 55. Suarez *disp.* 79. *sec.* 3. *&* 4. Vasquez *disp.* 228. *cap.* 2. *&* 3. Amicus *disp.* 33. *sec.* 5. Lugus *disp.* 19. *sec.* 9. Bellarminus *lib.* 2. *de Missâ cap.* 4. Madernus *quæst.* 8. *art.* 6. Heriuex *disp.* 8. *quæst.* 6. & alii plurimi ex omni scholâ, cum aliquo tamen, eaque duplici potissimum inter se dissidio: Primum est, in eo quod non pauci, inter quos maximè Suarez *disp. cit. sec.* 2. volunt, causalitatem impetratoriam, non posse dici ex opere operato, & consequenter dicunt, missæ sacrificium ex opere operato nil conferre ad effectum remissionis culpæ, & infusionis gratiæ, quem causat solum impetrando dona, & auxilia &c. Ex adverso Vasquez *disp.* 229. *cap.* 2. Madernus *num.* 7. & reliqui magis communiter putant, impetrationem abstrahere ab eo, quod ex operato, vel operantis opere fiat, & causalitatem impetratoriam rectè dici ex opere operato, quoties non pendet ex dignitate, & merito operantis. Secundum est circà impetrationis, de qua nunc agitur, infallibilitatem, quam cum aliquâ limitatione astruunt

astruunt Lugus *præcit. sec.* 9. *num.* 143. Eriocx *num.* 67. Amicus *num.* 143. Madernos *num.* 12., negant verò absolutè Suarez *disp. præcit. sec.* 3. §. *Hæc res* Vasquez *præcit. cap.* 3. *num.* 21. Durandus *præcit. num.* 5., & plures alii. Sic visis diversis diversorum sententiis, videamus jam, quid, & cum quibus sentire debeamus. Ideò sit

53

Missæ sacrificium non causat immediatè primam gratiam remissionemve lethalium nec per se nec per accidens.

Assert. 2. Missæ sacrificium non causat immediatè, & per se primam gratiam, remissionemve culpæ lethalis; imò neque unquàm talem effectum immediatè causat per accidens. Prima pars est receptissima, nec habet Adversarios expressè locutos, nisi paucissimos; Pighium scilicet, & vix forte aliquem alium, ut observavimus referendo primam sententiam. Secunda pars est contrà multos ex Auctoribus pro secundâ sententiâ relatis. Vtraque pars habet pro se auctores relatos pro tertiâ sententiâ, & alios plurimos.

Probatur primò totum assertum universim, ex eo quia Eucharistia, ut sacramentum, neque per se, neque per accidens causat immediatè primam gratiam, & remissionem culpæ lethalis, ut suppono partim ex tract. de Sacram. in gen. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 6. partim *ex lib præced. cap.* 5. §. 2. ergo multo minùs id præstat Eucharistia, ut sacrificium; probatur hæc consequentia, quia Eucharistia in ratione sacramenti est primariò instituta ad nostram sanctificationem, & ad gratiam, nobis conferendam, in ratione sacrificii primariò respicit Divinæ Majestatis recognitionem, & cultum Deo exhibendum, ut constat ex propriis sacrificii, & sacramenti definitionibus suo loco traditis; ergo illud, quod in ordine ad gratiam, & sanctificationem nostram non præstat Eucharistia, ut sacramentum multo minùs præstabit eadem, ut sacrificium. Confirmatur assertum sigillatim quo ad ly *per accidens*; Eucharistia si causat immediatè per accidens primam gratiam, in tantum id præstat, in quantum causat immediatè per se secundam; atqui ex mox dicendis Eucharistia, ut sacrificium, non causat immediatè per se secundam, ergo neque immediatè per accidens primam, unde etiamsi, quod *præcit.* §. 3. sua probabilitate non carere censuimus, concederemus Eucharistiam, ut sacramentum posse immediatè causare primam gratiam per accidens, non esset nobis eadem ratio, eademque probabilitas id concedendi Eucharistiæ, ut sacrificio, quia ut sacramentum, non ut sacrificium causat immediatè per se secundam.

54

Probatur secundò assertum, præsertim quò ad primam partem, quia virtus causativa primæ gratiæ est maximè supernaturalis, maximèque pendens ex liberâ voluntate Dei, nec debet tribui præsertim tamquam per se, ac primariò conveniens alicui, aut sacramento, aut sacrificio, nisi ex ipsâ sacramenti, aut sacrificii institutione, vel certè ex scripturâ, traditione, aut definitione Ecclesiæ innotescat iuxtà ratiocinium, quod *ex præcit.* §. 2. *num.* 33. *& seqq.* facilè potest mutatis mutandis hùc transferri, atqui pro tribuendâ missæ sacrificio virtute immediatè causativa primæ gratiæ, nullum est traditionis vestigium, nullus sacræ scripturæ, aut Ecclesiasticæ definitionis textus, nullaque alia gravis auctoritas, & licèt ex eminentiâ, & naturâ sacrificii aliquæ suppetant congruentiæ, multo majoris momenti sunt oppositæ, quæ sequerentur ex eâ virtute sacrificio concessâ incongruentiæ; has statim subjicio, ac posteà, tùm congruentias Adversariorum, tùm si quas pro se habent, auctoritates, excutiam.

55

Incongruentiæ, & absurditates illius causalitatis immediatæ si daretur.

Sequererentur igitur primò; sacrificium missæ in ordine ad causandam gratiam, & remittenda peccata esse efficacius sacrificio Crucis, quod per se immediatè nullam gratiæ infusionem, nullius lethalis peccati remissionem causavit. Sequitur secundò, missæ sacrificium esse remedium per se institutum ad peccatoris justificationem, nec esse adulto post baptismum lapso necessarium necessitate medii ad salutem sacramentum penitentiæ, aut in re, aut in voto susceptum per actum contritionis. Sequitur tertiò, Sacerdotem existentem in lethali posse urgente necessitate, & deficiente Confessario licitè celebrare, etiamsi se cognoscat solum attritum, nam celebrando cum solâ attritione esset sufficienter dispositus, ut per ipsam missæ celebrationem, tamquàm per remedium ad id institutum, justificaretur. Sequitur quartò, quemlibet peccatorem per hoc, quod missam attritus audiat justificari, quia eo ipso, quod missam audit, celebrans pro ipso offert oblatione generali, non est autem cur oblatio, & fructus generalis peccatorem attritum non justificet, si hunc justificat oblatio, & fructus specialis. Quæ & similes sequelæ, licèt non contineant aliquid absolutè repugnans, sunt secundùm præsentem providentiam penitus incongruentes, ut magis ostendit Suarez *præcit. sec.* 3. ubi etiam impugnat varias responsiones, quæ pro contrariâ sententiâ afferri possunt, pro quâ præterea

56

Dices: Missæ sacrificium est ex suâ institutione propitiatorium, & valens ad lethalium culparum remissionem, ut haberi ex traditione per plurimos antiquissimos Patres deductâ, & ex definitione expressâ Concilij Tridentini nos ipsi in primo assertu ostendimus; atquè hæc non debent intelligi de propitiatione, & remissione culparum lethalium solùm mediatâ; ergo missæ sacrificium est ex suâ institutione, adeoque per se propitiatorium, & valens ad culparum lethalium remissionem immediatè, hocque sufficientissimè habetur, tùm ex traditione, tùm ex Ecclesiæ definitione: Probatur minor multipliciter, & primò quia ex unâ par-

te cauſare remiſſionem peccatorum immediatè, eſt cauſare magis propriè, quàm cauſare ſolùm mediatè; & ex alia parte regula generalis eſt, quod Conciliorum definitiones, & Patrum teſtimonia, quantum fieri poteſt, intelligantur in ſenſu magis proprio. Secundò, quia per nos valor ſacrificii, etiam propitiatorius eſt infinitus, non eſt igitur, cur non valeat ad perfectiſſimè, & immediatè cauſandam remiſsionem culparum lethalium, etiamſi in iſtis, aut in pœna æterna ipſis debita inuolueretur aliqua infinitas. Tertiò; quia, ut docet D. Thomas ſupra *q. 22. ar. 3. in c.* ſacrificium ex genere ſuo confert ad remiſsionem peccati, per quod homo à Deo auertitur, ergo ſacrificium perfectiſsimum, cujuſmodi eſt ſacrificium novæ legis, confert ad talem remiſsionem perfectiſsimè adeoque immediatè; ut confirmari poteſt

57 ex novis ſacramentis, quæ propter majorem quam habent ſuper alia perfectionem, cauſant, ſanctificationem, & gratiam peccatorum remiſſivam immediatè, cum antiqua hanc cauſarent mediatè; immediatè verò ſolam ſanctificationem imperfectam, & gratiam legalem; Quartò in verbis Tridentini relatis *praeced. num.* 46. Hujus quippe oblatione placatus Dominus &c. non eſt ſenſus, quod Deus ex vi oblationis ſacrificii concedat gratiam actualem ad pœnitendum per contritionem perfectam, ratione cujus deindè crimina, & peccata etiam ingentia dimittat, ſed quod conceſſa antecedenter gratia actuali, per quam peccator attritionem, ſeu contritionem imperfectam elicuerit, & ad ſacrificii fructum ſe diſpoſuerit, tunc Dominus Deus ſacrificii oblatione placatus immediatè peccata dimittat; deducitur poſterior hic ſenſus ex verbis immediatè præcedentibus, quibus Concilium ait, per ſacrificium iſtud fieri. *Ut ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentiâ, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Ubi ly *contriti, ac*

58 *pœnitentes* non ſupponit pro contritione perfecta, aliàqui ſtatim, non expectato miſſæ ſacrificio, peccata delerentur, ſupponit pro attritione, & pœnitentia imperfecta, tamquam pro diſpoſitione ſufficiente ad conſequendam miſericordiam, & gratiam peccatorum remiſſivam in auxilio opportuno, idest in oblatione ſacrificii, qua placatus Dominus &c. Sed contra; Concedo majorem, nego minorem;

59 Occurritur congruentiis, & fundamentis oppoſitis. Ad cujus primam probationem; dico, quod ex una parte cauſare remiſſionem culparum mediatè, ſicuti ſufficit ad ſaluandam veram rationem propitiatorii in ſacrificio Crucis, ita non eſt, cur non ſufficiat ad ſalvandam eamdem rationem in ſacrificio miſſæ; ex alia parte neceſſitas non intelligendi in propoſito auctoritates Conciliorum, & Patrum de cauſalitate immediata, quamvis alioqui minus propria, ſatis ſuperque habetur ex fundamentis ad probandum aſſertum adductis; ideò &c.

Ad ſecundam; dico, miſſæ ſacrificium ratione valoris infiniti habere quidem ſecundum ſe ſufficientiam, ad remittendas lethales culpas, etiam immediatè, & ad id non habere de facto efficaciam, & potuiſſe inſtitui, & non fuiſſe inſtitutum ad talem effectum immediatè cauſandum; & ſicuti ſacrificium crucis, quod certè non habuit minus infinitum valorem, tamen ne minimum quidem gratiæ gradum in nobis immediatè cauſat, ſed ſolum mediatè mediis ſcilicet noſtris operibus, aut ſacramentis, aliiſvè inſtrumentis ad gratiam cauſandam divinitùs inſtitutis; ita nil mirum ſi ſacrificium miſſæ, non obſtante valore infinito, non cauſet immediatè &c.

60 Ad tertiam; dico, de mente D. Thomæ ſacrificium ex genere ſuo ſolùm mediatè conferre ad remiſſionem culpæ, qua homo à Deo auertitur, & ſacrificium novæ legis, ex eo, quod ſit perfectiſſimum, debere quidem ad id conferre perfectiſſimè, at in eodem genere, & ordine cauſalitatis mediatæ. Nec eadem eſt ratio de ſacramentis, quia hæc primariò ordinantur ad nos ſanctificandos, & gratiam ſignificandam, abſtrahendo ex genere ſuo ab hoc, vel illo cauſalitatis modo, unde etiam inter ipſa antiqua non defuit aliquod ſacramentum gratiam immediatè cauſans, tale quippe fuit remedium originalis; inter nova deindè, quia omnia ſunt valdè perfecta, omnia immediatè cauſant gratiam, vel primam, vel ſecundam; imò in nova lege hoc jure cenſetur proprium ſacramentum, ut à ſacrificio contradiſtinguitur, & ſacrificium ipſum videretur à proprio genere transferri ad genus ſacramenti, ſi poneretur immediatè, & modo ſacramentorum proprio, gratiam conferre: Nec refert, quod novum ſacrificium ſit perfectius novis ſacramentis, facile enim poteſt eſſe perfectius ex aliis capitibus, quàm ex modo cauſandi gratiam, & cum ſit primariò inſtitutum ad recognoſcendum in Deo dominium, non ad cauſandam in nobis gratiam; ex illius recognoſcendi, non ex iſtius cauſandæ modo debet potiſſima ſacrificii perfectio attendi.

61 Ad quartam; dico, priorem non poſteriorem ſenſum ibi allatum eſſe præferendum, nec ex aliis verbis in Tridentino proximè præcedentibus ſenſum poſteriorem deduci: Dato enim, quod ly *contriti, ac pœnitentes* pro contritione imperfecta, & attritione ſupponat, non ex hoc infertur, quod ſic ad Deum accedentes fiat per Concilium ſufficienter diſpoſiti ad immediatè conſequendam vi ſacrificii gratiam peccatorum remiſſivam, ſed ſolùm, quod ſint immediatè conſecuturi gratiam contritionis, & hac mediante remiſſionem peccatorum, ut magis explicat Concilium ſubjiciendo verba illa: *Hujus quippè oblatione placatus Dominus* &c. Caterum attritionem non eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ut peccator ex miſſæ ſacrificio pro ſe oblato juſtificetur, præter jam dicta confirmari poteſt ex ipſo Concilio *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. quatenùs docet, contritionem

nem imperfectã, quæ attritio dicitur nequire sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem. Neque dicas, sacrificiũ quantum est de se, habet vim impetrandi, & obtinendi auxilia ad conversionem, & gratiam contritionis etiam peccatori non attrito, & nil de sua salute, aut de suis peccatis cogitanti; ergo dum Concilium, ad consequendam ex sacrificio gratiam, requirit pro dispositione attritionem, gratia consequenda, de quâ agit, est immediatè gratia remissionis peccatorum, non præcisè gratia contritionis. Contra enim

62

dico cum Arriagâ *disp.51. sect.1. num.5.* Concilium ibi requirere in peccatore attritionem, contritionemvè imperfectam, tamquàm dispositionem, non simpliciter necessariam, sed convenientissimã, & maximè utilem, & verè talis est etiam in ordine ad obtinendam gratiam contritionis, cũ præcipuè videatur ibi Concilium agere de peccatoribus, petentibus pro se sacrificium offerri, qui quodammodo per irritionem id peterent, si nullum propriæ salutis desiderium, & contritionem, nequidem imperfectam haberent.

Assert. 3. Missæ sacrificium neque causat immediatè, & per se secũdam gratiam, remissionemvè venialium; sed gratiam habitualem, sivè primam, sivè secundam, remissionemvè culparum, sivè lethalium, sivè venialium causat solùm mediatè, impetrando auxilia ad eliciendos actus, quibus habitualem gratiam, & culparum remissionem dispositivè, aut meritoriè consequamur. Ità Auctores *praced. num.52.* relati pro tertiã sententiã, contrà relatos pro secundã, item Pighium, & alias, si qui sunt, qui pro primã verè steterint.

63

Probatur; ex eo quia causalitas immediata in gratiam, etiam secundam, & remissionem culparum, etiam solum venialium, non debet sacrificio tribui, sine necessitate, & nisi sufficienter constet de institutione, & ordinatione ipsius ad talem effectum; non apparere autem necessitatem, nec constare sufficienter de institutione sacrificij missæ ad ipsum, deducitur ex iisdem capitibus, ex quibus nuper *num.54. & seqq.* idem deducebamus circà causalitatem immediatã primæ gratiæ, & remissionis lethalium, ut poterit cuilibet fieri propriã consideratione compertum: fateor quidem, ac moneo, non valere pariter pro doctrinã præsentis asserti aliud argumentum pro doctrinã præcedentis *num.53.* deductum ab Eucharistia, ut Sacramento: at hinc nil aliud sequitur, quàm assertum præsens nõ habere tantam, quantam præcedens, probationem, & adhuc benè stat, habere probationem sufficientẽ; Nec quæ evincunt pro Eucharistiã, ut Sacramento, immediatam causalitatem in augmentum gratiæ, habent vim ullam pro Eucharistia, ut sacrificio; cum sit diversa utriusque tum essentia, tùm institutio; & sacramentum, non sacrificium petat ex genere suo primario ad gratiam referri. hic

Nõ causat item missæ sacrificiũ immediatè secundam gratiam, remissionemvè venialium.

64

impugnatã causalitate immediatã, & simul ex antecedenter dictis suppositã causalitate aliquã sacrificii in gratiam, peccatorumque remissionem, ulteriori probatione non indiget mediata causalitas, cum & alius modus sustinendi aliquam causalitatem non suppetat, & ipsa optimè sufficiat, tùm ad salvandam in Missã veram rationem sacrificii, tùm ad intelligendas auctoritates afferibiles in favorem causalitatis immediatæ.

Causat verò utrãque remissionẽ mediatè.

Dices primò, pro gratiæ augmento: Nimis omninò deprimitur tanti sacrificii virtus, & dignitas; si in justis, pro quibus offertur, gratiam non augeat, adeò ut Sacerdos dignè, devotèque celebrãs, & pro se offerẽs non crescat in gratiã, & Apostolis in ultimâ cœnâ nullum gratiæ incrementũ obvenerit, ex eo quod Christus instituerit, & pro ipsis obtulerit sacrificium; ergo neganda non est missæ sacrificio immediata causalitas secundæ gratiæ, seù augmenti. Confirmatur, ex eo quod minus est obtinere augmentum gratiæ justo, quàm donum pœnitentiæ peccatori, & qui per nos missæ sacrificium valet ad immediatè obtinendum peccatori donum pœnitentiæ, ergo multo magis ad obtinendum justo augmentum gratiæ. Sed contrà: Virtus, & dignitas

65

sacrificii non debet attendi penes aliquid spectãs nõ ad ipsius, sed ad sacramẽti genus hujusmodi autem est immediata causalitas gratiæ, sivè primæ, sivè secundæ: Nec mirandum est, Apostolis nullum immediatè obvenisse gratiæ augmentum, ex eo quod adstiterint Christo instituenti, & offerenti in cœna sacrificium incruentum, cum nullum pariter immediatè obvenerit adstantibus eidem offerenti in Cruce sacrificium cruentum, & aliundè eucharistia, tùm Apostolis in cœna, tùm Sacerdotibus dignè, devotèque celebrantibus, præter gratiam mediatè collatam, in ratione sacrificii, multam aliam contulerit, & conferat, ut utrisque suscepta in ratione sacramenti. Ad confirmationem data majore, & concessa minore, dico, illationem ad summum benè procedere, loquendo quo ad sufficientiam, secus quo ad efficaciam, hæc quippè pendet ab institutione, ex qua sacrificium habet causare immediatè donum pœnitentiæ, non incrementum gratiæ, quia illud, non istud est necessarium ad salvandam in sacrificio rationem propitiatorii, quam ex sua institutione habet, nec aliter in ordine ad peccatorum culpas exercet, quàm mediante dono pœnitentiæ, ut ostensum est.

66

Dices secundò pro remissione venialium, de istis Tridentinum *sess.22. cap.1.* sub quotidianorum peccatorum nomine specialiter ait, Christum reliquisse visibile sacrificium, *cujus salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur peccatorum applicaretur*: ergo ex mente Trid. visibile missæ sacrificium fuit specialiter relictum

lictum, & per se institutum ad remissionem venialium, ergo hanc per se immediatè causat: Similia, imò clariora pro sacrificio ad remittenda venialia per se instituto testimonia profert ex Paschasio, & Augustino, Marchinus *pract. cap.10.n.21.* Quin & Christus in cœna, dum perficiendo sacrificium dixit de incruenta effusione sui sanguinis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* videtur, specialiter ordinasse suum sacrificium ad remittenda Apostolorum, pro quibus offerebat peccata, quæ non erant nisi venialia. Confirmatur, ex eo quod immediata venialium remissio solet concedi sacramentalibus: quomodò autem in ordine ad venialia remittenda oblationi excellentissimi sacrificii negabitur illud, quod conceditur aspersioni aquæ lustralis, benedictioni episcopali, & similibus? Sed contra: Tridentinum in verbis relatis debet intelligi cohærenter ad alia, quę *ex cap.* 2. retulimus, quibus loquitur de remissione facienda mediante dono pænitentiæ, & de venialibus supponit id, quod per ly crimina, & peccata, etiam ingentia expressius definit de lęthalibus, ly enim *etiam* non limitat, sed extendit: Eadem esto Paschasii, & Augustini intelligentia, & dicito cum aliqua specialitate tribui missæ sacrificio venialium remissionem, non quia sit ad hanc per se institutum, sed quia faciliùs, & frequentiùs venialia, quàm lætahlia dimittit, licèt vtraque solum mediatè. In verbis Christi Vasquez *disp.* 199. latè ostendit ly *effundetur* ad effusionem cruentam passionis, non incruentam eucharistiæ referri, ad quamcumque autem referatur, debet intelligi in ordine ad remissionem mediatam; nec ad venialia rectè restringitur, sicuti nec suprà solos Apostolos rectè cadit ly, *& pro multis.* In confirmatione falsum assumitur; nec virtute sacramentalium remittuntur venialia, plus quam mediatè: & quandò immediatè remitterentur, non esset bona illatio ad sacrificium, quod sicuti minorem, quàm sacramentalia habet cum sacramentis affinitatem, ita nil mirum, si minùs quàm illa ad causalitatem sacramentorum propriam accedat; sicuti tamen aliundè est sacramentis perfectius, ita multò magis esset adhuc perfectius sacramentalibus.

Assert. 4. Modus causandi mediatus, & impetratorius conveniens missæ sacrificio respectu infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum rectè dicitur esse ex opere operato, non ex solo opere operantis. Ita Vasquez, & Madernus relati *praeced. num* 52. cæteriq; magis communiter, contra Suarium *ibid.* relatum, & alios nonnullos.

Præfecta causalitas mediata licet sit impetratoria est ex opere operato.

Probatur, & explicatur, quia licèt sacrificium possit in ordine ad infusionem gratiæ, & remissionem peccatorum mediatè, & impetratoriè iis, pro quibus offertur, prodesse, etiam ex opere operantis, idest quatenus actio sacrificativa, ut à sacerdote ritè, ac devotè facta est, verè bona moraliter, & tum ex devotione ipsius sacerdotis, tùm ex dignitate ecclesiæ suo modo per sacerdotem offerentis, potest esse non sacerdoti tantum, sed aliis quoque meritoria: nihilominus non hoc præcisè titulo prædictos effectus mediatè impetrat, sed multò magis quatenus est actio taliter instituta, & applicativa præteritorum meritorum Christi, undè Tridentinum *praecitat. cap.* 1. & 4. illos effectus tribuit missæ sacrificio, quatenus applicat virtutem, ac fructus sacrificii Crucis, & continet, atque incruentè immolat eumdem Christum, qui fuit cruentè in cruce immolatus: de eo prætereà *cap.* 1. singillatim ait, quod *nullâ indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*: atqui modus causandi missæ sacrificio conveniens ex divina institutione, & ex virtute meritorum Christi, nec dependens à dignitate, vel in dignitate: bonitate, vel malitia offerentis est ex opere operato, ergo modus causandi mediatus, & impetratorius conveniens missæ sacrificio &c. Nec refert, quod iste modus causandi dependeat à bonitate, & bonis actibus ejus, pro quo sacrificium offertur: nimirùm ab actu contritionis, ultimò disponente ad primam gratiam, si offeratur pro peccatore, ab actibus meritoriis augmenti, si pro justo: Nec refert, inquam, quia hinc solùm infertur, prædictos effectus causari immediatè ex opere operantis ab eo, pro quo sacrificium offertur, cum quo benè stat, etiam respectu ejusdem causari mediatè ex opere operato à sacrificio, dare scilicet ex opere operato auxilia, quibus is, pro quo sacrificium offertur, elicit, aut elicere potest opportuno tempore contritionem, si sit peccator, actus meritorios, si sit justus: undè etiam sacrificium, ad talia auxilia causanda, nullam requirit ejus, pro quo offertur dispositionem, & potest ea opportuno tempore conferenda impetrare, etiam oblatum pro dormiente, & nec de gratia, nec de sacrificio quidquam cogitante.

Dices. In causalitate ex opere operato non requiritur, quod ab applicante instrumentum ex opere operato causans petatur, & intendatur specialiter effectus; requiritur verò, quod effectus infallibiliter sequatur propter infrustrabilitatem promissionis absolutè Dei, in qua fundatur: atqui in causalitate impetratoria, quam tribuimus sacrificio missæ in infusionem gratiæ, & remissionem peccatorum res opposito modo se habet, requiritur scilicet, quod offerens sacrificium petat, & intendat ei, pro quo offert obtinere gratiam, & remissionem: nec ulla datur talis gratiæ, & remissionis obtinendæ infallibilitas, aut divina promissio; ergo causalitas impetratoria, quam tribuimus missæ sacrificio in infusionem &c. non est ex opere operato: minor quò ad primam partem probatur; quia impetratio ex genere suo requirit petitionē, & nullum opus est actualiter impetratorium, nisi ei adjungatur operantis petitio; quo ad secundam constat experientia, qua videmus,

nec

nec conteri omnes peccatores; nec statim erumpere in actus meritorios gratiæ omnes justos, pro quibus sacrificia missarum offeruntur.

70

Sed contrà: Causalitas ex opere operato, & causalitas ex opere operantis constituuntur, ac distinguuntur formaliter per hoc, quod posterior proveniat, ac pendeat ex dignitate, & bonitate operantis; prior non item, quod deindè ista petitionem non requirat, requirat verò infallibilitatem effectus, censeri potest aliquid pertinens ad majorem ipsius perfectionem, non ad rationem essentialem, aut certe in hoc fieri solùm potest quæstio de nomine magis, quàm de re: Quò ad infallibilitatem tamen, de quâ potest in re esse aliqua major ratio dubitandi: adverto, eam non benè impugnari experientiâ, quâ videmus nec conteri omnes peccatores, nec statim &c., ex hoc enim solum sequitur, non dari semper, & statim ex vi sacrificii auxilia efficacia peccatoribus ad pænitendum, justis ad merendum, cum quo benè stat dari illis semper pro opportuno tempore, suppositâ non appositione obicis, auxilia sufficientia, quod sufficit ad salvandam infallibilitatem, de quâ agitur, ut magis explicant Auctores memorati *praced. num.* 52. in fine.

Et obtinet suum effectum cum aliqua infallibilitate; loquendo de effectu immediato.

---

§. IV.

An, & quomodò missa sacrificium valeat ad remissionem temporalis pœnæ, & assecutionem temporalium bonorum?

71

ASSERT. I. Missæ sacrificium valet ad remissionem pœnæ temporalis ex condonatis peccatorum, sivè lethalium, sivè venialium culpis relictæ, & hujusmodi remissionem causat immediatè ex opere operato in iis, pro quibus offertur, sivè vivis, sivè defunctis. Est antiquissima, & receptissima sententia, quam ante Tridentinum tradiderunt D. Thomas *hic quæst.* 79. *art.*5. & *in* 4.*dist.*12. *quæst.*2. *art.* 2. *quæstiunc.*3, Albertus *ead. dist. art.*2. *ad* 7. Scotus *quolib.*20. Gabriel *lec* 27. *in Canon. Missæ* aliique plures, & post Tridentinum expressiùs omnes Scholastici, adeò ut Marchinus sepiùs *cit. part.*2. *cap.*10. *propos.*6. dicat, eam à nemine negari, & Suarez *disp.*79.*sec.*6. §. *Sed contra.* Admittat quidem assertum modum operandi hunc effectum non esse veritatem de fide certam, addat tamen esse communem Theologorum sententiam, à quâ discedere magna esset temeritas.

72

Missæ sacrificium valet, tùm pro vivis, tùm pro defunctis ad remissionem pœnæ temporalis ex culpis relictæ.

Probatur ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2. ubi postquam definivit, missæ sacrificium esse propitiatorium pro peccatis, & per ipsius oblationem percipi fructus oblationis cruentæ concludit *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè juxtà Apostolorum traditionem offertur*, idemque ferè repetit *can.* 3. & inferiùs *sess.* 25. de Purgatorio in principio definit purgatorium esse: *Animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari*. Vehemens hujus veritatis confirmatio habetur ex formâ ordinationis Sacerdotum, quâ dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, & defunctis*. Quæ quidem testimonia, licèt non exprimant causalitatis immediatæ ex opere operato modum, ac propterea, ut ex Suario nuper notavimus, non reddant rem de fide, nihilominùs ex duplici capite deducitur, ea non debere aliter intelligi: Primum est diversitas, quâ Concilium, dum prius tradit virtutem sacrificii ad remittendas culpas, miscet, ac quasi interponit contritionem, opportunum auxilium, & donum pænitentiæ; dum verò subiicit posteà ejusdem virtutem ad remittendas pœnas, absolutè loquitur, nec quidquam aliud requirit, aut interponit: Secundum est indistincta, eademque pro vivis, & defunctis expressio; cum enim defunctis nequeat sacrificium prodesse aliter, quàm immediatè, eo quod animæ in purgatorio existentes non sint capaces eliciendi actus ad propriarum pœnarum remissionem conducentes, eadem de vivis, quæ de defunctis locutio indicat mentem Concilii esse, quod sacrificium etiam vivis, quo ad pœnarum remissionem immediatè prosit, cum aliundè compertum sit, posse cuilibet sine ullo proprio actu remitti pœnam, quàmvis non sic saltem de lege ordinariâ culpam.

Et talem remissionē causat immediatè ex opere operato.

73

Nec obstat, quod D. Thomas *præcit. art.*5. doceat, missæ sacrificium fieri satisfactorium illis, pro quibus offertur *secundum quantitatem suæ devotionis*. Enim verò non apponit ly *secundùm quantitatem devotionis* tamquàm medium ad satisfaciendum ex se pro pœnâ, sed tamquàm dispositionem determinativam sacrificii ad satisfaciendum immediate pro pœnâ majore, vel minore, quâ ratione etiam sacramenta causant secundùm quantitatem devotionis, seù dispositionis subjecti gratiam, quàm ex opere operato immediatè conferunt.

74

Probatur insuper triplici ratione, & congruentiâ, desumpta ex comparatione nostri novi sacrificii. Primò ad nostra nova sacramenta; secundo ad antiqua sacrificia; tertiò ad sacrificium Crucis; Ex primâ comparatione sic arguo; Christus instituit aliqua nova sacramenta, tamquam instrumenta, & remedia per se, & immediatè conferentia remissionem culpæ, ergo convenientissimum fuit, quod & institueret aliquod remedium conferens per se immediatè remissionem pœnæ, ad hoc autem fuit valdè accommodatum missæ sacrificium, cum per ipsum specialiter applicentur ex mox dicendis Christi satisfactiones, ac præterea pœnæ remissio non importet sanctificationem, aut aliquem actum ejus, cui pœna remittitur, adeòque sacrificio melius, quam sacramento tribuatur. Ex secundâ comparatione arguo sic; nostrum novum sacrificium complectitur superexcellenti modo

omnem

omnem virtutem antiquorum, quibus successit, velut ipsorum consummatio, & perfectio ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. in fine; atqui antiqua sacrificia habebant aliquam immediatam virtutem remittendi, & expiandi defectus, imperfectionesque legales; ergo nostrum novum sacrificium habet aliquam immediatam virtutem remittendi, & expiandi defectus peccatorum; non remittit autem ex jam dictis immediatè peccatorum culpas, reliquum est igitur, quod remittat immediatè peccatorum pœnas, ex culpis relictas.

75 Ex tertiâ comparatione sic; Sacrificium cruentum Crucis habuit specialiùs rationem satisfactorii, quàm meritorii cum fuerit opus externum afferens molestiam, dolorem, passionem, quæ sunt propria satisfactionia magis, quàm meriti, ut attigimus in tract. de Gratiâ *lib.* 4 *cap.* 7. §. 6. *num.* 58. atqui nostrum missæ sacrificium est specialis repræsentatio sacrificii cruenti Crucis; ergo aliquâ speciali ratione nobis applicat valorem ipsius, ut satisfactorii, & peccatorum pœnas per modum satisfactionis, adeòque immediatè remittit: Deindè in præallatis Tridentini verbis dum divinum missæ sacrificium dicitur ritè offerri pro satisfactionibus, quid aliud, ut observavit Vasquez *hic disp.* 228. *cap.* 4. *num.* 28. melius insinuatur, quàm pro nostris operibus satisfactoriis substitui, & rationem satisfactorii habere: Hinc sit

76 *Eamdem remissioné causat satisfactoriè lege certa, & infallibili.*

Assert. 2. Missæ sacrificium in iis, pro quibus offertur, sivè vivis, sivè defunctis penæ remissionem causat satisfactoriè lege certa, & infallibili. Hoc assertum, quatenùs de sacrificio pro vivis oblato procedit, non habet, quod sciam ullum Auctorem catholicum adversantem, quatenùs procedit de eodem oblato pro defunctis, traditur à Covarruviâ in cap. *Alma Mater par.* 1 §. 5. *num.* 11. Azorio *par.* 1. *Instit. moral. lib.* 10. *c.* 22. Stephano Fagundez *de quinque Ecclesiæ præcept. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 15. Canisio *de Euchar. cap.* 7. Suario *hic disp.* 79. *sec.* 10. Vasquio *pracit. nu.* 28. Marchino *par.* 2. *de Sacrif. Missæ cap.* 9. *num.* 11. Maderno *quæst.* 8. *art.* 5. *num.* 27. & aliis passim, contrà Dominicum Sotum *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. Canum *lib.* 12. *de locis theolog. cap.* 13. *ad* 9. Cordubam *lib* 1. *quæst.* 3. & alios nonnullos docentes, missæ sacrificium prodesse animabus purgatorii solùm per modum liberalis impetrationis, & ut vocant suffragii, quantum, & quando Deo placuerit, acceptare.

77 Probatur; quia ex unâ parte missæ sacrificium causare in vivis saltem penæ remissionem satisfactoriè, habetur sufficienter *ex praced. num.* 75. item ex D. Thomæ in verbis *num.* 73. relatis, & omnium Scholasticorum in id consentientium auctoritate, supposito verò, quod satisfactoriè causet, consequens est causare lege certâ, & infallibili; in tantum quippè aliqui dubitant de certitudine, & infallibilitate effectus conducentis ad remissionem culpæ, in quantum talis effectus est à sacrificio impetratoriè; ex aliâ parte, si in vivis satisfactoriè causat congruentiùs, & religiosiùs dicitur, quod causet pariter satisfactorie in defunctis, cum in Tridentino *pracit. cap.* 2. in formâ ordinationis sacerdotum, & in Sanctis Patribus passim idem sit modus loquendi de oblatione, & utilitate sacrificii pro vivis, & defunctis, nec suppetat ulla sufficiens necessitas intelligendi eadem verba aliter respectu vivorum, aliter respectu defunctorum; respectu illorum per modum propriè satisfactionis, & solutionis, quasi certo pretio factæ; respectu istorum per modum benignæ impetrationis, & suffragii liberè acceptabilis.

Ostenditur id singillatim respectu defunctorum, seù animarum purgatorii,

78 *Rationes dubitandi in oppositum pro prædictis animabus.*

Dices, non deesse aliquam sufficientem necessitatem aliter intelligendi; imo adesse ex multiplici capite: Primò scilicet, ex eo quod animæ defunctorum in purgatorio non sint ampliùs in statu viæ, sacrificium autem, sicut & quodlibet sacramentum, fit pro solis viatoribus institutum: ex quo capite sicuti solis vivis non defunctis potest aliquod sacramentum prodesse, imò nec sacrificium ipsum defunctis prodesse potest, quo ad effectum augmenti gratiæ, ità necesse est, quod vivis solùm non defunctis, prodesse possit, quo ad effectum satisfactionis, & remissionis penæ: Secundò ex eo quod illæ animæ non sint, ut sunt homines in hâc vitâ, membra ecclesiæ visibilis, nec ista in illas habeat potestatem, & jurisdictionem, non potest igitur ecclesia illis certâ, & infallibili lege applicare sacrificium visibile, & quod non baptizatis, tamquàm ecclesiæ ipsi non subditis, solùm impetratoriè prodesse potest: Tertiò; quia opera satisfactoria, quæ quis potest exercere pro alio, imò etiam valor meritorum existentium in thesauro ecclesiæ, qui per indulgentias dispensatur, possunt quidem dum vivis applicantur prodesse satisfactorie, & infallibiliter ad penæ remissionem, at cum applicantur defunctis, prosunt solùm impetratorie, & per modum suffragii; ergo idem sentiendum de valore satisfactorio passionis Christi, ut applicabili per missæ sacrificium. Sed contra:

79 *Animæ purgatorii sunt in statu medio inter viam, & terminum, & de utroque participant.*

Ad primum necessitatis, seù disparitatis caput; dico, animas defunctorum in purgatorio esse adhùc in viâ secundum quid, esse scilicet in viâ patiendi, & solvendi pœnarum debita; quamvis sint in termino, non in via merendi, aut demerendi; acquirendi, aut amittendi gratiam; sunt igitur in statu medio participante partim de viâ, partim de termino, & quatenus, quo ad debitum pœnæ, de via participant, & secundum quid in via existunt, benè potest sacrificium pro viatoribus institutum illis, æque ac hominibus vivis simpliciter in via existentibus, prodesse: Nec eadem est ratio de sacramentis, aut de sacrificio ipso, quo ad effectum augmenti gratiæ, cum respectu istius animæ purgatorii in termino, non in via existant. Est alia quoque pro sacramentis specialis ratio, quia hæc non operantur nisi suscepta, suscipiuntur autem per actionem corporalem exercitam in corpore,

re, vel circà corpus suscipientis, quæ actio sicuti nequit respectu animarum separatarum exerceri, ità nec possunt ab istis sacramenta suscipi: Sacrificium operatur per hoc, quod ex intentione offerentis applicetur, & quâdam extrinsecâ ordinatione terminetur ad eum, pro quo offertur, quæ extrinseca ordinatio bene potest ad animas separatas terminari; ideò &c.

80

Sunt item aliquo modo membra nostræ Ecclesiæ, & sub ipsius potestate,

Ad secundum; dico, Ecclesiam nostram habere, & quod sit visibilis, & quod sit militans; Si minùs sub primâ, saltem sub secundâ ratione, animæ purgatorii sunt adhuc nostræ Ecclesiæ membra ut potè quæ nondum triumphant, sed adhuc pugnant, aut pugnæ, & militiæ quasi reliquias patiuntur; potest igitur illis prodesse sacrificium pro Ecclesia, etiam ut militante institutum, quodque licet in se visibile, ac sensibile non indiget ulla visibili, ac sensibili mutatione in eo, pro quo offertur. Porrò animæ purgantes, quo modo sunt; tùm viatrices, tùm nostræ Ecclesiæ membra, sunt pariter sub aliquâ nostræ Ecclesiæ potestate, & jurisdictione, nec valet ex hoc capite ipsarum comparatio cum non baptizatis, qui numquam sunt Ecclesiam ingressi, nec habent in Baptismi charactere signum fidei simul, & subjectionis; ratione cujus in ipso missæ Canone fit peculiaris mentio defunctorum, verbis illis *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.*

81

Cur infallibiliter juventur applicatione sacrificii missæ potius quam applicatione indulgentiarum?

Ad tertium, supponendum est, non carere controversia. Utrùm Indulgentiæ defunctis prosint per modum liberalis impetrationis ex Dei beneplacito, an lege certâ, & infallibili ex Dei promissione? Si detur, quod possint solum priore modo prodesse, adverterem Tridentinum in verbis *ex sess. 25.* relatis docens, animas in purgatorio detentas juvari fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio, per ly *potissimum verò* insinuare modum juvandi excellentiorem, & diversum ab eo, quo juvant fidelium suffragia, ex eo igitur, quod hæc non juvent defunctos lege certâ, & infallibili, non valet deductio ad negandum modum juvandi certum, & infallibilem, etiam Missæ sacrificio; de quo prætereà ex Ecclesiæ traditione, & ejusdem Tridentini definitione deducitur, fuisse à Christo institutum ad remittenda pœnarum debita defunctis, æquè ac viventibus; non habeatur autem institutio pro indulgentiis, multoque minus pro privatis fidelium, unius pro alio, satisfactionibus. Sed de his plura prosequi spectat ad disputationem, de Indulgentiis:

82

Assert. 3. Missæ sacrificium valet etiam ad consecutionem bonorum temporalium, & hunc effectum causat impetratoriè, nec semper, & ex certâ lege ipsum in actu secundo confert. Ita tradunt, aut supponunt sine controversia Scholastici, & est juxtà vulgarem fidelium sensum.

Missæ sacrificium valet etiam ad bona temporalia consequenda;

Probatur ex sæpiùs memoratis verbis Tridentini *sess. 22. cap. 2. & can. 3.* in quibus ly *Et aliis necessitatibus* non solum pro necessitatibus spiritualibus, puta aquisitione virtutum, victoriâ tentationum, sed & pro temporalibus supponere, evincit quotidianus fidelium, & Sacerdotum usus, quo solent illi postulare, isti celebrare missæ sacrificia, pro obtinendis beneficiis, ex bonis temporalibus; puta corporis sanitate, aeris serenitate, frugum abundantiâ, imò & pro iis in missâ petendis, habemus ab Ecclesia institutas, & in Missali descriptas proprias orationes, quæ omnia nimis incongruenter, & Imprudenter fierent, si missæ sacrificia ad occurrendum temporalibus necessitatibus, ad consequendum temporalia bona non valerent: Supposito autem, quod valeant; nequeunt, hunc effectum aliter, quam impetratoriè causare, quia ad impetrationem pertinet omnis causalitas, quæ In ordine ad bonum aliquod obtinendum missæ sacrificio competit independenter à dignitate, & merito Sacerdotis celebrantis, non potest quippè ad alium causalitatis moralis modum reduci. Quod deindè hujusmodi effectus semper, & ex certâ lege in actu secundo non conferatur; non alio indiget, quam experientiæ argumento; Videtur quidem hæc fallibilis, & incerta effectus consecutio obesse causalitati ex opere operato: Verùm utrùm in rigore causalitas ex opere operato essentialiter requirat effectum infallibilem? Non satis conveniunt, nec multum examinant Auctores, & putant ad quæstionem de nomine pertinere Lugus *hic disp. 19. sec. 9. num.* 160. Arriaga *disp.* 52. *sec.* 6. in fine, & Herinex *disp.* 8. *quæst. 6. nu.* 73. Ideò non expedit detineri: quod ad substantiam pertinet est, hujusmodi effectum in missæ sacrificio non provenire à Ministri bonitate, ac dignitate, sed à Christi institutione, vel merito; ex eo quod non proveniat à dignitate Ministri, non est ex opere operantis; Utrùm deindè, ex eo quod proveniat ab institutione, & applicatione meritorum Christi, dici debeat, esse ex opere operato, etsi non sit ex certâ lege: An verò inter esse ex opere operantis, & esse ex opere operato, induci debeat tertius modus causalitatis, quæ peculiariter nominetur impetratoria, & non appelletur ex opere operato, præcisè quia non conjungitur cum effectu certò, & infallibiliter? videtur mihi purè putè de nomine; potius tamen affirmarem, quàm negarem esse ex opere operato; habet enim id, quod est in causalitate ex opere operato primarium, & potissimũ; nimirùm conferre effectum ex institutione, & merito alieno; non ex dignitate, & merito operantis; quidquid aliter sentiat, cum aliis non paucis, Suarez *hic disp. 79. sec. 7. §. Secundò dicendum est.*

Et hunc effectum causat impetratoriè, interdum solum non semper.

83

84

Verùm causet ex opere operato? quæstio est de nomine; in qua potius affirmarem.

Dices, fieri Christo injuriam, ponendo ex ipsius institutione, & merito obtineri

in missæ sacrificio bona temporalia, cùm propter hæc Christus non sit passus, aut mortuus, nec deceat ipsius merita ad res caducas obtinendas applicari, seù ordinari; ergo melius, & tum Christi, tùm sacrificii dignitati consonantius diceretur, missæ sacrificium ex institutione, & merito Christi valere solum ad impetranda bona spiritualia, solum etiam de necessitatibus spiritualibus locutum fuisse Tridentinum; pro temporalibus verò, siquid sacrificium valet, totum esse ex opere operantis, & ex celebrantis merito; nec quidquam amplius suadere ea, quæ ex fidelium usu, & orationibus ab Ecclesiâ institutis in asserti probationem deduximus. Sed contrà: Omnis in Christum injuriæ, & indecentiæ species longè removetur, si cum Suario nuper *cit. sec. 7. §. Undè facilè solvitur*, & Vasquio *disp.* 228. *cap.* 4. in fine dicatur, bona temporalia esse per missæ sacrificium impetrabilia solum, quatenus possunt bonis spiritualibus subservire, & ad salutem, pietatemque conducere, quâ ratione Christus rectè dicitur passus, & mortuus secundariò etiam propter temporalia, & res caducas, ut æternas respiciunt, induunt peculiarem nobilitatem, quâ decentissimè Christi meritum terminant. Accedit, quod bona temporalia etiam secundum se considerata nos alliciunt ad Christi cultum, & ad agendas Christo gratias, si per Christum obtineantur; decet igitur potius, quam dedeceat Christi dignitatem, ea obtineri per Christum, hincque ea etiam secundum se posse eucharistici sacrificii oblatione impetrari insinuant Lugus *præcit. sec 9. num.* 157. & Arriaga *disp.* 51. *sec.* 3. in fine, quibus tamen in re valdè incertâ, & nostro instituto non necessariâ, non facilè adhæreo.

85

86

Valor sacrificii alius propitiatorius; potest assignari, & tertius ex utroque mixtus.

Ex dictis habetur, valorem sacrificii missæ, quem in hujus capitis limine divisimus universim in propitiatorium, & impetratorium; posse exactius dividi in purè propitiatorium, purè impetratorium; & mixtum; seù partim impetratorium, partim propitiatorium: Valor purè propitiatorius est, qui exercetur in ordine ad remissionem pœnæ temporalis peccatis, quo ad culpas remissis debitæ, quique talem remissionem per modum satisfactionis, non per modum impetrationis causat, & nomine magis proprio satisfactorius dici potest. Valor purè impetratorius est, qui exercetur in ordine ad obtinenda justia bona, primariò quidem spiritualia; ut augmentum gratiæ, & habituum virtutum, auxilia ad vincendas tentationes, & similia; secundariò, etiam temporalia, ut corporalem salutem, frugum copiam, & similia; quæ licèt in se res temporales sint, possunt tamen quoque ad aliquod bonum spirituale conducere. Valor mixtus, & partim impetratorius, partim propitiatorius est, qui exercetur in ordine ad causandam in peccatoribus primam gratiam culparum lethalium remissivam; iste enim valor, quatenus Deum placat, & movet ad cessandum ab indignatione, & odio peccatoris est propitiatorius, quatenus verò id non præstat immediatè, sed mediante gratia, & dono penitentiæ, quam peccatori importat, est impetratorius; adeoque ex impetratorio, & propitiatorio mixtus, absolutè tamen potius propitiatorius, quam impetratorius dici debet, quia est propitiatorius, quo ad substantiam effectus causati, impetratorius solum, quo ad modum causandi.

87

Quinam valor sit perfectior, & excellentior?

Si quæratur hic obiter, quinam missæ valor sit perfectior; propitiatorius, an impetratorius? Dici poterit, se habere ad invicem per modum excedentis, & excessi: Valor scilicet impetratorius est perfectior extensivè, quia ad plures personas, pluresque effectus extenditur, & ferè quo ad omnia omnibus prodesse potest, cum valor propitiatorius respiciat personas, & effectus valdè determinati generis: Est tamen iste valore impetratorio perfectior quasi intensivè, quatenus causat effectum maximè ad salutem necessarium, ipsumque confert lege certâ, & infallibili; effectus necessitas relucet potissimum in valore propitiatorio respectu remissionis culpæ, infallibilitas in eodem respectu remissionis pœnæ relictæ ex culpâ.

CAPUT IV.

A quibus, pro quibus, & quo ritu offerendum sit Sacrificium Missæ?

1

Quatuor in quolibet sacrificio potissimum consideranda.

D. Augustinus *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 14. postquam docuit, sacrificium soli Deo deberi, ait *Neque id posse ritè offerri, nisi per Sacerdotem Sanctum, & justum, nec nisi ab eis accipiatur, quod offertur, pro quibus offertur* &c. Juxta hæc Augustini verba solent, in quolibet sacrificio quatuor considerari; cui offeratur; quid offeratur; à quibus, & pro quibus offeratur? Cui offeratur Missæ sacrificium? ipsum scilicet soli Deo offerri, constat tùm ex suprà traditâ definitione sacrificii in genere, tùm ex excellentiâ, & perfectione sacrificii eucharistici propriâ: Quid in eodem sacrificio offerratur? in ipso scilicet offerri principaliter Christum Dominum minus principaliter etiam panem, & vinum, traditum est ex professo *præced. cap.* 2. § 5. A quibus, & pro quibus offeratur? vix hucusque leviter tactum est, ideò id utrumque facimus materiem hujusce capitis, cui pro totius tractatus coronide addemus nonnulla de missæ ritu, idest de circumstantiis loci, temporis

&

& similibus aliis conditionibus ad ejus celebrationem requisitis, quæ tamen percurremus celerrimè sunt enim omnia, tùm suppositis antecedenter in toto tractatu dictis facillima, tùm purè moralia, & Casuistarum, vel Summistarum propria. Redeo ad primum, & explicaturus, à quibus offeratur, seù quinam sint offerentes missæ sacrificium? Suppono, ut & in limine capitis præcedentis supposui, tres ritè assignari, nimirum Christum Dominum, Sacerdotem celebrantem, & Ecclesiam, pro ut nec Christum, nec Sacerdotem, sed alios fideles complectitur.

2 — *Christus in quolibet missæ sacrificio est offerens;*

De Christo porrò certum est, esse offerentem, non utcumque, sed principalem, seù primarium; & quidem esse offerentem, passim exprimunt Sancti Patres, & Concilia, Tridentinum præserim, ut videre est apud Vasquium *hic disp.* 225. *cap.* 1. quamvis verò non ità in terminis exprimant, esse offerentem principalem, seù primarium, & Vasquez *cap.* 2. moneat, ex Auctoribus in hoc puncto allegari solitis, Bellarminum primò expressisse, in Christo rationem offerentis primarii, seù principalis; nihilominus familiare jam est Scholasticis, ità expressè loqui, & ipse met Vasquez *eod. cap.* 2. *num.* 10. fatetur, id non ineptè colligi ex verbis Sanctorum Patrum dicentium, Christum in nobis offerre, vel nos offerre Christi vice, Christi nomine, in Christi personâ; præter quod cum Christus sit summus Sacerdos, nec ullum alium Sacerdotem, aut superiorem, aut æqualem admittat, eo ipso quodramquam Sacerdos est offerens, necesse est, quod sicuti est Sacerdos, ità sit offerens summus, primarius, ac principalis:

Isque principalis, seù primarius.

3 — Dubitatur jam, utrùm talis sit, immediatè, & proximè offerendo per se ipsum actualiter, quotiescumque, & ubicumque missa celebratur; an solum mediatè, & remotè? non quatenus offerat mediante aliquo alio principaliter offerente, sed quatenus licet non sit ullus alius præter ipsum offerens principalis, ipse tamen dumtaxat obtulerit immediatè sacrificium incruentum in cænâ in primâ institutione, imposterum verò non aliter offerat, quam per hoc, quod ex vi primæ institutionis Sacerdotes offerunt, tamquam ipsius Ministri, ipsius nomine, & per virtutem, potestatemque ab ipso acceptam: In hoc sensu.

4 — Christum esse in quâlibet missâ principalem offerentem solum mediatè, & remotè sentiunt Gabriel *lect.* 26. *in Canon. Missæ*, Corduba *lib.* 1. *quæst.* 3. *opin.* 2. Vasquez *disp.* 225. *cap.* 3. Amicus *disp.* 33. *sec.* 4. *num.* 94. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 19. *num.* 4. & aliqui alii, quibus videtur favere Scotus *quodlib.* 20. §. *Hic præmittendum*. Sentiunt ex adverso, esse principalem offerentem, etiam immediatum, & proximum Suarez *disp* 77. *sec.* 1. §. *Dico secundò*. Coninchus *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 6. Lugus *disp.* 19. *sec.* 7. Arriaga *disp.* 50. *sec.* 8. Herinex *disp.* 8. *quæst.* 4. Madernus *quæst.* 8. *art.* 5. Marchinus *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. & permulti alii quamvis non omnes æquè propriè, & æquè expressè loquantur, imò etiam aliqui, ut ex Auctoribus recitatis Lugus, & Arriaga, vix putent, esse quæstionem, nisi de nomine; est tamen verè de re, si sensus à nobis præinsinuatus teneatur, ut nos mox tenebimus, & magis explicabimus. Ideò sit.

---

§. I.

Quomodò Christus in Missæ sacrificio sit principalis offerens?

5 — ASSERT. I. Christus in missæ sacrificio non est principalis offerens solum mediatè, & remotè ratione institutionis, quâ præcepit in ipsius memoriam, & in ipsius personâ missæ sacrificium fieri. Hujus asserti, tùm Patronos, tùm Adversarios habes *præced. num.* 4.

Nec offert solum mediatè, & remotè ratione institutionis, qua Minister offert in ipsius persona.

Probatur: Sacrificii institutio, & sacrificii oblatio, ratio instituentis, & ratio offerentis, sunt inter se valdè diversæ, & ab invicem separabiles, nam oblatio, pro ut nunc sumitur, est actus sacerdotis proprius; non sic institutio, & Deus de facto habuit rationem instituentis, non offerentis; instituit, non obtulit antiquæ legis sacrificia; ergo Christus respectu sacrificii missæ non rectè dicitur offerens, ex eo quod fuerit instituens; nec est offerens præsertim principalis, solum mediatè, & remotè ratione institutionis: Respondebis ex Vasquio *cap.* 4. *num.* 25. ad rationem, & denominationem offerentis non sufficere quidem quamcumque institutionem, benè tamen eam, in quâ non desunt cætera ad offerendum requisita, quæ scilicet ab aliquo sacerdote fit, ut nomine ipsius, & in ipsius personâ offerant, deindè cæteri inferiores Sacerdotes, qualis fuit institutio novi sacrificii facta à Christo, non institutio antiquorum facta à Deo;

6 — Sed impugnaberis; quia etiamsi, qui instituit sit Sacerdos, potest sacrificium instituere, absque eo quod ipsum offerat, dum instituit, ergo multo magis absque eo quod ipsum offerat, dum posteà offerent cæteri; Ad illud, quod additur de instituente, ut cæteri offerant in personâ, & nomine ipsius; dico, hoc, quod est cæteros in ipsius personâ, & nomine offerre, vel importat, quod posteà in quâlibet oblatione ipse deleget Sacerdotem inferiorem ad offerendum vice sui, vel solum, quod posteà reliqui Sacerdotes habeant offerendi potestatem, & virtutem ex ipsius institutione, & merito: Si primum dicatur: Admitto per id salvari in Christo rationem principalis offerentis; at jam aliquid additur institutioni, nimirum actualis delegatio pro quolibet sacrificio iterata, & ex

vi istius, non ex vi præteritæ institutionis præcisè Christus erit offerens: Si dicatur

7

secundum, Christus non esset magis principalis offerens quodlibet sacrificium, quam sit principalis conficiens quodlibet sacramentum, nam etiam quilibet conficiens sacramentum operatur, ut Christi minister, & in Christi personâ, idest ex Christi institutione, & applicando Christi merita; omninò autem existimo, Christum in missâ principaliter offerre eucharistiam, ut sacrificium, aut etiam eamdem conficere, ut sacramentum specialiore, & immediatiore modo, quàm conficiat regulariter ullum aliud sacramentum, ut ex eo quod suprà *lib. 1. cap. 7.* §. 8. ostensum est, Sacerdotem consecrantem loqui in personâ Christi specialius, quam Ministri proferentes formas aliorum sacramentorum, potest non parum deduci; multò magis verò ex eo quod Concilia; & Sancti Patres, non sicut absolutè tradunt Christum in quâlibet missâ offerre, & conficere sacrum mysterium, tradunt pariter ipsum conficere quodlibet aliud sacramentum.

8

Sed etiam immediatè, & proximè eliciendo actus, quibus facit simul cum Ministro sui corporis, & sanguinis oblationem.

Assert. 2. Christus in missæ sacrificio est principalis offerens etiam actualiter, & proximè eliciendo actus, quibus simul cum Ministro facit sui corporis, & sanguinis oblationem in cultum divinæ Maiestatis. Hoc assertum non est, nisi major explicatio præcedentis, apposui autem ly *etiam* ad insinuandum, me non contendere, quod Christus nullo modo sit principalis offerens ratione institutionis, sed admisso, quod ratione istius denominetur offerens habitualiter mediatè, & remotè; me velle, quod sit simul offerens alio modo magis perfecto, & magis proprio, idest actuali, immediato, & proximo.

Probatur: Quod Christus in missæ sacrificio offerat actualiter, & proximè eliciendo actus, quibus simul cum Ministro faciat &c. multum confert primò ex parte missæ ad oblationis, seu actionis sacrificativæ valorem, cui proculdubio major accedit æstimabilitas ex Christo actualiter, & proximè, quam habitualiter solum, & remotè offerente. Secundo ex parte Christi ad sacerdotii dignitatem, præsertim quatenus ipse Christus *psal.* 109. dicitur Sacerdos in æternum, quod egregiè verificatur per hoc, quod actualiter quotidie offerendo permaneat in actuali Sacerdotii exercitio usque ad extremum judicii diem, quod habet speciem quamdam æternitatis; ex adverso valdè impropriè diceretur perpetuus, æternusque Sacerdos, si perpetuò vacaret ab omni munere, & exercitio sacerdotalis potestatis; Præterea sicut Deus titulo primæ causæ concurrit immediatè, non mediatè tantum, ad effectum cujuslibet causæ secundæ, ità congruit, Christum titulo primi Sacerdotis immediatè, non mediatè tantum concurrere ad cujuslibet Sacerdotis secundi sacrificium:

9

Tertiò ex parte Sanctorum Patrum ad meliorem, & magis propriam intelligentiam auctoritatum, quibus absolutè pronunciant, Christum nobiscum offerre missarum sacrificia, & ut signanter ait Tridentinum *sess. 22. cap. 2.* eumdem nunc esse offerentem Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa, quæ quidem diversitas cum ex insinuatione ipsius Concilii, & communi Doctorum sensu solùm attendâ penes modum cruenti, & incruenti, idest penes oblationem modo cruento factam in Cruce, modo incruento in missâ, non est cur nunc inducatur diversitas alia penes modum remoti, & proximi; idest penes oblationem, quæ à Christo in missâ remotè fiat, cum in Cruce fuerit facta proximè, sicuti etiam fuit facta proximè in cœnâ, cum sacrificio autem cœnæ omninò æquiparatur quodlibet sacrificium missæ; nec est necesse, à sacrificio Crucis diversificare oblationem, quæ fit quotidiè in missis magis, quam oblationem, quæ fuit semel facta in cœnâ; ergo propter hæc, & similia dicendum est, Christum in missis actualiter, & proximè offerre quoties hoc aliundè non repugnet, atqui verè aliundè non repugnat, ergo de facto Christus actualiter, & proximè in missis offert, adeoque est principalis offerens etiam actualiter, & proximè eliciendo actus &c. Probatur minor subsumpta solvendo rationes repugnantiæ, seu incongruentiæ ab Adversariis excogitatas: Ideò

10

Dices primò: Apostolus *Heb. 7.* ait de Christo *Qui non habet necessitatem quotidiè (quemadmodum Sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit semel se offerendo.* Item cap. 9. *Non enim in manu facta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum Cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: Neque ut sæpè offerat semet ipsum* &c. Tandem cap. 10. *Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidiè ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata: hic autem* (scilicet Jesus Christus) *unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet* &c. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Quomodò autem, cum his tàm claris testimoniis, quibus traditur, Christum semel tantum se ipsum obtulisse, unâ oblatione sanctificatos consummasse, non habere necessitatem offerendi quotidiè, non sæpè offerre; quomodò, inquam, cum his cohæret nostra doctrina, ex quâ sequitur, Christum Dominum per se ipsum immediatè, & proximè plurima singulis diebus offerre sacrificia, plurimas iterare oblationes, tot scilicet, quot toto orbe missæ celebrantur. Sed

11

contrà: Relata testimonia procedunt solum de oblatione cruentâ, & secundum hanc verissimum est, Christum unâ oblatione sanctificatos consummasse; non sæpè, non quotidiè offerre, cæterum sicuti per hoc nõ excluditur pluralitas, & quotidiana repetitio oblationis incruentæ, ità nec quod Chri-

stus

Auctoritates, quæ afferri possunt pro Christo semel, non sæpè, & quotidiè offerente procedunt de oblatione cruenta.

stus pluries, & quotidiè se ipsum incruentè offerat, etiam actualiter, & proximè: undè Apostolus vix magis favet Adversariis contrà nos in proposito, quam faveat Sectariis (quibus certè nihil favet) in eo quod ex præmemoratis verbis inferunt, non dari in lege novâ ullum aliud verum, & vere propitiatorium sacrificium præter cruentum Crucis. Omnibus igitur fatendum est, Apostolum nihil aliud intendere, quam fuisse in lege veteri plura cruenta sacrificia, & plures sacerdotes cruentè sacrificantes, eo quod nulla hostia se solâ suffecerit ad omnia peccata auferenda, nullusque Aronicus sacerdos fuerit perpetuus, & immortalis, in lege autem novâ esse unicum sacrificium cruentum, & unicum sacerdotem principalem, quia una cruenta immolatio fuit se solâ valoris, & meriti universalis abundè sufficientis ad omnium peccatorum remissionem, & Christus postquam introivit semel in sancta est sacerdos in æternum: Ex quo sicuti non præjudicatur legi novæ, quo ad pluralitatem sacerdotum minus principalium, & sacrificiorum incruentorum; ità nec pluralitati oblationum, quibus Christus Dominus, tamquam sacerdos magis principalis actualiter, & proximè concurrat cum sacerdotibus minus principalibus, ad quamlibet sui immolationem incruentam, non per modum universalis, & novi meriti, sed determinando, & applicando universale, infinitumque meritum immolationis cruentæ, quâ unâ semel factâ omnem sanctificationem in actu primo, & quò ad sufficientiam ab initio consummavit.

13

Dices secundò: Si Christus de facto offert quodlibet missæ sacrificium actualiter, & proximè, in quolibet missæ sacrificio actu orat, & meretur: sicuti actu orant, & merentur alii sacerdotes offerentes; atqui Christus de facto nec orat, nec meretur; existit enim in Cælo gloriosus, ut nos exaudiat, non ut pro nobis oret, nec est ampliùs in statu merendi, imò Simeon Thessalonicensis apud Vasquium *præcit. cap. 3. num. 15.* censuit, id absurdum, & blasphemum, scripsit enim *Existimare Christum per preces, quæ in missâ fiunt, semper Mediatorem agere, plenum est blasphemiâ, & absurditate; est enim &c. Sanctificare munera, & sanctificari fideles, ipse solus est, qui hæc facit, orationes verò, & obsecrationes, ac supplicationes, quæ in his fiunt, Sacerdotis sunt; illa Domini, hæc Ministri: Minister orat, Dominus consummat orationes;* ergo. Sed contrà: Concedo Christum nunc in Cælo gloriosum non mereri, nego non orare; & ipsum independenter ab eo, quod actu offerat missæ sacrificium, nunc aliquando actu orare, suppono ex dictis in tract. de Incarnat. *lib. 3. cap. 3.* §. 1. in fine ubi etiam attigi, cur orando non mereatur: Quamvis igitur aliud sit sacrificium offerre, aliud orare, ut sacrificium prosit, & posset Christo tribui illud sine isto, nihilominus in re censeo, debere tribui, & istud. Ad auctoritatem Simeonis Thessalonicensis Lugus *præcit. sec. 7. num. 91.* observat, Simeo-

14 Christus de facto offerendo missæ sacrificium pro nobis orat, at non meretur.

nem illum fuisse modernum quemdam Schismaticum, & Vasquium ei fidentem non videri agnovisse, qualis fuerit: quando deindè ejus auctoritas foret alicujus ponderis, nil obesset, quia negat Christo dumtaxat orationes, & preces in missis fieri solitas modo supplici, & cum externis signis subjectionis, ac demissionis, quas nos quoque *præcit.* §. 1. excipiebamus, cum diceba-mus, Christum in Cælo orare: Fortè etiam in verbis relatis sermo est de Christo, ut Deo, dum sacerdoti obsecrare, Christo sanctificare; Ministro orare, Domino orationes consummare tribuitur: Tandem ex terminis relata verba nil aliud exprimunt, quàm Christum in missâ non fungi munere Mediatoris, recitando preces, & orationes à nostris sacerdotibus recitari solitas, cum quo benè stat ipsum aliter actu orare, multòque magis actu offerre: imò Marchinus *præcit. cap. 5 num. 11.* putat hoc clarè tradi ab eodem Thessalonicensi, sic posteà concludente *Offert quidem, & Dominus, sed se ipsum Patri offert, postquàm fuit ipse, id est postquàm mutata sunt in corpus, & sanguinem ejus, quia enim se ipsum offert; idcircò dicitur esse idem offerens, & oblatus.* Verùm postquàm Christus est sub speciebus, & munera sunt mutata in corpus, & sanguinem, facta est per nos oblatio sacrificii constitutiva, & immutativa victimæ; ideoque quomodocumque Christus, ut sub speciebus existens postea se offerat, erit oblatio simplex, non sacrificalis, per quam Christus possit dici offerens missæ sacrificium, propterea quidquid sit de mente Thessalonicensis, non placet in hac parte doctrina Marchini.

15

Oblatio qua fortè Christus se offert Patri, quamdiù permanet sub speciebus, non est sacrificalis.

Dices tertiò: Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* explicando quomodò Christus suæ dilectæ sponsæ ecclesiæ reliquerit visibile sacrificium, solum mentionem facit institutionis factæ in cænâ, & potestatis traditæ sacerdotibus ad offerendum in sui commemorationem, non verò alicujus oblationis actualiter, & proximè per se ipsum jugiter faciendæ: & *cap. 2.* dicendo, quod *idem est nunc offerens, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit* ad ly *Nunc offerens* apponit *Sacerdotum ministerio*: nullam igitur agnoscit, imò excludit Concilium oblationem actualem, & proximam, qua Christus nunc offerat visibile sacrificium, & vult, eum nunc esse offerentem solùm remotè ratione institutionis, & mediante ministerio sacerdotum, qui Apostolis in sacerdotio à se constituto successerunt. Sed contrà: A Concilio non traditur quidem expressè asserta Christi oblatio actualis, & proxima, at neque excluditur, imò valdè insinuatur: primo quatenus *cit. cap. 1.* habetur, Christum instituisse, & reliquisse sacrificium missæ *Quia per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat;* non esse autem per mortem extinctum egregiè relucet in eo, quod Christus post mortem redivivus, sæpiùs proximè offerat, non sic reluceret, si offerret dumtaxat remotè ratione præteritæ institutionis, ut jam attigi *num.* 8. Secundò, quatenùs *eod. cap.* docetur, oblationem, quæ in

16 Christum actualiter, & proximè in qualibet missa offerre deducitur ex Tridentino

82

missa

missâ sit, *nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari posse*, & esse illam, quam Dominus per Malachiam *in omni loco mundam offerendam prædixit*. Quod optimè salvatur, si Christus, qui solus inter offerentes est persona dignissima semper, atque mundissima proximè offerat, minùs benè si solùm remotè, ut discurrit Suarez *præcit. sec.* 1. §. *Quartò argumentor*, ubi obiter ostendit sacrificii magis, quàm sacramenti dignitatem, vel indignitatem; munditiem, vel inquinationem à proximo operante pendere: Tertiò quatenùs *cap.* 2. pro missæ, & Crucis sacrificio una, eademque hostia, idemque offerens assignatur, quod indicare Christum proximè, in missâ offerentem, ostendimus jam *num.* 9. Nec obstat ly *Sacerdotum ministerio*, quia hoc addit non detrahit oblationi Christi, & sensus legitimus esse potest, quod Christus in missâ sit offerens immediatus, qui in Cruce, ac præterea sit offerens sacerdotum ministerio, non verò quod in missâ sit offerens hoc solo; alioqui esset nimis imperfecta utriusque oblationis comparatio, si quæ facta est solum immediatè in Cruce poneretur deindè fieri solùm mediatè in missâ.

17 Dices quartò: Quod Christus actualiter, & proximè offerat simul cum sacerdote celebrante, non auget valorem sacrificii; ergo asserendum id non est, ne ponantur elici quotidiè à Christo plures actus inutiles, & supervacanei: Probatur antecedens primò; quia jam concessum est Christum nunc in Cælo non mereri, mereretur autem offerendo, si offerendo augeret sacrificii valorem, qui non nisi moraliter, & meritoriè augeri potest: Secundò quia *cap. proced.* §. 1. dictum est, missæ sacrificium, etiam independenter ab eo, quod Christus ipsum offerat, necne? habere valorem infinitum, ergo habet valorem, qui non potest ex Christo proximè offerente augeri: Tertiò; quia, si in triduo mortis Christi aliquis Apostolus sacrificasset, sacrificium tunc oblatum non habuisset Christum proximè offerentem, cum in illo triduo Christus in se ipso non extaret, & tamen fuisset ejusdem valoris cum sacrificiis, quæ offeruntur nunc, ergo istis, ex eo quod habeant Christum pro proximo offerente, nihil valoris accedit.

18 Sed contrà: Sicuti non tàm ex sacrificii valore, quàm ex perpetuitate sacerdotii Christi, & modo loquendi Sanctorum Patrum deduximus, Christum actualiter, & proximè offerre, ità hæc actualis oblatio sufficienter deduceretur, & sustineretur, etsi sacrificii valorem non augeret: ideò dando antecedens, posset adhùc optimè negari consequentia, nego tamen etiam absolutè antecedens, ad cujus primam probationem, concedo iterùm, non mereri nunc Christum in Cælo, at dico, actualiter offerendo, augere posse sacrificii valorem impetratoriè, etsi non meritoriè, sicuti nunc orando impetrare potest, etsi non mereri. Deindè si non propriè valorem auget, saltem multum ad ipsum confert, applicando novo titulo præterita merita, quatenùs ratio alligandi sacrificio missæ satisfactiones, & merita sacrificii Crucis fuerit, tùm rei oblatæ, tùm etiam personæ offerentis dignitas. Ad secundam probationem; dico, infinitum missæ valorem independenter ab eo quod Christus proximè offerat, benè sustineri, at hoc supposito sustineri meliùs, & haberi duplicem, non unicum titulum talis infinitatis, quod sivè sit propriè illam augere, sive non, est certè multùm ad ipsam conferre.

Christus sic proximè offerens confert sacrificio ad valorem, aut saltem ad titulum valoris.

19 Ad tertiam probationem *ex præced. cap.* 2. §. 3. *num.* 69. repeto, non esse certum, nec deesse, qui negent, offerri potuisse in triduo mortis Christi verum missæ sacrificium, hoc tamen dato: dico, vel non esse absurdum, quod pro illo triduo missæ sacrificium haberet valorem, aut potiùs valoris titulum minorem, quàm extrà illud: vel animam Christi, quamvis separatam, habituram propter unionem immediatam cum Verbo, mediatam cum corpore prærogativam sacerdotii sufficientem ad offerendum actualiter, & proximè sacrificium simul cum Apostolis, qui supponerentur in dicto triduo celebrasse, qua de re etiam nonnihil attigimus suprà *lib.* 1. *cap.* 7. §. 13. *num.* 284.

20 Dices quintò: Oblatio maximè pertinens ad sacrificium, est actio externa, quæ respectu sacrificii missæ consistit in prolatione verborum consecrationis, ut explicabamus suprà *cap.* 2. *num.* 8 & 9. item *num.* 44. atqui prolatio verborum consecrationis non fit actualiter, & proximè à Christo, nec Christus in missâ, aut in consecratione est actualiter, & proximè loquens; ergo neque est actualiter, & proximè offerens oblatione externâ: Hoc autem supposito, nec debet poni actualiter, & proximè offerens actibus internis, cum ex unâ parte oblatio interna, seù per actus internos facta sit in sacrificio minùs principalis, adeòque parùm conferet, ut Christus dicatur primarius offerens, & ex aliâ parte minùs congruum sit, nec facilè tribuendum Christo, quod sit semper quasi anxius, & sollicitus de suâ internâ oblatione, seù de actuali intentione offerendi in singulis missis; ergo à primo ad ultimum congruentiùs, meliùs & facilius omnia explicantur, dicendo, Christum nunc in missis, neque exteriùs, neque interiùs offerre actualiter, & proximè per se ipsum, sed solum medio ministerio sacerdotum; suppositâ non retractatione, & habituali perseverantiâ voluntatis, quâ illos in cœnâ sui Ministros constituit, & ad perpetuò offerendum in sui personâ deputavit.

21 Sed contrà: Prolatio verborum consecrationis, quàmvis non fiat actualiter, & proximè, à Christo physicè, ut perspicuum est, fit tamen actualiter, & proximè ab ipso moraliter, quatenùs ex suprà dictis *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 170. Sacerdos in altari ea verba profert, ut peculiariter induens, atq; in se exprimens Christi personam, non ut quomodocumque Minister, & legatus deputatus ad loquendum ipsius nomine: Ad hoc autem, ut sacerdos

Christus oblatione externa proximè offert solùm moraliter.

pro-

proferendo verba consecratoria, in quibus oblatio externa consistit, aut potius à quibus oblatio exteriùs sensibilis redditur, peculiariter induat, atque in se exprimat Christi personam, ideoque Christus dicatur principalis offerens, multum conducit, quod Christus ipse actu offerre intendat, sicuti, ut quis dicatur principalis eleemosynæ largitor, multùm juvat si famulus, non solum ex prævio ejus imperio, sed etiam ex actuali ipsius intentione, & concursu eleemosynam tribuat. Ad illud, quod addebatur, dico, malè fingi ullam in Christo anxietatem, & solicitudinem, si debeat in singulis missis se actualiter Deo offerre; cum enim aliundè per propriam humanitatem, tamquàm per instrumentum conjunctum in singulis missis concurrat ad actionem transubstantiativam, quæ per nos vix distinguitur à sacrificativâ, jam necesse est, ipsum singula quotidiè missarum sacrificia intueri, de singulis actu cogitare, facilè igitur potérit, in singulis se actu offerre, & singulas actiones sui sacrificativas actu intendere, ut observat, & magis explicat Suatez *disp. 77. sec. 1.* in fine, cum quo tamen non convenio in eo, quod ipse vult, Christum per humanitatem, tamquàm per instrumentum physicum, non morale tantùm ad actionem transubstantiativam concurrere; Verùm ad inferendum ex tali concursu id, quod nunc intendimus, impertinens est, quod sit physicus, vel moralis.

Oblatione interna proximè offert physicè in qualibet missa.

22 Concludo assertam, & hucusque propugnatam doctrinam, recolendo *ex praced. cap. 2. §. 3. num. 68* in consecratione prius considerari, quod sit Christi Domini reproductiva, quàm quod sit ejusdem sacrificativa, seu oblativa in sacrificium; ex quo fit, quod Christus, quamvis ut sub speciebus permanens, nequeat ex supradictis *num 15.* offerre se ipsum oblatione sacrificativâ, nihilominus, ut sub speciebus primò ponitur, sicuti ex antecedenter *cit. num. 68.* oblationem sacrificativam præcedit, ità possit ad ipsam actualiter, & proximè per se concurrere; & aliquâ ratione non solùm, ut existens in Cælo, sed etiam ut existens in sacramento, suis se actibus in Dei cultum offerre oblatione sacrificali, non purè simplici. Hinc si ulteriùs *ex praced. lib. 1. cap. 4. §. 7.* repetas independentiam præsentiæ sacramentalis à naturali, & non repugnantiam alterius institutionis, in quâ Christus prius existat sacramentaliter, quàm naturaliter; adhuc ipse met Christus posset esse proximè, & actualiter offerens se in sacrificium, non obstante quod neque in Cælo, neque alibi existeret extrà sacramentum; cujus consecratio supponeretur ex divinâ institutione actio sacrificativa, quamvis in ordine ad sacrificium abeo, quod nunc offertur diversum, idest nec à Christo institutum, nec repræsentativum præteritæ passionis, & sacrificii cruenti antecedenter peracti. Sed de his, & aliis ad aliam providentiam pertinentibus vix est operæ pretium ulteriùs ratiocinari.

---

§. II.

De altero offerente, qui est Sacerdos; Ubi nonnulla de intentione, & fructus applicatione ex parte ejusdem se tenente.

23 Assert. I. Solus sacerdos ritè ordinatus, isque omnis quantùmvis pravus, item ab ecclesiâ præcisus, excommunicatus, depositus, degradatus, schismaticus, hæreticus non toleratus, aut aliter utcumque extrà ecclesiam constitutus potest, validè offerre missæ sacrificium; simpliciter, & propriè ipsum efficiendo, has postremas particulas addo propter modum offerendi minus proprium, & omnibus fidelibus aliqualiter communem de quo §. *seq.* interim prima præsentis assertis pars est absolutè de fide contrà Sectarios, qui sicuti in missâ non agnoscunt veram, & peculiarem rationem sacrificii, sed ad summum sacram quamdam cæremoniam passionis Christi commemorativam, ità nec ad ipsum Ministros divinitùs institutos, & characteristicâ ordinatione initiatos requirunt, sed putant, posse quemlibet auctoritate publicâ ad id deputari, quâ ratione pariter errarunt circà Ministros Eucharistiæ, ut Sacramenti, quemadmodum retulimus *praced. lib. 2. cap. 1. §. 1.* Secunda asserti pars non est adeò absolutè de fide, & sententia opposita negans, sacerdotes ab ecclesiâ præcisos, posse validè offerre, seu conficere sacrificium, potest ex duplici capite procedere: primò scilicet, ex eo quod simul neget, tales sacerdotes posse validè consecrare, secundò, ex eo, quod, hoc admittendo, sacrificii essentiam, non in consecratione, sed in oblatione verbali ecclesiæ nomine factâ collocet, aut saltem ad validè sacrificandum requirat Ministrū gerentem vicem mediatoris inter ecclesiam, & Deum, quod sacerdoti ab ecclesiâ præciso non competit. Primus dicendi modus nequit ab errore vindicari, ut jam attigimus nuper cit. §. 1. n. 12. Secundus modus potest teste Suario *hic disp. 77. sec. 2. §. Tertius sensus* aliquid veri continere, & eum in re tradit Magister *in 4. dist. 13. cap. 1.* quamvis ex terminis videatur quoque stare pro primo, pro quo pariter referuntur Gratianus, & Gulielmus Parisiensis: In eumdem secundum modum propendisse à multis censentur Scotus, & Gabriel; de quibus nos nonnihil suprà *c. 2. n. 5.* & 6. accuratiùs verò Vasquez *hic disp. 226. c. 1.* ubi etiam agit de mente Gratiani, & Gulielmi Parisiensis: Secunda igitur asserti pars in aliquo sensu est similiter de fide, simpliciter verò est saltem jam adeò communis, ut non videatur posse sine aliquâ notâ negari.

24 Fertur judicium de opinione negante Sacerdotes ab Ecclesia præcisos posse offerre sacrificium validum.

25 Probatur prima pars procedens de sacerdote solo ex variis Conciliis nam ex Niceno, & Arelatensi I. negatur Diacono potestas offerendi missæ sacrificium, adeò ut si alius id facere tentet, nihil efficiat, negatur igitur à for-

Solus sacerdos ritè ordinatus potest validè offerre sacrificium missæ.

à fortiori aliis Diacono inferioribus, & soli sacerdoti conceditur: Ex Florentino, & communi ecclesiæ praxi solum in formâ ordinandi sacerdotem ponitur *Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. Ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. Christus constituit Apostolos novi testamenti sacerdotes *Et eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit.* cap.2. Christus dicitur *nunc offerens sacerdotum ministerio*, sess.23. cap.1. præmittitur *sacrificium, & sacerdotium esse Dei ordinatione conjuncta*, & subjungitur *in novo testamento Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi offerendi &c.* & cap.4. habetur *Quod si quis omnes Christianos promiscuè novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm ecclesiasticam hierarchiam, quæ est, ut castrorum acies ordinata, confundere*: Quibus Conciliorum, præsertim Tridentini, verbis non solùm expressè asserta veritas definitur, sed & duplex ejus validissima ratio, altera ex hierarchico ecclesiæ ordine, altera ex sacerdotii cum sacrificio conjunctione profertur: Scio hâc secundâ ratione parùm urgeri Sectarios, qui verum in missâ sacrificium negant, at errorem augent, dum pejore errore defendunt, & causâ penitùs decidunt, dum aliundè everso fulciunt fundamento.

26 Isque etiamsi sit pravus, aut ab ecclesia præcisus.

Probatur secunda pars procedens de sacerdote omni, quantumvis pravo, & ab ecclesia præciso; probatur inquam, quia offerre sacrificium spectat ad potestatem ordinis, nec ullam requirit potestatem jurisdictionis; nam ordinationem sacram, & characterem consequitur, nec circà corpus Christi mysticum versatur, sed circà verum, suprà quod nulla cadit peculiaris jurisdictio; atqui potestas ordinis nullo peccato amitti, aut ut ità dicam ligari, nec ab ecclesia auferri potest, & quatenùs potestatem jurisdictionis non requirit, nequit etiam ab ecclesiâ, quò ad valorem à suis actibus impediri; uno verbo est quò ad actum primum inamissibilis, ac inauferibilis: quò ad actum secundum inimpedibilis; ergo offerre sacrificium spectat ad hujusmodi potestatem, ergo validè fit ab eo omni sacerdote, qui semel illam habuit, habuit autem quicumque fuit ritè ordinatus, ergo à primo ad ultimum quicumq; sacerdos ritè ordinatus, quantumvis pravus, & ab ecclesiâ præcisus, excommunicatus, depositus &c. potest validè offerre missæ sacrificium. Minor propositio, quæ sola potest probatione aliquâ, aut explicatione indigere supponitur *ex præced. lib.2. c.1.§.1. nu.17.&seqq.* & partim ex ibi dictis de valore consecrationis à sacerdote, quantùmvis pravo, quatùmvis ab ecclesiâ præciso factæ; partim ex eo quod suprà *cap.2.§.3.* ostensum est, totam sacrificii essentiam in consecratione consistere, remanet in nostris principiis innegabilis veritas modò asserta circà valorem sacrificii, à sacerdote, sivè pravo, sivè etiam ab ecclesiâ præciso oblato.

27 Occurritur auctoritatibus, & rationibus dubitandi in oppositum.

Ex indè, ex memorato scilicèt §.1. supponi quoque debet, ac repeti tùm intelligentia nonullarum auctoritatum nobis in præsenti primâ facie adversantium, tùm solutio rationis dubitandi, quâ Magister in oppositam sententiam trahebatur; pro est tamen ratione dubitandi, sicut & pro aliâ mox *num.*24. insinuatâ, & desumpta ex prærogativâ mediatoris; addo, & adverto, sacerdotem, sicuti missam celebrat, tùm ex institutione Christi, tùm ex aliquâ commissione ecclesiæ, ità se habere, ut Ministrum, sivè Nuncium tùm Christi, tùm ecclesiæ, nec non tùm Christi, tùm ecclesiæ nomine fungi munere Mediatori. In missæ porrò celebratione distinguenda est actio, in quâ sacrificii essentia consistit ab aliis actionibus, orationibus, cæremoniis illam perficientibus; In istis sacerdos operatur præcipuè, ut ecclesiæ Minister, & ecclesiæ nomine mediator, ideò si supponatur ab ecclesiâ præcisus, & ejectus, benè censetur spoliatus potestate formaliter, & validè istas actiones exercendi; At in actione, in quâ sacrificii essentia consistit, sacerdos operatur unicè, aut certè potissimè, tamquam Christi Minister, & Christi nomine mediator, ideò quamvis extrà ecclesiam constituatur, retinet ministerium, & munus Mediatoris, ad talem actionem validè exercendam, requisitum: Quamvis item mediator apud Deum debeat esse in gratia, si proprio nomine operetur, si tamen operetur nomine, & merito alterius, sufficit gratia in isto altero, sicuti semper est in Christo, qui in missæ sacrificio semipariter est, sicut principalis offerens, ità principalis Mediator; hincque sacrificii, sivè valori, sivè fructui, sicuti sacerdotis, quâ offerentis, ità ejusdem, quâ mediatoris, iniquitas, ac indignitas nihil obest.

28 Sacerdos in missa, ut validè offerat debet habere intentionem saltem virtualem sacrificandi.

Assert. 2. Ad valorem oblationis sacrificii sumptæ directè pro actione sacrificandi necessaria est, & sufficiens in sacerdote offerente intentio virtualis; habitualis verò non est sufficiens, actualis quamvis optima, non est necessaria. Dixi *oblationis sumptæ directè pro actione sacrificandi*, quia solet etiam sacrificii oblatio sumi reflexè, & confundi cum applicatione fructus de qua agendum, & aliter sentiendum est in sequenti: Quò ad reliqua asserti præsentis intelligentia repetenda est ex tract. de Sacram. in gen. *lib.2.cap.2.§.5.* dum ageremus de intentione in ministro requisita ad sacramentorum valorem, & ex ibi dictis colligi etiam potest, assertæ intentionis modum esse validè communiter receptum, quamvis in hoc loco à paucis, & leviter, ac breviter attingatur, ut & nos præstabimus. Ideò

Probatur: Actio sacrificandi est à Sacerdote offerente, non tamquàm instrumento inanimi, aut ministro purè materialiter exequente, sed tamquàm ab instrumento rationali, & ministro se habente formaliter, humanoque modo

coope-

cooperante; atqui ad valorem actionum, quæ sunt ab aliquo, non tamquam ab instrumento inanimi, & Ministro purè materialiter &c. necessaria in illo est, & sufficiens intentio virtualis, habitualis verò &c. ergo ad valorem oblationis sacrificii sumptæ directè &c. Minor supponitur ex mox *cit.* §. 5. *num.* 68. *& seqq.* Major probatur, non solum, quia valdè derogaretur perfectioni novi sacrificii, & sacerdotii, si illud à Sacerdote, tamquam à Ministro purè materialiter exequente proficisceretur, sed multo magis, quia Christus constituit Sacerdotes, æquè ministros eucharistiæ, ut sacrificii; ac ut sacramenti, æquè, ad consecrandum, ac ad offerendum ut liquidò deducitur ex Tridentino *sess.* 22. *&* 23. *cap.* 1. Item, ex eo quod dedit illis unam, eamdemque pro utroque potestatem, imo voluit, intentionem consecrandi esse simul aliqualiter intentionem sacrificandi, ut tradidi *praced. cap.* 2 §. 4. *num.* 95. *& seqq.* ergo, cum respectu eucharistiæ, ut sacramenti, & actionis consecrandi, sacerdos non sit, tamquam instrumentum inanime, & minister purè materialiter exequens, sed &c. idem sentiendum est de eodem respectu Eucharistiæ, ut sacrificii, & actionis sacrificandi, ac per consequens actio sacrificandi est à Sacerdote offerente, non tamquam &c.

29 Est Minister non materialiter exequens, sed formaliter cooperans respectu Eucharistiæ ut sacrificii æquè, ac ut sacramenti.

30 Ut validè applicet sacrificii fructum sufficit ei intentio habitualis.

Assert. 3. Ad valorem oblationis sumptæ reflexè pro applicatione fructus sacrificii sufficit in sacerdote offerente intentio habitualis, idest præterita, non retractata; actualis verò, aut virtualis non est necessaria, quamvis utraque sit optima. Ità dum agunt de Sacram. in gen. Suarez *disp.* 13. *sec.* 3. §. *Dico secundò*. Lugus *disp.* 8. *sec.* 6. *num.* 93. Bonacina *disp.* 1. *quæst.* 3. *punc.* 2. §. 3. *num.* 11. Mastrius *disp.* 1. *quæst.* 7. *art.* 2. *num.* 286. Herinex *disp.* 3. *quæst.* 4. *num.* 33. Madernus *quæst.* 5. *art.* 5. *num.* 6. & alii plurimi, contrà Vasquium, Beiam, & Fraxinellum, quos ex Lugo retulimus præmemorato §. 5. *de Sacram. in gen. num.* 70.

Probatur; tùm ex praxi sacerdotum, qui solent censere, se validè applicasse fructum sacrificii, pro quo habuerunt aliquando actualem intentionem celebrandi, etsi postea, dum celebrant, nec de illo, nec de fructu sacrificii quidquam cogitent, nec etiam permaneant in ullo actu relicto ex præteritâ intentione, sed istam somno v. gr. penitus interruperint, dummodo non retractaverint, tùm ex diversitate oblationis sacrificii sumptæ directè pro actione sacrificandi ab oblatione sumptâ reflexè, pro applicatione fructus, de quâ quidem diversitate aliquid jam diximus *pracit.* §. 5. *num.* 71. mox verò aliquid amplius dicemus, solvendo contrariæ sententiæ fundamentum: Ideò

31

Dices: Applicare alicui sacrificium, vel fructum sacrificii est pro illo sacrificium offerre, & conficere; ergo non potest minor intentio sufficere ad applicandum alicui sacrificii fructum, quam ad directè offerendum, & conficiendum ipsum sacrificium, atqui ad secundum intentio habitualis non sufficit, ergo neque ad primum: Antecedens videtur ex terminis notum, prima consequentia probatur, quia non potest minor intentio sufficere ad conficiendum aliquid taliter, quam ad conficiendum, ad offerendum cum relatione, & habitudine ad determinatam personam, quàm ad offerendum absolutè, & indefinitè, breviter ad inclusum, quam ad includens, & cum in oblatione, quam appellavimus reflexam, includatur oblatio, quam appellavimus directam, non apparet, quomodo possimus aliquid minus ad illius, quam ad istius valorem requirere? Confirmatur. Ad applicandum validè fructum requiritur intentio, quæ eliciatur à sacerdote, aut saltem secundum suam virtutem insit ei, dum conficit, & directè offert sacrificium; ergo ad applicandum validè sacrificii fructum requiritur intentio actualis, aut saltem virtualis, æquè ad conficiendum, & directè offerendum sacrificium ipsum; probatur antecedens, quia ad applicandum validè fructum, requiritur intentio, quæ eliciatur à Sacerdote, aut secundum suam virtutem insit ei, ut Christi ministro; nam sicut, non nisi per potestatem à Christo acceptam, ità non nisi ut Christi minister validè applicat, *ex praced.* autem *num.* 27. Sacerdos in missâ non se habet simpliciter, & propriè, ut Christi minister, nisi dum exercet actionem, in quâ sacrificii essentia consistit, adeoque dum conficit, & directè offert sacrificium.

Ratio dubitandi desumpta ex necessitate intentionis saltem virtualis ad ipsum sacrificiũ.

32 Quomodo differant offerre sacrificium sumptum pro conficere, & offerre sacrificium sumptum pro applicare.

Sed contrà: In primis ex toto hoc ratiocinio conjicitur, Adversarios confundere oblationem directam sacrificii constitutivum, seù sacrificalem confundere cum oblatione reflexâ, quæ in rigore est oblatio oblationis, & significat donationem fructus oblationem sacrificalem consequentis, non oblationem ipsam sacrificalem, undè tandem in æquivoco laborant, & in modo loquendi magis, quam in re, ab assertâ communi sententiâ discedunt.

33

Ad instantiam directè, nego absolutè antecedens, quia sacrificium offerre simpliciter dictum, & sumptum pro conficere non importat offerre pro aliquo in ipsius utilitatem, sed offerre alicui in protestationem supremi dominii; Applicare igitur sacrificium, seù fructum ejus ex hoc ipso, quod importat offerre pro aliquo, & in alicujus utilitatem non importat offerre simpliciter, directè, sacrificaliter ideò &c. Ad confirmationem, nego pariter absolutè antecedens, ad cujus probationem admittendo, intentionem applicandi fructum, ut sit valida, & efficax debere elici à Sacerdote, ut à Christi ministro: adverto, ipsum posse considerari, ut Christi ministrum dupliciter, nimirùm vel ut præcisè à Christo institutus, & operans per potestatem à Christo acceptam; vel etiam ut peculiariter induens, atque in se

Quomodo tùm conficere, tùm applicare sacrificium competat Sacerdoti ut Christi ministro.

exprimens Christi personam; hoc posteriore modo verè est Christi Minister solum in prolatione verborum consecrationis, & in actione, in quâ sacrificii essentia consistit; priore modo operatur, ut Christi Minister in omni alio sui ordinis actu, & signanter in Eucharistiæ dispensatione, in fructus sacrificii applicatione: Neque hoc contradicit doctrinæ præmemoratæ *ex num.* 27. aliud enim est dicere *Sacerdos in formali actione sacrificandi operatur solum, ut Christi Minister* excludendo per ly *solum* ministerium Ecclesiæ à Sacerdote in formali actione sacrificandi; aliud *Sacerdos solum in formali actione sacrificandi operatur, ut Christi Minister* excludendo per ly *solum* ministerium Christi à Sacerdote in omni aliâ actione; primum docebamus dicto *num.* 27., secundum nunc negamus, & cum sint omninò diversa, rectè potest unum affirmari, aliud negari sine doctrinæ contradictione, aut incohærentiâ.

34

Circà applicationem fructus sacrificii, quæ à Sacerdote celebrante fit, dicenda hic occurrerent alia permulta, & quamvis majori ex parte sint dubia moralia, expedit tamen aliqua universaliora, & celebriora breviter percurrere, non penitus omittere, Idcircò

Quid de applicatione sacrificii facta à Sacerdote, contrà voluntatem, & applicationem Superioris.

Dubitatur primò: Utrùm sit valida sacrificii applicatio facta contrà obedientiam, & voluntatem superioris: Utrùm scilicet Superiore præcipiente applicari, & applicante sacrificium pro Petro v. gr. Sacerdos possit validè, quamvis illicitè, applicare pro Paulo? Negant Corduba *lib.* 1. *quæst.* 3. *opin.* 5. Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat.* 24. *num.* 28. Sylvester verbo *Missa* 1. *quæst.* 1. Ledesma *par.* 2. *quæst.* 16. *art.* 14. Gavantus in Rubric. Missal. *par.* 2. *tit.* 12. *nu.* 28. Marchinus de Sacram. Ordinis *tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 33. & apud istos alii, inter quos apud Marchinum, sicut & apud Vasquium lego Scotum *quodlib.* 20. §. *De secundo autem*, & Gabrielem *lect.* 26. *in Canon.* sed Scotum in fonte consultum invenio, dubitanter loqui, de applicatione scilicet, de quâ agitur *Versic. Potest ergo*. dicere, *Quod si fiat fortè, nec ei, cui applicatur valet, & applicanti nocet, quia peccat*, idemque de Gabriele testatur Suarez *disp.* 79. *sec.* 9. §. *Sed circà*. Affirmant exadverso, & in proposito dubio validam reputant, quamvis illicitam applicationem Sacerdotis, invalidam verò applicationem Superioris Suarez *disp.* 79. *sec.* 9. Vasquez *disp.* 231. *cap.* 6. Lugus *disp.* 19. *sec.* 10. *num.* 211. Arriaga *disp.* 53. *sec.* 1. Aversa *quæst.* 11. *sec.* 10. Madernus *quæst.* 8. *art.* 8. Herinex *disp.* 8. *quæst.* 7. *num.* 80. Mastrius *disp.* 4. *quæst.* 7. *art.* 2. Gavatius *disp.* 5. *quæst.* 2. *cap.* 5. & plures alii ex Recentioribus præsertim, & Scotistis, qui etiam non obstantibus verbis prællatis putant, hanc affirmantem sententiam esse de mente Subtilis Doctoris magis, quàm oppositam, ut singillatim apud Mastrium ponderat Gavatius mox *cit. cap.* 5. Ecce igitur Auctores ferè ex æquo divisos, adeò ut propterea non pauci

35

passim communem, aut communiorem appellent eam sententiam, quam sequuntur; affirmantem, qui affirmant; negantem, qui negant.

Fundamenta pariter utriusque sententiæ magni, & ferè æqualis ponderis sunt: Fundamentum scilicet prioris negantis desumitur, ex eo quod præceptum applicandi missam à Superiore factum Sacerdoti subdito, puta religioso, neque est contrà, neque suprà, neque præter regulam, imò est implicitè juxta ipsam; pertinet enim ad commune bonum, & rectum regimen totius religionis, sicuti igitur ex hoc capite potest superior suis præceptis irritare, ac inhabilitare suorum religiosorum voluntates, in ordine ad vota, & juramenta; ità similiter in ordine ad sacrificii applicationem, quæ licet à votis, juramentis, aliisque hujusmodi differat in eo, quod sit actus ordinis, est tamen actus ordinis secundarius, nec pertinens ad sacrificii, aut sacramenti alicujus substantiam, suprà quam solam superior humanus nullam habet potestatem, imo in tali actu, ex eo quod non pertineat ad sacrificii à Christo instituti essentiam, & valorem, Christus ipse censendus est subjecisse Ecclesiæ, & Ecclesiastico Superiori Sacerdotis voluntatem. Fundamentum sententiæ posterioris affirmantis desumitur ex generali doctrinâ, secundum quam ubi plures sunt superiores cum subordinatione unius ad alterum, seù unus minor, alius major altero, superior minor non potest in subditis irritare concessionem factam à Superiore majore; cum igitur Christus Dominus sit superior supremus, atque omni alio superiore ecclesiastico maior, & omnis actus ordinis, sive primarius, sivè secundarius sit ex concessione à Christo factâ, seù ex potestate à Christo concessa, consequens est pro applicatione sacrificii, ut pote actu ordinis, à nullo humano superiore posse irritari sacerdotis subditi voluntatem: In hoc Auctorum, & rationum quasi æquilibrio, non est facilè ferendum absolutum judicium sine magno examine, cujus in præsenti locus non est; ingenuè tamen fateor, me non posse, non propendere in posteriorem sententiam, quæ, ut conjicere potui, evadit his temporibus semper communior, etsi fortè talis alias non fuerit, habet insuper solidius fundamentum, cui parum obest contrariæ sententiæ evasio de actu secundario, & præsumptâ subjectione à Christo facta, hoc quippe videtur arbitrariè, ac gratis dici; & non admittendo ullum prorsus actum ordinis à Superiore irritabilem, subtrahitur omnis ansa dubitandi de valore sacramentorum confectorum, aut susceptorum contrà Superioris voluntatem, ut ex prioris sententiæ fundamento aliquem Modernum dubitasse, imò & invaliditatem affirmasse, testatur Lugus *præcit. sec.* 10. *n.* 212.

37

Præfertur sententia stans pro illius applicationis à Sacerdote factæ validitate.

Dubitatur secundò: Utrùm sicut ex mox dictis est valida applicatio sacrificii facta contrà obedientiam, ità etiam facta contrà justitiam, religionem, aliam-

38

aliamve virtutem: adeò ut sacerdos pro Paolo, non pro Petro validè applicet sacrificium, quod ex justitiâ ratione accepti stipendii, aut ex religione, ratione voti tenetur pro Petro applicare. Respondetur affirmativè, & procedit responsio à fortiori, undè etiam Ledesma, & aliqui alii ex Auctoribus in primo dubio relatis pro sententiâ negante, in hoc secundo dubio affirmantem sequuntur: ratio est, quia pro voluntate inhabilitanda ad unum, aut determinanda ad aliud, majorem ex genere suo habet vim auctoritas, & præceptum superioris, quàm justitiæ, aut religionis obligatio, cum superior habeat in suorum subditorum voluntates speciale dominium, & jus de illis disponendi: Accedit, quod dum fit applicatio à subdito contra superioris volũtatem, supponitur adesse alia applicatio superioris prævalens applicationi subditi, non adest autem ulla alia applicatio, dum quis supponitur applicare contrà justitiam, aut religionem. Ut tamen verum fatear, hoc, quod additur, parum est ad rem, quia etiamsi præceptum superioris posset irritare in missa applicationem subditi, adhuc puto, quod sacrificium non prodesset ei, cui superior applicaret, quia applicatio sacrificii est actus proprius sacerdotis celebrantis, & aliud est, quod superior possit in ordine ad aliquem effectum irritare voluntatem subditi, aliud quod contra voluntatem, & sine voluntate subditi inducare effectum voluntatis subditi proprium, ut ratiocinatur Lugus *praces. sect.* 10. *num.* 117. Hincq; obiter moneo, sententiam, in superiore primo dubio docentem, pro fructu sacrificii applicationem superioris prævalere applicationi subditi, adeò ut ipsa valeat, & istam invalidet, esse magis falsam quo ad primum, quàm quò ad secundum: illam scilicet non valituram, etiam si istam invalidaret: quamvis in re neque istam invalidet, sed solùm reddat illicitam, ratione præcepti annexi, quo superior supponitur, istam prohibere, quodque ut benè supra dicebatur, si fiat religioso est implicitè juxtà regulam.

38 Multo magis est valida applicatio à Sacerdote facta contrà aliam virtutem ab obedientia.

39

Dubitatur tertiò: Utrùm sit valida, aut etiam licita applicatio sacrificii anticipatè facta pro eo, qui primus stipendium offeret, aut a Deo scitur primò oblaturus? Respondetur, aliquandò validam esse, aliquando invalidam; at semper illicitam. Ratio primi est, quia is, qui primus stipendium offeret, aliquandò est antecedenter tempore anticipationis sacrificii in eadem indigentia, & capacitate fructus ipsius, in qua est tempore oblationis stipendii: aliquando non item: Si primum eveniat, applicatio est valida, quia nihil impedit sacrificii pro tempore, quo anticipatè celebratur, effectum; & aliundè ad istum non est necessaria oblatio stipendii, aut alia actio ejus, cui applicatur: Si eveniat secundum, applicatio est invalida, quia ex subjecti incapacitate, sacrificii effectus impeditur: impeditur, scilicet effectus impetratorius, si tempore anticipati sacrificii nondum supervenerat necessitas, pro cujus remedio impetrando, primum postea stipendium offeretur: impeditur effectus satisfactorius, si tunc aut non habebat debitum pœnæ, aut habebat simul cum isto obicem culpæ is, qui stipendium primus offeret. Ratio secundi desumitur, primò ex periculo invaliditatis applicationis, cui consequenter ad mox dicta semper se exponeret sacerdos anticipatè applicans: Secundò ex detrimento, quod primus stipendii largitor semper pateretur, quo ad fructum ei obvenientem, ex eo quod in ipsa stipendii largitione peculiariter sacrificium offerat, & ad majus emolomentum ex ipso reportandum se disponat: Tertiò, ex scandalo fidelium, qui illam anticipationem sacerdotum avaritiæ, cupiditatique lucri tribuerent, & ab eleemosynis missarum dandis retardarentur; nec sine risu, aut potius sine indignatione, & querimonia exciperetur sacerdos, qui accipiendo à pertote sacrificium, eleemosynam diceret, jam pro hâc eleemosynâ satisfeci per sacrificium, duobus ab hinc mensibus applicatum, & celebratum: Quartò ex decreto Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, emanato sub die 15. Novembris anno 1605: quo improbat, & districtè prohibet hujusmodi anticipatas applicationes, nec non quamdam anticipationis consuetudinem, quæ tunc temporis in Hispaniâ irrepserat gravium pœnarum impositione jubet, aboleri *tamquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalo, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium aberrantem*, ut videre est in tenore decreti per extensum relati apud Marchinum de Sacram. ordin. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 31. apud quem una simul reperies, tùm cathalogum Auctorum in id consentientium, tùm alios, nec paucos, nec ignobiles, qui olim censuerunt, oppositum esse saltem speculativè probabile; ducti exemplo anticipatæ solutionis: at isti nunc ampliùs audiendi, nec exemplum, quo ducuntur est ad rem, quia anticipata solutio supponit contractum debitum; quod non supponit anticipata applicatio, de qua agitur: & quamvis fortè, ex eo quod Deus sciat, quis sit primò stipendium oblationis, dici possit, supponere debitum in mente Dei, parùm refert, quia humanæ actiones debent humana, non divina notitia regulari; & quidquid de his sit, anticipata debitorum solutio non est obnoxia illis incommodis, quibus ostensum est esse obnoxiam anticipatam missarum applicationem.

40 Applicatio anticipata facta pro eo qui primus stipendium offeret est aliquando valida.

41 At numquam licita.

42

Dubitatur quartò; Utrùm sit licita, aut saltem aliquandò valida applicatio posticipata, ut ita dicam, qua quis celebret sine ullà sacrificii applicatione, applicaturus posteà cum occurrerit necessitas, aut oblatio stipendii. Respondetur omninò negativè, & probatur responsio, non solum

43 Applicatio posticipata, & dilata post sacrificiū, nec est licita, nec umquàm

ex eo, quia applicatio sic dilata, & posticipata esset obnoxia eidem scandalo fidelium, cui præcedens anticipata, & pravi Sacerdotes possent per illam, æquè ac per istam avaritiæ, & cupiditati lucri indulgere, sed multo magis, quia ut applicatio dilata, & posticipata posset esse valida, deberet posse à celebrante suspendi sacrificii effectus, est quippè sacrificium, sicut & quodlibet sacramentum causa, quantum est de se necessaria, quam potest quidem Minister pro suo libito ponere, vel non ponere, at nequit ponere ipsam, & non ponere effectum; & licèt aliquod sacramentum ratione reviviscentiæ effectum suum alio tempore ab eo, quo fit conferat, hoc tamen non provenit ex libertate Ministri, sed ex conditione subiecto, & prætereà nulla est ratio tribuendi missæ sacrificio reviviscentiam, cum & ipsum sit facillimè iterabile, & ipsius effectus non sit simpliciter de necessitate salutis. Ex his sequitur, applicationem fructus missæ, ut valida sit, esse à celebrante faciendam, antequàm sit perfecta actio, in quâ sacrificii essentia consistit, idest in nostris principiis antè consecrationem, saltem secundæ speciei; est vero consultissimum, quamvis non necessarium, quod Sacerdos intentionem applicandi eliciat eodem tempore, quo intentionem celebrandi, seù consecrandi, ut insinuat Herinex *præcit. quæst. 7. num. 86.* ubi etiam ex suo subtili Doctore idoneam talis intentionis formulam præscribit.

44 Varia de fructu sacrificii cujus nulla sit facta applicatio

Dubitatur quintò; Quid sentiendum de fructo sacrificii, quod fuerit sine ullâ fructus applicatione peractum, aut personæ incapaci applicatum? Respondetur, applicationem fructus posse à Sacerdote, vel consultò, vel inadvertenter omitti; Si consultò omittatur, adeò ut Sacerdos positivè intendat nulli, nequidem sibi applicare, fructus in Ecclesiæ thesauro asservatur, aut de ipso non extrahitur, quæ duo (ut Suarez *præcit. sec. 9. §. Tertio inquiri* exponit) licèt possint considerari, tamquàm diversa, in idem pro re præsenti recidunt, significant scilicet sacrificium omni actuali effectu carere, & nulli actu prodesse. Si omittatur inadvertenter, at Sacerdos aliàs habuerit intentionem proficiendi sibi, aut satisfaciendi obligationi, quam aliquo titulo contraxerit ad offerendum pro alio, potius quam relinquendi sacrificium sine effectu ex propriâ applicandi inadvertentiâ, aut subiecti, cui applicat incapacitate; hujusmodi intentio aliàs habita, & non rettactata, procul dubio sufficiet, ut sibi, aut illi alii sacrificii fructus obveniat. Quod si nec ulla talis intentio aliàs præcesserit, nec se ipsum, omnemque alium Sacerdos positivè excluserit; Tres sunt dicendi modi; primus est fructum sacrificii

45

relati in Ecclesiæ thesaurum, ut nos mox dicebamus in hypothesi positivæ exclusionis, & omnis applicationis consulto omissæ: Secundus est, obvenire Sacerdoti celebranti, eo quod supponatur habere intentionem, saltem interpretativam, & implicitam semper fruendi toto fructu sacrificii, quo potest: Tertius est dividi inter ipsum Sacerdotem, & omnes alios fideles, eo quod quilibet Sacerdos supponatur hoc intendere, dum in offertorio cujuslibet missæ recitat verba illa *offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis &c., & pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis, ut mihi, & illis proficiat ad salutem:* Primus modus tribuitur Vasquio *disp. 231. cap. 3. num. 11. & 12.* Item Soto, & Cordubæ. Secundus traditur à Suario *præcit. §. Tertio inquiri*, Arriagâ *disp. 53. sec. 2.* in fine, Herinex *disp. 8. quæst. 7. num. 81.* apud quem Aversa refertur idem sentire de fructu impetratorio, cum alii soleant dumtaxat loqui de satisfactorio. Tertius placet Lugo *præcit. sec. 10.* in fine, & Maderno *præcit. art. 8. num. 8.* Sed per ly *offero tibi &c.* videtur applicari fructus generalis, potius quàm specialis, aut etiam solus fructus ex opere operantis; ideò secundum modum præfero, & eo libentius amplector, quo video esse communiorem, nec ab ipsis Lugo, & Maderno improbatum, & ex aliâ nolo esse mihi ipsi adversarius in Sacerdotis favorem non sentiendo.

Probabilius est tamen quod obveniat Sacerdoti celebranti.

---

§. III.

De reliquis præter Christum, & Sacerdotem offerentibus: Item de fructu ipsis, ut talibus obveniente.

46

ASSERT. I. Præter Christum, & Sacerdotem, seù simul cum Christo, & Sacerdote aliqualiter offerunt quodlibet missæ sacrificium omnès fideles; præ aliis verò illi, qui aliquâ peculiari actione concurrunt, & sunt causa, ut sacrificium fiat: Primam partem tradiderunt, aut insinuarunt, apud Suarium *hic dis. 77. sec. 3.* plures graves Auctores antiqui, & inter alios egregiè Petrus Damianus, cujus verba *ex epist. 13 cap. 8.* refert Gonetus *hic disp. 11. art. 3. num. 69.* Totum verò assertum supponunt omnes Recentiores Scholastici, & inter alios magis exponunt Suarez mox relatus, Vasquez *disp. 226. cap. 2.* Lugus *disp. 19. sec. 12.* &c.

47 Omnes Christi fideles sunt aliqualiter offerentes missæ sacrificium.

Probatur prima pars ex Missæ Canone, in quo Sacerdos paulò ante consecrationem ait *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*, deindè peractâ consecratione *Undè, & memores Domine, nos servi tui, sed & plebs tua Sancta &c. offerimus præclaræ Majestati tuæ &c.*, quibus verbis missæ sacrificium appellatur oblatio Sacerdotis, & cunctæ familiæ Christi, ipsumque dicuntur offerre Sacerdos, & Sancta Christi Domini plebs; non est autem dubium, quin per junctam Christi familiam, & sanctam plebem omnes Christi fideles significentur: Idem, licèt non ità clarè, habetur ex verbis aliis antecedentibus *Memento Domine &c., & omnium circumstantium &c. pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*

runt

runt hoc sacrificium laudis &c. juxtà explicationem traditam primùm ab Alcuino, posteà approbatam ab Innocentio III., & memoratam à Vasquio mox *cit. cap. 2. num. 9.* Ratio hujus veritatis est, quia cum sacrificium aliqualiter offerre sit omnibus hominibus cōnaturale, nec fideles habeant aliud sacrificium, quod offerant præter Eucharisticum, seù Missathicum, convenientissimū, ac planè necessarium fuit, istud taliter institui, ut aliqualiter ab omnibus offerretur, alioqui esset malè constituta fidelium Respublica, cujus longè major portio nullatenùs posset, supremum Dei dominium publico cultu excellentissimo recognoscere, & sacrificii oblatione profiteri.

48

Probatur, & explicatur secunda pars, quia cum sacrificium in actione consistat, & ipsum offerre sit ipsum efficere, consequens est, illos præ aliis esse offerentes, qui sunt præ aliis efficientes, & exercentes aliquam peculiarem efficientiam, seù actionem, non quidem quæ sit formaliter ipsum, sacrificium (hæc quippe est Sacerdotum & Sacerdotalis potestatis propriissima) sed quæ ad ipsum moraliter, aut mediatè concurrat, atque pertineat, & pro ut iste concursus erit major, vel minor, proximior, vel remotior, fidelis concurrens habebit post Sacerdotem celebrantem majorem, vel minorem ad alios in offerendo prælationem; Sic qui Sacerdoti celebrandi ad altare deserviunt, qui stipendio, vel imperio, vel etiam exhortatione missam celebrandam procurant, sunt inter primos offerentes post Sacerdotem recensendi; Deindè qui missam audiunt, præsertim quatenùs exerceant aliquem actum exterioris in Deum cultus, simul cum Sacerdote sacrificante; Postremò cæteri fideles, quatenùs licèt nihil in ordine ad actionem sacrificalem actu præstent, aut fortè nec præstiterint, ratione Sacerdotis offerentis dicuntur ipsi quoque denominativè offerre, hocque dupliciter.

Præ aliis tamen illi qui celebrant deservisse, aut missam procurant; Deindè qui audiūt

Primò scilicèt denominatione desumptâ à Sacerdote, tamquàm ab Ecclesiæ membro: Secundò denominatione desumptâ ab eodem tamquàm ab Ecclesiæ Advocato, & apud Deum mediatore, pro quo adverto cum Suario, *pracit. sec. 3. §. in hâc re* Ecclesiam palpe sumi, vel pro ut continet simul cum cæteris fidelibus Sacerdotes, vel pro ut ab istis condistinguitur, & solum populum, plebemvè fidelem complectitur: Primo modo; quilibet Sacerdos est Ecclesiæ membrum, seù pars, & sicuti corpus, imò totus homo denominatur ab actione, quam per aliquod membrùm exercet, puta videns à visione, quam per oculum, scribens à scriptione, quam per manum; ità totum corpus mysticum Ecclesiæ, denominatur offerens ab oblatione, quam exercet per Sacerdotem, tamquam per sui partem, seù membrum, & quàmvis in corpore physico denominatio proveniens ab actione unius partis cadat suprà totum, at non suprà alias partes singillatim, nec per v. gr. denominetur ridens, aut scribens; hoc provenit, ex eo quod in corpore physico, non singulæ partes sunt supposita, quibus solis tribuuntur actiones, undè cum in corpore morali, seù mystico Ecclesiæ quilibet fidelis ità sit pars, ut simul sit suppositum actionum, & denominationum capax, ab oblatione Sacerdotis rectè derivatur denominatio offerentis, non solùm in totam Ecclesiam, sed & in quemlibet fidelem.

49

Postremò cæteri, offerunt autem isti denominativè, & quidem dupliciter: imò tripliciter.

Primus modus quo omnes fideles denominantur offerentes sacrificiū missæ.

Secundo modo Sacerdos, quamvis non sit Ecclesiæ membrum, nec etiam propriè possit dici Minister, nam ministerium inferioritatem appellat, ad populum autem, plebemvè fidelem Sacerdos est superior, non inferior, princeps, potius, quàm Minister, est tamen, à Christo institutus, & à populo fideli saltem interpretativè acceptus, tamquam Mediator, Advocatus, vel legatus ad totius populi nomine sacrificandum, & mediante sacrificio interpellandum apud Deum; eâ igitur ratione, quâ actiones, quas quis exercet, ut legatus, vel Advocatus aliorum, istis aliis tribuuntur, istos alios denominans, & tota Respublica denominatur, pacem inire, vel bellum indicere, pro ut id præstant eius legati; eâ in quam ratione oblatio, quam Sacerdos in missâ præstat, ut totius fidelis populi advocatus, vel legatus, omnes, & singulos de tali populo denominat offerentes.

50

Secundus modus.

Addi potest tertius modus desumptus, ex eo quod Christus in novo testamento se ipsum omnibus fidelibus dederit, ac pro omnibus offerendum Sacerdoti reliquerit, quod perinde est, ac si quilibet fidelis tribuat Sacerdoti Christum, tamquam victimam, quam in sacrificium offerat, sicuti igitur ex doctrinâ Augustini *lib. qq. Veter. testam. quæst. 46.* illi, qui in veteri lege præbebant sacerdoti ovem, vel aliquid aliud in victimam sacrificii dicebantur, simul cum sacerdote sacrificium offerre, ita in lege nova singuli fideles rectè dicuntur missæ sacrificium offerentes, ex eo quod in missa victima sacrificii sit pro omnibus fidelibus relicta, & perindè se habeat, ac si à singulis sacerdoti præberetur sacrificanda.

51

Tertius modus eiusdem denominationis.

Porrò triplex iste modus, quo quilibet fidelis denominatur offerens est per denominationem extrinsecam, quia non habetur per formam, vel actionem cuilibet fideli inexistentem, ut singulos tres modos consideranti innotescet: Non sic est præcisè per denominationem extrinsecam, quod offerentes dicantur, qui celebranti ministrant, aut missam celebrari procurant, aut eam debita devotione audiunt, isti enim offerentes denominantur etiam ab aliqua propria actione, qua cooperantur actioni sacrificali sacerdotis: sed de his satis superque, cum præcipuè aliquid ampliùs dicendum supersit pro secunda tituli parte, pro qua.

52

Adverto, in præfixo titulo fuisse consultò appositam reduplicationem illam *ut talibus*; cum enim regulariter quilibet fidelis in missæ sacrificio sit, tùm ea mox dictis offerens, tùm is, pro quo sacerdos saltem generaliter offert, utique cuilibet offerenti

53

sump-

umpto ſpecificativè obvenit, & quidem ex opere operato aliquid de fructu ſaltem generali ſacrificii, ut pro ipſo à ſacerdote oblati: at de hoc fructu nunc non agitur. ſed quæritur, an & quomodo cuilibet offerenti aliquis ex ſacrificio fructus obveniat, etiam ut eſt præcisè offerens, ſeu ratione oblationes, ut à ſe factæ, non ut pro ſe à ſacerdote applicatæ; adeò ut talem fructum reportaret, etiam in hypotheſi ſacerdotis nullatenus pro ipſo applicantis, imò poſitivè ipſum a ſua applicatione excludentis. In hoc ſenſu loquendo antequam ulterius procedam, ex variis offerentium, & offerendi modis jam explicatis, duas claſſes conſtituo: alteram eorum, qui proximius, & per aliquam propriam actionem, ſeu cooperationem offerentes ſunt, alteram aliorum, qui remotius, & ſolùm per denominationem extrinſecam.

54 Qui ſunt in miſſa ſolùm denominativè offerentes non percipiunt ut tales ullum ſacrificij effectum.

Assert. II. Fideles, qui in miſsa ſunt remotiùs, & ſolum per denominationem extrinſecam offerentes non percipiunt, ut tales ullum fructum ſacrificii. Ita Suarez *hic diſp.79. ſect.8. §.Secundò de Eccleſiâ*. Amicus *diſp.33. ſect.6. num.195.* & à fortiori Auctores afferendi pro ſequenti aſſerto, cæterique communiter, adeò ut oppoſitum à nemine fuerit expreſsè traditum, ſed ad ſummum ab aliquibus, ut à Scoto, Soto, Cano obſcurè inſinuatum apud Suarium §. nuper citato, & Vaſquium *diſp.231 c.3, nu.12*.

Probatur aſſertum. Qui in miſſa ſunt remotius, & per ſolam denominationem extrinſecam offerentes per nullum proprium actum concurrunt ad oblationem, atqui hoc ad minus eſſet neceſſarium, ad hoc ut tales aliquem ſacrificii fructum perciperent ergo fideles, qui in miſsa ſunt remotius &c. major habetur ex dictis. Minor probatur, quia offerens, ut talis reſpicit oblationem, ut eſt præcisè actio elicita: oblatio autem, ut eſt præcisè actio elicita, nequit habere effectum, niſi in eo, qui per aliquem proprium actum concurrit ad eam eliciendam: Neque dicas, hoc ad ſummum procedere de effectu, qui per actionem, ut elicitam habeatur ex natura rei, non de effectu, qui habeatur ex inſtitutione, qualiter habetur effectus ſacrificii, ſeu oblationis, ut eſt actio ſacrificalis. Contra enim: Hoc ipſum gratis prorſus, & ſine fundamento aſtruitur, cum aliundè nullum ſit veſtigium inſtitutionis, vi cujus, quis conſequatur fructum meritorum Chriſti, & effectum ex opere operato nullam exercendo actionem propriam, nec recipiendo alienam, nec item terminando applicationem ab alio pro ſe factam, quorum tamen nullum in caſu noſtro haberetur.

55 Imò nec qui ſunt offerentes per aliquã propriam actionem, ſeu cooperationem.

Aſſert. 3. Nequidem qui ſunt in miſſa proximius, & per aliquam propriam actionem, ſeu cooperationem offerentes percipiunt, ut tales ullum ſacrificii fructum, id eſt neque temporalis pœnæ remiſſionem, neque actualia gratiæ auxilia, neque aliud quidquam ex opere operato. Ita Vaſquez *præcit.cap.3 nu.11.* Coninchus *quæſt.83 art.1.dub.9* Lugus *diſp.19.ſect.11. nu.233.* Arriaga *diſp.53. ſect. 3. num. 12.* & aliqui alii contra Suarium *præcit. ſect.8. §. Quartò de cæteris* Henriquez *lib.9. cap.20.* Amicum *diſp.33. ſect.6. num 185.* qui tamquam ſibi faventes recenſent Sylveſtrum, Cajetanum, & ipſum D. Thomam: at quamvis iſti, aliique plures doceant, miſſæ ſacrificium prodeſſe offerentibus, non ideò facilè intelligendi ſunt in ſenſu reduplicativo; in quo aſſertum procedit, ſed potius in ſpecificativo, in quo offerentes ſunt ſimul ii, pro quibus ſacrificium offertur, ut quo ad D. Thomam in particulari aliquid iterum dicetur *ſeq. num 58.* Interim aſſertum in ſenſu ſuo reduplicativo, & de offerentibus, ut talibus.

56

Probatur: Alii fideles, quamvis proximius, & per aliquam propriam actionem miſſæ ſacrificium offerant, non offerunt tamen modo ſacerdotali, & per poteſtatem ſpecialiter à Chriſto conceſſam, nec phyſicè exercent actionem in ſe ſacrificalem, ſed ſolum ad iſtam, ut à ſacerdote fit moraliter concurrunt, ergo ut tales, ſeu ut taliter offerentes nõ percipiunt &c. Antecedens patet conſequentia probatur, quia ſicuti valor, ita effectus ſacrificii alligatus eſt oblationi, ut factæ modo ſacerdotali, & per poteſtatem à Chriſto conceſſam, & ſicuti in ſacramentis proprius ex opere operato effectus, alligatus phyſicæ ipſorum ſuſceptioni, nullatenus habetur per ſuſceptionem moralem, vel in voto, nec participatur ab iis, qui ad phyſicam aliorum ſuſceptionem concurrunt movendo, exhortando, juvando ipſos ad phyſicè ſuſcipiendum, ita ſimiliter &c. Confirmatur, ex eo quod eadem facilitate, qua adverſarii extendunt ad omnes cooperantes fructum ſacrificii poſſet ad eoſdem omnes extendi aliqua poteſtas, talem fructum aliis applicandi: Statiendum igitur eſt, ſicut poteſtatem applicandi, ita fructum ipſum oblationi, ut à ſacerdote, non ut ab ullo alio fit, Chriſtum ſecundum præſentem inſtitutionem alligaſſe, ideò &c.

57

Dices Divus Thomas *quæſt.79. art.5.in c.* docet, Euchariſtiam, ut ſacramentum, & euchariſtiam, ut ſacrificium differre *in eo, quod effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit, effectum autem ſacrificii in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur*, & in fine articuli repetit oblationem ſacrificii fieri ſatisfactoriam *illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis*, ergo ex mente D. Thomæ offerentes etiam ut tales, & ut contradiſtincti ab his, pro quibus offertur percipiunt ſacrificii fructum. Confirmatur, ex eo quod *ibid* S. Doct. ait, euchariſtiam rationem ſacrificii habere *in quantum offertur*, rationem ſacramenti *in quantum ſumitur*, ergo ſicuti effectum ſacramenti in omnibus, à quibus ſumitur, ita effectum ſacrificii in omnibus, à quibus offertur. Nec obſtat quod in probatione noſtrâ dicebatur, ſicut effectus ſacramenti non participatur ab iis, qui concurrunt movendo alium ad immediatè ſumendum,

dum, ita nec effectum sacrificii debere participari ab iis, qui concurrunt solùm movendo alium ad immediatè offerendum: Non obstat, inquam, quia moventes alium ad sumendum non concurrunt ad sumptionem in eodem genere causæ, in quo sumens, undè nec sumentes dicuntur; moventes verò sacerdotem ad offerendum concurrunt ad oblationem in eodem genere causæ, in quo sumens, undè nec sumentes dicuntur; moventes verò sacerdotem ad offerendum concurrunt ad oblationem in eodem genere causæ, in quo sacerdos; undè & dicuntur offerentes, & sicuti omnes cum sacerdote constituunt unum morale offerens, ità omnibus, & singulis secundùm propriæ cooperationis, devotionisque modum debet oblatio prodesse. Sed contrà: Præter quod dici potest, S. Doctorem per offerentem, & eum, qui offert, intelligere solum sacerdotem, pro quo solo, tamquam pro principaliori analogato, ut plurimum supponit offerentis nomen absolutè prolatum; Præter hoc inquam repeto, quod jam in asserto præmoniti, D. Thomam non loqui in sensu reduplicativo, quò ad offerentes; certè enim nullam apponit reduplicationis notam; neque per ly *vel* intendit contradistinguere offerentes ab illis, pro quibus offertur, sed solum insinuare, quod iisdem personis utrumque conveniat, quamvis deindè non utrumque sit ratio participandi fructum sacrificii ex opere operato.

58
Occurritur auctoritati D. Thomæ.

Ad confirmationem concedo antecedens, nego consequentiam; Ratio est, quia in sumentibus eucharistiam, ut sacramentum non est ulla diversitas; est verò diversitas, & analogia maxima in offerentibus eucharistiam, ut sacrificium, habent unicum sumendi modum, huncque per se, & propriè talem omnes, qui denominantur sumentes, non sic habent unicum, & proprium offerendi modum omnes, qui denominantur offerentes; ab effectu igitur, quem eucharistia, ut sacramentum causat in omnibus sumentibus, non valet illatio ad effectum ab eucharistiâ, ut sacrificio causandum in omnibus offerentibus; & benè quò ad rem recurrit superius argumentum, quod sicuti non percipiunt sacramenti effectum, qui concurrunt ad sumptionem solùm moraliter, ità non debeant percipere effectum sacrificii, qui concurrunt solum moraliter ad oblationem, quod deindè, ut in instantiâ urgebatur, illi non dicantur sumentes, isti dicantur offerentes, per accidens est, & ad modum loquendi pertinens: dum alioqui est in re utrobique maxima concurrendi diversitas: Hincque etiam parum refert, quod omnes sacrificio cooperantes constituant cum sacerdote unum morale offerens; est enim hæc unitas valde analogicâ, & imperfectâ; cum quâ sicuti benè stat, quod solus sacerdos offerat in Christi personâ, per potestatem à Christo acceptam, & exercendo physicè actionem sacrificalem, ità benè stat, quod ipse solus (quamvis neque hoc videatur concedere Vasquez

Cur non prosit sacrificium omnibus offerentibus, sicut sacramentum omnibus sumentibus.

59

præcit. cap. 3. num. 13.) percipiat, ut offerens aliquem ex opere operato effectum, & fructum sacrificii illum scilicet, quem specialissimum vocant, quemque nec ipse potest aliis applicare, nec sibi amittere per hoc, quod sibi non applicet.

60

Urgebis: Si ità est, sequitur, procurantes celebrationem missarum, missas audientes, sacerdoti ad altare inservientes nullum ex opere operato fructum percipere, nec quidquam referre, quod majori, vel minori devotione, crebriùs, vel rariùs talia præstent; atqui hoc est inconvenientissimum, utpotè fideles valdè removens à procurandis, & audiendis missis, ab inserviendo sacerdotibus, à veneratione, & devotione ergà eucharistiæ sacrificium; ergo inconvenientissimum pariter est id, ex quo sequitur, & ex hoc ipso habetur sufficiens necessitas extendendi ad alios offerentes, & sacrificio cooperantes effectum, quem ex opere operato reportant, tum sacerdotes, tùm ii, pro quibus sacerdotes offerunt: Sed contrà: In primis quæcumque missarum procuratio, auditio, & ad ipsarum celebrationem cooperatio habere potest, ac solet ingens meritum ex opere operantis, quod aptum est, & sufficiens pro fidelibus non parùm excitandis ad missarum, sivè audiendarum, sivè procurandarum devotionem, & frequentiam: Deindè pro circumstantibus, audientibus, & aliter suâ cooperatione offerentibus missæ sacrificium sacerdos celebrans offert, & generalem fructum applicat, ideò ipsis licèt, non ut præcisè sunt offerentes, benè ut sunt simul ii, pro quibus offertur, sacrificii fructus ex opere operato obvenit, isque major, vel minor, pro ut sunt magis, vel minus dispositi; sunt autem magis dispositi, qui devotiùs, aut proximiùs cooperando offerunt, ideò major fidelium ergà missam devotio, ac cooperatio ad majorem etiam ex opere operato fructum confert, & etsi non sub eâ præcisè formalitate, seù reduplicatione, quam intendunt, prætenduntque Adversarii.

61

Quomodò fit fidelibus fructuosa missarum audiendarũ, & procurandarum devotio?

62

Ex his habetur, quomodo proximiùs, & per propriam cooperationem offerentes sint in missæ sacrificio melioris conditionis, quàm offerentes remotius, & per solam denominationem extrinsecam: Etsi enim utrique, ut præcisè offerentes, careant omni proprio effectu, & fructu sacrificii, & dici possint ejusdem sub istâ ratione conditionis: illi tamen sunt conditionis diversæ, & longè melioris, quatenùs habent ex propriâ cooperatione meritum operis operantis, & dispositionem conducentem ad majorem fructum operis operati; alii autem sicuti dicuntur offerre, absque eo quod aliquid operentur, ità offerendo, nec merentur quidquam ex opere operantis, nec ullâ propriâ dispositione reddunt sacrificium efficacius, ad conferendum operis operati fructum, ipsis obvenientem ex applicatione sacerdotis, qui etiam non omninò æqualiter pro omnibus offerentibus offert, seù applicat, sed magis pro proximioribus,

Quomodò sint in missa melioris cõditionis offerentes proximius, quàm offerentes remotius?

miotibus, minus prò remotioribus juxtà proportionem, & ordinem ipsis offerentibus existentem; neque in hoc necesse, est sacerdotem distinguere, satis est quod intendat pro omnibus modo congruo, & ut oportet offerre, sicut procul dubio solet saltem habitualiter quilibet Celebrans intendere.

---

§. IV.

Pro quibusnam viventibus possit utiliter offerri Missæ Sacrificium?

63 Missæ sacrificium utiliter offertur pro omnibus fidelibus baptizatis, ab Ecclesia non præcisis?

ASSERT. I. Missæ sacrificium potest utiliter offerri pro universis viventibus fidelibus baptizatis non præcisis ab ecclesiâ per excommunicationem. Est assertum receptissimum, & quamvis admittat aliquam peculiarem rationem dubitandi in nondum adultis, & in adultis energumenis, nullum tamen Catholicum audivi, aut legi, qui in re docuerit, ipsos esse excipiendos, & Vasquez *disp.227.cap.1.num.4.* ait opus non esse, pro assertâ sententiâ aliquos Scholasticos allegare, cum nullus eorum sit, qui eam neget.

Probatur, ex eo quia certum est missæ sacrificium utiliter posse, imò debere offerri pro totâ ecclesiâ visibili militante, huic enim, tamquàm suæ dilectæ sponsæ, fuisse à Christo relictum, testatur Tridentinum *ss. 22. cap. 1.* & in ipso missæ Canone post ly *Te igitur Clementissime Pater* ferè statim dicitur *In primis, quæ tibi offerimus pro ecclesiâ tuâ sanctâ Catholicâ*; ista autem, ut visibilis, & militans complectitur universos viventes, idest vitam hanc mortalem agentes, fideles baptizatos, nec præcisos per excommunicationem, hi enim omnes sunt in ipsam visibiliter per baptismum ingressi, ipsiusque militiæ adscripti, nec posteà, aut fuerunt foras ejecti, quod fit per excommunicationem, aut militiam deseruerunt, quod fit per apostasiam à fide, seù infidelitatem. Confirmatur, ex eo quod in eodem Missæ Canone paulò post relata verba subditur, *& pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei Cultoribus*: In Tridentino item *eod. sess. cap. 2.* universaliter dicitur, ritè offerri *pro fidelium vivorum peccatis* &c. Nec refert, quod fideles nondum adulti, seù parvuli baptizati nullum habeant reatum pœnæ per missæ sacrificium remittendæ: item quod pro energumenis, quamvis fidelibus concilium Elibertinum prohibuerit missę sacrificium offerri *Can. 19.* decernendo *Ne illorum nomina ad Altare cum oblatione recitentur*.

64 Etiam nondum adultis?

Non refert primum, quia ex carentiâ reatus pœnæ solùm sequitur, non posse pro parvulis utiliter offerri missam, quò ad fructum satisfactorium, at non propterea sunt incapaces fructus impetratorii, quo ipsis ex sacrificio obveniat sanitas, aut aliud bonum temporale, aut protectio Dei extrinseca, aut etiam aliquod interioris gratiæ auxilium suo tempore cum adulti fuerint concedendum, enim verò impetratio benè potest in futurum fieri, & fortè, ut ait Arriaga *hic disp. 52. sec. 3. nu.* 8. eo melius fit, quò in longius tempus.

65 Etiam energumenis.

Non refert secundum, quia verba ex Concilio Elibertino relata non probant intentum, nec continent prohibitionem offerendi in missâ generaliter pro energumenis, sed recensendi solemniter ad altare ipsorum nomina, ipsosque admittendi ad ferenda pro sacrificio munera: Deindè canon ille nec de omnibus energumenis processit, nec diù viguit, ut colligi potest *ex præced. lib. 2. cap.* 3. §. 5. quæ enim ibi non obstante Concilio Elibertino dicta sunt de energumenis non excludendis à susceptione eucharistiæ, ut sacramenti, procedunt à fortiori de iisdem non excludendis à participatione eucharistiæ, ut sacrificii, cujus applicatio poterit ipsis prodesse, non solùm ad pœnæ remissionem, si sint in gratia, aut ad alia beneficia, si sint in peccato; sed singillatim ad auferendam, vel temperandam ipsam vexationem, quam à dæmone patiuntur.

His, quæ certà, & indubitata sunt, positis, ulterius procedendo quærendum est, utrùm præfixum assertum debeat intelligi privativè, & exclusivè quò ad alios, an verò ità fideles, baptizatos, & non excommunicatos includat, ut non prorsus excludat omnes alios, sed quò ad priores sit offerendi pro ipsis non potestas tantùm, sed & obligatio, pro aliis, etsi non sit obligatio, sit tamen potestas, adeò ut oblatio, seù applicatio sacrificii pro ipsis facta sit utilis, aut etiam licita; quamvis non generaliter, & regulariter debita: Quo in puncto, quia multa continet, expedit ea, in quibus Auctores vix dissentiunt supponere, & secernere à reliquis, in quibus dissentiunt plurimum, & magis cuilibet liberum est eligere, quid sentire malit. Ideò

66

Suppono primò, quò ad effectum satisfactionis pro debito pœnæ nil posse missæ sacrificium prodesse viventibus non baptizatis, sivè sint omninò infideles, & in Paganismo, aut Judaismo permanentes, sivè sint ab infidelitate interius concursi, vel initio usus rationis de verâ religione instructi, ac jam per fidem Christo, & ecclesiæ invisibiliter conjuncti, ut catechecumeni: Quò ad priorem hujus suppositi partem nullus potest dissentire, quia illi infideles, si minus defectu baptismi, saltem defectu status gratiæ sunt incapaces percipiendi ex sacrificio, aut aliundè aliquam pœnæ remissionem: Quò ad posteriorem partem video nonnullos, etsi non nominatim in oppositum memorari, in eam tamen consentiunt, etiam ex Auctoribus, qui concedunt, missæ sacrificium posse non baptizatis prodesse impetratorie Suarez, Amicus, Lugus. Herinex, Madernus locis inferius citandis, aliique plurimi, & iste communis Scholasticorum consensus esse potest primum

suppo-

supposiri, quo ad posteriorem partem fundamentum: Secundum erui potest ex diversitate *seq. num.* 70. afferenda inter effectum satisfactorium, & effectum impetratorium: Tertium *ea seq.* §. *num.* 90. dum agetur de missæ sacrificio in ordine ad catechumenos sine propriâ culpâ defunctos, antè susceptum baptismum.

67 **Velle insuper, & licitum est ipsum offerre indirectè pro quibuscumque infidelibus.**

Suppono secundò pro infidelibus quibuscumque, non baptizatis, schismaticis, hæreticis, excommunicatis licere offerre missæ sacrificium indirectè non applicando pro aliquo ipsorum determinatè, nec intendendo aliquod bonum per se, & ut redundans in ipsorum commodum, sed solum ut redundans in commodum Ecclesiæ, in propagationem, adunationem, pacificationem ejus, quamvis hoc in re haberi non possit sine aliquo bono infidelium, idest sine aliqua ipsorum conversione, & resipiscentiâ, concessioneque auxiliorum ad eam conducentium: Modum sic pro infidelibus offerendi licitum esse, imo & quotidiè usitatum deducitur claré ex missæ officio, nam in primis Calicem offerendo petimus *Ut pro totius Mundi salute cum odore suavitatis ascendat*: In Canone offerimus pro Ecclesiâ, quam æternum Patrem deprecamur, ut dignetur *pacificare, custodire, adunare, & regere toto orbe terrarum*: In Missali Romano extat peculiaris missa *Ad tollendum schisma*, in quâ necesse est indirectè, & implicitè offerri pro Schismaticis, intendendo ipsorum cum Ecclesiâ reunionem, non ut ipsis, sed ut Ecclesiæ bonam. In societate, ut refert Amicus *disp.* 33. *sec.* 5. *num.* 115. adest peculiare decretum, ut omnes Sacerdotes singulis mensibus offerant pro hæreticorum conversione, eo quod sine istâ haberi nequeat dilatatio fidei, & propagatio Ecclesiæ, pro quâ ex vi illius decreti directè, & primariò offerendum est. Tandem eadem ratione Suarez *disp.* 78. *sec.* 2. §. *Est autem* refert, in Liturgiâ Jacobi orari pro extirpandâ hæresi, item in Liturgiis Basilii, & Chrysostomi legi inter alia *Domine miserere orbis terrarum, errantes revoca, dispersos congrega*.

68 **Sacerdos in missa triplicem gerit personam.**

Suppono tertiò, Sacerdotem in missæ celebratione, quasi triplicem personam gerere, nimirum Christi, Ecclesiæ, & propriam: Gerit personam Christi, quatenus offert ut Christi minister; Christi nomine, & potestate à Christo acceptâ; sub hâc ratione ei, pro quo offert applicat fructum sacrificii potiorem, provenientem ex Christi dignitate institutione, & meritis, proprièque dictum ex opere operato: Gerit personam Ecclesiæ, quatenus offert, tamquam Ecclesiæ legatus, vel advocatus, totiusque Ecclesiæ nomine publicé orat; sub hâc ratione applicat ei, pro quo offert fructum minus præcipuum, provenientem ex dignitate, & meritis Ecclesiæ, dicendumque ex opere operantis, potius quam ex opere operato, ut jam suprà *cap.* 3. *num.* 2. tetigimus: Gerit personam propriam, quatenus offert, & secretò orat, tamquam privata persona; sicuti simul cum ipso offerunt, & orant circumstantes; sub hâc ratione applicat ei, pro quo offert fructum adhuc minus præcipuum, ex conditione, devotioneque propria provenientem, & simpliciter ex opere operantis. Tertium hunc fructum potest Sacerdos quibuscumque infidelibus, & excommunicatis etiam non toleratis applicare, & ut privata persona offerre validè, ac licitè: Secundum fructum nequit applicare excommunicatis, saltem non toleratis; Utrùm toleratis, aut infidelibus non excommunicatis possit? controvertitur: Multo magis verò respectu omnium, sivè non baptizatorum, sivè infidelium, sivè excommunicatorum controversia, & dissentio est de primo fructu considerato in ordine ad impetrandum.

69

Assert. 2. Missæ sacrificium, quo ad fructum impetratorium potest utiliter offerri pro fidelibus viventibus non baptizatis, idest pro Catechumenis, item pro infidelibus quibuscumque, saltem si excommunicati non sint, quod addo propter infideles baptizatos, qui omnes jam sunt ipso facto excommunicati, etsi tales non essent in antiquâ Ecclesiâ, ut notat Vasquez *disp.* 227. *cap.* 4. *num.* 28. excipio autem excommunicatos, quia de ipsis acturus sum singillatim in sequenti, interim assertum præsens tradunt Sylvius *quæst.* 83. *art.* 1. *quæst.* 8. Gonetus *disp.* 11. *art.* 3. Hetinex *disp.* 8. *quæst.* 5. *num.* 55. Madernus *quæst.* 8. *art.* 5. *num.* 20. Suarez *disp.* 78. *sec.* 2. Lugus *disp.* 19. *sec.* 10. Amicus *disp.* 22. *sec.* 5. Bellarminus in controu. *lib.* 2. *de Missâ cap.* 6. & cæteri Scholastici magis communiter contrà Sotum *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 2. *art.* 7. *ad* 2. & *lib.* 5. *de just. & jur. quæst* 2. *art.* 2. *ad* 3. Gabrielem *lect.* 34. *in Canon.* Vasquium *disp. pracit. cap.* 3. Chametotam *de Sacrif. Missæ dub.* 12. & aliquos alios quos refert, & sequitur Marchinus de Sacram. Ordin. *trac.* 3. *par.* 2. *cap.* 7.

70 **Notabilis diversitas inter missæ fructum satisfactorium, & impetratorium.**

Probatur, & explicatur assertum expendendo diversitatem inter fructum satisfactorium, & fructum impetratorium, pro ut uterque ex missæ sacrificio provenit. Primò enim fructu sacrificii satisfactorius est simpliciter ex opere operato, & convenit novæ legis sacrificio eo modo, quo suus effectus, & fructus novæ legis sacramenti: Fructus ejusdem impetratorius in multorum sententiâ ex opere operato non est, & quamvis suprà *cap.* 3. §. 3. *num.* 68. talis sententia nobis absolutè non placuerit, nonnihil tamen ei indulsimus, admittendo, fructum impetratorium non esse ex opere operato ità propriè, ut est fructus satisfactorius, & à propriâ ratione operis operati ali-

aliquantulum recedere, ex eo quod à sacrificantis, & operantis petitione dependeat: Secundò (& hæc diversitatis ratio optima, atque clarissima pro præsenti intento censetur à Lugo *præcit. sec.* 10. *num.* 179.) fructus satisfactorius respicit immediatè personam, pro qua sacrificium offertur, & in solam ejus utilitatem redundat, nullatenus in utilitatem sacerdotis offerentis: fructus impetratorius respicit personam, pro quâ sacrificium offertur solum mediatè, immediatè verò Sacerdotem offerentem; quod enim conceditur uni petenti, & impetranti pro alio, magis conceditur petenti; quam ei pro, quo petit; & quisquis aliquid pro alio petit, id petit, tamquam proprium, non alienum tantum beneficium, quin ipsummet pro alio exaudiri magnum petentis beneficium est; Licet igitur homo non baptizatus sit ratione sui incapax, nec possit esse subjectum immediatum fructus sacrificii, adhuc poterit pro ipso utiliter offerri ad impetrandum, quia sacerdos offerens semper est immediatè capax, & dum offert ad impetrandum pro alio applicat fructum immediatè sibi, quamvis cum redundantiâ in alium; applicat igitur subjecto capaci, adeoque utiliter: Certè irrationalia sunt magis incapacia fructus sacrificii, quam homines non baptizati: atqui propter rationem mox allatam potest pro irrationalibus utiliter offerri ad impetrandum; puta pro equo, ad impetrandam sanitatem; pro seminibus terræ commendatis, ad impetrandam bonam frugem, quid ni igitur etiam pro quocumque homine non baptizato. Ad impetrandum aliquod spirituale, vel temporale bonum? Numquid fructum sacrificii magis impedit carentia baptismi, quam carentia rationis, aut sensus.

71 Impetratorius, non satisfactorius potest validè applicari nō baptizatis.

72 Dices primò, totam hanc doctrinam nil aliud concludere, quam quod missæ sacrificium possit utiliter pro non baptizatis offerri indirectè, quatenus Sacerdos offerat directè pro se ipso, & intendendo beneficium proprium, quod postea redundet in bonum, & commodum alicujus non baptizati; hoc autem non est illud, quod controvertitur, & ab Adversariis negatur, imò nos ipsi nuper *num.* 67. tamquam communiter admissum supposuimus; Vel igitur assertum id solum intendit, & sic non procedit juxta legitimum, & controversum sensum difficultatis, vel intendendo aliquid amplius procedit de oblatione directa, & sic doctrina nostræ probationis non est sufficiens, nec concludit asserti intentum. Sed

73 contrà: Dupliciter contingit, sacrificium offerri pro aliquo indirectè, primò quatenus ex intentione offerentis per se, & explicitè dirigatur ad alium, cui immediatè prosit, per accidens verò, & quasi præter offerentis intentionem fit, quod prosit ei, pro quo dicitur offerri indirectè: Secundò quatenus intentio explicita offerentis feratur in aliquam determinatam personam, & ad aliquod determinatum ei impetrandum, ex naturâ tamen, seù ratione genericâ oblationis impetratoriæ, & independenter ab omni explicita intentione fiat, quod tale bonum nequeat immediatè obvenire ei, cui intenditur, sed prius censeatur obvenire, & concedi impetranti. Prima oblatio dici potest indirecta ex intentione offerentis explicitè, & propriè: Secunda dici potest indirecta solum in executione implicite, & impropriè: Primo oblationis indirectæ modo sacrificium pro non baptizatis, vel infidelibus quibuscumque offerri posse, est communis sententia, de qua *num.* 67. quo ad secundum verò modum, sivè directum, sivè indirectum ipsum appelles, est controversia; de isto assertum procedit; de isto probatio nostra benè concludit, ad instantiam dico, malè in eâ supponi, quod juxtà nostram doctrinam Sacerdos offerat directè pro se ipso explicite, & intentione elicitâ, imò volumus, quod sic offerat pro non baptizato determinatè, & in particulari, ut jam explicatum est.

74 Dices secundò, impugnando assertum simpliciter, & absolutè. Non baptizatis, qualescumque sint, etiamsi fideles, & catechumeni nequit utiliter ministrari ullum novæ legis sacramentum, ante ipsum baptismum; ergo iisdem nequit utiliter applicari novæ legis sacrificium; antecedens nequit in dubium revocari, cum baptismus in nova lege sit sacramentum ordine executionis primum, aliorumque omnium janua, & ex hoc ipso nos supra *lib.* 2. *cap.* 3. §. 1. docuimus, à non baptizato quamvis fideli, & catechumeno non posse fructuosè suscipi Eucharistiam, ut sacramentum: Consequentia probatur, quia baptismus non sacramentorum tantum, sed & Ecclesiæ est janua, nouum autem sacrificium, æquè ac quodlibet novum sacramentum fuit à Christo pro suâ Ecclesiâ institutum, & ei specialiter relictum, ut jam ex Tridentino retulimus *præced. num.* 63 Urget præterea ferè ad hominem præmemorata doctrina, & paritas de Eucharistiâ, ut sacramento; mirabile namque esset, ut ait Vasquez *præcit. cap.* 3. *num.* 17. capacem aliquam esse fructus ex opere operato ejusdem Eucharistiæ, sub unâ ratione, non sub aliâ, sub ratione sacrificii, non sub ratione sacramenti. Tandem adest expressa auctoritas Augustini *lib.* 1. *de animâ, & ejus origine cap.* 9. dicentis *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi*, & ad explicandum quid per membra Christi intelligat, ferè statim subjicientis *Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo*, sicque excludentis responsionem dicentium, etiam Catechumenos, quatenus per fidem, & charitatem Christo conjunguntur, rectè dici Christi membra.

Sed

75

Sed contrà : Concedo antecedens, nego consequentiam, vel distinguo. ergo iisdem nequit utiliter applicari novæ legis sacrificium, secundum effectum similem effectui sacramentorum, quem scilicet propriè ex opere operato, & immediate confert ei, cui applicatur, qualis est fructus satisfactorius, concedo; secundum effectum non ità similem, quem minus propriè ex opere operato, nec omninò immediatè confert, qualis est fructus impetratorius, de quo solo assertum procedit nego, & distinctionis ratio, ac explicatio perspicua est ex jam dictis.

Ad consequentiæ probationem; dico, quod sicut patrem pro filio, & ejus descendentibus primogenituram instituere, & ei specialiter relinquere non impedit, quin de talis primogenituræ fructibus possit aliquid extraneis dispensari, dummodo non alienetur dominium, nec distrahatur principalior utilitas, ità quod missæ sacrificium sit pro Ecclesia institutum, & ei specialiter relictum, non tollit, quin possit in aliquam eorum qui extra Ecclesiam sunt, utilitatem redundare; dum ex aliâ parte in eâ solâ offertur, à solis ejus sacerdotibus applicatur, & solis ejus membris, quo ad fructum potiorem, effectuique sacramentorum similiorem prodest.

76

Cur ut Eucharistia, ut sacrificium potius, quam ut sacramentum possit non baptizatis prodesse?

Ad paritatem peculiariter desumptam ab eucharistia, ut sacramento: dico, in isto non magis, quàm in aliis sacramentis urgere, & recurrere, ac sufficere distinctionem jam pro aliis *praeed. num.* adhibitam; Addo, in eadem Eucharistia rationem sacrificii, & rationem sacramenti, toto undique habere diversitatis capite, ut non debeat, Vasquio videri mirabile, si differant etiam, in eo quod ex una ratione, non ex aliâ possit aliqua utilitas in non baptizatos derivari, cum præcipue eodem ferè modo id eveniat, quo ad unius, non alterius rationis utilitatem, respectu non existentium in gratiâ.

Ad auctoritatem Augustini ex initio, & contextu illius capitis manifestè constat, sermonem ibi esse de sacrificii oblatione pro defunctis, & in ly *Nisi pro eis* apte subintelligi (defunctis) *qui* &c. ideo talis auctoritas opportunius expendetur §. *seq.* & pro præsenti satis sit dicere, eam de viventibus, de quibus nunc agitur, non procedere.

Dices tertiò: Ex ritu, & usu totius Romanæ Ecclesiæ pro Catechumenis, aut infidelibus numquam oratur, præterquam in feriâ sextâ Parasceves, in qua exercetur quidem aliquod sacrum missæ ministerium, at sacrificium non offertur, ut nos ipsi cum communi docuimus *praeed. cap.* 2. § 2. *num.* 19. unde & D. Thomas *hic quæst.* 79. *art* 7. *ad* 2. notavit *in Canone missæ non orari pro iis, qui sunt extra Ecclesiam*; & quod magis est S. Doctor id notat post recitata verba, quæ mox ex Augustino protulimus, adeoque videtur ipsa in favorem Adversariorum intelligere; ergo ex mente D. Augustini, D. Thomæ, & totius Romanæ Ecclesiæ nequit missæ sacrificium pro catechumenis, aut infidelibus utiliter offerri, cur enim numquam offerretur, nec in missâ oraretur, si offerri, & in missâ orari, pro illis utiliter posset? Sed contra: D. Thomas verbis ex *cit. resp. ad* 2. adductis

77

hæc addit *Illis tamen prodest plus, vel minus secundum modum devotionis eorum*; sicque potius stat in terminis pro assertâ à nobis sacrificii utilitate: Neque oppositum deducitur ex eo, quod pro existentibus extrà Ecclesiam ipsa Romana Ecclesia neque in Canone, neque alibi in missâ orari præscribat; hoc enim arguit non obligationem, seù non necessitatem, at non probat inutilitatem orandi, offerendi pro illis, pro quibus alioqui numquam debuisset in missâ orari, cum tamen in antiqua Ecclesia orari consueverit, ut specialim de Catechumenis fatetur inter relatos Adversarios Vasquez *præcit. cap* 3. *num* 16. imò, & de infidelibus *seq. cap.* 4. *num* 28. quamvis velit, ex eo quod Ecclesia, & Ecclesiæ nomine Sacerdos pro aliquo in missâ oret, non sequi, quod pro ipso sacrificium offeratur: Verùm de hâc illatione nunc non contendo, intendo solum non viguisse semper usum, & ritum, quem instantia objicit: Cur deindè antiquus usus, & ritus orandi, aut fortè etiam offerendi pro catechumenis, & infidelibus in Ecclesia Romana cessaverit, abrogatusvè fuerit; ratio esse potest, quia antiquitus in primitivâ Ecclesia magna erat Catechumenorum copia; & fideles cum infidelibus permixti commorabantur, successu temporis hoc cessavit, & propter catechumenorum paucitatem, infideliumque à fidelibus sejunctionem, cœperunt isti, sicut solum inter se cohabitare, ità solum pro se invicem publice orare, & sacrificare; Ideò &c.

78

Missæ sacrificium potest utiliter offerri pro excommunicatis etiam vitandis.

Assert. 3. Missæ sacrificium, quoad fructum provenientem ex Christi institutione, & dependentem à Sacerdote, ut à Christi Ministro potest utiliter offerri pro viventibus excommunicatis, etiam vitandis, & non toleratis. Ità in præsenti Lugus *præcit. sec* 10. *num.* 185. Herinex *præcit. quæst.* 5. *num.* 61. Arriaga *disp* 52. *sec.* 4. *num.* 12. Sylvius *quæst* 9. & in materiâ de censuris Suarez *disp.* 9. *sec.* 4. Avila *par.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. Bona ina *disp.* 2. *quæst.* 2. *punc.* 1. § 3. & cæteri magis communiter contrà illos in primis, qui ut retulimus suprà *num* 34. putant, invalidam esse applicationem sacrificii factam à Sacerdote contrà voluntatem Superioris; Deindè contrà Vasquium *præcit. cap.* 3. *num.* 26. aliosque nonnullos.

Dixi *quo ad fructum provenientem ex Christi institutione, & dependentem à Sacerdote, ut à Christi Ministro*, quia de fructu provenientē ex oblatione Ecclesiæ, & dependentem à Sacerdote, ut offerente Ecclesiæ nomine

jam supra *num. 68.* supposui, diversam esse rationem. Porrò ly *Quo ad fructum* non limitavi, ut in præcedenti asserto ad fructum impetratorium, quia omnis excommunicatus baptizatus supponitur, ideò si ratione censuræ non privatur omni sacrificii fructu, & aliundè non habeat ex culpâ obicem remissionis pœnæ, sed in gratiâ sit, non erit, unde sit incapax fructus satisfactorii potius quam impetratorii; erit igitur absolutè, & ex vi institutionis sacrificii utriusque capax, & quoad utrumque fructum pro eo sacrificium offeretur utiliter, quod sic.

79 Probatur: Excommunicatus etiam vitandus, & non toleratus ex unâ parte non est simpliciter extrà Ecclesiam, cum retineat baptismi characterem, qui est nota hominis Ecclesiam ingressi, & intrà ipsam constituti, ergo quoad hoc est melioris conditionis, quàm homo non baptizatus; si igitur pro isto potest utiliter offerri missæ sacrificium quoad fructum impetratorium, poterit multò magis pro excommunicato, & cum in illo sola carentia baptismi inducat incapacitatem fructus satisfactorii, excommunicatus, qui contritus, & in gratiâ supponatur, nequidem fructus satisfactorii incapacitatem habebit: Ex aliâ parte, quamvis sit extrà Ecclesiam secundum quid, idest extrà fidelium communicationem, & hoc maximè consistat in eo, quod privetur communibus fidelium Ecclesiam constituentium suffragiis, non idcircò privatur fructu sacrificii in ordine ad applicationem validam, & utilem, sed solum in ordine ad applicationem licitam: Sacrificium enim sicuti non est ab Ecclesiâ institutum, sed ei à Christo relictum, ità pendet ab ipsâ solum quoad licitè, non quoad utiliter, & validè fieri, vel applicari, & Sacerdos applicans contrà Ecclesiæ prohibitionem peccat, at valore, vel fructu sacrificium, & ei, cui applicat, prodest, quamvis sibi noceat juxtà doctrinam *præced. num. 36. & 37.* traditam de valore applicationis factæ à Sacerdote contrà voluntatem Superioris: Moneo tamen obiter, quod sicut ibi suam, ac ferè æqualem agnovi probabilitatem in opinione oppositâ, ità hic non possum non coherenter fateri, esse etiam satis probabilem sententiam negantem excummunicatis vitandis omnem ex missæ sacrificio utilitatem, ipsosque quoad hoc facientem pejoris condititionis, quam Judæos, aut Paganos, pro quibus nulla est, aut saltem non adeò formalis, & expressa sacrificii offerendi prohibitio.

80 Ex dictis habetur, pro omnibus prorsus viventibus, seù vitam hanc mortalem agentibus, imo & pro quolibet in particulari posse cum aliquâ, etsi non cum omni suâ utilitate offerri missæ sacrificium, sicque aliqualiter æmulari sacrificium Crucis pro omnibus prorsùs hominibus à Christo oblatum, & omnibus prodesse aptum: Superest jam videndum, utrùm possit similiter cum aliquâ, si non cum omni suâ utilitate offerri pro omnibus defunctis, sive in Cælo, sivè in Inferno, sivè in Purgatorio existant: Deindè tùm quo ad viventes, tùm quoad defunctos quoslibet erit aliquid dicendum, quoad licitè, definiendo, utrùm sacrificii oblatio, seù applicatio sit licita, pro illis omnibus, pro quibus potest esse utilis, & valida? quo in puncto specialis est hinc indè ratio dubitandi circà excommunicatos toleratos, & non vitandos, qui sequenti §. & ferè toti præsenti materiæ finem imponent. Ideò sit.

---

§. V.

Pro quibusnam defunctis utiliter, & pro quibus, sivi pariter defunctis, sivè viventibus licitè offerri possit Missæ Sacrificium?

81 *Nequit utiliter offerri pro Beatis in sensu proprio.*

ASSERT. I. Pro defunctis in Cælo existentibus, idest pro Beatis nequit utiliter offerri, nequit scilicet illis prodesse missæ sacrificium propriè, & rigorosè loquendo. Est veritas apud Catholicos receptissima, & quamvis aliqui, tùm ex Scholasticis, tùm ex Sanctis Patribus aliquando dixerint, fieri in altari oblationes pro Martyribus, aut aliis Sanctis, & Bellarminus *lib. 2. de Missâ cap. 8.* titulum ponat his verbis *Sacrificium Missæ rectè celebrari pro Sanctis*, nihilominus in re non sentiunt, illis prodesse, nec pro illis celebrari in eo sensu proprio, in quo pro viatoribus.

Probatur, & explicatur: Beati in Cælo nullum habent culpæ, aut pœnæ reatum, ratione cujus possit illis sacrificium prodesse, ut propitiatorium, aut ut satisfactorium; nullam item gratiæ, aut gloriæ, aut alterius boni consequendi, sicut nec ullius mali vitandi indigentiam, ratione cujus possit illis sacrificium prodesse, ut Impetratorium, & quamvis sint capaces alicujus novi boni extrinseci, & novæ gloriæ accidentalis, non tamen sunt indigentes, quia ex illius carentiâ non malè se habent, nec tristantur, aut dolent; ideò quod offeratur Sacrificium pro gloriâ extrinsecâ, vel accidentali alicujus Sancti, puta pro ejus canonizatione, majorivè veneratione in terris non est propriè, & in rigore pro tali sancto offerre, alioqui eodem modo pro Deo offeremus, cum pro ejus gloriâ extrinsecâ offerrimus; pro Deo oraremus, cum in oratione Dominicâ petimus *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in Cælo, & in terrâ.* Sicuti igitur his petitionibus oramus pro nobis, proximisque nostris, in quorum non Dei utilitatem, & commodum redundat sanctificatio divini nominis, adventus regni ejus &c. ità eâdem proportionali ratione in oblationibus pro gloriâ Dei, aut Sanctorum, non pro Deo, aut sanctis, sed pro

pro nobis, proximisque nostris propriè offerimus, ut insinuat Innocentius III. in Cap. *Cum Martha* de celebr. Missar., & magis explicat Suarez *hic disp. 78. sec. 3.* circà finem, ubi etiam in hunc sensum trahit, quod in missâ oramus *Ut sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem*, item alibi *Ut sicut sanctis ad gloriam, ità nobis prosit ad veniam*.

83 *Benè verò in aliquo sensu impropriò: & in quo?*

Hinc fit, esse benignè, & latè; non rigidè, & strictè intelligendos Sanctos Patres, aliosvè graves Auctores, quibus aliquando contigit dicere, offerri sacrificia pro beatis; celebrari missas pro sanctis. Sensus autem ipsorum triplex esse potest: Primus, quod ly *pro* referatur ad utilitatem nostram, quarenùs redundantem in honorem, & accidentalem gloriam Sanctorum modo nuper insinuato. Secundus; quod ly *pro* referatur ad sanctos non juvandos, sed invocandos, ut nos juvent, quâ ratione sicut & ad ipsos modo præcedenti honorandos, & glorificandos, posse missas pro sanctis celebrati probat, & explicat Bellarminus *præcit. cap. 8.* Tertius quod ly *pro* idem sit, ac *loco* & pro sanctis dicantur offerri sacrificia, quæ nos loco, & vice ipsorum offerimus Deo in laudem, & gratiarum actionem beneficiorum illis ex divinâ largitate collatorum. Quinam verò ex his sensibus sit in qualibet particulari locutione præferendus, judicandum est ex contextu verborum, quorum nonnulla exempla videri possunt apud Vasquium *disp. 227. cap. 5. num 37. & seqq.* Solum addo, quo ad parvulos antè usum rationis cum solo baptismo decedentes, ut potè procul dubio beatos, non solùm rectè extendi hucusque dicta, sed insuper aliquid peculiare afferri posse ex D. Thomâ *in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæstiune. 2. ad 2.* ubi assignat alias rationes omnino videndas, ob quas etiam pro talibus parvulis possint missarum solemnia celebrari.

84 *In nullo prorsùs pro damnatis in inferno existentibus.*

Assert. 2. Pro defunctis in inferno existentibus, idest pro damnatis in nullo prorsus sensu potest utiliter offerri missæ sacrificium, nec illis prodesse, aut ad diminutionem, ihterruptionemvè pænæ, quod tribuitur Præpositivo, Porretano, & Majori; aut ad confortationem ipsorum patientium, ut pænas minùs sentiant, consolationemvè aliquam percipiant, quod tribuitur Altisiodorensi, Augustino de Anconâ, & aliquibus aliis; contrà utrosque receptissima est asserta veritas, & universalis doctrina tradens, in æternum damnatos nullis ecclesiæ suffragiis, vel leviter adiuvari: Eam Sotus *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2.* appellat, vel catholicam, vel catholicæ proximam; Amicus *hic disp. 33. sec. 5. num. 110.* non audet oppositam hæreticam dicere, non dubitat tamen erroneam, vel errori proximam appellare; Antiquiores mitius senserunt, & ipse met D. Thomas *in 4. dist. 45. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 1.* post relatos omnes oppositos dicendi modos contentus fuit concludere, *Tutius est simpliciter dicere, quod suffragia non prosunt damnatis*.

Censura opinionis oppositæ.

Probatur, ex eo quia in inferno damnatorum pænam esse æternam, solet ex Sanctorum Patrum, & Scholasticorum explicatione communiter intelligi non tantum de extensione, & duratione, sed etiam de intensione, & perpessione; non esset autem quo ad intensionem, & perpessionem talis, si missæ sacrificium, aut aliud suffragium posset prodesse ad ejus diminutionem, interruptionemvè, aut ad patientium confortationem, consolationemvè, ratione cujus illa minus sentiretur: In idem recidit, quod absolutè canit ecclesia, in inferno nullam esse redemptionem, esset autem aliqua redemptionis species, si quæ fieret pænæ interruptio, vel mitigatio præsertim ex opere operato, & Christi meritis per missæ sacrificium. Confirmatur singillatim contrà Præpositivum, & Porretanum, ex eo quia in damnatis nulla minuitur, nulla interrumpitur culpa, ergo de lege ordinariâ nulla potest in illis minui, aut interrumpi pæna, cum præcipuè ex unâ parte status damnationis sit magis alienus ab omni effectu benignitatis, & misericordiæ, quàm status viæ, & ex aliâ nequidem in viâ sacrificium prosit ad remissionem pænæ antè remissam culpam. Confirmatur item contra Altisiodorensem, & Augustinum de Anconâ, ex eo quod in tract. de Angelis *lib. 3. cap. 5. § ult.* tradidimus tristitiam dæmonum in inferno (eadem est ratio de hominibus ibidem damnatis, dæmonumque consortibus) de re, aut ex renullâ delectationem, consolationemvè admittere.

86 *Occurritur aliquibus in contrarium, tùm auctoritatibus;*

Validissimis his, & solidissimis fundamentis nullum infertur detrimentum, aut ex Glossâ in Can. *Tempus 13. quæst. 2.* docente, eleemosynam (eadem est ratio de Sacrificio) si offeratur pro eo, qui mediocriter, non summè malus in lethali decessit, prodesse, ut mitius in inferno puniatur; aut ex variis historiis, quibus apud Estium *in 4. dist. 46. §. 2. arg. 11.* legitur, Sanctos aliquando pro nonnullis damnatis orasse, & illis impetrasse, aut immediatè salutem, aut reditum in hanc vitam, in quâ possent propriæ salvationi consulere. Nullum, inquam, infertur detrimentum, quia Glossa relata quatenus Glossatoris auctoritate nititur benè potest absolutè negari; quatenùs verò Glossatori eam sumpsit ex Augustino in Enchiridio *cap. 110.* non est ad mentem Augustini: Iste quippè, dum ibi de sacrificiis, sivè altaris, sivè eleemosynarum, quæ pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, ait *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sic plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio*, damnationis nomine intelligit punitionem animarum in Purgatorio, ut benè explicat D. Thomas *præcit. quæstiunc. 1. ad 2.* & deducitur, ex eo quod de damnatis in inferno, quos ibi Augustinus valdè malos appellat immediatè antè habetur prædicta sacrificia *Essi nulla sunt adiumenta mortuorum qualescumque vivorum consolationes esse*. Memoratæ verò historiæ in primis nimium idest pænarum inferni omnimodam cessationem,

87 *Tùm historiis.*

non

nõn diminutionem tantum probant: Deindè majori ex parte apocryphæ sunt, & ut tales reiiciuntur, tùm ab Estio mox *cit.* §. 2. *ad* 12. tum ab Alberto *in* 4. *dist.* 20. *art.* 18. Baronio ann. Christi 119. & aliis; quatenus autem aliquæ admittuntur, ut veræ, non procedunt de simpliciter damnatis, sed de quibusdam, in quibus ex peculiari providentiâ fuerat post mortem suspensa ad tempus sententia, seù executio damnationis, ut exponit Estius *ibid.* in fine. Tandem, quidquid de ipsarum veritate, aut falsitate sit, continent eventus extraordinarios, & miraculosos, in argumentum, & exemplum non adducendos; ubi agitur, ut in præsenti de lege ordinariâ. Concludo, assertam de damnatis in inferno doctrinam ipsam extendendo ad parvulos sine baptismo defunctos, & in lymbo existentes; nam etiam in lymbo nulla est redemptio, etiam ibi existentium pœna æterna est.

88 Præter defunctos beatos in Cælo possidentes æternam gloriam, & damnatos in inferno, vel in lymbo sustinentes æternam pœnam; dantur alii inter beatos, & damnatos quasi medii sustinentes in purgatorio temporalem pœnam, & expectantes futuram in Cælo gloriam: De istis defunctis nunc agendum, & cum jam suprà *cap.* 3. §. 4. ostensum sit, Missæ sacrificium ipsis satisfactoriè prodesse ad pœnæ remissionem, remanet in præsenti stabiliendum, utrùm quod ibi universim, & indefinitè dicebatur, procedat de omnibus prorsùs defunctis in Purgatorio existentibus, an excipiendi sint non baptizati, vel excommunicati? ex utrisque enim posse aliquos in gratiâ, sed cum aliquo reatu pœnæ decedere, & in purgatorio detineri certum est; de iis deindè qui à fructu missæ satisfactorio excipiendi censebuntur, supererit ulteriùs quærendum, utrùm saltem ex fructu missæ impetratorio possint, aliquam pœnæ remissionem percipere?

89 Assert. 3. Pro defunctis non baptizatis in purgatorio existentibus nequit, quò ad fructum satisfactorium, utiliter offerri missæ sacrificium; quò ad fructum verò impetratorium, idem de ipsis sentiendum, quod de defunctis baptizatis. Prima asserti pars est apud Scholasticos receptissima, & quamvis oppositum non improbabile judicet Herinex *disp.* 8. *quæst.* 5. *num.* 55. vix tamen invenio, referri saltem nominatim aliquem, qui id absolutè docuerit. In secundâ parte habemus eosdem Adversarios, quos habuimus, & retulimus in asserto posito *præced. nu.* 69. qui enim omnes non baptizatos viventes simpliciter excludunt à fructu missæ etiam impetratorio, multò magis ab isto excludunt omnes non baptizatos defunctos, respectu quorum impetratio potest solum esse in ordine ad pœnæ remissionem, cum respectu viventium possit esse in ordine ad multa alia, aut bona consequenda, aut mala vitanda.

90 Probatur prima asserti pars ex diversitate *præced. num.* 70. assignatâ inter missæ fructum satisfactorium, & impetratorium, & confirmatur auctoritate Augustini paulò post, idest *num.* 74. ibidem adductâ, circà quam adverto, non agere quidem eo *cap.* 9. Augustinum, ut modò nos agimus de effectu, seù fructu sacrificii in ordine ad remissionem pœnæ respectu adultorum decedentium sine baptismo, at in gratiâ; sed potius de sacrificii effectu, & fructu in ordine ad remissionem culpæ respectu parvulorum decedentium sine baptismo in originali: Impugnat enim Augustinus Vincentium Pelagianum, qui parvulis, antequam in Christo baptizarentur, morte præventis ausus fuerat regnum Cælorum promittere; ne verò simul cogeretur admittere, tales parvulos salvari sine ullâ Christi gratia, voluit in eis originale solvi virtute sacrificii, & ideò dixit *sanè pro eis* (pro parvulis scilicèt morte præventis antè baptismum) *oblationes assiduas, & offerenda jugiter sanctorum censto sacrificia Sacerdotum*; ad quod impugnandum assumit Augustinus propositionem illam *Quis offerat corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi*; Qui tamen hanc propositionem inefficaciter assumeret, si eam intelligeret solùm in ordine ad remissionem culpæ in parvulis defunctis sine baptismo, nam hoc ipsum erat ei in quæstione cum Vincentio, deducitur, Augustinum eam universalius sumpsisse, & significare voluisse ad nullum effectum propriè ex opere operato causandum, rectè offerri corpus Christi, nisi pro eis, qui sunt Christi membra, idest ut posteà explicat, aut baptizati, aut Martyres effecti, & cum in Purgatorio Martyres nõ detineantur, reliquum est, in eo nullum non baptizatum esse Christi membrum; adeòque ex mente Augustini pro nullius defuncti non baptizati animâ in purgatorio existente rectè offerri Christi Corpus, seù missæ sacrificium, ad remittendam satisfactoriè pœnam, aut alium effectum propriè, & rigorosè ex opere operato causandum.

Pro existentibus in Purgatorio non baptizatis nequit missa utiliter offerri quò ad fructum satisfactorium.

91 *Expenditur pro asserta veritate auctoritas Augustini.*

Dices: Quicumque secundùm præsentem providentiam salvantur, salvantur per Christum, & ex gratiâ Christi, ergo salvantur, ut Christi membra; nam salvari ex gratiâ Christi, est salvari ex gratia, quam Christus, ut caput in membra influit; Atqui omnes defuncti etiam non baptizati in purgatorio existentes salvantur, seù sunt in statu salutis, ergo pro omnibus, tamquam pro eis, qui membra sunt Christi, potest utiliter offerri Christi corpus; & cum ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2. per oblationem incruentam missæ percipiantur fructus oblationis cruentæ, seù passionis Christi, debet illa omnibus, qui per istam salvantur prodesse.

92 Sed contrà: Quicumque salvantur, salvantur ex gratia Christi, at vel solùm invisibiliter collatâ, vel etiam visibiliter, idest per visibilia signa, eodemque modo quicumque salvantur sunt Christi membra, at vel solùm invisibiliter, & sic sunt Christi membra omnes justi, quamvis non baptizati; vel etiam visibiliter, & sic sunt Christi membra soli baptizati: Porrò Corpus Christi in

missâ

missæ sicuti visibiliter offertur, ità visibiliter, & solis, Christi membris visibilibus confert effectus, quos propriè ex opere operato, & immediatè causat; nec per oblationem incruentam percipiuntur fructus oblationis cruentæ ab omnibus, qui salvantur, sed ab iis dumtaxat, qui salvantur per sensibilia media, & tamquam sensibilia, seù visibilia Christi membra.

93

Urgebis; hinc inferendo, pro nullis prorsus animabus purgatorii posse missæ sacrificium, quò ad fructum satisfactorium utiliter offerri, quia omnes jam sunt extrà ecclesiam visibilem, adeòque nulla, est membrum visibile Christi, seù corporis ecclesiæ sub Christo Capite. Deindè non magis sunt membra Christi animæ sanctorum non baptizatorum existentium in Cælo, quàm justorum non baptizatorum existentium in purgatorio, atqui pro illis utiliter offertur missæ sacrificium, ut enim refert Lugus *hic disp. 19. sec. 10. num. 170.* in liturgia S. Chrysostomi habetur *offerimus tibi rationalem hunc cultum pro in fide requiescentibus Majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis* &c. ergo. Tandem tota doctrina probans, aut consequens primam, de quâ nunc agitur nostri asserti, videtur expresse contrà Innocentium III. in Cap. *Apostolicam* de Præsbytero non baptizato, ubi ab Episcopo Cremonensi requisitus. Utrum posset eclesia orare pro Præsbytero, qui putans se esse baptizatum in fide Christi vixerat, post mortem verò compertus est baptismo caruisse, ità respondet *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas, & in Ecclesiâ tuâ juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro præsbytero memorato*, quâ responsione Innocentius doctrinam nostræ contrariam non solum ipse tradit, sed & Patrum sententiam esse profitetur.

94 Occurritur oppositis fundamentis.

Sed contrà: Animæ baptizatorum in purgatorio sunt extrà ecclesiam visibilem secundum quid, idest consideratæ secundùm se præcisè, & pro differentiâ præsentis temporis, cæterum consideratæ cum habitudine ad propria corpora, & pro differentiâ temporis præteriti, in quo, ut in Canone missæ dicitur, *præcesserunt cum signo fidei* rectè ponuntur ad ecclesiam visibilem pertinere, & esse visibilia Christi, & ecclesiæ membra; cum tamen ne hâc quidem ratione dici possint, ad ecclesiam visibilem pertinere, & visibilia Christi membra esse animæ non baptizatorum, ideò &c. Ad illud, quod additur, concessâ majore nego minorem, & dico pro sanctis in Cælo existentibus, quicumque sint, in aliquo quidem sensu rite offerri missæ sacrificium, at numquàm utiliter utilitate in ipsos redundante, & taliter quod ipsis prosit, quemadmodum paulò antè explicatum, dedimus *num.* 82. & 83.

95 Et signanter auctoritati Innocentii III.

Ad auctoritatem Innocentii III. ex Cap. *Apostolicam*. Vasquez *disp. 227. cap. 3. num. 24.* observat, Innocentium eo loco duo præstare præmittere, scilicèt sacerdotem illum potuisse per baptismi desiderium, & charitatem justificari, ac salvari in fide Christi sine baptismo in re suscepto, & ad hoc Innocentium referre primam partem suæ responsionis, quâ ait *Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, Patrum sententias teneas*, deindè ad id, de quo fuerat requisitus, respondere sequendo fortè sententiam nobis oppositam, at tamquàm in scholis tunc probabilem, non tamquàm sententiam Patrum; fortè, inquam, quia non est certum in verbis relatis per ly *Hostias* significari missarum sacrificia, potiùs quàm eleemosynas, quæ sicuti aliquando dicuntur sacrificia, ita & hostiæ dici possunt. Verùm faciliùs occurritur dicendo, Innocentium jure ità respondisse, quia missarum sacrificia (quidquid Vasquez contrà senserint) possunt animabus, non baptizatorum impetratoriè licèt, non satisfactoriè prodesse, modo mox explicando in secundâ asserti parte; interim moneo, idem, quod ad auctoritatem Innocentii, dicendum esse ad auctoritatem Ambrosii relati à Vasquio mox *cit. cap. 3. num.* 23. & de animâ Valeriani Imperatoris pariter sine baptismo, at eum baptismi desiderio defuncti, ferè idem prædicantis, quod de animâ præmemorati Sacerdotis respondit Innocentius.

Item alii non dissimili auctoritati D. Ambrosii.

96 Quò ad fructū impetratoriū potest missa existentibus in purgatorio non baptizatis prodesse sicut baptizatis.

Probatur, & explicatur secunda asserti pars, quià quò ad fructum missæ impetratorium *præcit.* §. idem sentiendum duximus de viventibus non baptizatis, quod de baptizatis, & pro illis, non pro istis tantùm censuimus, missæ sacrificium posse utiliter offerri, ad impetrandum; non est igitur, cur quò ad talem fructum non dicatur idem proportionaliter de non baptizatis, quod de baptizatis defunctis, adeò ut si pro istis in purgatorio existentibus possit utiliter offerti ad impetrandam pœnæ remissionem, possit & pro illis. Utrùm deindè pro prioribus, idest pro defunctis baptizatis verè sic offerri possit, non caret speciali ratione dubitandi; potest enim impetratio valere ad remissionem pœnæ, vel immediatè, movendo Deum, ut ex se pœnam homini relaxet; vel mediatè obtinendo homini auxilia ad eliciendos actus quibus Deo pro pœnæ debito satisfaciat: Impetratio mediata pro defunctis in purgatorio, & si baptizatis valere nequit, sed solùm pro viventibus, quia isti solùm, non illi sunt in statu satisfaciendi, & eliciendi actus satisfactorios. Impetratio immediata videtur, neque pro defunctis, neque pro viventibus missæ sacrificio tribuenda, in ordine ad pœnæ remissionem:

97

Ratio est, quia ad eam, sivè pro defunctis, sivè pro viventibus immediatè valet missæ sacrificium per modum satisfactionis, ergo non est, cur simul immediatè valeat per modum impetrationis? præter quòd non valet immediatè per modum impetrationis ad infusionem gratiæ, aut remissionem culpæ, sed mediatè tantùm, ut suprà *cap.* 3. §. 3. ostensum est, congruè igitur dicetur valere tantùm mediatè ad remissionem pœnæ: Propter hæc, & similia Suarez *disp.* 79. *sec.* 6. §. *Prior autem modus* censet valdè dubium in missæ sacrificio impetrationem

imme-

iis; scilicet potest impetratoriè obtinere immediatam remissionem alicujus pœnæ.

immediatam, de quâ agitur, nihilominùs eam astruit, ut & invenio passim astruere, aut supponere cæteros Scholasticos, à quorum communi sensu non est recedendum in re præsertim, quæ valde favet, tùm missę sacrificio, tùm defunctis omni alioqui impetratorio missæ fructu carituris: Nec admodùm urget duplex nuper interposita ratio dubitandi, ad primam enim dicitur, ex applicatione valoris missæ satisfactorii non semper remitti immediatè totam pœnam, ideò relinquere locum, ut etiam ex valore missæ impetratorio possit aliqua pœnæ remissio fieri mediatè, vel immediatè juxtà capacitatem subjecti: Ad secundam adverto, remissionem pœnæ non spectare, ut spectant infusio gratiæ, & remissio culpę ad intrinsecam sanctitatem, ad quam homo debet aliqualiter cooperari, sed potius esse annumerandam beneficiis extrinsecis, ad eam igitur valet missa per modum impetrationis potius, ut valet ad beneficia extrinseca, & bona temporalia, quam ut valet ad infusionem gratiæ, & remissionem culpæ; ad illa autem valet per modum etiam immediatæ, quamvis ad istas valeat dumtaxat per modum impetrationis mediatæ; ideò &c.

98

Dices: Si ità est, potest pro Catechumenis in gratiâ defunctis, & in purgatorio detentis utiliter offerri missæ sacrificium; atqui hoc non est dicendum; primò, quia discordat à mente, & sensu Augustini in propositione illâ *Quis offerat corpus Christi nisi pro eis, qui membra sunt Christi*, juxtà explicationem à nobis ipsis traditam *praced. num.* 91. Secundò, manifestiùs discordat à sententiâ Chrysostomi *in Epist. ad Philip. serm.* 3. propè finem ubi post commendatam utilitatem orandi in ecclesiâ, & offerendi sacrificium pro defunctis ait *Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide discesserunt; Catechumenos verò neque iste solatio* (sacrificii subintellige) *dignamur, sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno quodam dempto, quoniam illo? pauperibus illorum nomine dare licet undè illis nonnihil refrigerii accedit.* Tertiò discordat à definitione Concilii Bracharensis I. *cap.* 17. aliàs 35. ubi post prohibitam sacrificii oblationem, & psalmodiam pro damnatis in suorum delictorum pęnam ad mortem additur *Item placuit, ut Catechumenis sine baptismi redemptione defunctis simili modo, neque oblationis sancta commemoratio, neque psallendi impendatur officium.*

99

Confirmantur hæc omnia paritate indulgentiarum, quæ defunctis non baptizatis in purgatorio detentis, nequidem per modum impetrationis prodesse possunt. Sed contrà: A paritate postremo loco in confirmationem positâ incipio; & dico, posse in primis negari, quod de indulgentiis in ordine ad defunctos non baptizatos assumitur, & negatur id ab Hetinex *hic disp.* 8 *quæst.* 5. *n.* 60. Amico *tom.* 8. *disp.* 20. *de Indulgentiis sec.* 7. *num.* 167. &c. Quod si in indulgentiis id detur, dicendum erit, diversam esse rationem in missæ sacrificio, cujus valor impetratorius attenditur penes Christum potentem per sua merita, quorum est absolutus Dominus, etiam pro non baptizatis impetrare ecclesia verò non est thesauri indulgentiarum domina, sed solum dispensatrix, ideò potest eo, sivè ad satisfaciendum, sivè ad impetrandum uti pro suis dumtaxat, non pro extraneis. Procedo jam ad principalem instantiam, & ad auctoritates pro eâ adductas; dico, istas benè cohærere cum eo, quod pro catechumenis in purgatorio detentis utiliter offeratur missę sacrificium, quò ad fructum tamen impetratorium tantùm, non quò ad satisfactorium; & hunc solum excludere verba Augustini juxtà ipsius mentem, de quâ *praced. num.* 91., & diversitatem fructus impetratoris à satisfactorio, de quâ *num.* 70. & 71.

Occurritur paritati indulgentiarum.

Creditâ impetratoriū missæ valorem pro catechumenis defunctis.

Item auctoritati D. Augustini:

100

D. Chrysostomi.

Ad verba Chrysostomi; dico, ea solùm ostendere consuetudinem, quâ tunc in ipsius ecclesiâ pro catechumenis defunctis, etsi daretur publicè ipsorum nomine eleemosyna, pro ipsis in missâ publicè, & nominatim non orabatur; quod tamen sic pro ipsis non oraretur, non erat ad declarandos ipsos incapaces cujuscumque fructus missæ, sed, ut refert Sixtus Senensis *lib.* 6. *Biblioth. Sacræ Annot.* 331. ad coercendam ipsorum negligentiam in recipiendo baptismo, ut non parùm deducitur etiam, ex eo quod juxtà lyturgiam ejusdem Chrysostomi memoratam ab Herinex præcit *quæst.* 5. *num.* 59. orabatur tunc in missâ pro catechumenis viventibus. Videtur insuper Chrysostomus admittere alias interpretationes, at non sunt ità conformes contextui verborum ipsius, undè non nisi dubitanter eas insinuat Arriaga *disp.* 52. *sec.* 4. *num* 10.

101

Et Concilii Provincialis Bracharensis.

Ad Concilium Bracharense, cui etsi tantùm provinciali suam auctoritatem non denego; dico, ipsum loqui de catechumenis in malo statu defunctis, ob negligentiam culpabilem suscipiendi baptismum, nam per ly *simili modo* comparat catechumenos ad eos, de quibus antecedenter egerat, & similem pro utrisque oblationis, & psalmodiæ prohibitionem statuit, egerat autem antecedenter de baptizatis in malo statu defunctis, idest homicidii sui, vel morte punitis propter aliquod aliud delictum. Deindè Concilii prohibitio potest intelligi procedere solùm de publicis oblationis, & psalmodiæ officiis, ut nuper dicebamus de consuetudine relatâ ex Chrysostomo.

Assert. 4. Pro excommunicatis etiam vitandis in suâ excommunicatione, sed simul in gratiâ, defunctis & in purgatorio existentibus potest in ordine ad immediatam penæ remissionem utiliter offerri missę sacrificium, sicut pro iisdem, dum pariter in eâdem excommunicatione, sed in gratiâ, viverent. Dixi *in ordine ad immediatam panæ remissionem*, quia in ordine ad remissionem pœnæ mediatam, mediis scilicet propriis actibus obtinendam, sunt ex paulò antè dictis *num.* 96. incapaces defuncti quicumque in purgatorio, nec possunt esse

melio-

Pro exi stentibus in purgatorio excommunicatis potest quo ad immediatam pœnæ remissionem utiliter missa offerri ut potest pro iisdem in hac vita.

melioris, quàm cæteri, conditionis illi, qui in excommunicatione decesserunt; prodesse igitur ipsis potest sacrificium, solum quo ad remissionem immediatam, & quo ad hanc quidem tùm impetratorio, tùm satisfactorio modo, ut de viventibus dicebatur *praced.* §. 4. *num.* 78. *&* 79. quo ex loco repetenda est, tùm doctrinæ nunc assertæ probatio, tùm notitia Auctorum pro ipsâ, aut contrà ipsam stantium; si quid verò peculiare occurrit est potius in ipsius favorem, aliqui enim ex absolute negantibus omnem sacrificii missæ utilitatem excommunicato, quamvis contrito, & justo, adhuc superstiti: limitant id, & mitius de eo sentiunt, cum decesserit; putant scilicet posse ei defuncto utiliter missas applicari, quoties manifestum sit, quod antè mortem verè pœnituerit, parti satisfecerit, & excommunicationis absolutionem pro viribus procuraverit; ità ex Auctoribus prædictis, Fagundez, de quinque Ecclesiæ præceptis *par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 12. & Marchinus sæpius *cit. part.* 2. *cap.* 8. *num.* 6. secuti Navarrum, Turrecrematam, Covaruvium, & alios.

103

Assert. 5. Missæ sacrificium nequit licitè offerri præsertim publicè, & nominatim pro illis omnibus, sivè viventibus, sivè defunctis, pro quibus utiliter, & validè: Non offertur scilicet licitè oblatione publicâ, & nominatim pro non baptizatis, & nequidem oblatione privatâ pro excommunicatis excommunicatione majore, quamvis toleratis, & non vitandis. Hoc assertum triplici constat parte: Prima est, quod missæ sacrificium non offeratur licitè oblatione publicâ pro non baptizatis, & procedit de ipsis illimitatè, idest non solum de non baptizatis infidelibus, sed de fidelibus quoque, & catechumenis, aliundè tamen procedit limitatius, benè scilicet limitatur ad nostra tempora, & ad nostram Latinam Ecclesiam; & hâc ratione non habemus Adversarios, nisi paucissimos, eosque dubitanter, aut quasi problematicè locutos. Secunda est, quod nequidem oblatione privatâ offeratur licitè pro excommunicatis, & in hâc parte intellectâ de excommunicatis vitandis pariter conveniunt Scholastici, quamvis in contrariam opinionem propendeant Arriaga *disp.* 52. *sec.* 4. *num.* 11. & Herinex *pracit. quæst.* 5. *num.* 62., nescio an aliquis alius? moneo tamen per oblationem privatam me non intelligere oblationem factam à Sacerdote, ut personâ privatâ, & applicationem proprii operis operantis, sed factam ab ipso, actu privato, occulto, interno, at in Christi personâ. Tertia est, quod quamvis excommunicati sint tolerati, & non vitandi, adhuc illicitè pro ipsis in persona Christi offeratur, quo in puncto Auctores partim in præsenti, partim in tractatu de censuris ferè ex æquo dividuntur, ut referunt ex adversantibus Lugus *hic disp.* 19. *sec.* 10. *num.* 186. & 187., ex nobiscum sentientibus nostri Marchinus *pracit. cap.* 8. *num.* 18. & Madernus *quæst.* 8. *art.* 5. *num.* 13. Sic breviter explicatis singulis asserti partibus.

104

Missæ sacrificium nunc in Ecclesia Latina nequit oblatione publica licitè offerri pro non baptizatis.

Probatur prima pars, quia invaluit à multo jam tempore in Ecclesiâ Latinâ consuetudo, secundum quam in missa nulla fit mentio alicujus non baptizati, nullæque habentur, aut in Canone, aut extrà Canonem preces pro Judeis, aut Paganis, nec pro Catechumenis, nisi in feriâ sextâ Parasceves, quamvis igitur nulla sit expressa prohibitio orandi in missâ, & offerendi pro hujusmodi personis publicè, & nominatim, nihilominus propter consuetudinem habentem vim legis, & propter obligationem, nihil privatâ auctoritate mutandi de publico missæ ritu, censendum est, non licere nunc in Ecclesia Latinâ offerre pro illis publicè, & nominatim. Dixi *nunc* quia ut ex antiquis Liturgiis, & Patribus refert Suarez *hic disp.* 72. *sec.* 2. §. *Dico tertiò* olim in primitivâ Ecclesiâ consuetum fuit, adeoque licitum publicè orare, ac probabiliter etiam offerre, tùm pro quibuscumque infidelibus, tùm maximè pro catechumenis, idque ob rationem à nobis suprà insinuatam *num.* 77. Dixi *in Ecclesiâ Latinâ*, quia de Ecclesia Græca mihi non constat, quænam quoad hoc consuetudo vigeat? & singillatim quo ad Catechumenos Vasquez *disp.* 227. *cap. num.* 16. ait, sibi certum non esse, utrùm usum pro ipsis orandi Ecclesia Græca hucusque retineat an non? & fortè ex hoc capite probabile est, quod Bellarminus *lib.* 2. *de Missâ cap* 6. §. *Sed quæret aliquis*, respondet ubi Rex infidelis est, ut in Græciâ, ubi Turca dominatur, & in Indiâ, in Japone, apud Sinas, ubi Ethnici regnant, licere Sacerdotibus, qui ibi sunt expressè offerre pro Rege. Dixi *offerre publicè*, *& nominatim*, quia quo ad oblationem privatam, & internam non solum nulla est prohibitio, sed nec ulla potest ostendi contraria consuetudo, nullum item oriri scandalum, ideò cum aliundè sit pro non baptizatis valida, non est cur non sit quoque licita: Oblationem item pro iisdem non nominatim, & directè, sed generatim, & indirectè factam licere supposuimus *praced. nu.* 67. & hoc maximè, non quidquam amplius suadent rationes dubitandi, quæ ab aliquibus parantur contrà præsentem asserti partem militare.

Benè verò oblatione privata?

105

Nequidem autem privata pro excommunicatis.

Probatur secunda pars, quia ut sumi solet ex Cap. *A nobis* 28. & ex cap. *Sacris* 38. de Sent. excommun. primus, & potissimus excommunicationis majoris effectus est, privare communibus Ecclesiæ suffragiis, inter quę maximè computatur missæ sacrificium, etiam ut privatim in personâ tamen Christi oblatum; hoc quippè, quamvis à Christo institutum, & ab Ecclesiâ, tùm in fieri, tùm in applicari independens, quo ad validè, sicuti tamen ab eâ dependet, quo ad licitè fieri, ità multò magis, quo ad licitè applicari: si igitur Ecclesia ejus applicationem, oblationemvè pro excommunicatione majori

fori excommunicatis prohibeat, ut verè prohibet statuendo pro excommunicationis majoris effectu communium suffragiorum privationem, consequens omninò est, applicationem, oblationemvè pro talibus excommunicatis esse illicitam. Nec refert, quod hujusmodi applicatio possit fieri actu merè interno, in quem ex genere suo sicuti Ecclesiæ jurisdictio non cadit, ità Ecclesiæ prohibitio non est efficax. Non refert inquam, quia licet ex se præcisè possit actu merè interno fieri, nequit habere effectum, & esse utilis, nisi cum actu, & opere externo conjungatur; ad actus verò internos, ut cum externis necessariò conjunctos optimè extenditur jurisdictio, & prohibitio Ecclesiæ, quæ sicuti absolutè potest prohibere Sacerdoti, ne exterius sacrificium offerat, ità potest prohibere, ne exterius offerat, applicando interius pro excommunicatis, aut præcipere, quod, quoties exterius offert, applicet pro non excommunicatis, si applicare pro aliquibus velit.

106 *Quamvis toleratis, & non vitandis.* Probatur tertia pars: Si pro excommunicatis toleratis, & non vitandis, idest neque nominatim denunciatis, neque notoriis Clericorum percussoribus, potius quàm pro sic denunciatis, & percussoribus, qui non tolerati, & vitandi dicuntur, licitum est Sacerdoti offerre in Christi personà missæ sacrificium, maximè propter Constitutionem, seu extravagantem *Ad evitanda scandala*, in quâ statuitur, neminem teneri ab excommunicato tolerato abstinere in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extrà: Atqui per hanc constitutionem id non est licitum, neque conceditur cum ipsis communicatio in communibus suffragiis; ergo. Minor probatur, quia talis Constitutio videtur se solum intendere vitare scandala, quantum necesse est, aut utile ad subveniendum timoratis aliorum conscientiis, caeterum nolle in aliquo relevare ipsos excommunicatos, aut eis quomodolibet suffragari: atqui communicatio in communibus suffragiis privata, & interna, qualis fit in applicatione sacrificii missæ non est necessaria ad sic subveniendum timoratis conscientiis, qui nullum potest oriri scandalum, ex eo quod quis privato, & interno actu non applicet pro excommunicato sacrificium; non est item ad id utilis, quia ex tali non applicatione nullum potest sacerdos incommodum subire; relevat verò ipsos excommunicatos, eisque suffragatur, est enim ingens commodum, & favor, quod de communibus Ecclesiæ suffragiis, & missæ fructu participent, sicuti est ingens pœna, quod iisdem careant; ergo. Plura de hoc puncto omitto, ne huc transferam, quæ sunt Canonistarum, vel Casuistarum in tractatu de Censuris propria.

107 Ex dictis habetur, oblationem sacrificii missæ præsertim directam, & expressam in Christi personâ pro aliquibus factam, esse posse aliquando, tùm utilem, tùm licitam; aliquando nec utilem, nec licitam; aliquando utilem, non licitam; aliquando licitam non utilem propriè loquendo: Primum evenit; quando fit pro baptizatis non excommunicatis in hâc vitâ, aut in purgatorio existentibus: Secundum; quando pro damnatis existentibus in inferno: Tertium; quando pro non baptizatis, aut excommunicatis existentibus pariter in hâc vitâ, aut in purgatorio: Quartum, quando pro beatis existentibus in Cælo.

§. VI.

Quo ritu sit offerendum Missæ Sacrificium ex parte Sacerdotis celebrantis?

Assert. Ad ritum, quo offerendum est missæ sacrificium ex parte Sacerdotis celebrantis spectare possunt, præter ea, quæ sunt cuilibet ad Eucharistiam accedenti communia, actiones omnes, seu conditiones, quæ debent in Sacerdote antecedere, comitari, vel subsequi sacrificii oblationem.

108 *Ex parte Sacerdotis ad offerendum requiruntur, status viæ; character baptismi; naturale jejunium, habitualis gratia, interna devotio, externa munditiees.* Dixi; *præter ea, quæ sunt cuilibet ad Eucharistiam accedenti communia*, quia cum Sacerdos nequeat offerre missæ sacrificium, quin sumat eucharistiæ sacramentum, debet utique in eo supponi ad sacrincii oblationem, quidquid in quolibet etiam laico requiritur, ad sacramentalem eucharistiæ sumptionem; nimirum in primis status viæ, & character baptismi: Deinde naturale jejunium à mediâ nocte antecedente, & habitualis gratia, hæcque per sacramentalem confessionem ab habente conscientiam lethalis comparata: Postremò saltem ad melius esse aliqua actualis devotio; item aliqua decentia externa, & corporis munditiea; ra[...] à pollutione, de quibus *præced. lib.* 2. *cap.* 4. per totum late actum sit, etiam quo ad plures circumstantias, aut exceptiones Sacerdotum proprias nihil modo occurrit addendum, nisi quod etiam quando Sacerdos posset sacrificare non sumendo; adhuc (si jejunium naturale excipias) prædicta omnia requireret, non solum quia actio sacrificativa est per nos ipsa augustissimi, & sanctissimi sacramenti confectio; sed insuper quia missæ sacrificium, ut in propriâ ratione formali est à Christo pro suâ Ecclesia militante institutum; requirit igitur in sacrificante, quod in Christi Ecclesiâ militet, adeoque quod sit viator, & baptizatus: Est item in se formaliter actio maximè sacra, in quâ sacrificans Christi personam maximè gerit, eamdemque Deo offert in publici cultus protestationem, quia igitur sancta sancte, &

109 munda mundè peragenda sunt, requirit in eo, à quo exercetur, habitualem gratiam, internam devotionem, externamque decentiam, & munditiem; habitualem quidem gratiam, ne in lethali existens lethali-

thaliter peccet; internam devotionem, saltem ut distractiones venialiter malas excludat, juxtà doctrinam, de quâ *præcit. cap. 2. num. 85.* exteram decentiam, & munditiem, propter personæ, quam repræsentat, & offert, & Dei, cui offert reverentiam ac majestatem.

110 Item sexus virilis, legitima ordinatio, & immunitas à qualibet inhabilitate, aut pæna canonica removente ab altari.

Dixi *Actiones omnes, seu conditiones, quæ debent* &c. & intelligi possunt nomine conditionum sexus virilis, legitima ordinatio, & immunitas ab irregularitate, excommunicatione, & aliâ quâlibet inhabilitate, aut pænâ canonicâ removente ab Altari: Nomine verò actionum veniunt quæcumque à Sacerdote in singularum, aut pro singularum missarum celebratione præstanda sunt, ex quibus nonnulla præ aliis, tamquam aut magis notabilia, aut magis necessaria specialiter, breviter tamen profero:

Prima igitur actio ex parte Sacerdotis celebrantis, aut celebraturi sit recitatio divini officii quo ad matutinum, & laudes; hanc esse celebrationi missæ præmittendam, habetur ex rubricis Missalis, in quibus sub titulo *De præparatione Sacerdotis celebraturi* dicitur *Saltem matutino cum laudibus absoluto orationi aliquantulum vacet*: Nihilominus, quia, ut accuratè distinguit noster Gavantus *Commentar. in Rubr. Missal.* part. 3. tit. 11. inter rubricas Missalis aliquæ sunt directivæ tantum, non omnes præceptivæ, nec de recitatione matutini cum laudibus ante missæ celebrationem invenitur alibi præceptum, aut ulla lex scripta, ut amplo ratiocinio ostendit Suarez *hic disp. 82. sec. 1.* quia, inquam hæc ità sunt non videtur suppetere ullum sufficiens fundamentum astruendi pro prædictâ recitatione missæ præmittenda, obligationem sub lethali, aut nequidem sub veniali; ideò negant obligationem sub lethali ferè omnes, sub veniali multi Recentiores, quamvis eam ex adverso sub lethali, nedum sub veniali affirmaverint ferè omnes antiquiores, quorum utrorumque prolixum catalogum texit Marchinus de Sacram. Ord. *tract. 3. par. 3. cap. 5.* ubi ipse, etsi Recentior cum antiquioribus sentit, & ad obligationem sub lethali propendet: Fortè antiquitus consuetudo matutini antè missam recitandi, eo quod inviolatius, sacratiusque servaretur judicata fuit, habere vim legis graviter obligantis, postmodum verò, eo quod paulatim defecerit, & consuetudo contraria apud multos invaluerit, cœpit illa judicari quasi abrogata, ac minus obligans, & potuerunt peccare lethaliter, qui ab antiquâ consuetudine primi recesserunt; at post contrariam inductam non est lethaliter, aut nequidem venialiter malum, antiquæ consuetudini, & antiquorum sententiæ non adhærere: Fortè igitur diversitas novæ consuetudinis ab antiqua potuit esse occasio diversitatis sentiendi inter veteres, & recentes; imò potest simul esse occasio utrosque conciliandi; dicendo, veteres id, quod recentes; aut recentes id, quod veteres in hoc puncto scripturos fuisse, si eadem consuetudine vigente scripsissent, & aut veteres recentium, aut recentes veterum tempore extitissent. His dubitanter animadversis duo pro praxi moneo; primum, esse omnibus juxta rubricam missalis saltem, ut legem directivam consulendum, ne matutinum sine causâ missæ postponant: Secundum, ad amovendos scrupulos, posse facile judicari pro matutino missæ postponendo idoneam causam, non adeo gravem, & ferè sufficere, quod id non purè pro libito, & quasi animi gratiâ fiat; cæterum eum, qui sic, & sine omni prorsùs causa postponeret nullatenus à culpâ, saltem veniali, excusarem; movet me in primis auctoritas, quâ talem culpam, saltem venialem agnoscunt, non solum tota antiquorum collectio, sed & major recentium pars: Movet insuper, quæ adhuc viget apud viros magis timoratos, & levium etiam culparum vitandarum sollicitos consuetudo, non celebrandi sine causâ missam, ante matutinum cum laudibus celebratum: Movet tandem exemplum missæ solemnis, de quâ non ante matutinum in Choro recitatum celebrandâ, licet nullum extet in scriptis præceptum. Suarez *præcit. sec. 1.* in fine, cæterique communiter fatentur, esse obligationem sub lethali; erit igitur de missâ privatâ non antè matutinum privatim recitatum extrà Chorum celebrandâ obligatio saltem venialis; & sicuti inversio ordinis horarum, quæ publicè in Choro facta esset lethalis, privatim extrà Chorum est venialis, ità proportionaliter inversio ordinis inter matutinum, & missam, quæ publicè &c.

111 Quid de obligatione non celebrandi antè recitatum matutinum cum laudibus?

112

113 Quid item de obligatione præparationis.

Secunda sit præparatio ad missam celebrandam, de quâ in præmemoratâ Missalis rubricâ habetur *Orationi aliquantulum vacet, & orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat*, ubi ly *pro temporis opportunitate* denotat, nullam esse talium, aut aliarum particularium orationum dicendarum obligationem, & illas assignari, ut opportunas, non ut necessarias: Si quis tamen omnem orationem præparatoriam, tùm mentalem, tùm vocalem prorsus omitteret, nisi foret habitualiter ex meditandi, aut contemplandi consuetudine ad sacra mysteria preparatus, non effugeret culpam venialem, saltem propter aliqualem irreverentiam, & distractionem, quâ ad altare accederet.

114 Et supervestitionis sacrorum indumentorum?

Tertia sit assumptio, seù supervestitio sacrorum indumentorum, dicendo preces pro singulis præscriptas: Harum precum omissio à Navarro *in man. cap. 25.* & *consil. 3. de celebra. Missar.* aliisque nonnullis censetur lethalis, ab aliis communiter, ut refert Sylvius *hic quæst. 83. art. 6.* in fine; solum venialis, nisi contemptus interveniat. Sacra indumenta, nimirum Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta, seù Casula debent esse benedicta ab Episcopo, vel alio, ad id facultatem habente. Sine gravi causa unicum etiam

prætermittere, ſolet cenſeri lethale, ſi ſcienter; veniale ſi inadvertenter; in neceſſitate, & causâ gravi licet celebrare ſine manipulo, aut ſine ſtolâ, aut ſine cingulo, & D. Antonino *par. 3. tit. 13. cap. 6.* §. 5. videtur, quod in tali caſu liceat de longo manipulo facere ſtolam, & è converſo de brevi ſtolâ manipulum, vel cingulum. Amictus, Alba, & Caſula magis indiſpenſabiliter requiruntur, & in praxi vix eſt dabilis caſus, quo liceat ſine ipſis celebrare, ſeù ſacrificare; nam quod aliqui dicunt, licere ad vitandam mortem, quam quis Sacerdoti ſine ſacri tamen miniſterii contemptu minetur, niſi ſic ſacrificet, difficillimum, & metaphyſicum eſt, nec moraliter loquendo, poteſt quis, ità minari, & mortem intentare ſine tali contemptu, dato deindè, quod ſine iſto accideret, tunc ex mortis intentatæ metu licitum id fore affirmat inter alios Sylvius *præcit. art. 6.* paulo ante finem §. *Virum verò*.

115 Quid de obligatione dicendi ad altare omnia, quæ in miſſâ præſcribuntur?

Quarta ſit lectio, ſeù prolatio, & recitatio eorum, quæ ad altare legenda, proferenda, recitanda præſcribuntur; his aliquid addere, vel demere ex genere ſuo lethale eſt; ex genere inquam ſuo, quia in caſibus particularibus à lethali ſæpè excuſat inadvertentia, aut materiæ parvitas; iſta tamen non debet attendi præcisè penes partis quantitatem, ut ità dicam materialem, ſed etiam penes principalitatem, & formalitatem, quodammodo ipſius; ſic omiſſio brevioris epiſtolæ, aut brevioris Evangelii non deſinit eſſe lethalis ex parvitate materiæ, ut talis eſſe deſinit omiſſio ſymboli, aut hymni angelici, multoque magis unius collectæ, quando plures dicendæ ſunt: Majoris adhuc neceſſitatis, & momenti, quam Epiſtola, & Evangelium, eſt miſſæ Canon, in quo ne unius quidem verbi omiſſionem eſſe poſſe ex materiæ parvitate venialem putarunt aliqui, ſed nimis ſcrupolosè, niſi ſit ſermo de verbis ipſis conſecrationis, aut de verbo alio, quod mutetur ex contemptu, animove mutandi conſuetum miſſæ ritum; ſic de quibuſdam religioſis in Hiſpaniâ, qui in Canone omiſſo Epiſcopi nomine apponebant nomen Generalis ſui ordinis Sacra Congregatio, & monuit, quod impoſterum abſtinerent, & declaravit peccaſſe lethaliter, ut refert Diana *par. 2. tract. 14. reſol. 40.*

116 Duo circà id Sectariorum errores.

Porrò univerſim de iis, quæ in miſsâ leguntur, proferuntur, recitantur, peculiarem controverſiam excitarunt Sectarii contendentes debere in omnibus adhiberi linguam vernaculam, & vocem altam, ſed quo ad utrumque damnati fuerunt à Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 8.* & *can. 9.* conformiter ad antiquiſſimum, & conſtantem Eccleſiæ, tùm orientalis, tùm occidentalis ritum, in quâ utrique conſuetum ſemper fuit aliquam miſſæ partem dici ſubmiſsâ voce, & in toto occidente linguâ ſolum Latinâ, in toto Oriente ſolum Græcâ, aut Caldaicâ; hocque licet ex Chriſti inſtitutione non ſit, & poſſit à Summo Pontifice diſpenſari habet ſuas juſtiſſimas, & congruentiſſimas cauſas, quas ſicut, & antiquiſſimæ conſuetudinis probationes proferunt Bellarminus *lib. 2. de Miſsâ cap. 11. & 12.* Scortia pariter *lib. 2. cap. 12.* Hetinex *hic diſp. 8. quæſt. 14. nu. 165.* & alii paſſim.

117 Quinta ſit panis, & vini, ſeù utriuſque ſpeciei conſecratio, quæ non ſolum eſt potiſſima miſſæ portio, ſed & per nos tota ſacrificii eſſentia, juxtà ſuperius tradita *cap. 2.* §. 3. & 4. quo ex loco repetendum eſt quidquid poteſt de eâ actione in præſenti deſiderari.

Obligatio ſumendi in miſſa utrâque ſpeciẽ eſt in ſacerdote graviſſima.

Sexta ſit utriuſque pariter ſpeciei ſumptio, quæ ſicuti eſt conſecrationi proxima, ità eſt poſt conſecrationem principalior ipſius portio, & ſecundum multos eſſentialis ſacrificii pars, & quamvis ſecundum nos, ſpectet tantum ad quamdam ſacrificii integritatem, cadit tamen ſub obligatione graviſſimâ, & tùm juris divini poſitivi, tùm aliquo modo naturalis, ideò numquam licitè omittitur, niſi ſuperveniat phyſica impotentia; imò etiam quando ex phyſicâ impotentiâ, vel aliter utcumque à Sacerdote celebrante poſt conſecrationem omitti contingit, per alium Sacerdotem ſupplenda eſt; pro quibus, & aliis ad eamdem actionem pertinentia repetenda ſimiliter ſunt, ſuperius tradita *cap. 2.* §. 2.

118 Septima ſit ſpecierum diſpenſatio, ſeù diſtributio à Celebrante adſtantibus facta, quæ quidem quatenus ex tunc conſecratis ab ipſo met Celebrante ſtatim poſt ſacrificium à ſe conſumatum ſit, eſt celebrantis propria, & jure connumeratur inter actiones ad miſſæ celebrationem pertinentes; nam alioquì ſpecierum antecedenter conſecratarum, & in tabernaculo aſſervatarum diſtributio poteſt à Sacerdote, abſque eo quod miſſam celebret, fieri, imò & Diaconus poteſt, ex commiſſione Sacerdotis eam facere, etſi non poſſit pariter ex commiſſione Sacerdotis celebrare: Porrò de hâc poſteriore euchariſtiæ diſpenſatione extrà miſſam, ſivè pro ut à Sacerdote, ſivè pro ut à Diacono fieri poteſt actum eſt ex profeſſo ſuprà *lib. 2. cap. 2.* per totum: De priore nunc breviſſimè agendum, & ea quidem, etſi non poſſit, niſi à Celebrante in actuali miſſæ celebratione fieri, nullatenus neceſſe, quod ſemper fiat, cum non ſemper adſint petentes, aut indigentes, & prætereà quando ſit, non pertinet ad ſacrificii integritatem, aut perfectionem; Euchariſtia enim à ſolo Celebrante ſumitur, tùm ut ſacrificium, tùm ſimul ut ſacramentum, aut etiam ſi vis principalius, ut ſacrificium; ab aliis ſicuti ſumitur dumtaxat, ut ſacramentum, & communione, ut dici ſolet laicâ ità iiſdem dumtaxat, ut ſacramentum diſpenſatur quomodocumque, & à quocumque diſpenſetur:

Obligatio diſpenſandi adſtantibus eſt in eodem ex vi celebrationis miſſæ nulla.

119 Hinc fortè Kemnitius, Brentius, & plures alii ejuſdẽ temporis Sectarii, ex eo quod in euchariſtiâ, & in miſsâ ſacramenti nõ ſacrificii rationem agnoverint, ſumpſerunt occaſionem aliquam reiiciendi miſſas privatas, in quibus ſolus ſacerdos communicet, ſi enim in miſſa verum ſacrificium offerri admiſiſſent,

vix

vix apparet, undè potuissent prætendere adstantium communionem, cum perspicuum sit, sacrificium non requirere, quod adstantes de re sacrificatâ communicent, seù participent, & posse pro absentibus, æquè ac pro præsentibus offerri: Undecumque verò præmemorati Sectarii dictas missas privatas rejecerint, & tùm adstantium necessitatem, tùm obligationem eis dispensandi, in quâlibet missâ eucharistiam, excogitaverint, ex falso processerunt fundamento; tales missas malè appellarunt privatas, contrà antiquissimum ecclesiæ ritum senserunt; ideò fuerunt meritò damnati in Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 6. & can. 8.* ut latiùs ostendunt Scortia *lib. 4. de miss. sacrif. cap. 29.* & Bellarminus *lib. 2. de missâ cap. 9. & 10.* Stet igitur, sacerdotem in missâ rectè posse eucharistiam dispensare, & ex speciebus à se consecratis adstantes communicare, at ad id ex eo præcisè, quod missam celebret, seù consecret, & sacrificet non teneri.

120 — *Quid de obligatione gratiarum actionis post missam?*

Octava sit gratiarum actio, quę duplex haberi, & assignari solet; nam prętet eam, quæ post missam omnino perfectam fit, appellatur à liturgicis Scriptoribus gratiarum actio tota illa missæ pars, quæ purificationem subsequitur, ut tradit, & explicat ex Auctoribus, quos pæ manibus habeo, Scortia mox *cit. lib. 4. cap. 31.* Hujusmodi missæ pars licet sacrificium omninò completum supponat, est procul dubio notabilis, & tanta, ut nequeat extrà casum necessitatis sine lethali omitti; adeòque gratiarum actionis ità sumptæ obligatio gravis est, & sub lethali: De alia verò gratiarum actione posteriore, quæ in Missali Romano ponitur post præparationem, pro opportunitate sacerdotis, & incipit in ly *Trium puerorum cantemus hymnum* eodem prorsus sentiendum, quod suprà *num. 112.* de præparatione, si quæ scilicet est obligatio levis est, & sub veniali.

121 — *Epilogus actionum à sacerdote in missa exercendarum.*

Ex octo enumeratis actionibus tres priores formalem, essentialemque sacrificii oblationem antecedunt. Quarta magnam habet latitudinem, & partim antecedit, partim subsequitur: Quinta est ipsa formalis, ac essentialis sacrificii oblatio; tres reliquę subsequuntur; Prætet has octo verò sunt aliæ plurimę in particulari assignabiles, nam omnes penè missæ cæremoniæ sacerdotis celebrantis actiones sunt, puta inclinationes capitis, tonsiones pectoris, junctiones manuum, elevationes oculorum, deosculationes altaris, benedictiones in modum crucis, hostiæ, & calicis motiones; hostiæ fractio, & unius partis in calicem immissio, & aliæ, quarum convenientias, institutiones, significationes studiosè expendunt ex Scholasticis D. Thomas *hic quæst. 83. art. 4. & 5.* Suarez *disp. 84.* Bellarminus *præcit. lib. 2. cap. 15.* Scortia *lib. 3. & 4* sparsim, & alii, quos pro cujusque libito consulendos relinquo.

§. VII.

Quo ritu sit offerendum missæ sacrificium ex parte loci, & temporis?

122

ASSERT. I. Ad ritum, quo offerendum est missæ sacrificium ex parte loci maximè pertinet, quod in loco sacro, & super altari offeratur; adeò ut locus sacer sit sacrificii locus quasi remotior, & intrà quem; Altare verò sit locus immediatus, proximior, & suprà quem.

Missa regulariter non est celebranda nisi in loco sacro.

Probatur universim, quia sacrificium, præcipuè quod in missâ offertur, est actio maximè sacra, ei igitur maximè convenit, quod sit sacer locus, etiam remotior, intrà quem; & sacratior adhùc locus proximior, super quo fit; hocque adeò verum est, ut quamvis Ethnici primùm, & posteà quoque Sectarii loca sacra Catholicorum, templa scilicèt, & altaria pro missarum sacrificiis potissimum deputata omninò evertere contenderint, non id tamen præstiterunt, ex eo quod putaverint veris sacrificiis sacra loca, templa, & altaria non convenire; sed sectarii, ex eo quod in missâ veram sacrificii rationem non agnoscerent, Ethnici, ex eo quod totam Christianam religionem non solùm vero sacrificio carere, sed & in se malam, superstitiosam, atque abolendam esse blasphemarent. Verùm de templorum, & altarium antiquitate, sanctitate, necessitate agendum nunc non est; licèt id ex Scholasticis in præsenti; tractet nō leviter Suarez *disp. 81. sec. 1. & 2.* Magis facium ad rem nostram ea, quæ *sec. 3. seq.* profert ad probandam nō tàm convenientiam, quam necessitatem, obligationemq; gravem non offerendi regulariter, & sine magna causa missæ sacrificium, nisi in loco sacro, qui olim ex decreto Sylvestri Papæ debeat esse ab Episcopo consecratus; juxtà Cap. *Nullus* de Consecrat. dist. 1. postmodum verò ead. dist. cap. *Missarum* dispositum est sufficere ecclesiam benedictam, imò locum aliquem in privatis domibus de Episcopi licentiâ divino cultui cum altaris erectione dicatum, etiam non fixum, sed variabilem ad libitum eorum, quibus saltem licentiam Episcopus concessisset: Hanc dispositionem limitavit nonnihil, & restrinxit Tridentinum *sess. 22. Decret. de observand. & evitand. in celebratione missæ* his verbis *Decernit sancta Synodus, ut ordinarii locorum Episcopi non patiantur privatis in domibus, atque omninò extrà Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab iisdem ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi*, quibus prohibetur Episcopis concedere licentiam celebrandi in quocumque honesto loco extra ecclesiam, & solùm relinquitur potestas designandi ad celebrandum in domibus privatis Oratoria, quæ sint loca ad id permanentes

123 — *Idest Ecclesia saltè benedicta, aut oratorio ad id legitimè deputato.*

nenter destinata, non statim in usos profanos convertenda, & ipsorum ordinariorum visitationi subjecta: Tandem hæc quoque

124

oratoria concedendi potestas ordinariis sublata est, & Summo Pontifici reservata per litteras ad Episcopos datas à Cardinale Lancelloto jussu Pauli V. anno 1615. Has litteras Arriaga *disp.54. sec.4. num.* 27. ait in partibus septemtrionalibus, in quibus ipse scripsit, non videri esse receptas, cui Herinex *disp.8. quæst.* 11. *num.* 114. in Belgio scribens addit, se quo ad partes Belgicas facile accedere, quidquid sit de remotioribus regionibus, litteræ illæ in Italiâ fuerunt receptæ, in vigore sunt, & ad summum Pontificem pro facultate habendi in privatis domibus Oratoria omnes confugiunt, imò noster Homobonus olim Bononiæ Pænitentiarius de *Exam. Ecclesiast. tract.* 8. *quæst.* 14. *cap.* 5. testatur, sic fuisse à sacrâ Congregatione sæpè rescriptum Archiepiscopo Bononiensi, & ubique servari mandasse.

125

Stet igitur absolutè loquendo, & sine gravi necessitate, aut peculiari privilegio, missæ sacrificium offerendum non esse, nisi in loco sacro, nimirùm ecclesiâ saltem benedictâ, aut oratorio ad id legitimè deputato; & ubi nec Tridentini constitutio, nec Lancelloti Epistola sit recepta requiri ad minùs Episcopi licentiam, ut in loco non sacro possit offerri, & quidquid contrà senserint Sotus *in 4. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. & Emmanuel Sà *verb. missa num.* 10. peccaturum lethaliter eum, qui etiam sine scandalo, & contemptu aliter fecerit; nam sivè prohibitio celebrandi missam semper obliget, ut vult Vasquez *hic disp.* 232. *cap.* 3. *num.* 8. graviter, & sub lethali, sivè non; certè ea, de quâ nunc agitur ex communi sensu, non censetur minùs obligare, quam prohibitiones non celebrandi post sumptum cibum, sine sacris vestibus, pluries eâdem die. & similes sub lethali obligantes; ideò &c.

Idque est ex obligatione gravi, & sub lethali.

126

Peccat etiam lethaliter sacerdos missæ sacrificium offerens in ecclesiâ pollutâ, seù violatâ: prohibitionem enim sic offerendi gravem esse, colligitur ex toto titulo de Consecratione Ecclesiæ *dist.* 1. ac præterea recurrit argumentum mox formatum respectu loci non sacri; & est incontroversa Doctorum sententia, adeò ut certius sit peccari graviter, celebrando in loco polluto, quàm in loco non sacro, & minor causa sufficiat ad in isto, quàm in illo licitè celebrandum: rationem affert Lugus *hic disp.* 20. *sec.* 2. *num* 63. sitam in eo, quod pollutio, seù violatio dicit non meram negationem loci apti, sed privationem, & quasi pœnam, ratione cujus illa negatio est magis radicata, & fortior: eo ferè modo, quo carentia gratiæ, & sanctitatis est turpior nunc in peccatore, quàm esset in homine existente in purâ naturâ: Cæterùm non moror in expendendis modis, quibus ecclesia polluitur, aut polluta reconciliatur; non item in assignandis exceptionibus, & casibus, pro quibus licet, aut ex juris communis interpretatione in loco non sacro, aut ex Episcopi facultate in ecclesiâ pollutâ celebrare; possunt pro his, & similibus videri ex Scholasticis, cum quibus solis nunc ago Sylvius *quæst.* 83. *art.* 3. Herinex *præcit. quæst.* 11. Lugus *mox cit. sec.* 2. Suarez *disp.* 81. *sec.* 4. Arriaga *disp.* 54. *sec.* 4. & 5. &c.

Est item sub obligatione gravi, quod non celebretur in ecclesia polluta.

127

His breviter expeditis pro loco remotiore, & intrà quem, vel in quo sacrificium est offerendum, oportet aliquid addere pro loco immediato proximiore, & suprà quem; idest de altari, quod pariter ex parte loci requiri asseruimus; & quidem majori necessitate, quàm locus sacer, aut templum; nam ut mox insinuavimus, licuit olim, & licet adhùc aliquando missæ sacrificium offerre extrà templum, & in loco non sacro, numquam verò ex statim dicendis, non super, seù sine altari: Dicitur istud quasi *alta ara*; ara ab ardore, quo victimæ cremabantur; alta, quia majoris reverentiæ, & commoditatis gratiâ solet altè collocari; aliquibus magis placet, quod dicatur, quasi *alta area*, seù *alta res*: Ab initio ecclesiæ videtur indifferenter adhiberi potuisse ligneum, aut lapideum; nunc à Sylvestri, aut quod magis placet Arriagæ *disp.* 55. *sec.* 1. *num.* 1. etiam ab Evaristi temporibus statutum est fieri solum ex lapide; debet igitur esse lapideum saltem secundùm mensam, seu aream superiorem, super quam Corporale extenditur; tantam hæc magnitudinem latitudinemvè requirit, ut valeat hostiam, & calicis pedem capere: Debet esse ab Episcopo consecratum, adeò ut lethale sit uti non consecrato ad celebrandum, de hujus consecrationis essentiâ sunt quodammodo Sanctorum Reliquiæ in areæ medio positæ, & parvo lapide obsignatæ; utrum super altare, quod istis careat celebrando lethaliter peccetur? sub opinione est apud Amicum *hic disp.* 33. *sec.* 12. *num.* 349. Aliud est fixum, & stabile; aliud mobile, & portatile, seù viaticum: illud sicuti non potest à reliquâ structurâ amoveri, nisi consecrationem amittat, ità non nisi in loco, ubi fixum est, potest ad celebrandum inservire: Illud potest secum sacerdos quilibet deferre, at non sine necessitate, aut sine privilegio uti in locis non sacris, in quibus juxta paulò antè dicta regulariter non licet celebrare; quia tamen loca sacra, in quibus regulariter celebrare licet, suis non carent altaribus, non solent altare portatile deferre, nisi habentes privilegium eo utendi in loco non sacro, ut maximè habent Episcopi, & à Paulo III. fuisse concessum Patribus suæ Societatis quoties Generalis, vel Provincialis judicaverit, refert Amicus mox *cit. sec.* 12. *num.* 353. Porro utendi ad missæ sacrificium altari, aut fixo, aut portatili tanta est obligatio, ut juxtà communem Doctorum sententiam in nullo casu, & ex nullo privilegio liceat sine eo missam celebrare, & quamvis in tali obligatione, ut potè juris ecclesiastici possit Summus Pontifex ex gravi causâ dispensare; Suarez tamen *hic disp.* 81. *sec.* 6. § *In tertiâ parte*, non solum notat, numquàm legi dispensatum, sed & addit

Altare quale, & quotuplex

128

Magè est ad missam necessarium quàm locus sacer.

non

non videri moraliter umquàm esse posse necessariam, aut convenientem dispensationem.

129

Quid de necessitate pertinentium ad altaris ornatum?

Solent hic multi multa disserere de altaris ornatu, tùm quò ad ea, quæ ipsum altare lapideum consecratum proximè attingunt, & afficiunt, ut mappæ, seù tobaleæ, & corporale; tùm quò ad alia, quæ ad altare præsertim portatile remotius se habent, imò in rigore videntur pertinere ad Capellam, potius quàm ad Altare, cujusmodi sunt Crux, Tabella Secretarum, candelabra saltem duo, cum candelis accensis, Missalis liber, & similia, quæ in ipsius Missalis Rubricis sub titulo *de præparatione altaris, & ornamentorum ejus, recensentur*, & qualem, gravem ne an levem inducant obligationem variè opinantur Auctores: certum sit, non omnia æqualem, non omnia gravem obligationem inducere, imò etiam aliqua non obligare sub culpâ, sed solum ad majorem decentiam pertinere, & à rubricis directivè, non præceptivè poni: Modicissimæ aut etiam nullius obligationis, & cujusdam dumtaxat decentiæ censeri possunt cussinus Missali supponendus, & cereus accendendus ad elevationem Sacramenti: aliquantulò majoris, at non sub lethali Crux, & tabella secretarum: majoris adhùc, missalis liber, sine quo extrà casum necessitatis missam celebrare pauci à lethali excusant ob morale periculum aliquid omittendi: Majoris tandem lumen, de quo omnes docent, ad missæ sacrificium requiri sub lethali, & colligunt potissimùm, tùm ex ecclesiæ consuetudine, tùm *ex cap.ult.de celebrat.missar.* ubi inter graves cujusdam Præbyteri excessus recensetur, quod sine igne celebraret, & fortè nulla potest occurrere necessitas, in quâ id liceat, undè Fagundex relatus à Lugo *hic disp.20.sec.2.num.77.* docuit, si in missâ inceptâ lumen extinguatur antè cõsecrationem, nec haberi possit, missam esse relinquendam, etiamsi necesse esset consecrare ad ministrandum viaticum moribundo: Dummodò deindè lumen adsit, modica causa sufficit, ut liceat cum unico celebrare; imò Arriaga *disp.55.sec.2.nu.9.* refert se sæpè vidisse celebrari cum unicâ candelâ, & audivisse in multis partibus id esse usu receptum: Vix major causa requiritur, ut liceat celebrare cum lucernâ unâ, vel duplici; seù lumine ex oleo. Numquàm verò adhibendum esse lumen ex adipe, aut candelam subaceam, putant Suarez *disp.81.sec.6. §.Tertiò requiritur*, & Vasquez *disp.233.cap.3. num.26.* mitius sentiunt aliqui alii apud Dianam *tract. de celebr. missar. resol.* 45. & 67. Est insuper gravissima, & sub lethali obligatio non celebrandi sine Calice, sine Patenâ, sine Corporali; Sed de his videantur alii.

130

Quid significanter de necessitate luminis; unius vel duplicis; ex cera vel ex alia materia?

131

Antequàm penitus deseram loca celebrationis missarum, operæ pretium est, aquas, maria, & navigia non omittere; in primis autem moneo, pro licitâ missarum celebratione in mari requiri ad minus ea privilegia, & eas causas, quæ requiruntur ad licitè celebrandum in loco non sacro, non enim possunt in navibus, etiam magnis constitui oratoria, ut in privatis domibus, servando conditiones, quas communiter debent Episcopi pro talibus oratoriis exigere: Moneo insuper, privilegium utendi altari portatili, & celebrandi in loco non sacro ex genere suo, non sufficere ad celebrandum in mari, nam ex concedentium mente, & communi sensu intelligitur id concedi pro locis terræ, non maris, nisi specialiter exprimatur; deindè tale privilegium semper est ad celebrandum in loco honesto, ac decenti, & sine periculo irreverentiæ sacramenti, quod in terræ locis facilè, & certò; in navibus suprà mare, difficilè, & vix umquam certò potest contingere: Moneo tandem, non sufficienter constare de ullâ hucusque factâ ab ecclesiâ, sivè à Summo Pontifice, nec prohibitione, nec concessione suprà mare in navibus celebrandi, & quamvis pro prohibitione afferatur quoddam rituale antiquum approbatum à Leone X., pro concessione è contrà nonnulli testentur, fuisse aliquando ad id datam indias navigantibus licentiam à Clemente VIII., & Paulo V. Nihilominus Lugus *hic disp.20. sec. 3. num.82.* ait, de dicta Leonis approbatione, & de illius ritualis auctoritate non constare, & posteà *num 89.* videtur, non satis fidere testimonio referentium illam Clementis, & Pauli licentiam.

Pro quæstione an liceat in mari celebrare, nonnulla præmonentur.

132

Fertur de ea judiciũ.

His ità existentibus, videtur tota res relinquenda regulis juris communis, & judicio Doctorum, ac prudentum virorum, qui juxtà diversam conditionem navium, quò ad magnitudinem, & structuram, item marium quò ad majorem, vel minorem fluctuationem, crebrioremque, vel rariorem tempestatum excitationem poterunt pro maribus, & navibus diversis, diversimodè judicare de decentiâ loci, & morali securitate non effusionis sanguinis, ac consequenter de licitâ ob gravem necessitatem celebratione, aut de sufficienti, & juxtâ causâ concedendi licentiam celebrandi in navigiis super aquas, & maria. Hinc benè stat, licitam in navigatione indicâ esse missarum super mare celebrationem, quæ jam usu recepta est, ipso Summo Pontifice saltem non improbante; & simul æquissimum esse, quod refert Lugus nuper cit. *num.* 89. non paucos antè annos Summum Pontificem negasse facultatem celebrandi in tiremibus maris mediterranei, quamvis petitam exemplo adducto ex navigatione indicâ; nec mirum, inquit idem Auctor *ibid.* quia tiremes non sunt ità aptæ, ut grandiores illæ naves, nec necessitas est eadem, cum frequenter ad terram accedant, ubi in littore altari erecto possunt ex ipso mari missam audire. Plura de hoc puncto jam semel, & iterùm memoratus Lugus eâ totâ *sec.* 3. in cujus initio profitetur, se pro missæ celebratione, in navigatione lusitanorum indiam orientalem petentium, vidisse favorabilia vota academiarum Salmanticensis,

Complu-

Complutensis, Conimbricensis, & Eborensis, deindè rationibus dubitandi utrinque expensis, præfert fundamenta partis affirmantis, quam Arriaga *disp. 54. sec. 5. nu. 43.* appellat nunc communissimam; quamvis antiquitùs esset communior pars negans, non tamen omninò absolutè, sed quasi sub conditione periculi irreverentiæ, & effusionis sanguinis, quod olim supponebatur inevitabile; posteà autem experientiâ præsertim in illâ navigatione indicâ compertum est, vitari facilè posse.

133

Assert. 2. Ad ritum, quo offerendum est missæ sacrificium ex parte temporis maximè pertinet, quod apud nos sacerdos, quoties est celebraturus, id regulariter præstet, nec pluries eâdem die, nec antè auroram, aut post meridiem, sed semel ab aurorâ ad meridiem, seù inter Auroram, & meridiem.

Quò ad tempus celebrandi non fuit semper, nec potest esse ubiq; eadem regula.

Dixi *apud nos* idest nostris temporibus, & in nostris regionibus; nam olim temporibus Telesphori missæ post tertiam celebrabantur, & ut refert Baronius anno 34. num. 17. apud Africanos, & Alexandrinos celebrabantur vespere, ex quo dicebantur *Missa Vespertina*, & de ipsis fit mentio in Concilio Agathensi, & Carthaginensi III. item in libris Cypriani, & Augustini apud Amicum *disp 33. sec. 12. num. 324.* Præterea assignata à nobis regula auroræ, & meridiei non habet locum in illis regionibus, in quibus non ut in nostris dantur dies naturales, qui viginti quatuor horarum spatio contineant solis ortum, & occasum, ejus cursum suprà, & infrà horizontem, ac per consequens vesperam, & mediam noctem; auroram, & meridiem, sed habent toto viginti quatuor horarum, aut etiam plurium hebdomadarum, imò mensium spatio solem sibi illucentem, & artificialem diem longissimam, aut ex adverso solis sibi illucentis privationem, & eodem toto spatio longissimam artificialem noctem: Si quæras hic obiter, quânam aliâ in his regionibus regulâ, seù quonam ritu utendum sit circà tempus offerendi missæ sacrificium? Respondetur in primis, idem quæri posse circa modum observandi plura alia præcepta ecclesiastica, quæ dies naturales viginti quatuor horis constantes, & in dies, ac noctes artificiales per successivam solis præsentiam, & absentiam divisos supponunt; qualia sunt præcepta jejunii naturalis à mediâ nocte servandi, ante eucharistiæ sumptionem; & jejunii ecclesiastici requirentis unicam intrà viginti quatuor horarum spatium comestionem, post meridiem: & abstinentiam à carnibus ab unâ mediâ nocte ad aliam: item præcepta observantiæ festorum, recitationis officii, & similia; pro quibus sicuti nondum constat, ecclesiam illarum regionum incolis regulam aliquam assignasse, ità nil certi potest in particulari definiri: Si deindè donec ecclesia aliquid statuat; congruenter, & proportionaliter ad regiones nostras, legesque pro nobis statutas discurrendum sit, dici poterit ab illarum regionum incolis dividenda esse horologiorum, stellarum, aut acus magneticæ beneficio spatia viginti quatuor horarum, nostris diebus naturalibus respondentia, & assignandas in talibus spatiis horas correspondentes nostrorum dierum naturalium mediæ nocti, & meridiei: item pro missa spatium simile ei, quod apud nos continetur inter auroram, & meridiem; sicque de cæteris; quâ de re aliquid ex professo tradit Arriaga suprà *disp. 44. sec. 2. subsec. 3.* breviùs verò, & obiter Suarez pariter suprà *disp. 68. sec. 4. §. Dico tertiò* & Vasquez *disp. 211. cap. 3. num. 32.*

134 Quid signanter in locis in quib' dies, & noctes sunt longissimæ, & per menses durant?

135 Sacerdos ex vi ordinationis tenetur aliquando, ac non quotidiè celebrare:

Dixi *Quoties est celebraturus*, ut innuerem sacerdoti; attentâ præcisè ordinatione, & conditione status esse valdè indeterminatos, ac liberos celebrandi dies, & dummodò vitentur extrema, nec censeatur, aut nullatenùs teneri ad aliquando totâ vitâ celebrandum, aut posse licitè celebrare omnibus prorsùs anni diebus, valdè libera el rarior, vel frequentior celebratio; dummodò scilicèt tribus, vel quatuor anni diebus celebret, & ter, vel saltem bis in triduo majoris hebdomadæ à celebrando abstineat, reliquo anni tempore licitum ei est, aut quotidiè, aut numquàm celebrare, & sicuti nimis rigidi sunt nonnulli Juristæ, qui illum reputant ex vi ordinationis obligatum ad celebrandum quotidiè; ità sunt nimis laxi, quicumque eumdem dummodo præcepto communionis paschalis, saltem laicè communicando satisfecerit, absolvunt de cætero ab omni gravi obligatione umquàm celebrandi; quamvis olim hoc docuerint Bonaventura, Gabriel, Richardus, & aliqui alii graves Doctores relati à Suario *hic disp. 80. sec. 1. §. Propter hæc*, & ab ipso, aliisque nonnullis Recentioribus non admodum improbati. Inter hoc certum sit, consulendam omninò esse sacerdotibus missæ celebrationem frequentem, potius quam rariorem, ut suadent tùm universim, quæ suprà *lib. 2. cap. 3. §. 7.* dicebamus de frequenti communione, etiam laica; tùm singillatim verba Concilii Tridentini *sess 23. cap 14.* monentis Episcopos, ut curent, ad Præsbyteratus ordinem assumptos saltem diebus dominicis, & festis solemnioribus missas celebrare, tum insuper, ut errorem modernorum Sectariorum missas privatas abominantium, & unicam communem, ac solemnem in singulis parochiis singulis diebus admittentium ipsa praxi, idest ipsâ quotidianâ missarum copia, & frequentiâ luculentiùs refellamus.

136 Est ei consulenda celebratio frequêtior potius quã rarior.

Dixi *id regulariter præstet*, quia regula celebrandi, nec pluries eadem die nec antè auroram, aut post meridiem, varias patitur exceptiones, variosque casus, in quibus vel ob occurrentem necessitatem, vel ob specialis privilegii concessionem potest licitè aliter fieri: Celeberrima autem, atque usu receptissima exceptio ea est, quâ in festo Natalis Domini quilibet sacerdos potest, etsi non teneatur ter, & multò antè Auroram, idest statim post mediam noctem

137

missæ

In festo Natalis Domini possunt omnes Sacerdotes missæ celebrari, aut tres, ut omnes, promittere tamen.

[illegible] celebrationum, [illegible] exceptio non [illegible] ex [illegible] Ecclesiæ consuetudine, & in [illegible] [illegible], sed & in jure Cap. [illegible] de Celebrat. Missar. & Can. *Nocte* [illegible] de Consecrat. distinct. [illegible] Et [illegible] hanc exceptionem [illegible] missam [illegible] quæ *ad Christum* [illegible] dicitur *Nocte* [illegible] *celebrari debet*. Nihil omnino hujus modi limitatio [illegible] communionem sententiam [illegible] subsistit, dummodo [illegible] pro missis solemnibus [illegible] pro privatis, ut multis [illegible] Auctoribus tradit Marchinus *prælaudat.* [illegible] *cap. 7. num. 8. & 9.* idque esse hodie [illegible] adeo receptum, ut non posse jam de ejus veritate dubitari [illegible] in hac [illegible] Urbe [illegible] [illegible] occasione [illegible] propositum aliud dubium, quod licet videatur Almæ Urbis proprium, potest & alibi, modo non valde diverso, habere locum: Dubitat scilicet [illegible] Utrum Cardinalis, qui in missa solemni [illegible] ministrans [illegible] Diacon[illegible] Summo Pontifici, communicatur in ea missa sub utraque specie, possit postea, ex suppositione, quod sit Sacerdos, duas alias missas privatas celebrare? Hoc dubium modo non valde diverso potest, ubi libet habere locum, si quæratur: Utrum Sacerdos possit, in die Natalis celebrare [illegible] sumptam Eucharistiam communione laica? Ad utrumque autem dubium respondeo, ex doctrina Eugenii, [illegible] Arriaga [illegible] expresse [illegible] ratione diei Natalis non licere; exceptio enim, seu facultas præ[illegible] die [illegible] non est ad plures communicandum quomodocumque, sed ad plures celebrandum, seu ad plures communicandum intra missam communione sacerdotali, quo ad communionem igitur laicam viget pro die Natalis prohibitio generalis eam sumendi, & sumi [illegible] postea celebrandi, unde ut in casu proposito posset id licite fieri, deberet accedere nova Pontificis dispensatio, aut peculiaris celebrandi necessitas, [illegible] quæstio mutaret statum, nec sisteretur in præcisa ratione, & exceptione diei Natalis.

138. *Sacerdos in eo festo sumens communionem laicam nequit, postea celebrare.*

Sic explicatis modificationibus, & [illegible] præcipuis allatæ particulis, reliquum, quod in ipso principalius est, & ut regula generalis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] gravem [illegible] [illegible] [illegible] celebrandi, [illegible] [illegible] nec [illegible] [illegible] probatur facile, quoad primum, ex cap. *Sufficit* de Consecrat. [illegible] Item ex cap. *Consilium*, & ex cap. [illegible] de Celebrat. Missar. Quo ad secundum ex decreto Concilii Tridentini [illegible] *quæ cumque*, *aut post meridiem celebret.* Item ex rubricis missalis, in quibus sub titulo *de hora celebrandi missam* habetur: *Missa privata quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Quoad utrumque denique præsertim vero, quod [illegible] per [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] obligatio sub lethali [illegible] receptissima [illegible] [illegible] [illegible] tum communissima, & [illegible] sententia Scholasticorum *3. par. quæst.* [illegible] [illegible] Canonistarum *in Cap.* [illegible] *& Can.* [illegible] nec non Summistarum [illegible]

139. Regulariter in præfatis regulis, & nocturna [illegible] per [illegible] missa est celebranda inter auroram, & meridiem.

140. Est quidem hoc inter Auctores dissidium multiplex in determinando pro præsenti materia, auctore in [illegible] in sumendo cum majori, aut minori latitudine [illegible] meridiei; item in pluribus, aut paucioribus exceptionibus, [illegible] privilegiis contra duas assertas leges, & regulas generales admittendis: sed nimis molestum esset, & præter methodi, quam [illegible] intentum omnia prosequi; [illegible] in[illegible] ingenue fatear, hocce in tractatu propter maximam moralium cum speculabilibus cognationem, vix potui calamum cohibere, quin nonnihil excesserit eas, quas mihi conceperam speculandi, & scribendi metas; ne vero [illegible] excedam latius, omitto prorsus pertinentia ad Ministrum missæ [illegible] servientem, ad præceptum, ac modum missæ audiendæ, & si quæ alia, aliorum facillima, & apud multos Auctores obvia, possunt hic [illegible] desiderari; interim, quæ [illegible] mea videri, nec adeo abundant, ut possint fastidium parere, nec adeo deficiunt, ut [illegible] sobrietatem relinquant; Quæcumque tandem, & qualiacumque sint, lectoris benignitati, ut ignoscat, commendo; Ecclesiæ judicio, ut corrigat, subjicio; Dei gloriæ, ut accepta-bilia habeat, consecro.

FINIS

INDEX

INDEX RERVM.

T, Tractatum significat: L, Librum: C, Caput: N, Numerum marginalem: P, Paginam.

A

C

Chri-

Eccle-

Non Fati-

L

Nnn 2 Mate

M.

Missa

pia

Sacra-

T

V

5-2